

HRABANI MAVRI ABBATIS primùm FVLDENSIS, posteà ARCHIEPISCOPI MOguntini, OPERA

Quotquot reperiri potuerunt omnia;

à

R.D. Iacobo Pamelio olim collecta, & nunc primum in lucem edita.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antony Hierati.
ANNO
M.DC.XXVI.

MAGNENTII

H-RABANI MAVRI,

EX ABBATE FVLDENSI, ARCHIEPISCOPI Sexti Moguntini,

OPERA,

QVÆ REPERIRI POTVERVNT,

OMNIA,

IN SEX TOMOS DISTINCTA.

Collecta primùm industriâ Iacobi Pamelij Brugensis S. Theol. Licentiati, Canonici & Archidiaconi, & postmodum designati Episcopi Audomarensis;

Nunc vero in lucem emissa curâ R.mi Antonij de Henin, Episcopi Iprensis; ac studio & Operâ Georgij Colvenerij S. Theol. Doctoris, & Regij ac ordinarij in Academia Duacena Professoris, Collegiatæ S. Petri Præpositi; ac dictæ Academiæ Cancellarij.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus ANTONII HIERATI, sub signo Gryphi.

ANNO M. DC. XXVII.

REVERENDISSIMIS ILLVSTRISSIMISQVE PRINCIPIBVS AC DD.

D. IOANNI SWICCARDO ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO,

PRINCIPI ELECTORI, ET S. R. I. PER GERMANIAM Archi-Cancellario: &c.

Nec non

D. IOANNI BERNARDO, ABBATI FVLDENSI, EIVSDEM S. R. I. PRINCIPI,

ET SERENIS.MAE IMPERATRICIS ARCHI-CANCELLARIO, &c.

DD.nis. suis Clementiss.mis & gratiosissimis.

TAndem aliquando diuina mihi indulsit clementia, vt *Reuerendiss. & Illustriss. VV. Celsitud.* Antecessorem, celeberrimum illum & suo æuo magnum virum, Rabanum Maurum, ante oculos & in conspectum VV. Celsitudd. producere liceat; non illum quidem corporeis artubus indutum, sed immortali nominis famâ stipatum; nõ viua voce, sed diuinis scriptis loquentem. Eius vero conspectum tanto vobis gratiorem iucundioremque fore confido, quanto is per hos quinque quibus hoc ornatu amiciri cœpit, annos, maioribus defunctus est periculis. Etenim quum typographi operâ propediem in lucem erumpere iam gestiret; insperato casu factum est vt in illis in quibus adhuc delitescebat ædibus pœnè conflagràrit. Nota est Halberstadiani militis in oppidum T. Celsitud. *Illustrißime Elector*, Vrsellam, in quo Opus hoc cudi cœperat, exercita immanitas, qua magna pars eius immerito incendio deformata fuit ac vastata. Ah quam pœnè nobis fuerat tum Rabanus! Diuinitus quidẽ conseruatus fuit ab igne: rapaces tamen militum manus effugere non potuit, magna iam excusi exemplaris parte direpta & dispersa; sed post magno meo dispendio recusa. In quo quidem nemo non & diuinam agnoscere debet prouidentiam, & eidem gratias agere, quod tam præclarum lumen exstingui, ac tam laboriose tantisque sumptibus conquisitum opus deperdi noluerit. Fuit certe Rabanus (vt cum Trithemio loquar) *in omni eruditione tam sæcularium quam diuinarum scripturarum longe doctißimus; Philosophus clarus, Poeta insignis, Rhetor facundus, Astronomus & Computista celeberrimus, Græcè, Latinè & Hebraicè peritus: cui similem suo tempore non habuit Ecclesia.* Quo vno elogio omnes extra omnem æmulationem atque inuidiam positi viri laudes comprehenduntur.

Huius

Huius ego opera magno ſtudio & ſumptu cõquiſita, ſuperatis omnibus difficultatibus, in lucẽ iã produco: cui meæ editioni quũ pro laudabili more patroni quęrendi eſſent, vehemẽter ſane peccaturus mihi videbar ſi alibi quã apud Illuſtr. V V. Celſitudd. patrociniũ quæſiſſem. In cuius ſinũ namq; lubentius confugiat Rabanus noſter quã eius Principis qui vt eidẽ loco & dignitati præſidet, ita eidem fulget ſupremo loco digniſſimarũ virtutũ dotibus. Sinat hoc Illuſt. V. Celſitudo vt dicam. Miratur ſæculum noſtrũ in te quaſi renatũ Rabanum. Vt enim ille quondã Ludouico Pio Imperatori ob vtiliſſimã tam factis quam conſilijs nauatam operam perquã charus & familiaris erat: ita Illuſtriſs. V. Celſitudo glorioſiſſimũ & inuictiſſimũ noſtrum Imperatorẽ Ferdinandum II. Pijſſimum, adeoq; totum Romanum Imperium, immò vniuerſam Catholicam Rempublicam tot fidelibus tamque neceſſario tempore præſtitis obſequijs ita ſibi deuinxit, vt quod adhuc ſtat adhuc Germania, quod floret Romano-Catholica religio, magna ex parte Illuſtr. V. Celſitudini acceptũ referendum, boni omnes lubenter fateãtur. Quod ſi difficilis eſt imperãdi ars; eoque laude digniſſimi ij ſunt qui eam apprime callent: quanto laudabiliores illi cenſendi ſunt, qui non ſecundis tantum ventis (id enim non difficilimũ forte fuerit) ſed in medijs horrendarum tempeſtatum procellis clauum ſemper rectum tenent, & ad optatum portum contendunt, Deique auxilio in eum prouehuntur: quod in Reuer. T. Celſ. factum videmus & miramur!

Ad V. vero Illuſtr. D. quod attinet, Abbas & Princeps Reuer. & Illuſtr. fieri omnino aliter non debuit, quin eidẽ altera ex parte Rabanus noſter ſe ſiſteret atque offerret. Nolo hoc loco Virtutes & his turbulentis temporibus præclare & vtiliter facta *Illuſtr.*^ma^ *V. D.*^nis^ vtpote toti Germaniæ atque etiam exteris gentibus cognita, deprędicare; ſed venerari eas tacitus malo. Nec mirabitur, ſpero Illuſt.^ma^ V. Reuer. ſi Rabanus noſter vt Epiſcopus Moguntinus ad Reuer. & Illuſtriſſ. Archiepiſcopum & Electorem Moguntinum; ita ad V. quoque Illuſtriſſ. Reu. tamquam Abbas Fuldenſis ad Abbatem Fuldenſem; & vt ad Illum tamquam Imperatoris & Imperij; ita ad Te tamquam Imperatricis Archi-Cancellarium veniat; & vtriuſque patrocinio ſe dedat.

Eum Vos Reuer. & Illuſtr. Principes, vt ſerena fronte admittatis atque excipiatis, meque humilimum clientem Electorali & Principali Veſtra gratia clementiſſimè complectamini, qua par eſt animi ſubmiſſione humilime rogo. Dabam Coloniæ Agrippinæ Anno M. DC. XXVI. 14. die Septembris.

Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Veſtr. Celſitudinum humillimus & obſequentiſſimus Cliens

ANTONIVS HIERATVS, Ciuis & Bibliopola Colonienſis.

CATALOGVS OMNIVM OPERVM HRABANI MAVRI IN HIS SEX TOMIS COMPREHENSORVM.

* HOC SIGNO NOTATI EX MAN. SCRIPTIS NVNC PRIMVM IN lucem editi sunt.

TOMO PRIMO CONTINENTVR.

* VITA HRABANI Abbatis, edita à Rudolpho Presbytero & Monacho, eiusdem discipulo.
* Vita eiusdem Hrabani per Ioannem Trithemium tribus libris conscripta.
* Exceptio de arte grammatica Prisciani.
De vniuerso, Libri 22. ex impresso antiquo.
De laudibus Sanctæ Crucis, partim prosâ, partim carminè ex impresso Augustæ Vindelicorum. Anno 1605.

TOMO SECVNDO.

IN Genesin Libri IV.
In Exodum Libri IV.
In Leuiticum Libri VII.
Eorundem Commentariorum in Leuiticum epitome. auctore Strabo eius discipulo.
In Numeros Libri IV.
In Deuteronomium Libri IV. omnes ex impresso Coloniensi.

TOMO TERTIO.

* IN Librum Iudicum Libri duo
* In Librum Ruth. Liber vnus
* In quatuor Libros Regum. Libri IV.
* In duos Libros Paralipomenon. Libri IV.
* In Librum Iudith. Liber vnus.
* *Cui subiungitur Commentarius Iacobi Pamelij in eundem librum.*
* In Librum Esther.
* In Cantica, quæ ad Matutinas laudes per septimanam dicuntur.
* In Prouerbia Salomonis. Libri tres.
* In Librum Sapientiæ. Libri tres.
In Ecclesiasticum. Libri X. ex impresso Parisiensi.

TOMO QVARTO.

IN Ieremiam Prophetam, comprehensis eiusdem Lamentationibus, Libri XXX. ex impresso.
* In Ezechielem Prophetam. Libri. XX.
* In duos libros Machabæorum.

TOMO QVINTO.

* COmmentariorum in Matthæum Libri VIII.
In quibus aduertendum in Libro 7. cap. 26. & lib. 8. cap. 26. & 28. quædam deesse, vti ibidem in margine denotatur, (quæ ob militum Halberstadensium insolentiam, Vrsellis in Archiepiscopatu Moguntino, vbi ille Tomus Quintus anno 1022 cudebatur.) deperdita sunt.
* Hrabani Mauri Commentarior. in Quatuordecim Epistolas Pauli Libri XXX.
Quibus præmisimus Iacobi Pamely Commentariolum in Epist. B. Pauli ad Philemonem.
* Hrabani Mauri Homiliæ super Epistolas & Euangelia, à Natali Domini, vsque ad Vigilias Paschæ. numer. 61. Quibus adduntur multæ aliæ Homiliæ de Sanctis & varijs virtutibus.
* Homiliæ super Epistolas & Euangelia à Vigilia Paschæ vsque xv. Dominicam post Pentecosten tam de Tempore, quam de Sanctis, num. 91.
* Homilia de Euangelio, *Liber Generationis Iesu Christi.*
* De Septem signis Natiuitatis Domini.
* Allegoriæ in Sacram Scripturam.

TOMO

DE Clericorum Institutione & Ceremonijs Ecclesiæ Libri tres, ad Heistulphum Archiepiscopum, ex impresso Colon.

* Ad Giotinarum de sacris Ordinib. sacramentis diuinis, & vestimentis sacerdotalibus liber vnus.

Hic in multis idem est, cum primo libro de Instit. Clericorum eiusdem Rabani, sed epistola præmissa est diuersa, & alia quædam.

* Ad Reginaldum de disciplina Ecclesiastica Libri III. quorum Primus est de sacris Ordinibus; Secundus de Catechismo & sacramentis diuinis; Tertius de agone Christiano, agens de virtutibus & vitijs.

In duobus prioribus sunt aliquot Capita, quæ conueniunt cum libris de Institut. Clericorum, vti in margine notatur.

* Ad Bonosum Abbatem Libri tres: Primus de videndo Deo; Secundus de puritate cordis. Tertius de modo pœnitentiæ.

* Ad Heribaldum de Quæstionib. Canonum Pœnitentialium Libri tres: Primus continet Regulas de Ministris Ecclesiæ, si deuiauerunt, cum adiunctis epistolis Hormisdæ Papæ, Isidori & aliorum: Secundus, De pœnitentiæ satisfactione; Tertius de pœnitentijs laicorum.

* De vitijs & virtutibus, De peccatorum satisfactione & remedijs, siue de pœnitentijs Libri tres.

* Ad Otgarium Archiepiscopum Pęnitentium Liber vnus, qui veluti præcedentium iustum quoddam Compendium est.

Quota generatione licitum sit matrimonium, Epist. ad Humbertum Episcopum, ex impresso Colon.

De Consanguineorum nuptijs, & de magorum præstigijs ad Bonosum Liber vnus, ex impr. Colon.

De Anima, & virtutibus, ad Lotharium Regem Opusculum, ex impresso Colon.

De ortu, vita & Moribus Antichristi Tractatus, ex impresso Colon.

Hrabani Mauri Martyrologium ex Tomo 6. Antiquæ Lect. Henr. Canisij.

Poœmata de diuersis, per Christophorum Brovverum, cum eiusdem scholijs edita Mogunt.

* Commentaria in Regulam S. Benedicti.

Glossæ Latino-Barbaricæ de partibus Humani Corporis, ex Tom. 2. Rerum Alemannicarum Francofurti edito Anno 1606.

Item de inuentione linguarum ab Hebræa vsque ad Theodiscum, ex eodem.

F I N I S.

CATALOGVS OPERVM HRABANI MAVRI QVÆ DESIDERANTVR, ET QVAMVIS

à nobis diligenter quæsita fuerint, nancisci tamen non potuimus.

IN Iosue libri 2. *Domino beatissimo vereq;*
In Esdram & Neemiam. lib. 3.
In Tobiam lib. 1.
In Iob, lib. 1.
In Ecclesiasten lib. 1.
In Cantica Canticorum.
In Librum Sapientiæ lib. 3. *Diligite, &c. admo.*
In Esaiam prophetam lib. 8. *Domino Reuerendissimo.*
In Danielem lib. 3.
In 12. Prophetas Minores lib. 12.
In Euangelium Lucæ libri 3.
In Euangelium Marci lib. 1.
In Euangelium Ioannis lib. 3. *Inter omnia diuin. hist.*
In Epistolas Canonicas libri 7.
In Actus Apostolorum lib. 1.
In Apocalypsin Ioannis lib. 1.
De Vniuersali natura lib. 1.
De computu dialogus lib. 1. *Quia te venerande Pater.*
Ad Ludouicum Regem lib. 1.
De benedictionibus Patriarcharum lib. 1.
Epistolarum ad diuersos lib. 1.
De naturis Rerum Libri 5.
Dictionarium mysticarum significationum lib. 1.
De Rebus gestis à Lothario, Ludouico, & Carolo Imp. Ludouici Pij filijs, carmine heroico.
De virtutibus numerorum lib. 1.
De Origine Rerum lib. 1.
Conuiuium Dei ad Ludouic. Imp. lib. 1.
De fide Christiana libri 4.
Reuelationum Liber 1. *& alia quædam.*

Concilia sub eo celebrata extant impressa in Tomis Conciliorum.

ANT. HIERATVS

LECTORI S.

EN tibi, beneuole Lector, HRabani Mauri, è Monacho Abbatis Fuldensis, ex Abbate Archiepiscopi Moguntini, quæcumque reperiri potuerunt, Opera omnia: quorum pauca antehac edita, maior pars postquam hactenus in diuersis Bibliothecis, Fuldensi maximè, delituisset, iam demum in lucem profertur. In his colligendis R. D. Iacobus Pamelius iam olim nulli labori ac sumptui pepercit, eo consilio vt suo studio atque operâ in lucem emitterentur. Id quum vir optimus & longiori vita dignissimus, immatura morte præuentus præstare non potuisset, Reuerendiss. Antonius Hennin Episcopus Audomaropolitanus cum hæredibus egit, vt quidquid penes se esset non grauatim communicarent. Horum recensionem in se suscepit D. Georgius Colvenerius S. Theol. Doct. & in Academia Duacena Regius ac ordinarius Professor, & Cancellarius: qui etiam maiorem partem eorum quæ iam olim impressa erant, addidit. Dolendum sane est multa huius eiusdem Auctoris Opera, vel iniuria temporum perijsse, vel adhuc in Bibliothecis latere, & cum blattis ac tineis luctari. Quare rogatos Lectores velim, vt si quid forte talium vbicumque nancisci contigerit, id nobis communicare ne grauentur: quò per Appendicem reliquis annectantur, & communi bono euulgentur.

Aduertat etiam Lector in Commentarijs super Euang. Matthæi lib. 7. & 8. pauca quædam folia esse deperdita, vt in Catalogo Operum & in margine Commentariorum annotatur: quæ quidem magna diligentia perquisiuimus, sed reperire hactenus non licuit. Lectorem ergo rogamus, vt si quid eorum in manus suas inciderit, eorum communicationem nobis & bono publico ne inuideat.

Cæterum quia iam in eo sumus vt quum aliorum quorumcumq; Orthodoxorum Ecclesiæ Patrum mediæ ætatis Doctorum, in primis B. Alberti Magni Ratisbonensis Episcopi, Ord. Prædic. Opera nondum edita colligamus, & ad publicam vtilitatem omnia coniunctim in lucem emittamus: Te quoque, mi Lector, rogatum volumus, vt quocumque possis subsidio industriam & conatus nostros iuues. Vale.

* Notandum quoque in Commentarijs in Epist. Pauli ad Hebræos, qui habentur tomo 5. pagina 570. ante cap. XII. debere præponi, *Enarrationum Hrabani Mauri in Epist. Pauli Liber XXX.* & pagina 579. in fine paginæ vbi habetur *Finis Iacobi Pamelij* legendum esse *Finis.* deletis verbis *Iacobi Pamelij.*

TESTIMONIA, ET ELOGIA ILLVSTRIVM SCRIPTORVM DE HRABANO.

VITA S. SOLÆ PRESBYTERI, ET MONACHI, Discipuli S. Bonifacij, Archiepiscopi Moguntini & Martyris, conscripta ipso Hrabano viuente, cuius compendium habet Georgius VVicelius *in sua Historia de Sanctis Ecclesiæ Dei.* I.

ALIQVI & prædij sui partem illi (Solæ) tradebant, quam ille in Dei timore accipiens, cum his, quæ ei dominus Carolus Augustus donare dignatus est, ad egregium Fuldanensium Cœnobium, vbi Deo prouidente modò sanctissimus, ac in omni arte peritissimus Abbas Hrabanus perspicabiliter fulget.

HINCMARVS CONTRA GODSCALCVM HAERETICVM de prædestinatione. II.

ALterum autem Librum (*de Godscalco loquitur*) scripsit contra Hrabanum venerabilem Archiepiscopum, etiam zelosum in sancta religione patrem, & Catholicum scriptorem, vt videlicet ab orthodoxo & magno Doctore Domino Alcuino in sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus, vberibus ipsius, Catholico lacte nutritum, de doctrinæ prato sanctorum auctorum floribus collectum, & confectum: quos flores Catholicè à Catholicis dictos, aut mutilauit, aut corrupit.

Idem Hincmarus teste Flodoardo lib.3. hist. Ecclesiæ Rhemensis cap.21. vbi recensens varia Hincmari scripta inter alia refert eum scripsisse Hrabano Moguntiæ præsuli : In qua, *inquit Flodoardus*, epistola asserit, hunc Beatum Hrabanum solum tunc temporis de discipulatu Beati Alcuini relictum.

Annales Francorum ab anno incarnat. Domini 714. vsque ad 883. incerti auctoris inter 12. scriptores coætaneos ex Bibliotheca Petri Pithæi editi. & primo loco positi, eiusq. iudicio Moguntiæ scripti temporibus Hrabani Mauri Archiepiscopi: vel vt alij arbitrantur Fuldæ, & ideo annales Fuldenses nominant. III.

Anno 822. Eigil Abbas Fuldensis cœnobij defunctus, Hrabanum successorem accepit.

Anno 844. Hrabanus Sophista, & sui temporis nulli Poëtarum secundus, librum, quem de Laude sanctæ Crucis Christi, figurarum varietate distinctum, difficili, & mirando Poëmate composuit, per * Asrihum, & Hrüodbertum Monachos Monasterij Fuldensis, Sergio Papæ, sancto Petro offerendum, transmisit.

* Baro. to. 10. annal. eodem an. legit, Afericū & Theodbertum.

Anno 847. Otgarius Moguntiacensis Episcopus xi. Kal. Maij obijt, in cuius locum Hrabanus ordinatus est v. Kal. Iul. qui eodem anno, iubente Hludouico rege, apud Moguntiacum Synodum habuit circa Kal. Oct.

Anno 850. grauissima fames Germaniæ populos oppressit, maximè circa Rhenum habitantes. Nam vnus modius de frumento Mogonciaci vendebatur, decem siclis argenti. Morabatur autem eo tempore Rabanus Archiepisc. in quadam villa parochiæ suæ, cui vocabulum est Winzella, & pauperes de diuersis locis venientes suscipiens, quotidie plusquam trecentos alimento sustentabat, exceptis his, qui in præsentia illius vescebantur assiduè.

Anno 856. mense Februario, 4. die mensis defunctus est Hrabanus Archiepiscopus Moguntiacensis Ecclesiæ, habens in Episcopatu annos ix. mensem vnum, & dies 4^or^. cui successit Karlus &c.

LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS DE REBVS gestis Germanorum. IV.

ANno 831. Brun, & Raban Abbates fundamentum Ecclesiæ sancti Wigberti foderunt 6. Idus Iulij, 2. feria.

Anno 842. Luitharius expulsus est à regno, & Raban Abbas de Monásterio.

Anno 847. Oggarius Moguntiæ Archiepiscopus obijt, cui Abbas Fuldensis Rabanus successit, Abbatiam Waldo suscepit.

Anno 856. Rabanus Archiepiscopus obijt, cui Carolus successit.

V. SANCTVS ODILO ABBAS CLVNIACENSIS
in Serm. de Laude Sanctæ Crucis.

HRabanus feculari fcientia affatim eruditus, fide Catholicus, fpirituali fcientia ad plenum edoctus, tale de Laude fanctæ Crucis texuit opus, & texendo perfecit, quo pretiofius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, laboriofius ad fcribendum non poteft inueniri.

VI. HERMANNVS CONTRACTVS IN CHRONICO
copiofius edito.

ANno 822. Fuldis Eigil Abbas obijt: cui Rabanus vir doctus, & diuinorum librorum tractator egregius fucceffit.

VII. MARIANVS SCOTVS MONACHVS FVLDENSIS
lib. 3. Chronic. ætate 6.

ANno 822. Eigil Fuldenfis Abbas obijt, Rabanus fibi fucceffit.

Anno 847. Otgarius Moguntinus Archiepifcopus obijt, Rabanus Abbas Fuldenfis fucceffit, Hattho fit Abbas.

Anno 856. Rabanus Archiepifcopus Moguntinus obijt, Carolus ei fucceffit.

VIII. HONORIVS AVGVSTODVNENSIS DE ILLVST.
Ecclefiæ fcriptoribus.

RAbanus ex Monafterij Fuldenfis Abbate Moguntienfis Epifcopus fcripfit mirabilem librum de Myfterio fanctæ Crucis, & totum vetus & nouum Teftamentum expofuit. Sub Ludouico claruit.

IX. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS IN CHRONICO.

ANno 824. Rabanus Sophifta, & fui temporis Poëtarum nulli fecundus, fit Abbas Fuldenfis, qui multa de Scripturis fanctis differuit, qui etiam librum de Laude fanctæ Crucis figurarum varietate diftinctum, difficili, & mirando poemate compofuit, Sergio Papę, fancto Petro offerendum, mifit.

Anno 827. Rabanus Abbas tractatus in librū Sapientiæ, & Ecclefiaftici ad Otgarium Archiepifcopum edit.

Anno 848. Rabanus Abbas Fuldenfis ordinatus Moguntiæ Archiepifcopus, celebrata Synodo Moguntiæ, iuffu Ludouici regis multa Ecclefiæ vtilia decreuit.

Anno 849. Godefcalcus hæreticus à Rabano Archiepifcopo rationabiliter, vt multis vifum, conuincitur, fed tamen in fuo perfeuerat errore.

Anno 851. fames valida Germaniam attriuit, vt etiam pater filium fuum deuorare voluerit, quo tempore Rabanus Archiepifcopus multam beneuolentiam pauperibus exhibuit.

Anno 856. Rabanus egregiæ vitæ & fcientiæ Archiepifcopus obijt.

Idem in catalogo fcriptorum Ecclefiafticorum capite XC.

RAbanus, qui & Maurus, fiue Magnentius, ex Abbate Fuldenfi Archiepifcopus Moguntiæ, fcripfit librum de Laude fanctæ Crucis mira varietate depictum, quem mifit Romæ S. Petro offerendum. Scripfit ad Otgarium Archiepifcopum librum fuper libros Sapientiæ Salomonis: fcripfit fuper librum Machabæorum primum, fuper Efdram, fuper Iudith, de myfterijs Miffæ librum vnum, de Benedictionibus Patriarcharū librum vnum, fcripfit ad Hilduinum Abbatem in Regum libros quatuor, de quæftionibus Canonum ad Heribaldum Epifcopum librum vnum, ad Reginbaldum Coëpifcopum de eadem re librum vnum, & alia.

X. VINCENTIVS BELLOVACENSIS IN SPECVLO
Hiftoriali lib. 24. cap. 28.

RAbanus Sophifta, & fui temporis poëtarum nulli fecundus, fit Abbas Fuldenfis, qui multa de fcripturis fanctis differuit, qui etiam librum de Laude fanctæ Crucis figurarum varietate diftinctum difficili, & mirando poëmate compofuit, & Sergio Papæ, fancto Petro offerendum, mifit. Item tractatus in libro Sapientiæ, & in Ecclefiaftico ad Othgarium Archiepifcopum edidit. Hic tandem ex Abbate Fuldenfi Moguntiæ Archiepifcopus ordinatus eft, vbi celebrata Synodo iuffu Ludouici regis, multa Ecclefiæ vtilia decreuit. Auctor Scripfit ergo de Laude Crucis libros duos, de inftitutione clericorum, librum vnum, fuper Genef. lib. 4. fuper Exodum lib. 4. fuper Numeri lib. vnum, fuper Regum lib. 4. fuper Paralipomenon lib. 4. fuper Iudith lib. 7. fuper Hefter lib. vnum, fuper librum Sapientiæ libros quatuor, fuper Ecclefiafticum libros 10. fuper Hieremiam lib. vnum, fuper libros Machabæorum lib. 3. fuper Matthæum lib. 8. fuper actus Apoftolorum librum vnum. Scripfit & præter hæc de naturis rerū, & plura alia. Huius difcipulus fuit Strabus, qui eo dictante plurima excepit, & fuper quofdam libros pentateuchi commentariola quædam edidit. Liber Rabani de Laude Crucis, partim metricus eft, partim profaicus.

XI. MARTINVS POLONVS IN CHRONICO *Anno* 816.

EO tempore floruit Rabanus Monachus Fuldenfis, Poëta magnus, & in fcientia Theologiæ præclarus.

Sanctus Antoninus in 2. parte summæ Historialis tit. 14. cap. 5. XII.

RAbanus Sophista,& sui temporis Poëtarum nulli secundus, inquit Vincentius vbi suprà post Sigebertum, Abbas Fuldensis, qui multa de Scripturis sanctis disseruit, &c. Eius tempore quædam pseudoprophetissa, dicens instare diem iudicij, Maguntiam sollicitabat, ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret, quæ ab Archiepiscopo correpta, confessa est, se per suggestionem cuiusdã presbyteri, quæstus causa, hoc fecisse,&c. Hic, vt ait Vincentius vbi suprà, scripsit libros multos: de Laude Crucis libros duos, partim metricos, partim prosaicos, & præter hæc de naturis rerum, & plura alia, ac etiam quasdam epistolas cuiusmodi est vnus ex prologis, qui ponitur ante librum Machabæorũ. Huius discipulus fuit Strabo,qui eo dictante plurima excepit, & super quosdam libros pentateuchi cõmentariola quædam edidit, & quædam ei super biblia, & expositiones mysticæ adscribuntur. Hæc habentur in decretis ex libris Rabani de consec. dist. 4. cap. ante baptismum. Rabanus de institutione clericorum. Ante baptismum catechizandi debet homo præuenire officium,vt fidei primùm catechumenus accipiat sacramentum,&c. Idem in eodem de consec. dist. 4. Postquam se baptizandus. Idem dist. ead. Postea. Et cap. sequenti Ex hinc. Idem dist. ead.cap. de hinc iterum. Idem dist. ead. Postea ij. Idem dist. ead. Deinde à sacerdote. Idem dist.ead. Postquam ascendit: iij. Idem dist.ead. Primum interrogetur. Idem Rabanus scribens ad Heribaldum de lapsis, si debent promoueri, vel in susceptis ministrare, sic ait dist.50. De his verò visum est. Idem super Matthæum, super illud: Tradidit eum tortoribus de pœnitentia dist. 4. Cap 1.

* Considerandum est,quod dicit: vniuersum debitum, quia non solùm peccata,quæ post baptismũ homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, verùm etiam peccata originalia, quæ in baptismo ei dimissa fuerant. Quod autem dicit in plurali originalia refertur ad plures effectus originalis peccati. Nam in se vnum est, & talia imputantur dimissa, non per reuersionem eorum,sed per quendam effectum aggrauationis secundum Thom.in 4. Idem in libro de pressuris Ecclesiasticis, & habetur dist.37. cap.Legimus de beato Hieronymo. Idem in eod. & habetur 24. quæst.3. Non in perpetuum damnamur.

Hartmannus Scedel in chronico chronicorum cum figuris. XIII.

RAbanus Monachus, natione Germanus, Abbas Fuldensis, postea Maguntinus Archiepiscopus, Theologus quidem præclarissimus, ac insignis Poëta, per hoc tempus in prosa, & carmine plurimum valuit,qui ex ingenij sui magnitudine multos edidit libros, præcipuè opus mirandum de Laudibus sanctæ Crucis; Commentatus est idem librum Paralipomenon, & Machabæorum. Habuit etiam sermones satis elegantes ad populum, potissimum in celebritate omnium sanctorum, seditque annis 10 anno salutis 846. Strabus item Monachus Gallus, eminentissimus, & commentator diligentissimus, Rabani prædicti auditor, per hæc quoque tempora ipso præceptore suo inferior non fuit,qui in libros Bibliæ per pulchrè commentatus est, scripsitque de officijs Ecclesiæ ad Ludouicum imperatorem, & multa alia.

Bartholomæus Platina de vitis Pontificum in Gregorio IV. XIV.

SVnt qui scribant, rogatu Ludouici Gregorium sanctorum omnium celebritatẽ Kalendis Nouembris instituisse, eamque rem magnoperè à Rabano monacho, theologo insigni, carminibus, & prosa laudatam fuisse. In his enim duobus dicendi generibus vir doctus, vt illa maximè tempestate, satis valebat. Commentatus est idem Rabanus,& librum Paralipomenon, & Machabæos. Habuit etiam sermones satis elegantes ad populum, sed is potissimum laudatur, quem habuit in celebritate omnium sanctorum.

Iacobus Philippus Bergomas in supplemento supplementi chronicarum lib. 11. anno Christi 833. XV.

RAbanus Monachus, natione Germanus, Maguntinus Archiepiscopus, Theologus quidem præclarissimus, ac insignis Poëta per hoc tempus, in prosa & carmine, duobus dicendi modis plurimum valuit, & multo in pretio fuit. Qui ex ingenij sui magnitudine multos commentatus est,& edidit libros, quorum tituli sunt isti, prout inuenire potui. Et primo super Genes. lib.4.incipit. In principio. Super Exodum lib.4. Exodus exitus. Item super epistolam ad Ephes. lib.3. Super Leuiticum lib. 1. Sequentis libri. De institutione clericorum lib. vnum. Super Deut.lib.1. Hæc sunt verba. Super Matthæum lib.8. Expectationem itaque. Super lib. Paralip. & super Machab. lib. commentatus est: habuitque sermones ad populum plures, & elegantes. Item de Laude sanctæ Crucis lib. 2. de Vniuerso lib.22. De diuinis officijs lib.1. de Computo Dialogum lib. 1. De quæstionibus Canonum, de patriarchis lib. vnum, & alia quædam.

VVernerus Roleuinck in fasciculo temporum anno 834. XVI.

RAbanus Poëta & Monachus, post Abbas Fuldensis, deinde Archiepiscopus Maguntiæ, doctor magnus claruit, & plura scripsit. Et Strabus discipulus, etiam notabilis in scientia & virtutibus eodem tempore fuit.

Ibidem anno 844.

FEstiuitas omnium Sanctorum est translata ad Kal. Nouembris per Gregorium IV. & Galli & Germani inceperunt ipsum (scilicet festum) celebrare hoc tempore, & habetur sermo Rabani de eodem satis pulcher.

XVII. *Ioannes Nauclerus præpositus Tubingensis in volumine 2. chronicorum generatione 28. in fine.*

Gregor. IV. FVit hic annus etiam Gregorij Papæ interitu lugendus, qui inter cætera egregia facinora, festum omnium Sanctorum Kalend. Nouembris instituit. Sunt qui factum hoc putent Rabani consilio. Erat is ex Alcuini discipulis Abbas Fuldensis, deinde & Archiepiscopus Moguntinus, oratione ligata non minus quàm soluta insignis. Reliquit ingenij sui monumenta multa, commentaria in reliquias, quæ Paralipomena vocamus, & Machabæos, laudem sanctæ Crucis, & sermones plurimos.

XVIII. *Robertus Gaguinus lib. 4. de gestis Francorum.*

Annum notat Matthæus Palmerius flor. in Chro. 791. QVo (Carolo Magno) auctore Parisiensis schola, (quam vniuersitatem vocant) hac occasione cœpit. Delati naue ex Scotia Claudius & Iohannes, Rabanus quoque & Alcuinus ex venerabilis Bedæ discipulis. In Galliam cùm venissent, nec quicquam præter bonas disciplinas patria exportassent, se sapientiam profiteri, eamque venalem habere conclamant. Qua re ad Carolum perlata, illos ad se vocat. Vocati liberè profitentur sapientiam illis esse, quam adipisci cupientes gratis edocerent, si vita locusque tantùm eis præberetur. Intellexit imperator ingenuam hominum mentem, eosque cùm aliquot dies apud se tenuisset, Claudium, cui nomen erat Clemens, Parisijs conuersari, & generosos adolescentes bonis disciplinis instituere iubet, Iohannem verò Papiam misit.

XIX. *Raphael Volaterranus Anthropologiæ lib. 19.*

RAbanus Anglicus Monachus, summusque Theologus, carmine, prosaque disertus, vt scribunt Ricobaldus Ferrariensis, & Ptolemæus Lucensis: fuit præsul Meldensis, Bedæ discipulus, tempore Ludouici Pij, & Gregorij V. scripsit in lib. Paralip. 2. & Machabæos. Habuit etiam conciones ad populum. Scholam Parisiensem tunc primum inchoatam, sua doctrina celebriorem reddidit.

XX. *Iohannes Tritthemius Abbas Spanheimensis in libro de scriptoribus Ecclesiasticis.*

RAbanus Maurus sextus Archiepiscopus Moguntinus, ex Abbate Fuldensis monasterij ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus ex ciuitate Fuldensi in Buchonia, Albini Anglici quondam auditor, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris nobiliter doctus, Philosophus, Rhetor, Astronomus & Poëta subtilissimus, cui (vt absque inuidia loquar) nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem. In monasterio siquidem Fuldensi adhuc iuuenis monachum induit, & tam moribus, quàm scientia mirabiliter profecit: vnde & quartus eiusdem cœnobij Abbas consecratus, ouibus sibi commissis verbo & exemplo viginti quatuor annis præfuit, & penè infinita opuscula scripturarum composuit. Tandem offensus improbitate monachorum suorum, qui eum dicebant nimium scripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis diabolo, displicentiam contra eum acceperunt, scandalizati in eo, quo maximè debuerant ædificari. Dans igitur locum iræ, nec cum ingratis ouibus diutius manere consentiens, monasterium & habitatores eius deseruit, & ad Ludouicum Imperatorem filium Caroli transmigrauit, cum quo & multis diebus permansit. Monachi autem pœnitentia ducti, legationem ad eum mittentes rogabant vt rediret ad monasterium, sed non impetrarunt. Mansit ergo cum Imperatore vsque ad mortem Otgarij Moguntinensis Archiepiscopi, in cuius locum suffectus, præfuit Ecclesiæ præfatæ Moguntinæ annis nouem. Habita quoque synodo, multa ad vtilitatem fidelium constituit. Scripsit autem in Monasterio Fuldensi adhuc constitutus, tam carmine, quàm soluta oratione multa volumina, maximè in scripturis sanctis, quas à principio vsque ad finem omnes explanauit. De cuius scriptis subiecta feruntur. Ad Freculphum Episcopum Lexouiensem, cuius suprà fecimus mentionem, scripsit insigne opus

In Genesim	li. 4.	*In princi &c. plurima su.*		
In Exodum	li. 4.	*Exodus exitus dics.*		
In Numeros	li. 4.	*Numerorum librum multi.*		
In Leuiticum	li. 4.	*Sequentu lib. id est, Leuit.*		
In Deuteronomium	li. 4.	*Filij Israel castra mo.*		
In Iosue	li. 2.	*Domino beatissimo vereq́.*		
In Iudicum	li. 2.	*Post mortem Iosue.*		
In librum Ruth	li. 1.	*Scrutantibus ergo histo.*		
In Regum ad Hilduinum	li. 4.	*Fuit vir, &c. dicamus.*		
In Paralipomenon	li. 4.	*Adam, &c. decimus ab.*		
In Esdram & Neemiam	li. 3.	In Tobiam	li. 1.	
In Iudith	li. 7.	*Domine electe & merito.*		
In Hester	li. 1.	*Liber Hester, quem hæ.*		
In Iob	li. 1.	In Psalmos	li. 1.	
In Prouerbia Salomonis	li. 1.	In Ecclesiasten	li. 1.	
In Cantica Canticorum				
In Librum Sapientiæ	li. 3.	*Diligite, &c. admo.*		
In Ecclesiasticum	li. 10.	*Omnis sa. &c. prin. ergo.*		
In Esaiam Prophetam	li. 8.	*Domino reuerendissimo, &c.*		
In Hieremiam	li. 20.			

In Ezechielem	li.20.	*Et factum est, &c. vsus.*
In Danielem	li.3.	In 12. Prophetas minores li.12.
In Machabæorum	li.3.	*Et factum est postquam per.*
In Euangelium Matthæi	li.8.	*Expectationem itaque.*
In Euangelium Lucæ	li.3.	In Euangelium Marci li.4.
In Euangelium Ioannis	li 1.	*Inter omnia diuina histo.*
In omnes epistolas Pauli	li.23.	*Venerando fratri Lupo.*
In Epistolas Canonicas	li 7.	In actus Apostolorum li.1.
In Apocalypsim Ioannis	li.1.	
De Laude sanctæ Crucis	li.2.	*Rex Regum Dominus mundum.*
Ad Haymonem Episcopum de vniuerso.	li.22.	*Primum apud Hebræos.*
De vniuersali natura	li.1.	*Vniuersitatis disputa.*
De institutione Clericorum	li.3.	*Domino re. ac reli. Haistul.*
De diuinis officijs	li.1.	
De computo dialogum	li.1.	*Quia te venerande pater.*
Ad Ludouicum Regem	li 1.	De quæstionibus Canonum. li.1.
Ad Regenbaldum Episcopum	li. 1.	De benedictionibus patriarcharum li.1.
Epistolarum ad diuersos	li.1.	Sermonum innumerabilium penè li.1.

Alia insuper multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur sub Ludouico & Lothario principibus, anno Domini 855. indictione tertia, Episcopatus sui anno nono, sepultus in Monasterio sancti Albani prope Moguntiam, non sine opinione sanctitatis, cuius epitaphium in viginti ferme ornatis versibus legi.

Annotatio Georgij Colvenerij.

In editione catalogi Trithemij scriptorum Ecclesiasticorum facta Coloniæ in officina Petri Quentel anno 1546. duæ sunt additiunculæ. Prior post illud : Ad Ludouicum Regem librum 1. *in hæc verba.* Scripsit & ad Ludouicum Regem alios 22. libros de proprietate verborum, & rerum mysticarum significatione, quod opus non immerito Cornucopia dici potest. *Verùm est idem opus, quod de Vniuerso, & etymologiarum inscribitur. Posterior hæc est in fine.* Extant præterea nonnulla Rabani opuscula de videndo Deum, de puritate cordis, de pœnitentia, in bibliotheca Ebirbacensi.

Idem Tritthemius in catalogo illustrium Germaniæ scriptorum.

Rabanus Maurus Magnentius post sanctum Bonifacium sextus Archiepiscopus Maguntinensis, patria Thoringus ex ciuitate Fuldensi oriundus : Albani discipulus : primùm monachus Fuldensis cœnobij factus, cum adhuc puer esset decem annorum, omne deinceps studium ad scientiam conuertit scripturarum : in omni eruditione tam sæcularium , quàm diuinarum scripturarum longè doctissimus euasit : Philosophus clarus, poëta insignis, rhetor facundus, astronomus & computista celeberrimus, Græcę, Latinę, & Hebraicę peritus : cui similem suo tempore non habuit Ecclesia. Deinde succrescentibus meritis anno ætatis suæ quinto & tricesimo , omnium fratrum suffragio eiusdem cœnobij Abbas electus est : & præsidens regimini annis quatuor & viginti, multa & penè infinita scripsit volumina. Demùm post mortem Otgarij Moguntinensis Archiepiscopi eiusdem Ecclesiæ Pontifex consecratus est, & annis nouem in præsulatu sedens, multa bona fecit Ecclesiæ. De cuius opusculis subiecta feruntur : ad Freculphum Episcopum, in Genesim lib. IV. in Exodum lib. IV. in Numeros lib. IV. in Leuiticum lib. IV. in Deuteronomium lib. IV. in Iosue lib. II. in Iudicum lib. II. in librum Ruth. lib. I. in Regum ad Hildeuinum Abbatem sancti Dionysij lib. IV. Paralipomenon quoque lib. IV. in Esdram & Neemiam lib. III. in Tobiam lib. I. in librum Iudith lib. VII. in librum Hester lib. I. in Iob quoque lib. I. in Psalmos lib. I. in Prouerbia Salomonis lib. I. in Ecclesiasten lib. I. in Cantica Canticorum lib. I. in librum Sapientiæ lib. III. in Ecclesiasticum lib. X. in Isaiam prophetam lib. VIII. in Hieremiam prophetam lib. XX. in Ezechielem quoque prophetam lib. XX. in Danielem prophetam lib. III. in duodecim prophetas minores lib. XII. in libros Machabæorum lib. III. in Euangelium Matthæi lib. VIII. in Euangelium Lucæ lib. III. in Euangelium Marci lib. IV. in Euangelium Ioannis lib. II. in omnes epistolas Pauli lib. XXIII. in epistolas Canonicas lib. VII. in actus Apostolorum lib. I. in Apocalypsin Ioannis lib. I. De sanctissimæ Trinitatis fide lib. I. De Laude quoque sanctæ Crucis mirabilis ingenij opus lib. II. Ad Haymonem Episcopum de vniuerso, vel etymologiarum lib. XXII. De natura quoque vniuersali lib. I. Ad Haistulphum Episcopum de institutione Clericorum lib. III. de Diuinis officijs lib. I. De computo Ecclesiastico lib. I. Ad Ludouicum imperatorem lib. I. De quæstionibus Canonum lib. I. ad Regenbaldum Episcopum lib. I De benedictionibus patriarcharum lib. I. Homiliarum & sermonum totius anni lib. II. Epistolarum quoque ad diuersos lib. I. Sed & varia epigrammata composuit, & multos in literis humanitatis tractatus , qui ad manus nostras adhuc minimè venerunt. Moritur sub Lothario Imperatore, anno Domini octingentesimo quinquagesimo quinto, indictione tertia, ætatis suæ anno LXVIII. Episcopatus nono completo. Sepultus in monasterio sancti Martyris Albani propè Moguntiam, tunc ordinis sancti Benedicti.

Idem de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib. 2. cap. XXXIX.

RAbanus Maurus Magnentius, ex Abbate Fuldensi sextus Archiepiscopus Moguntinus, natione Teutonicus, ex finibus Francorum in sylua, quæ Buchonia nuncupatur, distans à Moguntia milliaribus ferme quindecim versus Thuringiam, Albini quondam auditor, atque discipulus: vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in omni doctrina secularium literarum valde peritus, philosophus & Poëta nulli suo tempore inferior: cùm adhuc puer esset, cœnobio Fuldensi à parentibus traditur, in quo adeo studendo profecit, vt Alemania Doctorem similem non haberet. Deinde succedentibus doctrinæ meritis, in Abbatem omnium assensu monachorum præfati cœnobij eligitur, & in illo officio 24. annis præsidens monasticam disciplinam strenuè gubernauit. Scripsit autem multa volumina, de quibus ego tantùm reperi subiecta: Ad Frecolfum Episcopum Lexouiensem in Genesim lib. 4. in Exodum lib. 4. in Leuiticum lib. 4. in Numeros lib. 4. in Deuteronomium lib. 4. in Iosue lib. 2. in Iudicum lib. 2. in Ruth lib. 1. ad Hildeuinum Abbatem in Regum lib. 4. in Paralipomenon lib. 4. in Esdram & Neemiam lib. 3. in Tobiam lib. 1. in Prouerbia Salomonis lib. 1. in Ecclesiasten lib. 1. in Cantica Canticorum lib. 1. in Librum Sapientiæ lib. 3 in Ecclesiasticum lib. 10. in Esaiam Prophetam lib. 8. in Ieremiam Prophetam lib. 20. in Ezechielem lib. 20. in Danielem lib. 3. in duodecim prophetas Minores lib. 12. in Machabæorum lib. 3. in Euangelium secundùm Matthæum lib. 8. in Euangelium secundùm Marcum lib. 3. in Euangelium Lucæ lib. 4. in Euangelium Ioannis lib. 1. in epistolas Pauli lib. 20. in Actus Apostolorum lib. 1. in epistolas Canonicas lib. 7. in Apocalypsin Ioannis lib. 1.

Cùm adhuc monachus esset, annos natus triginta, scripsit opus admiratione dignum mirabili Poëmate de Laude sanctæ Crucis lib. 2. quorum primus metro, secundus prosa compositus est: quos postea sancto Petro per manus Sergij Papæ obtulit. Scripsit ad Haymonem Episcopum Halberstadensem, etymologiarum, seu de vniuerso. lib. 22. De vniuersali natura lib. 1. ad Haistulphum quartum Moguntinum Archiepiscopum de institutione clericorum lib. 3. ad Heribertum Episcopum de quæstionibus canonum lib. 1. ad Regenbaldum de eadem re lib. 1. de benedictionibus patriarcharum lib. 1. de officijs diuinis lib. 1. de computo Ecclesiastico satis vtilem lib. 1. ad Lodouicum regem lib. 1. epistolarum ad diuersos lib. 1. sermones etiam & homilias scripsit penè innumerabiles. Vidi ego in Bibliotheca Fuldensis cœnobij alios complures libros Rabani, maximè in artibus liberalibus: quorum titulos iam à memoria tulit obliuio. Nam inter omnes Alemaniæ Italiæque doctores nullus Rabanum scribendo, & numero & vtilitate librorum, excessit. Multa enim volumina scripsit, quæ nos hic minimè signauimus. Fuit enim vir studiosissimus, qui semper intentus erat lectioni, multosque discipulos doctissimos habuit. In Abbatia Fuldensi à sancto Sturmo primo Abbate quartus fuit, in Archiepiscopatu Moguntino sextus. Rexit autem Episcopatum annis octo, vir in pauperes misericordissimus, qui eis tempore famis magnam pietatem exhibuit, & omnes largè sustentauit. Hic habita Synodo apud Moguntiam, multa ad vtilitatem fidelium constituit. Moritur anno Domini 855. indictione tertia.

Idem in eodem opere lib. 4. cap. LXXXI.

RAbanus Maurus, quartus Abbas Fuldensis, natione Franco, in sylua, quæ dicitur Buchonia, postquam rexit præfatam Abbatiam strenuè 24. annis, defuncto Otgario, in eius locum Archiepiscopus Moguntinus ordinatus sextus, vir suo tempore vndecumque doctissimus, quod infinita, quæ scripsit, volumina testantur: quorum in secundo libro ex parte fecimus mentionem. Moritur anno Domini 855. indictione tertia, Episcopatus sui anno 9.

Idem in Chronico Hirsaugiensi in Lintberto primo huius Monasterij Abbate.

CVm Lintbertus hic noster Abbas, Rabani Fuldensis doctissimi per omnia viri, multo tempore auditor, & condiscipulus fuerit, non eum nisi eruditissimum euadere potuisse credendum est. Tenuerat enim ipse Rabanus adhuc monachus, scholam monachorum publicam in cœnobio Fuldensi, quam etiam abbas continuauit: in qua monachos, non solùm in sacris scripturis, sed etiam in sæcularibus literis omnifariam erudiuit. Nec solùm Fuldensis cœnobij monachos, sed etiam ex diuersis locis alijs ad se transmissos, multos in omni genere doctrinæ discipulos instituit. Ex his complures postea successu temporis ad magnas dignitates promoti sunt. Præceptorem habuerat ex discipulis Bedæ Anglici monachi, reuerendissimum virum Albinum monachum, & Abbatem monasterij sancti Martini Turonensis, Magni Caroli Imperatoris quondam didascalum, à quo ipse hauserat in Gallia, quod alios in Germania postmodum docebat. At verò Lintbertus, Rabani primùm condiscipulus, & postremum auditor, quod à bono præceptore didicerat monachus, Abbas non neglexit. Erat sanè regularis disciplinæ studiosissimus cultor, qui non solùm viuere secundum normam sanctissimi patris nostri Benedicti subditos sibi monachos verbo docuit, sed etiam in omnium virtutum plenitudine conuersando, oues sine reprehensione præcedens, vt bonus pastor, exemplo boni operis, patuit. Eius siquidem meditatio die ac nocte in lege Domini continuata semper extitit, qui sine intermissione orans ad Dominum, verus Christi discipulus in finem permansit, fama sanctitatis & eruditionis eius se per omnem circa regionem diffundente, multi viri nobiles filios suos magisterio eius instituendos tradiderunt. Complures etiam ex his qui clari apud homines in sæculo videbantur, vltro se illius disciplinæ propter amorem regni cœlestis subdiderunt, vnde & numerus fratrũ breui auctus valde cœpit excrescere, & substantia temporalis ex multorum oblatione dilatata fuit. Eisdem temporibus monasterium

Corbeiense in Saxonia sub regula Sancti Patris nostri Benedicti nouitatis suæ sumpsit exordium, quod fundari cœptum est anno Domini 822. indictione 15. quod penè eodem tempore, cum isto monasterio diui Aurelii pontificis completum inhabitari cœpit. Eodem fermè tempore monasterium sanctorum Marcellini & Petri Martyrum in loco, qui dicitur Selgenstadt in Moguntinensi Parochia, sub regula diui patris nostris Benedicti, fundatum per Ludouicum Imperatorem primum extitit, cooperatione venerabilis viri Einhardi, olim Cancellarij, tunc autem monachi, & primi eiusdem cœnobij Abbatis, in quo corpora prædictorum duorum Martyrum Marcellini & Petri anno Domini 828. à Roma, procuratione Imperatoris, mense Nouembri allata, honorificè reposita sunt.

Temporibus Lintberti Abbatis, primi Sancti Aurelij Hirsaugiensis, circa annum Domini 840. sub Ludouico Imperatore pijssimo & filijs eius; claruerunt in ordine nostro Benedictino multi celeberrimi viri sanctitate, & eruditione scripturarum insignes, qui velut astra cœli, mirum in modum totam Ecclesiam moribus & doctrina illustrarunt. Rabanus Maurus Abbas Fuldensis, de quo suprà diximus, his temporibus apud omnes in precio habebatur, propter integritatem vitæ, & inæstimabilem scientiæ disciplinam. Qui quanta scripserit, tam in libro nostro de Ecclesiasticis scriptoribus, quam in secundo de illustribus viris ordinis nostri magna ex parte demonstrauimus. Denique anno Domini 842. qui Abbatis Lintberti quartus annus erat, de Fuldensi monasterio per fraudes quorundam incitatus exijt, atque ad Ludouicum, filium Ludouici senioris Imperatoris confugiens vsque ad mortem Otgarij Archiepiscopi Moguntinensis, qui eum expulerat, propter quam nescio causam, quasi exul remansit. Sed post annos quinque, mortuo Otgario, Rabanus Archiepiscopus in locum eius suffectus anno Domini 847. indictione 10. omnium suffragio sedit annis nouem, homo in pauperes misericordissimus, qui Ecclesiam suam moribus & scientia strenue gubernauit.

Beatus Rhenanus in annotationibus ad librum Tertulliani de corona militis. XXI.

DE ceremonijs, & Ecclesiasticis quibusdam ordinationibus post primordia nascentis Christianismi institutis, absque scriptura hauddubiè, meminit & Rabanus Maurus in epistola quadam ad Regenbaldum, quemadmodum citat idem Burchardus sexto libro, qui est de Sacramentis, in hæc verba. Igitur, vt Beatus Ambrosius testatur, postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, est aliter composita res, quàm cœperat. Primum enim omnes docebant, & omnes baptizabant quibuscunque diebus, & temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsiuit, aut diem, quo eunuchum baptizaret, neque ieiunium interposuit. Neque Paulus & Silas tempus distulerunt, quo * Optionem carceris baptizarent cum omnibus eius. Neque Petrus clericos habuit, aut diem quæsiuit, quando Cornelium cum omni domo sua baptizauit. Nec ipse, sed iussit fratribus, qui cum illo erant apud Cornelium in Ioppe. Adhuc enim præter septem diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo cresceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & Euangelizare, & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare. At vbi omnia loca, circumplexa est Ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores, & cætera officia in Ecclesijs sunt ordinata, vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, quod sciret non sibi creditum vel concessum. Et cœpit alio ordine, & prouidentia gubernari Ecclesia, in qua si omnes eadem possent, irrationale esset, & vulgaris res & vilissima videretur. Hinc est ergo vnde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque cæteri, vel laici baptizant, neque quocumque die credentes tinguntur, nisi ægri. Ideo non per omnia conueniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est. Quia hæc inter ipsa initia sunt scripta. Nam & Timothæum Apostolum à se creatum, Episcopum vocat, quia primi presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente eo sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospicientis consilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet, & esset multis scandalum. Hæc Rab.

* custodem.

Ex eiusdem Rhenani admonitione de Tertulliani dogmat.

POrrò tametsi in collectaneis quibusdam Græcis multa comperuerim de exomologesi, & pœnitentia, partim ex veteribus, Basilio, Chrysostomo, Maximoque: partim ex iunioribus Nilo, Climace, Isaaco, & Thalassio monachis desumpta, placuerunt tamen inprimis, quæ nuper ex codice quodam vetustiori exscripsi, ex libello de medicina pœnitentiæ, qui Augustino inscribitur, & aliunde etiam per studiosum quempiam sublecta. Nam à Gratiano varijs locis, varijs titulis citantur. Eaque visum est huc transponere, quòd hic simul legi possint, quæ alibi vel sparsim, vel truncate habentur. Imò libellus de pœnitentiæ medicina, sic latet inter opera Augustini, vt rarò legatur: vnde hæc, sunt pro maiori parte ad verbum accepta. Sic autem exorditur. Vita inquit humana, quantalibet præpolleat fœcunditate iustitiæ, sine peccatorum remissione non agitur, &c.

Idem post multa.

MEnsuram autem temporis agenda in pœnitentia, idcirco non satis attentè præfigunt canones, pro vnoquoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquendum statuunt: quibus apud Dominum non tam valet mensura temporis, quàm doloris: nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide, & conuersatione penitus abbreuianda præcipiunt, & negligentia protelanda. Extant tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ impo-

siti, iuxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ, cùm sit facile per eosdem modos vindictam & censuram canonum æstimare. Hæc dicta sunt velut à præsente in volumen tribus distinctum libris, quorum primus ea continebat, quæ sunt de pœnitentia, & pœnitentibus, criminibus, atque iudicijs. Secundus maximè de accusatis, & de accusatoribus ac testibus, cum cęteris adhæc pertinentibus Ecclesiasticis regulis. Tertius de sacerdotum ordinibus. Quos libros magno redimere cupiam, sed iniuria temporis, & hominum incuria deperditi sunt, solo hoc opusculo saluo, quod præfationis illic vicem habet, & huc à me totum est appositum studiosis rerum Christianarum consulturus. Testatur in calce se non tantum œcumenica concilia sequutum, sed quædam ex prouincialium synodorum constitutionibus accepisse, in quibus præsidere solet Metropolitanus Episcopus, quò libentius legere velim modò dictos libros. Nam constitutiones prouincialis synodi, quam iussu Ludouici Pij Cæsaris Magontiaci habuit Rabanus Archiepiscopus cum Coëpiscopis suis, & Samuele, Gozbaldo, Hebone, Gozbratho, Hemmone, Waldgario, Ansgario, Otgario, Lantone, Salomone, & Gebaharto, cum reliquis collegis, coëpiscopis, abbatibus, monachis, presbyteris, & cæteris Ecclesiasticis ordinibus, dici vix potest quàm mihi placuerint, cùm nuper in meas manus casu venissent. Sed nec hæ erant integræ, & quod inprimis ego cognoscere cupiebam, id deerat. Cæterum ex eo libro modum inquirendorum criminum deprehendi, ex vrbe, vt videtur, à Nicolao Pontifice, Rathaldo sanctæ Argentoratensis Ecclesiæ Episcopo missum.

XXII. *Iacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ.*

ANno 791. inchoata schola Parisiensis per iiij. eruditissimos viros Claudium, Iohannem, Alcuinum, & Rabanum natione Anglos, Bedæ venerabilis discipulos.

XXIII. *Sebastianus Munsterus in Cosmographia lib. 3. in Maguntia.*

RAbanus patria Fuldensis, alibi Magnentius Maurus appellatus, Bedæ Anglici discipulus, poëta & Theologus, primùm Abbas, deinde Archiepiscopus, anno 856. mortuus.

XXIV. *Gaspar Bruschius in Monasteriorum Germaniæ Chronologia, in descriptione Fuldæ siue Fuldensis Monasterij.*

HAbet hoc cœnobium, præter cætera ornamenta, insignem & incomparabilem Bibliothecam collectam & adornatam primùm à Rabano, multum verò & in ordinem redactam postea ab Hildeberto, monachis & Abbatibus Fuldensibus, literis & vitæ integritate conspicuis, tandem ad Archiepiscopatus Moguntini etiam gubernationem, ob insignem virtutem, ac vitæ honestatem reuocatus, de quibus plura leges in primo nostro Episcopatuum Germaniæ tomo.

Idem in quinto Abbate eiusdem Monasterij.

RAbanus, cognomine Magnentius Maurus, patria Fuldensis, Eygilonem excepit anno Domini 825. vir in diuinis scripturis eruditissimus, & scientia sæculari doctissimus, Bedæ Anglici olim discipulus, & Gymnasij Parrhisiensis Professor: Philosophus, Rhetor, & Astronomus, suique temporis poëtarum nulli secundus, cui nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem. Quibus rebus argumento sunt tot & tanta volumina, ipsius diui ingenij monumenta. Nam vt eruditionem tanti viri omnes Bibliothecæ nobis commendant: ita quantum ingenio valuerit, liber de Laudibus sanctæ Crucis Imperatori Pio Ludouico dedicatus, euidentissimè probat: qui quamuis diuersarum * immutabili varietate figurarum mirificè sit distinctus, omnium tamen figurarum characteres, quocumque vertas, certam sententiã reddunt. Bibliothecam Fuldensem tanta librorũ multitudine locupletauit, vt dinumerari vix queant. Demum cùm se totum diuinis libris scribendis dedere vellet, posthabito regimine in montem D. Petri sese contulit, eoque fratres studiorum suorum æmulos collocauit, vbi biblica scripta omnia discipulis enarrans, commentarijs ea in hunc vsque diem extantibus, illustrauit. Deinde cùm multitudo fratrum rumore piæ conuersationis creuisset, aliud monasterium in monte Ioanni Baptistæ sacrare constituit. Mortuo interea Archiepiscopo Moguntino Orgario, vocatur à monte beati Petri ad sedem Moguntinam anno Domini 847. ab ipso Imperatore Ludouico secundo. Moritur autem cum decem annis principatum Moguntinæ sedis habuisset, successore Carolo Aquitaniæ Duce: sepultus est Moguntiæ ad S. Albanum in sacello D. Bonifacii, qui locus tamen, ob chori noui structuram, nunc non agnoscitur: & ipse postea in patriam translatus scribitur.

* inimitabili.

XXV. *Guilielmus Eysengrein in catalogo testium veritatis. Ante annos 718. qui fuit Christi 847.*

Editum est opus ann. 1565.

SAnctus Rabanus, cognomine Magnentius Maurus, natione Germanus, patria Fuldensis, ex Benedictinæ professionis monasterij Fuldensis Abbate Moguntinus Archipræsul, Albini Anglici auditor quondam, atque discipulus, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Gymnasij Parisiensis olim Professor: Philosophus, Rhetor, & Astronomus, suique temporis Poëtarum nulli secundus, cui nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem. Quibus rebus argumento sunt tot & tanta volumina, ipsius diuini ingenij monumenta. Nam vt eruditionem tanti viri omnes Bibliothecæ nobis commendant: ita quantum ingenio valuerit, liber de Laudibus sanctæ Crucis, Imperatori Pio Ludouico dedicatus euidentissimè probat: qui quamuis diuersarum immutabili varietate figurarum mirificè sit distinctus, omnium tamen figurarum characteres, quocumque

vertas

verras, certam sententiam reddunt. Bibliothecam Fuldensem tanta librorum multitudine locupletauit, vt dinumerari vix queant. Demum cùm se totum diuinis libris scribendis dedere vellet, posthabito regimine Fuldensi, in montem S. Petri sese contulit, eóque fratres studiorum suorum æmulos collocauit, vbi biblica scripta omnia & singula discipulis enarrans, commentarijs ea in hunc vsque diem extantibus, illustrauit. Ad Haymonem Episcopum Halberstatensem libros de vniuerso scripsit. Alios item de institutione clericorum: de diuinis officijs volumen, & quem de benedictionibus patriarcharum scripsit. Habuit etiam sermones satis elegantes ad populum: sed is potissimum laudatur, quem de celebritate omnium sanctorum confecit. Synodum apud Moguntiam conuocauit, in Ecclesiam S. Albani, in qua hæreticum quendam Godscalcum presbyterum damnauit, & multa ad Ecclesiæ vtilitatem constituit. Moritur anno Christi D. CCCLVII. cùm decem annis principatum Moguntinæ sedis habuisset, successore Carolo Aquitaniæ Duce. Sepultus Moguntiæ ad S. Albanum, qui postea in patriam translatus scribitur.

Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta lib. 4. in Rabano. XXVI.

RAbanus Magnentius Maurus, sextus Archiepiscopus Moguntinus, natione Germanus, ex vrbe Fuldensi in Buchonia quartus Abbas quondam cœnobij Fuldensis, Ordinis D. Benedicti, Albini Anglici auditor, vir omnium disciplinarum cognitione absolutissimus, Rhetor, Poëta, Astronomus, Philosophus & Theologus, cui nullum parem eo sæculo Germania habuit: hic inquam offensus improbitate monachorum suorum, qui eum damnabant, quòd nimium sacrarum litterarum studijs intentus, temporalia negligeret, ingratos deseruit, & ad Ludouicum Augustum se recepit, & cum eo mensibus aliquot permansit, reuocantibus eum obnixè Monachis, quos iam facti pœnituerat: sed non impetrarunt, ita volente Deo, qui ipsum paulo post in eorum confusionem ad Moguntinum Archiepiscoparum assumpsit. Is ergo cùm adhuc esset in Monasterio suo, hortatu Freculfi Episcopi Lexouiensis, & Ludouici Lotharij Augustorum, composuit in omnes diuinas scripturas iuxta literæ sensum, & spiritualem intelligentiam commentariorum libros 172. quos ex omnibus Latinis patribus continuata serie à Hieronymo vsque ad Bedam collegit, seruatis vbique ipsorum dictis, ac sensibus: & in his locis in quibus patrum expositionem non inuenit, proprijs explanationibus vsus est, notatis fronte paginarum, tam suo, quàm aliorum interpretum nominibus, quorum sententias in codicibus coaptauerat, vt sciret lector, & quid à patribus, & quid ab eo haberet, & quo iudicio singula forent legenda. Præter hæc etiam collegit in omnem diuinam scripturam dictionarium mysticarum significationum, ad spirituales sanctorum sensus vtilissimum. Horum voluminum ipse tantùm infrascripta legi, typis excusa initijs maiori ex parte diuersis ab his quæ Trittemius in catalogo suo annotauit.

In Genes. ad Freculf. Lexou. Episc.	lib. 4.	*Magnorum virorum conamen.*
In Exod. ad eundem	lib. 4.	*Inter cæteras scripturas.*
In Numeros ad eundem	lib. 4.	*Numerorum librum.*
In Deuteronomium ad eundem	lib. 4.	*Decursis igitur.*
In Ecclesiasticum ad Otgarium Archiepiscopum	lib. 10.	*Sciens beneuolam.*
In Ieremiam ad Lotharium Imperatorem	lib. 18.	*Post commentariolos.*
In Threnos ad eundem	lib. 3.	*Vltimam partem Ieremiæ.*

Quos typographi Hieronymianis operibus insertos, & falsò Hieronymi titulo inscriptos venditarunt. Cæterarum lucubrationum initia nondum à nobis conspecta, habes apud Trithemium. Floruit anno Domini 855.

Ex eodem libro Senensis in Hieronymo.

IN commentationibus Threnorum præter præfationes quasdam ad Eusebium, partim ex Epistola Hieronymi de interpretatione alphabeti Hebraici ad Paulum Vrbicam, partim ex alijs eiusdem scriptis collectas, nihil habetur, quod Hieronymianum ingenium spiret. Nam præterquam quòd nullum his insit, vel Græcæ, vel Hebraicæ intelligentiæ vestigium, structura quoque sermonis vbique inæqualis, apertè clamat nihil aliud esse hoc opus, quàm farraginem centonum, à studioso collectore ex varijs diuersorum auctorum dictis, & ex Gregorij potissimum sententijs, atque integris capitulis coaceruatam. Nec vereor affirmare coaceruationis huius adunatorem fuisse Rabanum Maurum, in cuius operibus Basileæ excusis hi tres libri habentur. Hos typographi, vt Hieronymi scripta, in maiorem molem aucta, plausibilius publicarent, & maiori precio venditarent, Hieronymi tomis inseruerunt, recisis ex initio præfationis Rabani aliquot lineis, quo minus impostura à cæcis emptoribus deprehenderetur.

Ex lib. 5. eiusdem annotatio. 12.

Et factum est mane, & vespere dies secundus. *Genes. 1.*

RAbanus Episcopus Moguntinus in commentarijs Geneseos, perquirens quamobrem post secundæ diei opus non dicatur, sicut de ceteris quinque dierum operibus: Vidit Deus quòd esset bonum. Respondet ex authoritate veterum patrum, id ex eo accidisse, quòd numerus binarius infamis sit, & timendus propter corruptionis causam, quæ ab ipso primum progreditur. Est autem hæc Hieronymi sententia in principio commentarij in Aggæum, & in primo aduersus Iouinianum volumine, scribentis hunc in modum: Intuendum est iuxta Hebraicam veritatem, quòd cùm scriptura in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die, expletis operibus singulorum, dixerit: Et vidit Deus, quia

bonum est: in secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam derelinquens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum, vnde & in arca Noë omnia animalia quæcumque bina ingrediuntur immunda sunt. Nicolaus Lyrensis in postilla Geneseos hanc sententiam seu imposturam explodit, præferens ei Rabbi Salomonis expositionem, dicentis: Deum non appellasse bonum secundæ diei opus, quia aquarum opificium, quod postea tertia die consummatum est, nondum esset perfectum, innuens; Non esse boni appellatione dignum, quod nondum perfectum sit. Hanc tamen Lyrani confutationem Paulus Burgensis Episcopus refellit.

XXVII. *Arnoldus VVion, Belga, Duacensis lib. 2. ligni vitæ, agens de Moguntinus Archiep. cap. 26.*

BEatus Rabanus, Magnentius, Maurus, Germanus, Fuldensis, Alcuini Angli discipulus, Theologus Parisiensis insignis, Monachus & Abbas Fuldensis, creatus anno 847. Abbatialis regiminis 32. de doctrina & sanctitate gregem sibi commissum, annis nouem assiduè pauit. Monasterium sancti Petri in sublimi colle situm extra muros ciuitatis construxit: In Concilio Episcoporum Moguntiæ habito anno 848. Godescalcum hæreticum damnauit, & continuè scribendo sacrosanctam Ecclesiam mirificè illustrauit. Obijt anno 856. die 4. mensis Februarij, sepultus Fuldæ. Trittemius lib. 4. cap. 81. Demochares & Belforestius locis citatis, & alij infiniti.

Idem lib. 5. ligni vitæ cap. LXXI.

SAnctus Rabanus Episcopus S. E. Doctor, & expositionis sacræ scripturæ, quæ Isogrammatica, id est æquilitteralis vocatur, inuentor.

Ipse enim

Impletus est quasi flumen sapientia. Ecclesiastici 47.

Maximam suo tempore doctrinæ, pietatisque gloriam consecutus est Sanctus Rabanus Magnentius Maurus, qui tertio rami præsentis loco, Episcopi habitu, librum apertum sinistra tenentis, speciem legentis repræsentat. Hic à natura optimè informatus, & à doctrina egregiè instructus, id egit summopere, vt in quàm plurimos homines, quam plurima ingenij, naturæque suæ beneficia profunderet. Id quod in Germania, cùm se commodè non potuisse præstare arbitraretur, in Gallias profectus, Lutetianam Academiam ab Anglis, & Scotis monachis antea inchoatam, ad perfectionem ac omnis intimæ eruditionis cumulum breui perduxit. Nam cum in Philosophicis, Rhetoricis, Astronomicis, ac Theologicis, maximos progressus sub sancto Alcuino Anglo & Monacho fecisset, in iuuentute ijs omnibus scientijs publice priuatimq; imbuenda, maximos ingenij sui neruos contendit. Primã suam iuuentutem Benedicti institutis consecrauit. Vir factus, Abbas Fuldensis in Germania omnium monachorum summa voluntate creatus est, tandemque ad Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopatum euectus, gloriosam ibi mortem decem post annos confecit. Libri quos singulari quadam eruditione refertos edidit, infiniti penè sunt. Ita vt de eo scribere Trittemius non dubitarit, nec Italiam, Rabano similem, nec Germaniam æqualem peperisse. Is ergo cùm adhuc esset in monasterio suo, hortatu Freculfi Episcopi Lexouiensis, & Monachi, nec non Ludouici, ac Lotharij Augustorum, composuit in omnes diuinas scripturas iuxta litteræ sensum, & spiritualem intelligentiam commentariorum libros 178. quos ex omnibus Latinis Patribus, continuata serie à Hieronymo vsque ad Bedam collegit, seruatis vbique ipsorum dictis ac sensibus & in his locis, in quibus Patrum expositionem non inuenit, proprijs explanationibus vsus est, notatis in fronte paginarum, tam suo quàm aliorum interpretum nominibus, & quid ab eo haberet, & quo iudicio singula forent legenda. Horum autem voluminum subiecta excusa sunt, inter opera sancti Hieronymi, falsò Hieronymi titulo inscripta, initijs maiori ex parte diuersis, ab his, quæ Trittemius annotauit, videlicet:

In Genesim, ad Freculphum Episcopum, lib. 4. *Magnorum virorum conamen.*
In Exodum, ad eundem lib. 4. *Inter cæteras scripturas.*
In Numeros, ad eundem lib. 4. *Numerorum librum.*
In Deuteronomium, ad eundem lib. 4. *Decursis igitur.*
Hi omnes cum alijs libris 4. in Leuiticum excusi sunt Coloniæ. anno 1532. in 8.
In Ecclesiasticum ad Otgarium Archiepisc. lib. 10. *Sciens beneuolam.*
Impressi sunt Parisijs apud Simonem Colinæum. 1544.
In Ieremiam ad Lotharium Imp. li. 18. *Post Commentariolos.*
Trittemius autem libros 20. citat in eundem Ieremiam, quos vidi excusos Basileæ, anno 1534. in folio.
In Threnos ad eundem Imp. lib. 3. Vltimam partem Ieremiæ.
Cæterorum lucubrationum initia, nondum à nobis visa, sunt apud Trittemium hoc modo:
In Leuiticum lib. 4. Sequentis libri; qui excusi sunt. Coloniæ cum supradictis, anno 1532. in 8.
In Iosue lib. 7. *Domino beatissimo.*
In Iudicum lib. 2. *Post mortem Iosue.*
In Ruth lib. 1. *Scrutantibus ergo.*
In Regum ad Hilduinum lib. 4. *Fuit vir, &c. dicamus*: sunt M. S. Casini littera Longobarda.
In Paralipomenon lib. 4. *Adam, &c. decimus.*

In Esdram, & Neemiam, lib.3. In Tobiam lib. 1.
In Iudith. lib.7. *Domine electe & merito.*
In Hester. lib.1. *Liber Hester, quem.*
In Iob lib. 1. In Psalmos. lib. 1. In Prouerbia. lib.1.
In Ecclesiasten lib.1. In Cantica lib. 1.
In Librum Sapientiæ lib.3. *Diligite, &c. admo.*
In Esaiam Prophetam lib.8.
In Ezechielem lib. 20. *Et factum est.*
In Danielem lib. 3. In XII. Prophetas minores lib. 12.
In Machabæorum lib.3. *Et factum est postquam.*
In Euangelium Matthæi lib. 8. *Expectationem itaque.*
In Euangelium Lucæ lib. 3.
In Euangelium Marci lib. 4.
In Euangelium Ioannis lib 1. *Inter omnia diuinæ historiæ.*
In omnes epistolas Pauli lib. 23. *Venerando fratri Lupo.*
In Epistolas Canonicas lib 7. In Actus Apostolorum lib. 1.
In Apocalypsim lib. 1. *Et hæc de sacris.*
De reliquis eius operibus hæc feruntur.
* De Corpore, & Sanguine Domini lib. 1.
De naturis rerum lib.5. De ortu & moribus Antichristi, lib. 1.
Dictionarium mysticarum significationum, ad spirituales sanctorum voluminum sensus intelligendos vtilissimum lib.1.
De virtutibus, vitijs, ac cæremonijs antiquæ Ecclesiæ lib. 1. excusus primum Antuerpiæ anno 1560. in 8. cùm fragmentis quibusdam Caroli Magni opera Wol. Lazij.
De rebus gestis à Lothario, Ludouico, & Carolo Imp. Ludouici Pij filijs, carmine Heroico, libri plures extabant Viennæ Austriæ apud Wolfgangum Lazium MSS.
De vniuerso ad Haymonem Episcopum. lib.22. *Primùm apud Hebræos.* Horum nonnulla fragmenta MS. sunt apud D. Constantinum.
De vniuersali natura lib.1. *Vniuersitatis.*
De signis natiuitatis Domini, lib. 1.
De virtutibus numerorum, lib. 1.
De origine rerum lib. 1. hunc vidi Casini MS. in scamno 10. ad dextram.
De computo dialogum lib. 1. *Quia te venerande.*
Pœnitentium liber, siue vt alij habent,
De quæstionibus Canonum lib.1. qui excusus est Venetijs, an. 1584. in 4. cùm alijs auctoribus.
Canonum pœnitentialium, Ad Regenbaldum Episcopum lib. 1.
De benedictionibus patriarcharum lib. 1.
Sermonum innumerabilium ferè lib. 1.
Horum vnus de festiuitate omnium Sanctorum, legitur in breuiario Romano, & in homiliario Alcuini excusus.
De Sacramento Eucharistiæ lib. 1. qui excusus est Coloniæ anno 1551.
Epistolarum ad Diuersos lib. 1.
* De diuinis officijs lib. 12. qui sunt sæpius Coloniæ excusi. in 8. & in 12.
Conuiuium Dei ad Ludouicum Imp. lib. 1. excusus Basileæ, anno 1557.
De fide Christiana lib. 4. extant Viennæ MS. in libraria Laziana.
De institutione Clericorum lib. 3. excusi sunt primum Phorcæ in Germania per Thomam Anselmum. anno 1505. Deinde Romæ, cùm alijs eius generis anno 1590. in fol.
Reuelationum lib.1. qui est Venetijs MS. apud Hieronymum Porrum.

*Ipsius etiam Pamelij iudicio est Paschasij Ratberti, & extat in ipsius operibus.

* Hi sunt Ruperti Tuitiensis Abbatis.

Composuit quoque mirificum illud, & artificiosissimum opus, duobus libris in Laudem S. Crucis laboriosissimo carmine, in quo multa Christianæ fidei mysteria, multos mysticos numeros, Angelorum, virtutum, donorum, beatitudinum, elementorum, temporum, plagarum, mensium, ventorum, Librorum Moysis, huius nominis Adam, & aliarum nobilium rerum vim, & dignitatem, Sanctæ cruci conuenire, & adaptari posse demonstrat, innectens versum versui, vt & figuræ suos habeant versiculos, quibus imagines diuersæ, ac variæ rerum figuræ repræsentantur: nec tamen legitimus ordo principalis carminis à suo cursu vel tenore abrumpitur, aut intercipitur; ita litteræ ipsæ duplici plerumque ordine quadrant. Post quodlibet etiam carmen solutus sequitur sermo, versuum admirandam profunditatem dilucidè explanans. Quo ego opere nihil laboriosius, nihil ingeniosius dixerim. Dedicauit autem illud Sancto Petro Apostolo, & per manus Sergij Papæ, ad quem illud miserat, eidem S. Petro obtulit. Impressum est Phorcæ in Germania apud Thomam Anselmum, anno 1513. alij 1503. extatque MS. in membranis in Bibliotheca Casinensi, scamno 10. ad dextram. Alia autem multa scripsisse fertur, quæ nec vidi, nec ab auctoribus citantur. Cùm essem in Flandria, doctissimus, & Reuerendissimus Iacobus Pamelius Canonicus tunc Brugensis, deinde S. Audomari Episcopus, vir de re litteraria optimè meritus, & mihi amicissimus, omnia nostri Rabani opera corrigebat, quæ reperire poterat, vt ea postmodum suis commentarijs illustrata, in lucem emitteret, quod pium eius propositum & institutum, vtrum perfectum fuerit hactenus ignoro.

Anno regiminis sui secundo, Christi Domini 848. in Concilio Moguntiæ habito Godescalcum hæ-

[illegible] damnauit. & tandem de tota Ecclesia, de monastico ordine, de bonis litteris benemeritus, cum magna sanctitatis opinione, ad Dominum migrauit anno 856. Episcopatus sui nono: & sepultus est primùm in Monasterio S. Albani, ordinis Sancti Benedicti prope Moguntiam, ex quo postmodum in Saxoniam translatus est, vt auctor est Trittemius, qui eandem translationem lib. 1. retulit; & vitam eius libris tribus composuit. Affixum est autem ad eius tumulum, sequens Epitaphium, ab ipso, antequam moreretur, compositum.

Rabanus Maurus, in suam vitam Epicedion.

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam
Tempore mortali, discere sic poteris.
Vrbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus,
In Fulda, post hac dogma sacrum didici.
Quò Monachus factus, seniorum iussa sequebar,
Norma mihi vitæ, Regula sancta fuit.
Sed licet incautè hanc, nec fixè semper haberem,
Cella tamen mihimet, mansio grata fuit.
Ast vbi iam plures transissent temporis anni,
Conuenere viri vertere facta loci.
Me abstraxere domo inualidum, regiq; tulere
Poscentes fungi præsulis officio.
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum est,
Nec Pastoris opus iure beneplacitum.
Promptus erat animus, sed tardans debile corpus,
Feci quod poteram, quodq; Deus dederat.
Nunc rogo te ex tumulo, frater dilecte, iuuando
Commendes Christo me vt precibus Domino.
Iudicis æterni me vt gratia saluet in æuum,
Non meritum aspiciens, sed pietatis opus.
Raban nempe mihi nomen, & lectio dulcis
Diuinæ legis semper vbique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cælestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

Annotatio.

Ricobaldus Ferrariensis, & Ptolomæus Lucensis, quòd hic Rabanus discipulus Bedæ fuisse scribatur, putauerunt, imo & in scriptis suis reliquerunt, eum fuisse Anglum, & in simul Meldensem Episcopum: quos & alij nonnulli recentiores sequuti sunt.

Ad primam opinionem respondet ipse Rabanus, cum ait in præcedenti Epitaphio:

Vrbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus,
in Fulda, &c.

AD secundam occurrunt Demochares de Sacrif. tomo 2. c. 19. & Belforestius in Cosmographia parte 1 qui in denumeratione Episcoporum Meldensium, ne vnum quidem eius nominis Rabani recitant. Et ideo videntur isti non parum hallucinati, correctioneque non modica indigere.

Hactenus VVion, qui & eiusdem operis libro tertio qui continet Martyrologium monasticum eum ponit his verbis: quarto die February adiungendum.

MOguntiæ sancti Rabani Archiepiscopi, & Ecclesiæ Doctoris, qui post vitam in compositione librorum, & prædicationibus exactam, sanctitate clarus migrauit ad Christum.

XVIII.

Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis to. x. annalium Ecclesiasticorum. Anno 843.

POstremò & inter Gregorij adnumerandum est monumentum, quòd fulgens illud temporibus istis Germaniæ sidus Rabanus Maurus Albini Flacci auditor tricenarius, scribere aggressus sanctæ Crucis Mysteria atque præconia metrico stylo canenda, egregium opus dedicauit ipsi Gregorio quarto Romano Pontifici, &c. *Deinde infra.* Cæterum etsi Gregorio quarto à Rabano fuerit liber inscriptus, ad Sergium tamen eius successorem missum constat per certos homines. Vnde coniectura ducimur, vt existimemus his vltimus diebus Gregorij ab eo scriptum librum, sed Gregorio morte præuento, ad successorem eius missum fuisse: *Videlicet anno seq.* 844. *qui est Sergij Papæ ij. annus primus.*

Idem anno 847.

AVdi quid vertex huius temporis Theologorum Rabanus vna cum collegis Episcopis primo loco, in ipso tanquam superliminari scribi decreuerit, &c.

Idem anno 856.

EMicuit planè Rabanus vt fulgentissimum sidus, cuius quæ extant scripta, tanquam lucis radij, excellentiam demonstrant auctoris, vt & ijsdem illustrata Germania glorietur suũ haud adeo imparem

magnis

magnis habuiſſe doctoribus. Ex quo idem qui ſupra Trithemius tradit, ipſum præter opuſcula tam carmine, quam ſoluta oratione conſcripta, ſcripturam ſanctam à principio vſque ad finem omnem feliciter explanaſſe, virum planè omni litterarum genere egregiè excultum, triumque linguarum, Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ peritum.

Antonius Poſſeuinus apparatus ſacri to. ſecundo. XXIX.

RAbanus, quem alij haud rectè, Rabbanum ſcribunt, quem merito Baron. Cardin. poſt alios fulgentiſſimum Eccleſiæ ſidus appellat, non fuit (vt quidam putant) Anglus, neque verò Meldenſis Epiſcopus. Et nationis quidem ſuæ, ſiue patriæ graue teſtimonium extat in ipſius Epitaphio, vbi hæc verba ſunt. Vrbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus in Fulda. Demochares autem librorum de ſacrificio Miſſæ tom. 2. cap. 19. atque Belleforeſtius in prima parte ſuæ Coſmographiæ, in catalogo Meldenſium Epiſcoporum, nullius Rabani meminere. Atqui de hoc alij antea, Trithemius deinceps, noſtra verò ætate Sixtus Senenſis ſcripſerunt. Et hic quidem de illo ſic ait. Rabanus Magnentius Maurus, ſextus Archiepiſcopus Moguntinus, natione Germanus, &c. vt ſupra.

Sanè verò ipſemet Rabanus vitam ſuam verſibus elegis deſcripſit, quæ initio Commentarij in Ieremiam Baſileæ excuſi legitur, quanquam & Trit. de translatione eiuſdem S. Rabani è Monaſterio S. Albani Ord. D. Benedicti prope Moguntiam, in Saxoniam, lib. 1. de vita autem ipſius libros tres ſcripſerit.

Sed quod Sixtus inquit eum floruiſſe anno 855. ita accipiendum eſt, vt ſciatur eum obijſſe an. 856. quidquid ſecus exiſtimauerint, qui ad annum ſuperiorem eius obitum retulerant. Conſtat hoc ex veteri chronico edito a Pitheo, id quod & admittit Baron. Cardin. Cæterum licet pauca illa opera, tanquam D. ſcripturarum exegematica Sixtus pro ratione ſui inſtituti enumerauerit, plura tamen alia Trithemius, & denique Arnoldus Wion indicarunt, quibus etiam nos addimus, ſuperiore anno; hoc eſt 1603. repertum fuiſſe eiuſdem Rabani Martyrologium MS. in celebris monaſterij S. Galli inter Heluetios Bibliotheca; Integer igitur eſto (quoad poſſumus) eius operum catalogus ſequens. In Geneſim ad Freculfum Epiſcopum lib. 4. Magnorum virorum conamen. In Exod. ad eundem lib. 4. Inter cæteras ſcripturas. In Numeros ad eundem lib. 4. Numerorum librum. In Deuterono ad eund. lib. 4. Decurſis igitur. Qui omnes cum alijs lib. 4. in Leuiticum, excuſi ſunt Coloniæ anno 1532. apud Io. Prael. In Eccleſiaſticum ad Otgarium Arch. lib. 10. ſciens beneuolam. Qui prodiere Pariſijs apud Simonem Colinæum. In Ieremiam ad Lotharium Imp. lib. 18. Poſt commentariolos. Trithemius autem lib. 20. citat in eundem Ieremiam, qui quidem editi ſunt Baſileæ anno 1534. In Threnos ad eundem Imp. lib. 5. vltimam partem Ieremiæ. Cæterarum lucubrationum initia extant apud Tritem. hoc modo. In Leuiticum, lib. 4. Sequentis libri, qui excuſi ſunt Coloniæ cum ſupraſcriptis. Ann. 1532. In Ioſue. lib. 7. Domino beatiſſimo. In Iudicum lib. 2. Poſt mortem Ioſue. In Ruth lib. 1. Scrutantibus ergo. In Regum ad Hilduinum, lib. 4. fuit vir. dicamus, extant M S. Caſſini litera Longobarda. In Paralipomenon, lib. 4. Adam decimus. In Eſdram, & Neëmiam lib. 3. In Tobiam lib. 1. In Iudith lib. 1. Domine electe. In Heſter lib. 1. Liber Heſter, quem. In Iob lib. 1. In Pſalmos lib. 1. In Prouerbia lib. 1. In Eccleſiaſten librum. 1. In Cantica lib 1. In librum Sapientiæ lib. 3. Diligite. In Haiam prophetam lib. 8. In Ezechielem lib. 20. Et factum eſt. In Danielem lib. 3. In duodecim prophetas minores, lib. 12. In Machabæorum lib. 3. Et factum eſt poſtquam. In Euangelium Matthæi, lib. 8. Expectationem itaque. In Euangelium Lucæ lib. 3. In Euangelium Marci lib. 4. In Euangelium Ioan. lib. 1. Inter omnia D. Hiſtoriæ. In omnes Epiſtolas Pauli, lib. 23. Venerando fratri Lupo. In Epiſtolas Canonicas lib. 7. In Actus lib. 1. In Apocalypſim lib. 1.

At de reliquis eius operibus hæc quoque feruntur: Nempe de Corpore & Sanguine Domini lib. 1. De naturis rerum, lib. 5. De ortu & moribus Antichriſti lib 1. Dictionarium Myſticarum ſignificationum, ad ſpirituales ſanctorum voluminum ſenſus intelligendos, vtiliſſimum, lib. 1. De virtutibus, vitijs, ac cæremonijs antiquæ Eccleſiæ lib. 1. qui excuſus eſt Antvverpiæ, an. 1560. cum fragmentis quibuſdam Caroli Magni. De rebus geſtis à Lothario, Ludouico, & Carolo Imp. Ludouici Pij filijs, carmine Heroico. Libri autem plures extabant Viennæ Auſtriæ apud Wolfgangum Lazium M SS. De vniuerſo, ad Haymonem Epiſcopum, lib. 22. Primum apud Hebræos. Horum nonnulla fragmenta MS. extabant Catanæ in Cœnobio Ord. D. Benedicti. De vniuerſali natura lib. 1. Vniuerſitatis. De ſignis Natiuitatis Domini lib. 1. De virtutibus numerorum lib 1. De origine rerum, lib. 1. Qui Caſſini M S. extat in x. pluteo. De computo dialogus, lib. 1. Quia te venerande. Pœnitentium liber ſiue vt alij habent. De quæſtionibus Canonum lib. vno. Qui excuſus eſt Venetijs ann. 1584. cum alijs auctoribus Canonum pœnitentialium ad Reginaldum Epiſcopum, lib. vno. De Benedictionibus patriarcharum, lib. vno. Sermonum plurium lib. vno. Horum vnus de feſtiuitate omnium Sanctorum, legitur in Breuiario Romano, & in Homiliario Alcuini excuſus. De Sacramento Euchariſtiæ lib. 1. Qui excuſus eſt Coloniæ ann. 1551. apud Ioannem Quentelium. Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1. De diuinis officijs, lib. 12. Coloniæ ſæpius excuſi. Conuiuium Dei ad Ludouicum Imperatorem lib. 1. Baſileæ anno 1557. De fide Chriſtiana lib. 4. Extabant Viennæ M S. in Bibliot. Lazij. De inſtitutione Clericorum, lib. 3. Qui primò prodiere Phorcæ in Germania per Thomam Anſelmum anno 1505. deinde Romæ cum alijs eius generis, anno 1590. Reuelationum lib. 1. Qui extabat Venetijs M S. apud Hieronymum Portum.

Extat item Rabani opus de Laudibus ſanctæ Crucis. Quod non ſolùm Iacobus Wimphelingius, qui vir fuit Catholicus, verùm etiam hoſtes ipſius crucis hæretici coacti ſunt laudibus extollere. Et quidem Wimphelingius in præfatione ad id opus, ſic loquitur: Rabanus Teutonicus mirificum, & artificio-

ficiosissimum opus in Laudem sanctæ Crucis laboriosissimo carmine contexuit: in quo multa Christianæ fidei mysteria, multos mysticos numeros Angelorum, virtutum, donorum, beatitudinum, elementorum, temporum, plagarum, mensium, ventorum, librorum Moysis, huius nominis Adam, & aliarum nobilium rerum vim & dignitatem sanctæ Cruci conuenire, & adaptari posse demonstrat, innectens versum versui, vt & figuræ suos habeant versiculos, quibus imagines diuersæ repræsentantur, nec tamen legitimus ordo principalis carminis à suo cursu vel tenore abrumpitur, aut intercipitur: ita litteræ ipsæ duplici plerumque ordini quadrant. Post quodlibet etiam carmen solutus sequitur sermo, versuum admirandam profunditatem dilucidè explanans. Hæc ille.

Quin & non defuit, qui de hoc opere loquens Arnoldus Wion, scripserit; In duobus libris ipsius operis, quod verè testatur fuisse laboriosissimum, multa extare Christianæ fidei mysteria, multos mysticos numeros, Angelorum, virtutum, donorum, beatitudinum, elementorum, temporum, plagarum, mensium, ventorum, librorum Moysis, huius nominis Adam, & aliarum nobilium rerum vim & dignitatem sanctæ Cruci conuenire, & aptari posse demonstrar, innectens versum versui, vt & figuræ suos habeant versiculos, quibus imagines diuersæ ac variæ rerum figuræ repræsentantur, nec tamen legitimus ordo principalis carminis à suo cursu vel tenore abrumpitur, aut intercipitur: ita litteræ ipsæ duplici plerumque ordini quadrant. Post quodlibet etiam carmen, solutus sequitur sermo, versuum admirandam profunditatem dilucidè explanans. Quo ego opere nihil laboriosius, nihil ingeniosius dixerim. Dicauit autem illud S. Petro Apostolo, & per manus Sergij Papæ, ad quem illud miserat, eidem S. Petro obtulit. Impressus est Phorcæ in Germania apud Thomam Anselmum, ann. 1513. Alij autem ann. 1503. Postremo recusus est anno 1605. extatque MS. in membranis in Bibliot. Cassinensi in pluteo. x. ad dexteram.

Vide to. 1. pag. Sed neque defuit, qui subiunctum figuræ exemplum eo modo expressum attulit ex prima parte figuræ 13. quæ inscribitur de diebus conceptionis Christi in vtero Virginis, quatuor crucibus demonstratis, hoc est 236. & eius numeri significatione.

Scio autem Iacobum Pamelium, qui deniq; fuit S. Audomari in Belgio Episcopus, in id incubuisse, vt collecta à se Rabani, quotquot poterat, opera, à se commentarijs, siue notis illustrata (quod præclarè in Tertullianum, atque D. Cyprianum præstitit) proderet in lucem. Sed mihi incertum num prodierint. Porrò Rabanus initio commentarij in Ieremiam carmine vitam ipse suam descripsit.

XXX. *Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis de scriptoribus Ecclesiasticis.*

RAbanus Maurus natione Germanus Abbas Fuldensis fuit tempore Ludouici Pij Imp. Episcopus Moguntinus creatus est tempore Lotharij eius filij. Obijt anno domini 856. tempore Ludouici iunioris Imp. vir fuit æquè doctus, ac pius. Scripsit multa & versu, & prosa. Edidit commentaria in vniuersam sacram scripturam vtriusque testamenti. Edidit etiam libros tres de institutione clericorum, qui extant cùm alijs multis eiusdem argumenti, impressi Coloniæ anno 1568. Sed præter cætera scripsit in flore ætatis suæ opus admirandum soluta, & ligata oratione de Laudibus sanctæ Crucis ad Gregorium quartum Papam anno Domini 843. quod mortuo Gregorio misit ad Sergium successorem. Extat hoc opus editum studio Iacobi Wimphelingij anno 1501. Inter opera Rabani & commentarium in Threnos, quod ab aliquibus tribuitur sancto Hieronymo; sed verè Rabani est, non Hieronymi, vt diximus supra.

Georgius Colvenerius.

HIs plura testimonia non adijcimus, cùm hæc abunde sufficiant, etsi alia non deessent ex Fulberto Carnotensi epist. 81. ex Gratiano, qui varys locis Rabanum citat in suo decreto, quæ à S. Antonino collecta protulimus. Item ex Petro Lombardo, Magistro sententiarum dicto, in iiij. dist. 22. §. A. ex S. Thoma in Summa Theologica; ex Christiano Massæo in Chronico mundi, ex Ioanne Auentino in Annalium Boiorum lib. 4. Ioanne Garetio de Eucharistia centenario nono. Petro Cratepolio in catalogo Moguntinorum electorum. Conrado Gesnero in sua Bibliotheca, Israele Spachio, Papyrio Massono lib. 2. Annalium Francorum, Andrea Theuet in Iconibus virorum illustrium Gallico sermone editis, &c. Qui plura desiderat, legat ea quæ de Rabano scribunt duo eruditissimi & in antiquitatibus eruendis diligentissimi è Societat. Iesu, videlicet R. P. Nicolaus Serrarius & R. P. Christophorus Brovverus, ille lib. 4. Moguntinarum rerum in Rabano sexto Archiepiscopo: iste in Annalium Fuldensium lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 13. & 14. vbi totum inserit Radulfi Presbyteri librum de vita Rabani, (quem habes in hoc opere à nobis positum to. 1.) & iterum lib. 4. in quinto Abbate Fuldensi.

Illud solùm de patria Rabani visum est apponere. Plerique Fuldæ natum & renatum arbitrantur, idque ex Epitaphio à se composito, quod suprà recensuimus. Verùm id quidam vitiosè legunt hoc modo.

Vrbe quidem genitus sum ac sacro fonte renatus
In Fulda: post hæc dogma sacrum didici.

Omissa videlicet voce (hac) Ita legi in MS. quodam. Alij eam vocem addunt, sed non rectè dispungunt, ad hunc modum.

Vrbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus
In Fulda, post hæc dogma sacrum didici.

Ita primùm typis est excusum ante commentarium Rabani in Hieremiam prophetam, Basileæ per Hen-

ricum Petrum anno 1534. Quod alij secuti sunt præter Baroninm tom. 10. Annalium anno 856. & Brovverum in libro, quo Rabani edidit Poëmata de diuersis, & doctis scholijs illustrauit, quæ habes hic to. 6. Quibus accedit Arnoldus VVion vbi dictum carmen repetens, comma posuit post dictionem renatus. Hi igitur sic dispungunt.

Vrbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus,
In Fulda post hæc dogma sacrum didici.

Quam esse veram dispunctionem ex eo probatur, quia Epitaphium hoc composuit iam residens in vrbe Moguntina, & Archiepiscopus existens; atque ita se patria Moguntinum esse, non Fuldensem significat. Idipsum clarè attestantur, quæ in libro ipsius MS. de Vniuerso adscripta leguntur his verbis.

Rabanus Maurus Moguntiæ natus & renatus, & à puero in Fulda Monachus, deinde cella inclusus, tandem in Archiepiscopum assumitur, cuius idonea sunt opuscula in vtriusque testamenti pagina, & ante portam prædictæ ciuitatis meridianam apud S. Albanum sepulchri eius ostenditur memoria, in Sanctorum Archiepiscoporum Martini & Bonifacij capella. *Sic ibi.*

INDEX RERVM MEMORABILIVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS QVÆ IN HIS HRABANI MAVRI SEX TOMIS CONTINENTVR.

IN QVO PRIOR NVMERVS TOMVM; SECVNDVS PAGINAM, LITTERAE marginales a. b. c. d. e. f. g. h. *sectiones paginarum denotant: Notandum autem in Primo tomo literas illas abesse marginales, & loco earum paginæ columnam per col. siue litteram c. indicari.*

populos

E.

F.

G.

H.

ad M.

K.

L.

M.

4[illegible].d.

N.

O.

P

Q.

S.

Samari[illegible]

T.

operantur

V.

VITA HRABANI ABBATIS, EDITA A RODOLPHO Pr̄o & M̊.

sat monacho.

PRÆFATIO.

SCRIPTORES rerum Ecclesiasticarum cum sapienter, tum etiam utiliter instituerunt vitas & facta iustorum, & secundum diuina præcepta viuentium virorum, per litterarum reuelationes tradere posteris; merito à fidelibus magnis ideo laudibus extollendi, quod non inuidiose silentes ea prætermiserunt; sed charitate, qua omnibus prodesse desiderat, abundantes, ad exemplum recte viuendi cunctis imitari volentibus fidei veritate subnixa, prot e-runt. Si enim non ita fecissent, nequaquam scire potuissemus, quid sancti Patriarchæ, quid Prophetæ quid Apostoli, quid etiam cæteri sancti Martyres & Confessores Christi gesserint, vel docuerint; quibusue signis & virtutibus ante, vel post mortem suam claruerint, nisi ex eorum scriptis cred t & intellecta nosceremus. Qui ea non captandæ propriæ laudis intentione protulerunt: sed ut per eiusmodi exempla ad emendandos prauos mores humanæ præsumptionis; & ad conlaudandam diuinæ maiestatis potentiam quorumcumque animos incitarent. Itaque eorum laudabile institutum pro modulo meo sequens, facultate, qua vale , scribere inter virtutes & miracula, quæ Deus per sanctos suos modernos temporibus nostris facere dignatus est; quorum sacri cineres regionem nostram inlati, cotidie fidelibus causa salutis existunt: eredens, me non inaniter, immo utiliter, & mihimetipsi & multis alijs laborare; mihi quidem, quia præmium laboris mei cum eis, quos ob laudem Dei in simili opere sudantes imitatus sum, me habiturum esse, per Dei gratiam, confidens; alius vero, quia rebus cognitis veneranda sanctorum solemnia fideliùs amplectuntur; & maiore mentis deuotione accensi, in laudem Creatoris sui latius adsurgunt. Temporibus igitur Ludouici Imperatoris, qui post genitorem suum, Carolum Magnum Imperatorem, per annos septem & viginti, Francorum tenuit imperium, multorum reliquiæ Sanctorum ab vrbe Roma in Franciam delatæ sunt; quarum aliæ quidem ab eis adductæ sunt, qui iussu dominorum suorum, v' id efficerent, Romam profecti sunt; Aliæ vero per clericos sanctæ sedis Apostolicæ, & ciues Romanæ vrbis allatæ, ve per viam, qua ferebantur, vel in locis, quibus susceptæ & conditæ sunt, multis & magnis miraculorum signis, cuius essent apud Deum meriti, claruerunt.

Constat namque, reliquias sancti Sebastiani Martyris ab vrbe Roma deuectas, & ab Hilduino abbate apud Augustam Suessorum, Galliæ ciuitatem, in Ecclesia sancti Medardi Confessoris venerabiliter conditas, tantis & inauditis omnibus retro generationibus florere miraculis; vt reuelatio eorum fidem excederet, nisi certum esset omnibus fideliter credentibus, quod Deus & Dominus noster Iesus Christus, qui gloriosus est in sanctis suis, mirabilis in maiestatibus, faciensque prodigia, omnia, quæcumque voluerit in cælo & in terra sine ulla difficultate potest efficere. Ossa quoque beatorum Martyrum Marcellini & Petri, Proti atque Hyacinthi cum reliquiis sancti Hermetis, non minore miraculorum gloria in diuersis sanitatibus infirmantium cotidie fulgent; quæ & ipsa à Roma translata. & Einhardo abbati adducta iuxta Mœnum, Germaniæ fluuium, in villa, quæ prius Mullinhe m, *nunc autem* Saligunstat *dicitur, digna celebratione à fidelibus venerantur. De quorum translatione simul & virtutibus, quas per eos Deus operatus est, quia diligenter memoriæ traditum est, hic dicere omitto. De ossibus vero beati Alexandri Martyris, & aliorum Sanctorum, quorum nomina suis locis dicentur, scribendum esse censeo; qualiter, & à quibus, vel ad quæ loca translata sint, quibusque signis & virtutibus, siue in itinere quo ferebantur; siue in locis, quibus conditi sunt, floruerint, memoriæ mandandum: vt cum de translatione, & miraculis eorum, secundum veritatem gestorum fuerit sermo prolatus: quibus in locis à fidelibus veneranda debeant inueniri, per hæc scripta valeat agnosci.*

S Seb a- ni m rei quiæ.

IN ea parte Germaniæ, quam Franci, qui dicuntur orientales, inhabitant, locus est ex nomine vicini fluminis, *Fulda* vocatus; situs in saltu magno, qui moderno tempore ab incolis illarum regionum *Bochonia* appellatur; quem sanctus Bonifacius Martyr, legatus in Germaniam ab Apostolica sede directus, & episcopus Mogontiacensis Ecclesiæ ordinatus; quia secretus erat, & à populari frequentia valde remotus, impetrauit à Karlmanno rege Francorum, & cum authoritate Zachariæ, sanctæ sedis Apostolicæ summi pontificis, monasterium in eo constituit monachorum, anno ante passionem suam decimo; qui fuit ab Incarnatione Dominica quartus & quadragesimus & septingentesimus annus. Huic itaque monasterio, quintus à beato Bonifacio præfuit in regimine Heibanus abbas & præceptor meus, vir valde religiosus, & in scripturis diuinis adprime eruditus: cuius omne studium fuit in meditatione legis Domini, & in doctrina veritatis, curaque maxima circa disciplin m monasticam, & profectum discipulorum; mens eius ad ea disponenda, quæ ad cultum diuinum pertinent, semper erat intenta. Quotienscumque à curis secul ribus (quas, prout possibile erat, toto nisu declinabat) liber esse per-

al. Uulda.

mittebatur, aut alios sacris literis instruebat; aut in legendo vel dictando, diuinis scripturis semetipsum pascebat. Inter hæc & alia, quibus in oratione, vigiliis & abstinentia, cæterisque virtutum titulis formam se sibi subditis præbebat; monasterium totum domibus apertis & habitaculis congruentibus exstruxit; & Ecclesiam ex diuerso metallorum, preciosarumque vestium genere, pulchra varietate decorauit. Per cellas quoque fratrum sibi cōmissorum, & per alia loca multa ad se pertinentia, in quibus prius non erant, ecclesias cum permissione episcopi sui construxit; quas collectis vndecumque Sanctorum reliquiis, eorū nomine & honore consecrari fecit. Erant etiam per diuersas prouincias prædia monasterio subiacentia, partim ex donis regum; partim ex liberalitate fidelium personarum, propter amorem Dei, & venerationem sancti Martyris Bonifacii illuc collata; quorum alia quidem per * villicos ordinauit: alia verò, & maxime illa, in quibus ecclesiæ fuerant, presbyteris procuranda atque disponenda commisit. E quibus, qui in Italia prædium procurabat, quod Adumar quondam Comes sancto Bonifacio tradidit, nomine Addo, inde rediens, inter cætera retulit; Alabingum quendam, potentē in Italia virum, mandasse abbati, quod cuiusdam sancti Martyris ossa vellet ei transmittere, si congruus ab eo venerationi illius locus exhiberetur; partemque hæreditatis suæ, quam in Francia, vnde oriundus fuit, habebat, solemni donatione loco illi conferre disponeret, ad deseruiendum vsibus eorum, qui ibi essent seruituri. Quibus ille auditis, quia multum in Domino gauisus, talium rerum desiderio non parum mouebatur, absolutisque celeriter causis, propter quas presbyter venerat, remisit eum in Italiam; mandans memorato viro Halabingo, in translatione reliquiarum sancti illius Martyris non segniter agendum; quin potius propter varios euentus rerum, omni velocitate, vt efficeretur, esse festinandum. Iam se diuinis officiis faciendis basilicam congruentem habere constructam, & omnia parata, quæ ad susceptionē & cultum huiusmodi rerum vsus exposcit; neque aliquid esse ex hac parte impedimenti, quin pollicitationem suam, si voluntas non defuerit, valeat implere. Cumque profectus esset presbyter, vt in Italiam reuerteretur; contigit, vt quidam Diaconus Romanæ Ecclesiæ, nomine *Deusdona*, veniret in Franciam, specie quidem, quasi pro quibusdam suis necessitatibus Regis opem imploraturus; re autem vera sanctorum, quas secum habebat reliquias, alicui religiosorum in Francia virorum daturus, cuius adiutorio posset inopiæ suæ aliquod capere supplementum. Transcensis igitur Alpium iugis, cum ad plana & campestria descendisset, in finibus Alamannorum venit ad quandam villam, quæ vocatur *Kentibruto*, in pago *Turibgaune*, vbi Ecclesiam cū reliquiis ingressus, cum benigne à presbytero susceptus esset; dedit ei partem reliquiarum beati Alexandri Martyris sub altare Ecclesiæ conlocandam. Quo facto, mox, quanti meriti apud Deum esset, miraculis declarantibus, cœpit ostendi. Audientes enim populi sanctorum allatas reliquias esse; debiles, & ægrotos, & varijs incommodis afflictos vndique cœperunt adducere; credentes, per orationes sanctorum, pristinam recuperare sanitatem: Inter quos femina quædam, immundo spiritu possessa, basilicam introiuit: cumque à presbytero, iuxta morem ecclesiasticum, exorcizaretur; per os illius dæmon respondit: Si ab ea fuisset eiectus, statim in aliud vas, quod sibi in eadem regione concessum esset, ingredi deberet, Othmarum quendam, quem intraturus esset, ex nomine designans: Ad quem presbyter, quia non procul habitabat, mox nuntium mittens, iussit vt confessione facta, peccatorum pœnitentiam ageret: ne forte facinorum suorum merito * fieret inimico. Qui preceptis obediens, ad pœnitentiam, quam Diabolus semper auersatur, tota mente confugiens, insidias euasit inimici. Dæmon vero per virtutem sancti Martyris ipsa die eiectus, fœminam, quam tenebat, sanæ mentis & incolumem reliquit. Item quædam femina, orationis causa veniens ad reliquias sancti, duas inaures pro munere obtulit ad altare; quas ancilla, quæ in eius obsequio erat, super altare positas concupiscens, cum inter cæteras mulieres, quæ aduenerant, orationi incumberet, optauit in corde suo, vt eas cum iustitia redemptas habere potuisset. Cumque inter orandum id animo volutaret, mox mirum in modum, aliis ab oratione surgentibus, ipsa se erigere nullatenus potuit; sed ita vt super genua sua orationi incubuit, quodam rigore contracta permansit: Interrogata autem à presbytero causam peccati, cuius merito tam subitam membrorum contractionem pertulisset, vel quid animo gereret, quando in oratione procubuit? Respondit, nullam sibi aliam læsionis suæ causam videri, quam inaurium illarum concupiscentiam. Cui presbyter: *Si sancti*, inquit, *Alexandri voluntas sit, fiat tua, sicut desiderasti, possideas. Surge & tolle illas de altari.* Ad cuius vocem, mox illa, sanitate recepta, surrexit, linteumque, quod circa caput suum habuit, ad altare volens offerre, nullo conamine de capite potuit abstrahere. Quod cum videret presbyter, & ex recuperatione sanitatis intelligeret, puellæ etiam inaures, quas desiderauerat, diuinitus esse concessas; datis ei inauribus ait; *Accipe munus, quod desiderasti, atque tibi gratis à sancto Dei non pro temporali precio cognosce esse donatum.* Illa vero gratias agens Deo, & merita sancti Alexandri glorificans, domum cum domina sua gaudens reuersa est. Postea contigit, quasdam pauperculas mulieres orandi gratia ad sanctas illas reliquias deuotā mente properantes venisse ad fluuium Thuriseo; cumque non possent absque nauigio transire, nec haberent, quod pro naulo darent (non enim eis erant, nisi quinque tantum panes ad viaticum·) Nauta autem cum vehementer instaret, naulum ab eis exigens: tandem obtulerunt ei quatuor panes, vno tantum sibi ob necessitatem victus reseruato: sed cum ille adhuc non adquieuisset, dederunt ei & quintum, magis eligentes ad tempus famem moribundi corporis perpeti, quam victuram perpetuo animam sanctæ orationis fructu priuare. Recepto autem quinto pane, in alteram amnis ripam feminas miser ille nauigio transposuit, assumptisque panibus, ac cæteris, quas simili inhumanitate contraxerat, rebus, ad propria redire volens; subita neruorum duritia ita deriguit; vt de loco, in quo erat, vllo se conamine mouere non posset: stabatq; stupefactus, ac pauore perculsus, cogitare cœpit, vnde ei tanti mali contingeret casus: Tandem, accusante conscientia, in se reuersus, scelus; quod commiserat, recognoscit; commissique pœnitens, ad Sancti reliquias, quæ iam tunc ab omnibus fere regionis illius incolis religiosa veneratione frequētabantur, pro absolutione sua ire desiderat: statimque, diuina miseratione, gradiendi facultatem recipiens proficiscitur: Ecclesiam intrat, panes ante altare cum publica facinoris sui confessione deponit. Quos vt mulieres receperunt integram sanitatem adeptus, domum suam cum gaudio repetiuit. Item quidam de comitatu Geraldi comitis, nomine Perathganus, filius Theodaldi, iter agens: cum venisset secus Ecclesiam, in qua sancti Martyris positæ sunt reliquiæ, & vellet præterire: ammonitus à puero, qui comitatus est eum, vt ad sacras reliquias causa orationis, paulisper declinaret: respondit, sibi tunc quidem esse festinandum propter legationem domini sui peragendam: tempore verò oportuno ad orationē esse veniendum. Inter hæc verba subito equus, cui sedebat; inuisibili potentia fixus stabat immobilis; &, licet nimium calcaribus fatigatus, nullo modo ad ambulandum poterat impelli. Vnde factum est, vt confusus, ac pauore perterritus descenderet de equo: & quod prius equitando facere contempsit, impleuit ambulando. Perrexit igitur ad Ecclesiam, & coram reliquiis sancti Dei Martyris, expleta suppliciter oratione: agrum iuris sui, qui possessioni Ecclesiæ illius contiguus erat, pro salute animæ suæ, solemni donatione ei contulit; sicque itinere suo, quo missus fuerat, libero cursu perrexit. Alio quoque tempore contigit, vt vir quidam de orientalibus Alamanniæ partibus cum sociorum suorum comitatu non modico, causa orationis, ad prædictas reliquias veniret, portans secum donaria ad sacrarium domini

Margin notes: acos. — Deusdona. — * Videtur d esse rob, boxetur.

monasterii [illegible]. Quæ cum posuisset super altare, protinus elapsæ in terram ceciderunt, factumque est, vt tertio [illegible], nihilominus in terram corruerent. Vnde presbyter intelligens aliquid ne se latentis nequitiæ, manu vel actibus [illegible] esse ei, vt sua tolleret, & ad propria remearet, monuitque eum circa salutem animæ suæ esse sollicitum, ac pura confessione & dignis pœnitentiæ fructibus conscientiam suam mundare, quo orationes eius & munera deinceps Deo potuissent esse placabilia. Erat vir quidam in eadem regione, Sygibaldus nomine, ex cuius seruis, inter cæteras multitudines, quæ ad orandū confluebant, vnus ad Ecclesiam venit, susceptusque à germano suo eiusdem Ecclesiæ seruo, apud eum diebus aliquot mansit. Cum autem reuerteretur, subito in itinere, quo gradiebatur, obmutuit. Qui vero cum eo erant, cognito, quod acciderat, duxerunt illum ad dominum suum, eique gestæ rei ordinem per omnia pandebant. Dominus vero serui statim eum remisit ad Ecclesiam, & quia per merita sancti martyris Christi recuperata pristina sanitate curatus est, tradidit eum in loco reliquiarum eius perpetuo seruiturū. Multa quidem & alia in eodem loco diuinitus fieri miracula, à commeantibus celebri sermone nunciantur: quæ huic operi, ne forte prolixa narratio legentibus fastidium generaret, inserere nolui: hæc autem, quæ commemoraui, in quodam libello, inde allato, suscepi, & eodem ordine, quo scripta erant, licet non eis verbis, quia certa esse videbantur, inserui, vt ex his cæteri, quæ vulgari sermone referuntur, veracius credi, & certius valeant sciri.

Einardus abbas.

Supradictus autem diaconus, itinere, quo cœperat, in Franciam venit, ac primum se ad Einhardum contulit, cuius supra mentionem feci; erat enim ei familiaritatis: deinde commendatis sub signaculo sanctorum reliquiis, ibi in ecclesia beatorum martyrum Marcellini & Petri conseruandis; Mogontiam profectus est, vbi tunc erat quidam presbyter ex monachis nostris, nomine Theotmar, pro causis quibusdam ab abbate ad Otgarium archiepiscopum missus. Is cum Diaconum vidisset, cognito, quod esset Romanus, percontatus est, ob quam causam tam procul à patria peregre esset profectus, auditisque causis itineris, hortari eum cœpit, vt partem reliquiarum, quas se habere confessus est, suo donaret abbati, sciens, se proculdubio, ob id, bene ab eo fore remunerandum. Placuit Diacono suadentis consilium, factaque promissione dimisit presbyterum die, qua tunc inter eos conuenerat, ad locum, vbi reliquias dimisit, obuiam ei reuersurum, & si abbati conuentio eorum placuisset, reliquias suscepturum. Ille autem cum festinatione monasterium reuertens, primum responsa Archiepiscopi retulit Abbati: deinde quomodo cum Diacono de reliquiis condictum habuerat, intimauit. Quibus ille auditis, valde gauisus est, volensque velociter expleri illud sponsionis, remisit eum, & alterum cum eo presbyterum ex fratribus nostris, nomine Arthaharium cum munusculis, sicut promissum erat Diacono, perferendis. Ad eius hospitium cum venissent, allatis muneribus, reliquias, quas promiserat, reposcebant. Tū ille: *Dei beneficio*, inquit, *habeo, vobis [illegible] pariter ad mei asterium vestri [illegible], & non solum partem reliquiarum, sicut promisi, sed etiam totum quod modo habeo, omnibus, quæ ad hanc terram adtuli, vestro abbati offerre, cui, [illegible] fidei me, cum eis pariter committere.* Erat autem eo tempore festiuitas sanctorum martyrū Marcellini & Petri, ad quam, quia magna multitudo populi confluxerat, & Diaconus quosdam ex eis, apud quos hospitabatur, suspectos habebat: veritus est enim, ne forte eorū machinationibus, vel fraude, vel violentia reliquias amitteret. [illegible] visum est eis, non prius loco egredi, quam, trāsacta festiuitate, populus ad sua remearet, miseruntque ad abbatem, Diaconi voluntatem nuntiantes: ipsi interea, quæ itineri suo, & subuectioni sanctarum reliquiarum necessaria videbantur parare curabant. Erat etiam non procul ab eis presbyter, vnus ex fratribus nostris nomine Anthadus, præpositus locorum in illis partibus monasterio subiacentium, cui iniunctum erat, vt statutis temporibus inde necessaria fratribus ammi[ni]straret. Huic statuerunt accersire, quo facilius id, quod inchoatum habebant, & efficere moliebantur, fraterno roborati consilio, implere potuissent. Qui cum venisset, & finita solemnitate populus ex maxima parte iā recessisset, paratis omnibus, quæ itineris eorū [illegible] postulabat, loculum, quo sanctæ reliquiæ erant recondite, [*] eleuant, cum hymnis & laudibus ferre cœperant, vndique per viam confluentibus populis, & elata in excelsu voce diuinas laudes cantantibus, ac sic, iter eorū Domino prosperante, cum turba non modica, quæ retrorsum sequebatur, die altera ad monasterium venerunt, fratres autem occurrerunt eis cum crucibus, ac ceteris aduentum eorum præstolante Abbate in Ecclesia beati Iohannis Baptistæ, quæ erat in itinere eo, distans à monasterio Africum versus quasi stadiis nouem. In qua [*] [illegible] Non. [illegible] cum sacris reliquiis intrantes populo, qui eos, de diuersis veniens per talem secutus est & iam reuerti volebat, orandi ac vota soluendi spatium dabant. Quibus peractis leuantes loculum ad monasterium venerunt, ac Basilicam beati Bonifacii martyris cum laude & lætitia ingressi, iuxta altare in parte meridiana feretrum cum sacris cineribus posuerunt. Altera autem die Deusdona diaconus, & germanus frater illius, nomine Theodorus laicus, primo mane cum abbate ac duobus presbyteris, quorum ego alter eram, seorsum Basilicam ingressi, loculum aperuerunt, & singulorum ossa sanctorum, sicut in pulueris sericis condita fuerant, proferentes, abbati dederunt, coxam videlicet ac pedē sancti Alexandri papæ & martyris: & brachium *Felicissimi* Diaconi, caput sanctæ *Concordiæ* martyris, ac partē de ossibus sanctorum episcoporum, *Fabiani* atque *Vrbani* martyrum Christi; & dentem beati Castuli: ac dentē sancti Sebastiani: De ossibus sanctorum Pamphili presbyteri & martyris Papiæ, Mauri atq; Victoris: sanctæ quoq; Felicitatis matris septem filiorum, & sanctarum virginum ac martyrum, Emmerentianæ atq; Basiliæ, partes non paruas, in singulis sacculis seorsum conditas. Quas cum ille venerabiliter suscepisset, & cum honore ac reuerentia deosculatas loculo recondidisset, post paucos dies, remuneratum Diaconum ac fratrem eius remisit in patriam, promittentes, se cum aliis sanctorum reliquiis (si eis vita comes ac diuinus fauor adesset) iterum ad eum esse venturos. Postquā illi reuersi sunt, & iterum in patriam suam, euolutis diebus admodum paucis, memoratus abbas cum authoritate Otgarii Archiepiscopi Mogontiacensis Ecclesiæ per Reginbaldum chorepiscopum eius, ossa sanctorum martyrum Alexandri & Fabiani cum magno honore intulit in Ecclesiam beatæ genitricis Mariæ, ad septentrionalem plagam monasterii sitam, atq; in arca saxea inclusis eorū plumbeis loculis ad orientem altaris collocauit, 4. Kal. Augusti, erigens desuper ligneum ædificium, mechanica arte fabricatum; quod argento & auro atque lapidibus, pulchra varietate, decorauit: addens etiā versus, quibus vnde, & quo, & ad quē translati sunt, declaratur, metrica lege compositos, & litteris aureis scriptos, hoc modo:

Pontifices summi, huc quos misit [illegible] beatos,
Rect[illegible] sedis Apostolicæ,
Hos seruus Christi Hrabanus suscepit ouando,
Illorumque ossa hic condidit [illegible] tumulo.
Leuitæ ergo duo prædicta ex vrbe [illegible]
Venerunt [illegible] digni & honore [illegible],
Quos idem famulus Domini [illegible] astans
Supplex accepit, hic quos simul posuit.
Martyr Alexander martyr [*] Fabianus & ipse,
Hic [illegible] simul, doctor vterq; pius.
Discipuli [illegible] papæ, [illegible],
Fœlicissimus hic Aga[illegible] munere.
Omnes hi pariter aulam hanc [*] [illegible] ornant,
Virgo Dei genitrix quam dicat & meritis.
Vos quoq; qui intrastis templum, istos cum prece [illegible]
Patronos vobis quærite in auxilium.

Reliquorum vero sanctorum ossa, qui supra nominati sunt in arca, quam ad instar arcæ fœderis Dei ex ligno fabricatam atque deauratam cum Cherubin ac vectibus suis in basilica beati Bonifacii martyris in absida orientali

Margin notes:
Einardus abbas.
Theotmar
Otgarius archiepiscopus.
Artharius.
Anthadus.
* forte eleuantes.
* pridie.
Deusdona.
Theodorus
al. Apostolicorum.
al. Fauiani
Otgarius.
Reginbaldus.
al. Fauiani
* Fauianus
* al. fast.

tali potuerat, condidit, donec venerationi eorum locum congruum pararet. Quod & postea cum Dei adiutorio, quam celerrime potuit, deuotus impleuit. Hæc autem gesta sunt anno ab incarnatione Domini DCCCXXXV. Indictione XIII. Regnante Domino nostro, Iesu Christo: Qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, Deus per omnia secula seculorum Amen.

Sabbatinus. Posthæc autem anno sequente venit quidam laicus ab vrbe Roma, Sabbatinus nomine, cum sociis suis in Franciam, ferens secum reliquias: auditoq; nomine supra memorati Abbatis, cuius deuotionem in diuino seruitio, ac veneratione sanctorũ longe lateq; fama diuulgabat. Venit ad eum 8. Kal. Maii, deditq; illi ossa sancti Quirini martyris, qui fuit in Siscia vrbe Pannoniæ quondam episcopus, & ossa beati Romani militis, qui à beato Laurentio baptizatus, statim capitali sententia consecutus est martyriũ: De corpore sancti Cornelii papę ossa 13. & de corpore sancti Calixti papę 10. De corporibus vero sanctorum Nereï & * Achillei ossa 16. Sancti autem

* al. Abilii. Turturinini ossa 10. & sancti Stactei de cineribus corporis magnam parte, & ossa 10. Ille vero vniuersa hæc venerabiliter suscepta in arcã, quã supra sub duob. Cherubim positã diximus, simplici deuotione collocauit. Igitur dum hæc agerentur, Addo presbyter abbatis, quẽ supra ad Alabingum quendam pro suscipiendis alicuius sancti ossibus Italiã missum fuisse retulimus, corpus beati Venantii martyris, in territorio Ariminensis vrbis inuentũ, sustulit, & in Franciam redire festinauit: Ac primo quidẽ propter metum incolarum, illud occulte ferebat, deinde vero postquam Alpium iuga transiit, & in fines Baioariorum peruenit, iam securior effectus, feretro impositum, confluentibus vndiq, populorum turbis, & excelsa Deũ

Solenhoff ad marginẽ erat notatum. voce laudantibus, detulit in cellam, quę vocatur Suolenhus, sitam in regione Sualauel dominorum, & ad Australem plagam altaris ecclesiæ in feretro, sicut allatum erat, honorifice posuit. Erat autẽ eo tempore prępositus cel-

Santharatus. læ illius ex fratribus nostris, nomine Santharatus: qui statim misso nuntio omnem rei gestæ ordinem mandauit Abbati, rogans sibi renuntiari, vtrũ sanctas illas reliquias in eo loco, vbi tunc erant, permanere voluisset: an sibi ad monasterium transferri. Omnes enim populi regionis illius id petebant, idq; summis votis optabant, vt corpus sancti Martyris ibi habere mererentur, cuius opem in diuersis infirmitatum sanitatibus cotidie sentiebat. Abbas vero cum audisset, mox de suis duos monachos presbyteros misit ad prædictum fratrem, præcipiens eis, quanta potuissent celeritate, sanctas illas reliquias sibi adferrẽt. Erat enim iam tunc per omnes pene regiones illas celebre nomen sancti Venantii martyris, propter virtutes & miracula, quæ Christus, Dominus & rex Martyrum, per [illegible] dignatus est. De quibus, quæ facta sunt in eodẽ loco, priusquam venirent, qui ab abbate missi fuerant, [illegible] arbitror esse perstringenda. Nam cũ adhuc feretrum cum sacris ossibus iuxta altare esset positum, quædam femina de ipso pago, quæ ante sex annos oculorum lumen amiserat, rogauit, se illuc adduci, credens sibi per merita & orationes sancti Venantii Dominum propitiari: cumque perducta esset, & ante feretrum prostrata suppliciter orasset, visum recepit. Post hæc altera mulier filium suum sexennem, ex vtero claudum, ante reliquias sancti Martyris posuit, & expleta laude vespertina, cœteris ad sua regressis, ipsa cum puero pernoctauit, mane autem facto, sublatum adhuc sicut fuerat, debilem domum reportans, in lectulũ posuit: cellariumq; suum, vt puero panem daret, intrauit, a quo cum fuisset egressa, filiũ suum, quem claudum in lecto reliquit, cum aliis eiusdem loci pueris in platea ludentem repperit, ita sanum, vt nec signum aliquod in eo pristinæ debilitatis remaneret. In quo liquido ostenditur, quod suffragantibus meritis sancti Venantii puer ille sanatus sit per virtu-

Ioan. 4 Matth. 8 tem eius, qui & filiũ Reguli, & puerũ centurionis verbo [illegible] & in omni loco pręsentia suę maiestatis, quęcũq; [illegible] facillime potest efficere, Iesus Christus, saluator noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen. Hæc [illegible] duo miracula, quæ modo retuli, ab eis, qui præsentes erant, & ea se vidisse testati sunt, didici: cætera vero, quæ scripturus sum, ipse coram positus vidi, quia ex eis, qui ad perferendos sacros cineres missi fuerant, vnus eram. Igitur cum venissemus ad locum, quem *Suolenhus* vocari supra diximus, paratis celeriter omnib*, quæ ad deuectionem sanctarum reliquiarum necessaria videbantur, prima luce post completum matutinum officium celebratis ex more missarum solemniis, cum ingenti luctu ac mærore eorum, qui ibidem erant [illegible], sanctum illum thesaurum sustulimus, atque iter ingressi portare cœpimus. Erat enim cœlum graue, nubib. obscurissimis, & quæ cito in ingentem pluuiam resolui possent, nisi id virtus diuina [illegible] prohiberet. Nam tota nocte illa, sine intermissione pluebat, ita vt nobis iter illud ea die inchoari posse, minime videretur: sed superna gratia per merita sancti sui id quod timebatur, longe aliter esse fecit. Nam vt pergere cępimus, mox dissipatis nubibus, cœli serenitas venit, & per viam luti parum inuentum est. Riui quoq, qui in tam magna & iugi pluuia, vt ea nocte erat, crescere solebant, pede nihil creuisse reperti sunt. Pergentes autem per singulas villas, obuiis populorũ turbis excipiebamur, qui nos in dicendis laudibus diuinis, & in sacro onere ferendo, non segniter adiuuabant, donec veniremus in locum qui vocatur *Holzkirchа*, situm in Alamannia: vbi congregata maxima multitudine promiscui sexus & ætatis cum ingenti lætitia suscepti sumus. Erat autem ibi oratorium non grande, quod intrare ac feretrum inferre volentes, præ multitudine turbarum, quæ præibant, & quæ sequebantur, minime potuimus, ac per hoc sub dio, in loco æditiore altari erecto, ac feretro iuxta illud posito, rursus missarum solemnia celebrauimus: vbi inter celebrandum duæ mulieres spiritibus immundis obsessæ vexari cœperunt, & mox per virtutem Christi, ac merita sancti Venantii, fugatis dæmonibus, integerrimam mentis & corporis meruerunt recipere sanitatem. Expleta autem missarum celebratione, cum populus ad sua reuertisset; oratorium, quod vicinum erat, sanctos cineres intulimus, ac feretrum pone altare posuimus, ordinatis, qui ibi excubias ducerent, atque diuinis laudibus dicendis operam darent, ipsi nos in hospitium recepimus. In ipsa autem nocte, cum ad nocturnas vigilias diuinæ laudes dicerentur, quędam mulier muta, per merita sancti Martyris, soluto linguæ vinculo, loquelam recepit; Nec multo post altera mulier spiritu immundo possessa, & brachium habens aridum, per orationes sancti martyris eiecto dæmonio ita perfecte corpore & mente sanata est, vt die crastina feretrum cum cœteris ipsa portaret. Mane autem facto cum missarum solemnia agerentur, quædam mulier, quæ tribus semis annis cęca fuerat, visum recepit. Et altera dextram manum habens debilem, per merita sancti consecuta est integram sanitatem. Cum autẽ inde promouere parassemus, & in ipso profectionis nostræ articulo solemniter à sacerdote diceretur Oratio: vnus ex clericis, qui nobiscum erant, nomine *Otbert*, cui suscipiendorũ munerum, quæ à populo offerebantur, cura commissa fuerat, partem quandam allatæ pecuniæ * furatus, subito cecidit, & in conspectu totius multitudinis, quę innumerabilis vndiq; confluxerat, spiritui traditus immũdo vexari cæpit, & eousq; à dęmonio possessus est, donec a circumstantibus allata pecunia, quã in zona absconderat, per merita & orationes sancti Dei Martyris tam perfecte curatus est, vt ab eodẽ loco incolumis cum laude Dei, ac publica sceleris sui confessione feretrum comitaretur, donec loco suo sanctæ reliquiæ conderentur. Neq; enim prius aliquid huiuscemodi insaniæ ab infantia, vsque ad tempus illud, in eo auditum aut visum est, sed nec postea, quamdiu vixit, potestas in eum data est inimico. Igitur inde profecti venimus in villam, quæ vocatur *Trubtinmutiga*: vbi iuxta sacros cineres in ecclesia positos, quatuor mulieres in ipsa nocte ab immundis spiritibus liberatæ sunt. * al. fraudatus.

Nec prætereundum arbitror esse miraculum, quod merito huic [illegible] Dei adscribitur. Ante enim quam ad prædictam villam ventum esset, quædam

matr[illegible]-

matrona ... audito, quod per regionem illam sancti Dei reliquiæ veherentur, erat enim in via ad alium quendam locum, volens recto, quo tendebat, itinere, obuiam nobis properauit, fibulamque suam auream, quam lingua Francorum *Spangam* vocant, in ipso transitu perdiderat: quam cum diu cum omni comitatu suo, quia erat non modicum, quæreret, & minime reperiret, cœptum iter carpebat dicens: *Si domino nostro Iesu Christo placet, cuius sancti famuli reliquiis supplex occurro, fibula, quam perdidi, facile est, vt a quolibet inuenta mihi restituatur.* Venit ergo, & adoratis reliquiis, oblatisque muneribus cum rediret, occurrit ei quidam homo ignotus, eandem fibulam præ se ferens in manu: quam cum illa suam fore dixisset: *recipe*, inquit, *quia per orationes sancti, cuius reliquias veneraris, reddita est tibi.* Atque ita mulier accepto, quod suum erat, itinere suo pergebat, laudans & benedicens Deum. Altera autem die, celebratis primo mane missarum solemniis, cum sanctis cineribus iter ingressi, venimus in locum, qui vocatur *Haffarroda*; in quo monasterium est monachorum; qui egressi cum crucibus & capsis, sanctorum reliquiis continentibus, diuinas laudes concinentes, ex illa parte fluminis aduentum nostrum expectabant: Nos vero cum venissemus ad pontem fluminis, propter multitudinem, quæ ab Alamannia nobiscum venerat, & iam redire volebat, vt orandi locum haberet, parumper constitimus. In quo loco ex accolis regionis illius non minima pars populi e diuerso nobis occurrit, inter quos fœmina quæ iam vellus lanæ ferens cum manum ad feretrum, muneris oblatura, extenderet, lana, quam tenebat, velut fumus, euanuit. Quod cum vidisset illa, pauens ac tremens cœpit quærere presbyterum, cui peccatorum suorum confessionem daret, consiliumque suæ salutis acciperet. Interrogata autem, si lana, quæ de manibus eius euanuit, esset furtiua, confessa est, non a se furatam, sed a quadam socia sua sibi fuisse donatam: cumque res diligenti inquisitione vestigaretur: inuentum est, quod ouis, a qua vellus illud sumptum est, proprio possessori erat fraude sublata. Ibi quidem turba illa, quæ nos, vt diximus, ab Alamannia prosecuta est, adoratis atque osculatis sacris reliquiis, domum reuersa est. Monachi vero, qui nos in altera fluminis ripa operiebantur, & alia multitudo, quæ nobis ibi occurrit, comitati sunt nos diuinis laudibus vsque ad eum locum, in quo simili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. Quæ cum similiter, vt prior, facta oratione, ad sua reuersa est. Hoc modo per singulos dies a mane vsq; ad vesperam comitantibus nos, & Kyrieleison cantantibus populorum turbis, cum ingenti gaudio gradiebamur.

Cum autem adpropinquassemus villæ, quæ vocatur *Hamaluuburg*, sita super fluuium nomine Sala: quæ fuit quondam fiscus regius, donec ex largitate Pipini regis Francorum, partibus sancti Bonifacij martyris, solemni donatione collata est; occurrerunt nobis cum cereis & crucibus fratres nostri, qui habitabant in cella, quæ ob hoc, quod ab eo quondam est habitata, *Bangolfi* vocatur: & cum eis magna multitudo virorum ac mulierum ex diuersis locis vndique confluentium. Inter quos erat claudus quidam, de ipsa villa, quam supra nominaui; qui propter crurum ac pedum suorum imbecillitatem, duobus se baculis ad incedendum sustentabat: is cum nobis paululum consistentibus, populus, qui occurrit, sacras reliquias adoraret, in conspectu multitudinis, per merita sancti martyris, tam perfecte curatus est, vt vltra in ambulando baculorum amminiculo non egeret. Cum autem, pergentibus nobis, & sacrum onus ferentibus, ventum esset ad fluuium; inuenimus Abbatem nostrum cum sacerdotibus, ac monachis, & magna multitudine hominum in altera ripa fluminis aduentum nostrum expectantem. Erat quidem ibi transitui nostro nauis parata, sed non in apto loco ad terram subducta; idcirco præceptum est nautis, vt eam nobis obuiam ducerent: qui longe sursum ab eo loco ad littus venimus: illis vero festinantibus, vt iussa explerent: cum funem soluissent, & in nauem descendere parassent; subito e manibus eorum lapsa in amnem, vt quadam inuisibili contra impetum fluminis actu ferebatur, donec ad locũ, quo sacrum onus susceptura erat, littori applicita peruenit. Transpositis autem reliquiis, & in prato adiacente missarum solemniis propter multitudinem sub dio celebratis, cum in oratorium, quod in villa erat, feretrum cum sacris cineribus posuissemus: Mulier quædam neruorum contractione ita curuata, vt penitus ad videndum cœlum se erigere non posset: cunctis, qui aderant, videntibus, coram sancti Dei reliquiis ab incommodo, quo iam per multos annos laborabat, in momento temporis virtute diuina liberata est. Postera die inde profecti, venimus in locum, vocabulo *Lihtolfesbah* qui est in saltu Boconia 4. leucis distans à Vuldensi cœnobio: vbi suscepti ab accolis illius, quorum magna multitudo obuiam venerat; cum in oratorio feretrum posuissemus, quædam mulier paupercula filium suum sexennem, à natiuitate surdum, & mutum, in vlnis ferens, ante sancti reliquias posuit, ibique pernoctans, die crastina, vt populi dicebant, audientem & loquentem reportauit: Nos vero completis matutinorum laudibus, missarumque solemniis rite peractis, cum populis diuinas laudes concinentibus, iter ingressi, cum venissemus ad conspectum monasterii, ecce abbas noster, qui nos pridie præcessit, ad ordinandam susceptionem sanctarum reliquiarum, obuiam venit, & cum eo omnis multitudo fratrum nostrorum, exceptis, quos vel ætas, vel infirmitas exire prohibuit, cum crucibus & cereis, portantes in loculis ossa beatorum martyrum, Vrbani & Quirini, quæ de Roma nuper allata supra memoraui.

Erat etiam cum eis, & Reginbaldus chorepiscopus, & infinita hominum multitudo, qui propter eiusdem festiuitatis honores: quæ tunc Idibus Maij mensis de diuersis locis ad monasterium conuenerant: cumque suppliciter adorassent cum summa veneratione, susceptum corpus beati Venantii martyris, ecclesiam sancti Ioannis Baptistę, quę distat, vt præfatus sum, à monasterio quasi stadiis nouem, cum hymnis, & laudibus intulerunt. Quod Reginbaldus chorepiscopus, facta oratione in absida Ecclesiæ ad orientem altaris in arca saxea recondidit, cineresque sanctorum martyrum, Vrbani & Quirini, pariter adposuit, singulos seorsum, in singulis loculis inclusos vbi, orationibus eorum fideliter Deum deprecantibus, beneficia præstantur vsque in præsentem diem, ad laudem & gloriam domini nostri Iesu Christi. Qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat, Deus per omnia secula seculorum. Abbas vero desuper ligneum erexit ædificium, quod ex auro & argento decenter ornauit, scriptis in circuitu metricis versibus, gestæ rei causam declarantibus, hoc modo:

Præcursor Domini, Christum qui tinxerat vndis,
Hanc aulam inhabitas sanctificatque domum,
Quatuor hancq; viri, Christi magnalia scriptis
Qui iam expresserunt, esse colunt pariter.
Sed homines sancti valde, & sacro ordine clari,
Non minus exaltant nobilitantq; locum,
Quos huc diuersis duxit ex partibus Orbis,
Seruorum Domini strenuus actus amor:
Vrbanum Roma, Quirinum ... *misit,*
Quos pie suscipiens continet iste locus,
Insignis præsul sanctus Venantius, atque
De Arimino veniens hic simul ipse manet.
Hos quoq; susceptos Hrabanus hic sic collocauit,
Sacrosagio hoc digne edidit & titulum,
Deposcens omnes, templum qui gressibus intrans,
Ipsum vt commendent iste Deo precibus.

Post hæc allatæ sunt reliquiæ sanctorum episcoporum, Cornelij atque Calixti, & sanctorum martyrum, Agapiti, Georgii, Vincentii & Maximi. Sanctarum quoque virginum, Ceciliæ & Eugeniæ, Dignæ & Emeritæ, atque Columbanæ. Attulit autem eas quidam Clericus Italicus, nomine Fœlix, Anno ab incarnatione Domini DCCCXXXVIII. die quarto mensis Aprilis. Post cuius reditũ, non multis diebus interpositis: Theodorus frater Dei seruus, cuius supra mentio facta est, cũ quodã socio suo,

al. Hamelburg.

al. Lichtersbach

suo, Sebbatino, ab vrbe Roma profectus, Alamanniam venit & , sicut dudum promiserat abbati, sanctorum reliquias secum detulit: Ossa videlicet beati Quirini, qui in Siscia, Pannoniarum oppido, quondam episcopus erat, & temporibus Diocletiani imperatoris sub Amantio præside inter multas, quas pro Christi nomine pertulit, passiones, ligata ad collum mola, in flumen præcipitatus est. Cumque diutissime super vndas nataret, cum spectantibus * allocutus est, ne suo terrerentur exemplo, & oratione a Domino, vt mergeretur, obtinuit. Cuius corpus inuentum, & à fidelibus honorifice sepultum est 2. Non. Iunii. Incursione autem barbarorum in partes factas Pannoniæ; populus Christianus, accepto corpore beati Quirini Martyris, Romam fugit, & sacras reliquias via Appia, tertio miliario ab vrbe, in ecclesia Apostolorum, Petri & Pauli, aliquandiu iacuerunt, sepelitur in loco, qui dicitur *Catacumbas*. Detulit etiam & reliquias Vrbani papæ & confessoris, cuius doctrina suo tempore multi coronati sunt Martyrio: Ossa quoque sanctæ Ceciliæ virginis, quæ sponsum suum, fratremque eius Christo lucrata martyres fecit; & ipsa deinde martyrizata, ignem quidem superans, sed ferro occisa, sub Almachio vrbis præfecto: Necnon & ossa sanctorum, Tiburtii & Valeriani atque Maximi. Quorum primi quidem sub prædicto Almachio, vrbis præfecto, fustibus cæsi & gladio sunt percussi: vltimus vero tamdiu plumbatis verberatus est, donec redderet spiritum. Attulit quoque ossa sanctorum, Agapiti, Ianuarii, & Magni, diaconorum beati Sixti papæ: qui vna cum eo sub Decio decollati sunt sicut in gestis pontificalibus legitur. Zenonis quoque diaconi & Ypoliti martyris ossa, qui tempore Decii Imperatoris ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, & per carduetum tractus, emisit spiritum; Aquilæ etiam atq; Priscillę vt Actus Apostolorum restantur, quondam comitum Pauli, sacrosanctas reliquias detulit.

De quibus, per viam, qua ferebantur, magnum atque inauditum contigit miraculum. vero etenim cruore visæ sunt maduisse: nam tantus humor sanguinei coloris de loculo, in quo conditæ fuerant, distillauit, vt vestes quoque portantium inficeret, mentesque spectantium rei nouitate percelleret. Igitur cum venissent, suscepit eos Santhratus frater noster, quem cellę Suolonis præpositum fuisse supra diximus: & aduentum quidem eorum cum celeritate nunciare curauit abbati. reliquias vero in loco, qui vocatur *Holzkyrcha*, honorifice collocauit, sabbato sancto Pentecostes 1. Kal. Iunii. Conuenit autem illuc multitudo magna virorum ac mulierum: inter quos adducta est puella quædam duodennis, [illegible] cæca & brachiis cruribusque contracta, quæ per merita & orationes, in ipsis vigiliis, & sanitatem membrorum & visum recepit oculorum. Inde post dies 8. mulier quædam cæca visum recepit. & homini cuidam, a natiuitate muto, ad loquendum lingua restituta est. Post hæc, die tertia, quædam mulier, quæ tribus continuis annis nihil * videns, per merita sanctorum lumen recipere meruit. Et sequenti die alterius mulieris manus contracta, pristinæ restituta est sanitati. [illegible] dum talia apud reliquias sanctorum diuinitus agerentur, venerunt, qui ab abbate missi fuerunt ex monachis nostris presbyteri tres; quorum vnus vocabatur [illegible], alter *Oedeitus* dicebatur; tertius autem [illegible] erat, idem qui [illegible] tecum [illegible] translatione reliquiarum beati martyris Alexandri: Qui secundum mandatum, quod habebant, accepti sanctorum ossibus, quæ allata fuerant, cum honore & reuerentia ferre cœperunt. Comitata est autem eos multitudo magna virorum ac mulierum psallentium, & diuinas laudes gratulabunda voce canentium. De pagis quoque & de villis certatim populi confluxerunt, adducentes secum spiritibus immundis obsessos, & diuersis infirmitatum generibus afflictos; credentes per merita & [illegible] sanctorum, desideratam recipere sanitatem. Inter quos adducta est mulier dæmoniaca, nomine *Hruoduuint*. [illegible] at enim [illegible] potestate sancti Kyliani martyris, habitans in villa, quæ vocatur *Asibah*. Mox igitur vt peruenit ad conspectum loci, quo Sanctorum reliquiæ ferebantur, attrectata [illegible] spiritu diu multumque torquebatur, donec per Dei gratiam in conspectu multitudinis eam perfecte curata est, vt deinceps incolumis, & sanæ mentis, in Dei laudibus perseueraret, quæ prius frequenter huiusmodi [illegible] modo laborare solebat.

Hoc quidem gestum est sexta feria 14. kalendarum Augustarum. Abbas vero circa honorem sanctorum magnam gerens solicitudinem, me & quosdam ex fratribus obuiam misit [illegible], vt ossa Sanctorum martyrum, Ianuarii & Magni, deferrentur in monasteriolo, quod vocatur [illegible], situm in prouincia Vualdsaze: cæterorum vero sanctorum reliquiæ ad [illegible] ducerentur. Occurrimus autem eis in villa, quæ dicitur *Bro[illegible]fes[illegible]eim*, vbi in Dei laudibus pernoctantes, & excubias ducentes; altera die, quæ erat dominica, ad Holzkyrcham cum sanctis corporibus peruenimus: positoque in Ecclesia iuxta altare feretro, cum sacra missarum solemnia celebrarentur: Mulier quædam à dæmonio curata est. Nam cum misera [illegible] in conspectu populi cruciaretur; musca nigerrima, & [illegible] magnitudinis, ab ore eius visa est [illegible]: post cuius egressum, recepta mentis sanitate, curata est.

Sequenti autem die, dimissis ibi, vt præceptum erat, ossibus sanctorum martyrum, Ianuarii & Magni: atque in loculo, sicut allata fuerant, pone altare venerabiliter positis, cum cæteris [illegible] reliquiis profecti sumus prosequentibus nos fratribus & magna multitudine hominum regionis illius. Vnde que etiam ducebantur infirmi, & variis passionibus affecti; inter quos puella quædam, nomine [illegible], in ipso itinere, quo gradiebamur, arrepta a dæmonio currit, & mortuum feretrum apprehendens, mox sanæ mentis effecta est; acceptoque sanctæ crucis vexillo, gaudens & laudans Deum, sanctorum [illegible] præcedebat. Cumque venissemus ad Mœnum fluuium, [illegible] de monasterio, quod vocatur *Zelinga*, cum ciuibus & cæteris egressæ, nos susceperunt, ingressique cum sacro onere Ecclesiam, v populus, qui nobiscum venerat, etiam tunc reuerti volebat, locum haberet orandi, ac vota soluendi. Sexta hora diei solemnia celebrauimus, quibus expletis cum omni illa multitudine venimus ad nauem. Erat etiam ex aduerso in altera ripa fluminis turba non modica, aduentum nostrum opperiens. Vbi autem cum sacris ossibus nauem ascendimus [illegible] ancilla quædam Mahthildæ abbatissę monasterii [illegible], nomine *Lio[illegible]*, morbo contracta veluti [illegible] & [illegible] adhæserat, vt ad videndum cœlum nequaquam se erigere valeret, veniens repens pedibus, manibus scabellis innixis: cumque nauem vellet ascendere, nec posset: vnus ex nostris fratribus, [illegible] eleuatam posuit in nauem [illegible] & in littus alterum cum sacris ossibus [illegible] modum per virtutem Dei & [illegible], mulier ita curata est, vt sine cuiuspiam adiutorio se erigeret, ac scabellis quibus cæteris innitebatur, [illegible] feretri tangeret. Stabat enim adhuc [illegible] multitudo promiscui sexus, & ætatis ex vtraque parte fluminis, inter quos erat Regi[illegible] quidam presbyter Humberti episcopi qui [illegible] mulierem [illegible] populis in [illegible] laude clamantibus, [illegible] gesto miraculo [illegible] mulieris [illegible] laudatores. Sed & domina illius attestata est, ex multis annis eo morbo contractam illam & [illegible], vsque ad id temporis perseuerasse, quo per Dei gratiam & sanctorum eius orationes ab eiusmodi incommodo liberata est. Inde profecti cum diuino adiutorio die tertii: hoc est, 8. Kalend. Augusti, ad monasterium peruenimus. E [illegible] autem fratres cum [illegible] atque crucis, occurrunt nobis in [illegible] montis, qui vocatur *Hurodles be vere*. Turba autem non modica ex accolis eremi, partim quidem [illegible]: partim vero obuiam veniens illuc [illegible] substitimus paululum, vt con-

Marginal notes: [illegible] lo- [illegible] (beside "allocutus est"); S. Ama-chio. (beside "sub Almachio"); S. Alma-chio. (beside "sub prædicto Almachio"); Act. 18. (beside "Aquilæ etiam atq; Priscillę"); * for. vide-ba: (beside "nihil * videns"); al. scami-ns. (beside "scabellis")

[illegible] dicere [illegible], mulier quædam, [illegible] annis [illegible], & [illegible], clinica, [illegible] cumque [illegible] pedibus fere [illegible], [illegible] gaudens & laudans Deum, remeauit ad propria. [illegible] vero suscepta sanctorum reliquias, [illegible] & [illegible] in ecclesia beati Bonifacii martyris [illegible] runt, positasque [illegible], super altare beatorum Apostolorum, die noctuque congrua veneratione frequentabantur. His ita gestis, cum dies [illegible] quanti transissent, vir venerabilis, Hrabanus abbas, Humbertum Wirzibungensis Ecclesiæ episcopum inuitauit ad monasterium, quod *Holzkirchha* vocatur [illegible] dictum est: & quia ad eius diœcesim locus pertinebat, cum illius auctoritate ossa sanctorum martyrum, Ianuarii & Magni, venerabiliter ibi in arca saxea ad orientem altaris collocauit, 8. Kal. Nou. Super quam ligneum ingens ædificium, auri argentique metallo pulchra varietate decorauit: scriptis in circuitu metricis versibus, literis deauratis, hoc modo:

Ecce viros istos, præclaros valde patronos,
Roma, [illegible] vrbis, miserat huc pariter:
Quosque Hrabanus humilis susceperat abbas,
Præsule cum Humberto [illegible] & hic
Hic Magnus pausat, martyr Ianuarius, atque
Officio insignes, atque sacro meritu,
Qui cum pontifice Christo mucrone perempti
Leuitæ, cœli reddiderant animas.

Igitur ex eo tempore, quo eorū sacræ reliquiæ ibi conditæ sunt, diuina vsque hodie populis præbentur beneficia. Per orationes enim & merita eorum, debiles & infirmi curantur, & ab obsessis corporibus dæmones effugantur, ac desiderata fideliter orantibus vota præstantur. Ex quibus pauca miracula, quæ ab his, qui præsentes erant, & ea se vidisse testati sunt, ad meam notitiam literis denotata breuiter intimare curaui. Villa [illegible] ab eo monasterio passibus mille, stans ad meridiem, nomine *[illegible]benhus*, ex qua mulier quædam, nomine *Adalburg* cum se disset ad mensam vna cum marito suo, vt cibum caperet, subita contractione neruorum ita deriguit, vt vnguibus in palmam defixis nequaquam digitum a digito potuisset explicare. Quod cernens eius maritus, quanta potuit celeritate, prædictum ad monasterium, presbyteris & fratribus loci illius præsentauit, supplicans, vt pro sanitate illius diuinam clementiam precarentur. Ducta est igitur ad memoriam martyrum, fratribusque vespertinum celebrantibus officium, & illa contra altare [illegible] & orante, dextera ei manus restituta est: altera autem die, circa horam tertiam, recepta etiam sinistra manus sanitate, cum gaudio remeauit ad propria.

Altera quoque villa est non [illegible] longe à monasterio, nomine *Hohb[illegible]*, in qua puella quædam, cum staret ad textrinum [illegible] manibus [illegible] contractis, [illegible] cumque per [illegible] actres [illegible], & vociferans, [illegible] sanctam Gerdru[illegible] nomina proclamab[illegible] ad [illegible]. [illegible] de cœlis [illegible] sanationem [illegible] Magni [illegible] prædictos sanctos [illegible], & [illegible] locum, vbi [illegible] quiescunt, nominatim [illegible]. Quo cum fuisset [illegible] eadem [illegible] denarios super [illegible], dextera [illegible] munere [illegible], quod cum [illegible] orationes sanctorum, in vno [illegible] denarii super altare ceciderunt, & puellæ integra [illegible] ac manus sanitas restituta est. Erat etiam [illegible] temporibus mulier quædam in villa, quæ dicitur *[illegible]labah* distans à monasterio Leucis 12. quæ per 10. annos continua immundi spiritus vexatione laborabat. Hanc parentes sui plena fide perduxerunt ad memoriam sanctorum martyrum, stante Eburhardo presbytero iuxta altare, ac missas celebrante [illegible] fuisset oratum, [illegible] quid [illegible] im euomuit, [illegible] curata, & sanæ mentis est [illegible], [illegible] confessione, gaudens [illegible] laudans Deum [illegible] est ad domum suam.

V[illegible] quidam [illegible], *Freunerun* nomine, de [illegible], quæ vocatur *Bern[illegible]*; cuius ancilla, vocabulo *Gerrad*, febrio obn[illegible], ac per [illegible] dies mutus per [illegible], octauo [illegible] die ad memoriam martyrum adducta, per merita eorum pristinæ restituta est sanitati. Nam cum in Ecclesia publicum missarum ageretur solemnia, & [illegible] Euangelii, stantibus [illegible] matrem [illegible] & [illegible] ntia, illa repente quasi [illegible] quadam [illegible] recepit vocem, &, *Kyrieleison*, cum omni populo [illegible] unt, ac [illegible] per virtutem Dei & merita sanctorum [illegible], recepta locutione, domum reuersa est.

Dies erat natalicius sanctorum martyrum Ianuarii & Magni: præceptum est omnibus, ad eius monasterium pertinentibus [illegible] mulieribus, [illegible] die a rurali ac terrili opere vacarent, diemque festum ducerent. Contigit in villa quadam, quæ [illegible] habitabatur, vt vnus eorum, [illegible] honorem sanctorum, cum suis exiret in agrum, *metensque segetem & messam congregaret in aceruos, cæteris sollemnes festas celebrantibus. Interea igitur aer densissimus creuit in nubes, & tempestas sæua exorta est, fulgura vndique vehementer vndique terebantur, coruscationes quoque valde terribiles & fulgora discurrentia, horrorem nimium mortalibus ingerebant: factumque grande miraculum Domino discernente [illegible] venerantes, & festa sanctorum eius contemnentes. Omnes enim aceruos frugum, quos inscii ille ea die messor congesserat, cœlesti igne consumpti sunt, cæteris, quos vel ipse, vel conciues eius pridie messuerant, illæsis permanentibus, tantusque timor ex hoc omnes perculit in circuitu, vt deinceps festa sanctorū summa colerent [illegible]. Contigit etiam in die sollemnitatis, vt puella quædam de villa Munbrunnon, nomine *Salina*, filia Bernalahi, de cotidiana vexatione maligni spiritus tam perfecte sanaretur, vt ab ea die nequam spiritus nunquam eam inuaderet. Talibus quidem miraculis, & aliis innumerabilibus, quæ, breuitati studentes, omittimus, Dominus noster Iesus Christus declarare dignatus est merita sanctorum suorum, Ianuarii & Magni, quorum ossa ordine supradicto translata & condita esse constat. Cætera vero corpora sanctorum, quæ vel eodem, quo [illegible], vel alio tempore adducta sunt, quo translata, & condita sunt, iuxta fidem gestorum declarabo. Locus est à monasterio Fuldensi decem & octo amplius leucis distans, ad Boream, nomine *Rathesthorph*, à monachis quidem habitatus, sed ad præfatum monasterium eo tempore ad Rabanum abbatem pertinentibus, in quo pulchram & diuersis officiis congruentem nouiter construxit Ecclesiam: quam picturis & diuersorum varietate metallorum decenter ornauit, altaribus & crucibus ex auro argentoque paratis, [illegible] que diuersi generis, quæ diuinus cultus exposcit, congruenter [illegible]. In qua cum authoritate Hunberti, qui [illegible] præsul [illegible] illic vice sua [illegible], ossa beati [illegible], & sanctorum martyrum, Tiburtii & Valeriani, [illegible] in sacro [illegible] post altare posuit, singulorum [illegible] in locum [illegible] conditum, & [illegible] super, vt ei [illegible], ligneum tumbam auro [illegible], & argento: [illegible] quoque [illegible] ter [illegible] decl[illegible] merito carmine compositum, [illegible] auratis in circuitu conscripsit, in hunc modum:

Post quam [illegible] Christus [illegible] astra [illegible]
[illegible]
Seruos [illegible], [illegible] ledes,
Qui verbo & facto [illegible] darat
Inter quos isti, quorum [illegible] membra quiescunt,
Virtutum titulo [illegible]
Hi pompam mundi [illegible]
Martyrii palmam, [illegible]
Germani ecce duo hic pausant, [illegible] beata
Lucrata est Christo [illegible]

*fort. ma-teret.

Valerianus alter vnus, Tiburtius alter,
Nomine praeclarus, clarior & meritis:
Has tres personas, Romana ex arce meantes,
Suscepit Hraban, Christe, tuus famulus,
Patronosque sibi exoptans fieri, arte magistra
Ornauit tumulum, condidit & titulum.

Ædificauit etiam Ecclesiam valde cõspicuam in monte excelso, 12. fere stadiis ad orientem, à suo monasterio distantem. Quam cum ex præcepto Otgarii Archiepiscopi per Reginbaldum chorepiscopum eius in honorem beatorum Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum atq; virginum, omniumq; sanctorum spirituum cœlestium fecisset consecrari, intulit in eam ossa sanctæ Fœlicitatis, matris 7. filiorum martyrum, & sanctæ Concordiæ: sanctarum quoque virginum, Basillæ Emmerentianæ, Candidæ & Eutropiæ. Quibus addidit ossa ac vestimenta sanctorum, Aquilæ & Priscillæ, 4. Kalend. Octobr. erectamque desuper, sicut & in cæteris fecerat, ligneam fabricam, auro argentoque decorauit, scriptis ex vtraque parte versibus, qui gestæ rei ordinem declararent, hoc modo:

Hic locus recte tenet sanctorum condita rite
Ossa, simul memorans, & pia facta colit.
Mater Fœlicitas, sancta & Concordia, nutrix
Hippolyti: hic pausant Candida & Eutropia.
Pauli namque hospes Aquila hic, & Prisca quiescunt,
Eugenia hic virgo atque Basilla manent.
Virginis Agnetis hic conlactanea sistit,
Nempe Emerentiana martyr & ipsa sacra.

Transtulit quoque eadem die ossa beatæ Leubæ virginis, cuius vitam atque gesta breui dudum libello comprehendi, & posuit ea in crypta eiusdem Ecclesiæ post altare, in honorem sanctæ Dei Genitricis, sanctarumque virginum Christi dedicatum, in arca saxea, quam etiam ligno circumdatam, auri argentique metallo decenter ornauit. Sequenti autem die per manum prædicti chorepiscopi collocauit reliquias sanctorum episcoporum, Cornelii, Calixti, Sixti, Sinitii, Nichasii & Fœlicis. Stactei quoque & Pamphili presbyterorum, & sanctorum martyrum, Crispini & Crispiniani, Nerei & Achillei, Sebastiani quoque, Castuli, & Romani Pappiæ & Mauri, atque Valeriani: Sanctarumque virginum, Ceciliæ, Eugeniæ atq; Anastasiæ martyrum Christi, in Ecclesia beati Bonifacii martyris; in loco, quo prius sanctum corpus illius quiescebat. Ædificauit enim ibi turrem lapideam post altare, in cuius turris summitate media condidit prædictorum ossa sanctorum, arca saxea diligenter inclusa, super quam culmen columnis quatuor sustentatum erigens, auro ornauit & argento. Intra quod arcam oblongam quadrangulo schemate factam posuit, quam etiam auro & argento, atque lapidibus ornans, singulorum sanctorum imaginibus decenter expressis decorauit, versusque quasi ex persona eiusdem arcę prolatos in circuitu conscripsit, hoc modo:

Nomine quos noto, locus hic & imagine signat,
Praeclaros Christi ecce Dei famulos,
Qui corde impauido rubuerunt sanguine sacro,
Pro Christo iam animas exposuere suas.

Sed & in turre subiecta versus conscripsit; quatuor quidem in vno latere: & quatuor in altero, elegiaco carmine, hoc modo compositos:

Martyribus Christi, quorum hic ossa quiescunt,
Hrabanus humilis condidit hunc titulum.
Horum tu, Lector, si noscere nomina curas,
Arca superposita pandit & ipsa tibi.
Roma decus mundi, lumen rerum, summa potestas;
Hos iam lectores pontificesque habuit.
Cum quibus hic pausant remotis de partibus orbis
Virtute clari, Christe, tui famuli.

In reliquis vero duobus lateribus, alcleadeo carmine hos versus conscripsit:

Fœlices nimium atque beati,
Quos rex Christus ouans arce superna
Sanctis pro meritis collocat astris,
Vitam perpetuam reddit & illis.
Qui templum Domini gressibus intrant,
Hos nunc ammoneo, corde benigno,
Christum suppliciter vt precepcant,
Quod cum martyribus sidera praestet.

Aliorum autem sanctorum reliquias de diuersis partibus orbis plurimas congregauit, atque in oratoriis, quæ tempore sui regiminis numero 30. construxerat, & ab episcopis, in quorum diœcesi fuerant, dedicari fecerat, honorifice collocauit. De quorum locis, & consecrationum auctoribus, atque temporibus, sanctorumque nominibus, quorum sibi illustrantur, si vita comes, & diuinus fauor affuerit, locis opportunis, scire volentibus, declarabo. Cum igitur vir ille venerabilis monasterium sibi commissum per annos 20. nobiliter rexisset, deposito curæ pastoralis pondere, ad Ecclesiam, quam ad orientem monasterii sancti Petri in monte constructam esse supra dixi, se contulit: ibique manens, ac Deo seruiens, cœlesti philosophiæ vacabat. Erat enim in scripturis à pueritia valde studiosus, & secundum donum sibi cœlitus datum, lectionem diuinorum librorum plurimum adamauit, atque in his sæpius meditatus est, vnde etiam hortatu fratrum suorum, atque amicorum, adgressus est scribere expositiones librorum diuinorum, tam veteris quam Noui Testamenti. Nam, vt ipse testatus est, primum scripsit anno ætatis suæ circiter trigesimo in laudem sanctæ crucis duos libellos: hoc est, vnum metrico stylo, cum figuris mysticis; quæ in diuinis libris longe ante prænotatæ sunt: vt in his manifestaretur Christi passio & redemptio nostra, in figura sanctæ crucis esse prænunciata. In quo etiam soluta oratione subiecta est vniuscuiusque figuræ explanatio, & sic vigintiocto, excepta superliminari pagina, videntur in ea contineri figuræ, simul cum expositionibus suis. Sequentem autem libellum ideo conficiendum putauit, quem etiam in vigintiocto capitulis breuiauit, vt locutionem metri prioris libelli in eo lucidiorem faceret. Posthæc scripsit ad Herrolfum archiepiscopum de institutione clericorum libros tres: in quibus de Ecclesiasticis ordinibus, & officiis diuersis, quæ in Ecclesia geruntur, ratio demonstratur, & ordo discendi ac modus docendi verbi Dei declaratur. Ad quem etiam scripsit tractatum super Euangelium Matthæi, consummans illum octo libris. Cuius & hortatu fecit Homilias diuersas per totum annum, ad diuersas festiuitates. Et de variis vitiis atque virtutibus subiunxit sermones, ad prædicandum populo Dei. Posthæc rogatu episcoporum Freeholfi videlicet, Fridurichi & Humberti scripsit in Pentateuchum commentariorum libros 29. hoc est:

In Genesim, libros 4.
In Exodum, libros 4.
In Leuiticum, libros 7.
In Numerorum, libros 4.
Similiter & in Deuteronomium, libros 4.
In Iesu Naue, quoque libros 4.
Et in Iudicum, libros duos.
In Ruth quoque, librum vnum.

Fecit etiam, rogatu Hiltuuini abbatis, libros 4. in expositione libri Samuelis & Regum.

Similiter, Ludouuico Imperatore hortante, in Paralipomenon edidit libros 4.

Scripsit præterea expositionem in historiam Iudith, librum vnum.

Et in historiam Hester similiter, librum vnum; quos tradidit Iudith Augustæ.

Librum quoque Machabæorum priorem, petente Geroldo archidiacono, libellis duobus explanauit, sequentem vero libello vno.

Librum quoque, qui nuncupatur Sapientiæ, hortatu Otgarii archiepiscopi, in tribus libellis, prout potuit, enodauit.

Et librum Iesu filii Syrach, qui appellatur Ecclesiasticus, decem libris similiter elucidauit.

In Hieremiam quoque prophetam 20. libros expositionis, iuxta sensum [illegible], edidit.

In epistolas quoque Pauli, hortatu Lupi diaconi col-

lectatam fecit, colligens de diuersis opusculis sanctorum patrum sententias eorum, & ordinem disponens, in 30. libros illum determinauit.

Sunt quoque alia opuscula eius, quæ ad interrogata diuersorum, ei respondere necessarium fuit: Quorum vnum est de * Coepiscoporum ordinatione: super quo ad Drugonem archiepiscopum scripsit librum vnum. (fort. * Chorepiscoporum)

Ad Notingum quoque episcopum Veronensem, de præscientia ac prædestinatione Dei, de gratia & libero arbitrio scripsit librum vnum: in quo, quid recte sentiendum esset, ostendit.

Nam ad Ludouicum Imperatorem, scripsit librum vnum contra eos, qui oblationem secundum regulam sancti Benedicti destruere volebant. Cui & misit epistolam consolatoriam post calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum suorum & optimatum; in qua ex diuinis testimoniis ostendit, quod falsum iudicium non potest rite condemnare innocentem: in qua etiam nouissime prouocat eum ad indulgentiam in se commissorum.

Postea hortatu eiusdem supradicti, fecit collectarium vnum de sententiis diuinorum librorum, in quo primum testimoniis diuinis probauit, obseruandum esse honorem parentum, & subiectione potestati à Domino ordinata. Deinde de diuersis speciebus virtutum, & econtrario vitiorum testimonia de auctoritate diuina in eodem opere subiunxit, demonstrans, qualiter vnicuique ordini in Ecclesia Deo militandum sit: quod opus 40. capitulis consummauit. Ad interrogata quidem Bonoli abbatis, respondendo, quomodo cognationis commixtio declinanda sit: & magica ars deuitanda, confecit librum vnum. Scripsit quoque libellum vnum ad Otgarium archiepiscopum, in quo primum de pœnitentia legitima, & spe indulgentiæ, deinde diuersa capitula de Canonibus diuersorum Conciliorum subiunxit, ad corrigenda hominum vitia & instituta religionis Christianæ roboranda.

Præterea quoque, Michario monacho petente, de Computo confecit Dialogum vnum.

EPISTOLA

IOHANNIS TRITHEMII, ABBATIS SANCTI IACOBI MAIORIS, APOSTOLI HERBIPOLENsis, in vitam sancti Hrabani archiepiscopi Moguntini.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI, ET DOMINO, DOMINO ALBERTO, SANCTÆ Moguntinæ Sedis & Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, sacri Romani Imperii principi Electori, per Germaniam Archicancellario, atque primati, Halberstatensis ecclesiæ, administratori Brandeburgensium, Marchioni Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum, & Sclauorum Duci, Nurenbergensium Burggrauio, ac Rugiorum Principi, Iohannes Trithemius abbas monasterii sancti Iacobi maioris Apostoli in suburbanis Herbipolensis ciuitatis, quondam vero Spanheimensis, ordinis sancti Benedicti, quicquid ad Deum oratio præualet peccatoris.

OBediui mandatis tuis Reuerendissime præsul, & vitam beati prædecessoris tui Rhabani Mauri Magnentii, sacræ quondam Moguntinæ sedis tuæ Archipontificis, atque doctoris celeberrimæ opinionis atque doctrinæ, ex diuersis temporum scriptoribus veraci & succincta narratione in vnum volumen comportaui. Nec mirum, si plura gestorum eius silentio pertransiui: quippe qui nullum ante me fixum, solidum & sufficientem de hac ipsa materia potui habere scriptorem. sed primus author esse sine præcedente compellor, & ex multis atque diuersis agellis decidentes colligere spicas, dominicisque thesauris nouus messor manipulos inferre antiquos. Ab eius namque transitu de hoc mundo ad Dominum, vsque ad nos, anni computantur quinquaginta nouem atque sexcenti, cuius longa intercapedo temporis multa per eum gloriose facta perpetuam in obliuionem deduxit. Plures (fateor) historiarum scriptores varia laudum præconia de hoc beatissimo atque doctissimo viro in suis lucubrationibus passim hinc inde scripserunt, quorum tamen nullus vitam eius continuata serie composuit. Qua ex re labor mihi grauissimus occurrebat, quia dum per diuersos auctores, quid quisque de Hrabano scripserit, compulsus sum quærere, singula, quæ reperi, minus lepide atque concinne potui ordinare. Quis enim nostris maxime temporibus, ad hæc tanta repertatur idoneus, vt ea faciat literaria perennitate reuiuiscere, quæ per tot annos in obliuione mortalium constat permansisse. Pudeat Germaniæ pontifices innata (vt ita dixerim) socordia, qui vanitatibus dediti, & Dei honorem in sanctis negligunt, & decorem patriæ turpi dissimulatione contemnunt. Compatior infœlicitati nationis meæ Germanicæ, cuius tanta est feritas animorum, vt neque suos recte nouerit instituere natos, neque eos qui sese moribus & doctrina cæteris præstantiores exhibere studuerunt, condignis laudum & meritorum titulis consueuerit honorare. Ab eo namque tempore, quo sanctus archipræsul Hrabanus migrauit ad Christum, vsque ad ordinationem tui pontificatus, reuerendissime præsul Alberte, Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopi extiterunt numero, si recte memini, quinquaginta: è quibus Hrabani, sanctissimi viri, memoriam nullus reuocauit ad mentem, nomen eius posteritati notum facere nullus eorum attentauit. Tibi reseruatum est hoc sanctum opus Christianorum, Christianissime præsul, & eminentissime princeps, tuo nomini debetur tanti gloria viri, qui veterum atque sanctissimorum pontificum imitatione, te in cunctis verum Christi studes exhibere ministrum, & irreprehensibilem ecclesiæ tibi commissæ verbo & exemplo pontificem. Fœlix proinde Moguntina, te moderante, sancta ecclesia, qui sacra sanctorum ossa tumulis reuerenter eleuata, populis veneranda præstas fidelibus; & quæ veterum incuria mox erant resoluenda in cinerem, memoriæ perpetuæ firmiter commendasti. Vnde Germani omnes iure te lumen suum, & decus immensum prædicant,

dicans, qui Dei cultor es maximus, venerator sanctorum eius integerrimus, religionis catholicæ defensor constantissimus, genere princeps nobilissimus, vita & moribus omnium sine controuersia clarissimus, & idcirco nunquam sine honore nominandus. Hæc & his maiora diuinæ miserationis cumulata beneficia pensiculans sedes Apostolica, quod nulli apud Germanos eatenus contigisse legitur: principem ætate iuuenem, sed moribus senem, cum vix annum attigisses quintum atque vicesimum, præmissa electione fratrum canonica, te Moguntinæ sedis & Magdenburgensis ecclesiæ archiepiscopum, atque primatem Germanorum pontificum omnium constituit, tibique munus consecrationis placida benignitate cum palliorum decore vtriusque ecclesiæ concessit. Insuper vt nomen ter maximi siue triarchi merito videare consecutus, administratorem te insignis Ecclesiæ Halberstatensis constituit, & gloriam Celsitudinis tuæ super omnes Germaniæ pontifices sublimauit. Quod diuina præordinatione factum non ambigit, qui vitam & mores tuos ab ineunte nascendi ætate studiosius pensiculauit. Nam teneris ab annis res diuina tibi semper in animo fuit, nihilque dulcius, quam clericorum choris interesse psallentium, aras pulchro decore ornare, sanctorum & beatissimorum martyrum Christi simul & confitentium ossa vario & nitido splendore auri vestire & argenti. Quod ego de tua religiosissima celsitudine tanto verius confidentiusque scribere potui: quanto diutius ante decennium conuersatus in curia serenissimi principis Ioachimi, Brandenburgensis marchionis, imperiique principis electoris, Germani tui; apud Vrsulam Coloniæ ad Spreuum, principem te, iuuenemque singulari pietate in Deum feruentem, & vidi plenius & audiui. Cum igitur diuina miseratione præuentus, adhuc puer adolescens, tanta pietate, tanta charitate ac deuotione sanctissimus te Christi ministeriis aptare gestires, vt non modo senioribus stuporem; sed etiam vniuersis, qui te videre, audire, seu alloqui meruissent, grandem incuteres admirationem, quis negare poterit, nisi demens; te, antequam nascereris in mundum, diuina prouidentia electum & segregatum in hoc ministerium trini pontificatus; in quo non solum tibi multimoda sanctitatis merita potes acquirere, sed commissos etiam tuæ fidei mortales vita, doctrina, & pastorali auctoritate ad iustitiæ vias reuocare? His maximis a summa Dei prouidentia honoribus susceptis, optime facis, operibus ipsis verum te pontificem exhibendo; qui præter multorum consuetudinem præsulum, cœlestibus terrena postponis, & præfers æterna caducis. Vnde beatum te dicent Germaniæ populi omnes, si tamen (quod faxit Omnipotens) vsque ad finem perseueraueris in cœpto proposito sanctitatis. Sunt æmuli, non dubites, quibus iuuenilis iste feruor sanctitatis tuæ habetur suspectus, in quo si, miserante Deo, permanseris, auges bonis lætitiam, & misanthropis haud paruam confusionem. Ego autem sciens deuotionem tuam in sanctos Dei, confido te in bene cœptis, eorum precibus & meritis permansurum, & bonis cotidie studiis addituram meliora, quousque tandem illorum particeps effectus, sine fine gaudeas in cœlis, quorum nomen & memoriam cum tanto mentis desiderio, & animi feruore honoras, nunc sedulo præsul viator in terris. Hrabanum apud Moguntiacos despectum, & pene sempiterna obliuione sepultum, in nomine iusti summa cum veneratione leuasti de terra, propter quod & omnipotens Dominus animam tuam cum sanctis suis exaltabit in patria. Et ego ne defuerim tam sancto ministerio tuo, libens, quod mihi nuper imposuisti, onus suscepi, vitamque memorati pontificis beatissimi, qua potui diligentia ex diuersis auctorum libris in vnum codicem laboriose comportaui, in quo si non satisfeci tuo desiderio, sit bona voluntas in pauperculo sufficiens obedientia pro merito. Obediui iubenti, feci quantum potui, & totum, quod mihi de laudibus tanti pontificis occurrebat, tuo nomini sacratissimo dedicaui. Suscipe nunc ergo manibus consecratis, reuerendissime princeps, primitias frugum Trithemiani sterilis agelli, tuo pontificatui summa cum humilitate ferentis oblatas, & qui summus es Dei sacerdos, paleas à granis dignanter secerne, vt sterile paruitatis meæ opusculum de vita sancti Hrabani præsulis tuo imperio compositum, tibique dicatum, eo securius in lucem prodeat, quo sub ferula pontificalis eminentiæ tuæ, diligentius enucleatiusque fuerit emendatum. Adest enim Serenitati tuæ copiosa cum auctoritate scientia, vnde non solum defendere hanc lucubrationem meam ab iniuriis poteris detractorum, sed etiam, cum opus fuerit, adamussim castigare. Vale pontificum princeps. Ex meo cœnobio, sexta die mensis Nouembris. Anno Domini millesimo quingentesimo quintodecimo.

HRABANI MAVRI MAGNENTII, MOGVNTINÆ SEDIS ARchiepiscopi, Vita; per Iohannem Trithemium, Abbatem Herbipolensem.

HRabanus, cognomento Maurus, familia Magnentius, natione Francus orientalis, patria Buchonicus, in oppido Fuldensi nascitur, quarto Nonas Februarii, anno Dominicæ Natiuitatis septingentesimo octogesimo octauo, Indictione Romanorum vndecima, qui fuit Caroli regis Magni Francorum vicesimus, & Romani pontificis Adriani primi septimus decimus annus. Cuius pater nomine Ruthardus Maguentiana familia satus, vir diues & potens, multo tempore sub Francorum principibus in Germania strenue militat. Mater vero dicebatur Aldegundis, honestissimæ cõuersationis mulier, quæ ipsum filium suum ab infantia Deum timere docuit, literis imbuit, & non minus exemplo, quam verbo docilem eius animum ad omne opus bonum diligentissime erudiuit. Enimuero pia mater, cum adhuc meus nati esset pueril[i] teneritudine fl[...]s, mores eius ad Christi dogmatis integritatem laudabiliter instituit, lasciuos pueritiæ motus prudentissima ratione cõpescuit, ecclesiam visitare, Dei sermones audire, & diuinis crebro interesse mysteriis adhuc pene infantem continuata sollicitudine mandauit. Erat autem Hrabanus puer, tam naturæ donis, quã gratiæ muneribus a Domino multipliciter præ[ue]n[tu]s. quæ magna cu tempore sumpserunt incrementa vigoris: donec postremo virum ad summæ perfectionis apicem perduxerunt. Ingenio fuit docilis, memoria [te]nac[issi]mus, mente simul & corpore sub pulcherrima dispositione, pudicus atque castissimus: in cuius moribus relucebat integritas, & singularis in animo tranquillitas rutilabat. Omnia tamen ista in eo dona tã gratiæ, quam naturæ clarius emicuerunt, cum ad virilem peruenisset ætatem, in qua virtutum culmen omnium perfectus operator ascendit. Quantum vero ad visibilis pertinebat hominis rationem, corpore satis admodum fuit robustus, complexione mixto sanguine phlegmaticus, plus corpore pinguis, quam macilentus, capite fortis & magnus, omnique membrorum proportio-

ne forma decente dispositus. Vnde cum bonæ puer indolis, de die in diem semper ad meliora proficeret, & iam tunc quoddam in eo futuræ dignitatis & sanctitatis præsagium reluceret, metuens pia mater, ne corruptibile corpus in medio prauæ nationis positum, qualibet occasione deturparet animam neue *terrena inhabitatio sensum deprimeret multa cogitantem*; tradere illum ad monasterium deliberabat: in quo purius eum posse conuersari minime dubitabat. (Sapient. 9. 15.) Sed hoc matris propositum à principio genitori non placuit, quod tamen postea, diuino inspiratus numine, approbauit. Humanum siquidem facile mutatur consilium, quotiens diuina potestas suum ab æterno prædestinatum operatur distinctum. Præfuit in diebus illis nouello Fuldensi monasterio reuerendissimus Abbas, nomine Baugolfus, vir magnæ religionis, & multarum in Christo virtutum. qui sancto Sturmo eius loci primo Abbati succedens, annis præfuit quinque & viginti, nomen sanctitatis apud Germanos omnes consecutus gloriosum. Huius Abbatis clarissimi magisterio Hrabanus puer, cum esset annorum circiter nouem, à parentibus traditur, & iuxta normam sancti Patris Benedicti, monachis instituendus commendatur. Facta est hæc in monasterium Hrabani solennis traditio vicesima prima die mensis Martii, quæ fuit eiusdem sanctissimi patris Benedicti festiuitate solennis: anno Dominicæ Natiuitatis sexingentesimo nonagesimo septimo, indictione Romanorum quinta. Claruit eo tempore in memorato monasterio Fuldensi ingens multitudo monachorum: qui arduam pro Dei amore vitam ducentes, à vino & carnibus omni tempore abstinebant, & nec ius carnium præter infirmos, omninoque debiles, sumebant in cibum, nec huius mundi voluptatibus vtebantur. Panis eorum cibrarius erat & rusticus: fabæ, pisa, & holera cibus, aqua vel ceruisia potus. Viuebant de laboribus manuum suarum, sicut veri patris nostri Benedicti sequaces & monachi, cū nullos eo tempore in monasterio seruos permitterentur habere seculares. Nam quicquid operis necessarium faciendum in monasterio claustralibus occurrisset, non secularium, sed manibus fiebat monachorum. Omnes tunc monachi ad monasticæ regulæ puritatem viuere satagebant, in communi sub vnius directione pastoris, in vera paupertate, sine peculio castitatem mentis & corporis inuiolabiliter conseruantes, omnipotenti Deo in fraternæ charitatis vinculo seruiebant. O fœlix ætas, & tempora charismatibus sancti Spiritus abunde fructuosa, quando claustralis vitæ professores erant optimi, & omni decore virtutum mirifice ornati & præditi. His viris in monasterio Fuldensi vita & conuersatione sanctissimis Hrabanus puer diuina ordinatione coniunctus, venerabili cuidam monacho seniori, *Rathgario* nomine, scientia literarū, & sanctis moribus imbuendus committitur, à quo diligentissime ad optima quæque informatur. Bonæ quoque dispositionis puer, bonum assecutus doctorem, diuina miseratione adiuuante, mox sanctæ conuersationis primordia, quantum ætas illa permisit, bene inchoauit, in meliusque successiue perduxit, & optimo tandem fine consummauit. Postea vero quam annum sextum decimum compleuisset ætatis: anno videlicet Dominicæ Natiuitatis in carne, octingentesimo quarto; indictione Romanorum duodecima, Baugolfus Abbas Fuldēsis migrauit ad Dominum, anno regiminis sui vicesimo quinto. Quo non sine opinione sanctitatis magnæ sepulto prænominatus Hrabani Mauri præceptor Rathgarius electione fratrū vnanimi tertius in abbatia succedens, præfuit annis sedecim, vir probatæ religionis, & magnæ sanctitatis. Hic Hrabanum præ cæteris singulari diligebat affectu, propterea quod eum nouerat plus omnib⁹ ad obedientiam promptum, & in lectionibus diuinarum scripturarum indefessa sollicitudine studiosum. Videbat illum ad ardua natum, & qui verbo & exemplo multis esset cum tempore profuturus in salutem. Nouerat etiam salutarem pastoribus necessariam esse doctrinam, cum bona hominis vita sine scientia spirituali diuinarum scripturarum non sufficiat ad institutionem subditorum. Nam qui sibi soli est bonus, veris aliorum rector esse non potest. Propterea Rathgarius docilem puerū nequaquam statuit negligendum, quem illustratum diuino spiritu multis non dubitabat fore præponendum. Nec sua fuit confidentia frustratus, cum maior euaserit Hrabanus eruditione, dignitate, simul & merito sanctitatis, quam suorum aliquis vel cogitare potuisset; vel mente concipere. Mox enim vt annos pueritiæ superauit, se totum diuinis mancipauit obsequiis; in ecclesia frequens, in choro psallentium assiduus, & sine vanitatis nota in seruitio Domini singularis: Nullus monachorum inter cantandum & legendū illo fuit alacrior, nullus ad obedientiam seniorum inter omnes promptiorem se vnquam exhibuit. Deum pura mentis eleuatione semper amauit super omnia, cui⁹ ordinatissimæ voluntati quicquid acceptum nouerat, implere summo conatu satagebat. Ea vero, quæ diuinæ voluntati didicit esse contraria, nunquam in cordis ergasterium censuit admittendā. Mentis suæ oculum à pulueribus terrenæ cupiditatis purum custodiuit & mundum, atque in medio confratrum suorum omni tempore sine offensione viuebat. In oratione sancta pene fuit continuus, in lectione diuinarum scripturarum sine intermissione laudabiliter occupatus. Nemo illum vidit otiosum, non fabulis, seu otiosis sermonibus illum quisquam audiuit intentum, neque more complurium per claustrum discursibus vanis quisquam reperit vagabundum. Deo semper mente deditus, aut lectioni scripturarum incubuit, aut scripsit aliquid pro communi fratrum vtilitate, vel certe secum in cella solitarius habitans erat. Nihil enim dulcius illi fuit, quam continuum sanctarum studium scripturarum, & ideo cellæ monasticæ secretum, multis importabile claustralibus, paradisi delicias reputauit. Quod enim piscibus riuus & aqua, hoc bonis & studiosis monachis rectissime dicitur cella. Nam sicuti pisces diu viuere sine aqua nequeunt: sic monachi crebrius extra cellam discurrentes, in vera mentis puritate non subsistunt. Cella enim monachis est officina virtutum, & mundus nimium frequentatus multorum causa vitiorum. Cella monachis est diuinæ schola scientiæ, extra quam cœlestis non datur sapientiæ doctrina. Vnde monachus, qui secretum cellæ non diligit, ad veram scientiam scripturarum Dei minime pertingit. Quod beatissimus pater hic noster, sanctus probe considerans Hrabanus, cellam ab infantia sua dilexit monasticam, in qua conscientiā suam ab operibus mundi vanis custodiuit illæsam, & omnium scripturarum, tam humanarum, quam diuinarum plenam fuit assecutus scientiam. Cellæ namque secretum amœnitati comparatus paradisi, in qua delectabiliter consistens, ac sibi per diuini amoris continuum exercitium vnitus, mente simul & corpore habitauit secum in domo Dei quietus, animo creatori suo deuotus, nulli fratrum molestus, nulli grauis, nulli onerosus, sed acceptus bonis omnibus, & in vinculo charitatis fraternæ sincere dilectus. In eo fuit completum, quod per prophetam Hieremiam dudum legitur pronunciatum. *Bonum est homini, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. quia sedebit solitarius & tacebit, quoniam leuabit se supra se.* (Thren. 3. 27. & seq.) Hæc sunt pacificatæ conuiuia mentis, quæ nemo intelligit; nisi qui accipit, nemo vero accipit, nisi qui se pro Dei amore ab omni carnis illecebra veraciter segregauit. Non enim consentiunt in vnum cohabitare vera gaudia mentis, & corruptibiles delitiæ ventris, quoniam duobus contrariis seruire dominis Saluator omnium non dicit esse possibile. *Beatus* igitur magnus iste seruus Christi Hrabanus, *qui*, gratia Spiritus sancti præuentus; *in consilio impiorum non abiit, & in via peccatorum non stetit, nec in cathedra derisorum consedit: Sed in lege Domini fuit voluntas eius* (Psal. 1. 1. 2.) confirmata & stabilis, & in iustificationibus eius meditatio illius die permansit ac nocte. Beatus, inquam, vir iste, & omni posteritati merito venerandus, qui in hac mortalitate positus, semen bonum in benedictionibus Domini seminauit, de quo nunc fructum æternæ fœlicitatis manducat in cœlis. Propter quod omni

cense-

censetur honore dignus, ac sempiterna memoria celebrandus: qui factus imitator discipulorum Domini: doctrina & moribus vniuersam illustrauit ecclesiam, & varios hæreticorum errores disputando scribendoque confutauit, de quibus suo inferius loco plenius dicturi sumus. Cum ergo beatus Magnentius octauumdecimum ætatis suæ annum attingeret, qui fuit Dominicæ Natiuitatis octingentesimus sextus, & incredibili diuinarum scripturarum teneretur amore, iamque omnes deputatos sibi doctores atque magistros vel æquasset, vel etiam superasset eruditione & doctrina, nec tamen in his, ad quæ discendo peruenerat, posset esse contentus, sed pro magnitudine desiderii sui ad maiora sacri studii arcana tendens, locum ad tempus mutare profectus causa decreuit. Nam eo tempore studium literarum generale, sicuti postea, necdū in Fuldensi monasterio vigebat. Monachi etenim humili scripturarum intelligentia contenti, moribus graues, & subrusticana simplicitate imbuti altiora scientiæ studia non curabant. Vnde beatissimus iuuenis cum pro ingenti scripturarum desiderio, propter magistrorum penuriam animum suum in proprio satiare monasterio non posset, sciretque, Rathgarium se pastorem habere fauorabilem, quadam die ad pedes eius prouoluitur, & quid haberet in animo summa cum humilitate manifestum faciens, consensum sui senis deprecatur; placuit petitio adolescentis abbati: & consilio seniorum adhibito, facilem postulanti dedit consensum. Cernebat enim senior prouidus, vt paulo dictum est prius, gratiam in eo relucere diuinam, cuius illum operatione magnum non dubitabat esse futurum, vnde & libens petita concessit. In diebus illis florebat in regno Francorum Albinus, qui & Alcuinus, natione Anglicus, professione monachus, ordine Leuita, dignitate abbas monasterii sui Martini Thuronensis, Caroli regis Magni quondā præceptor, in omni varietate scripturarum doctissimus, qui primus apud Gallos & Italos Romæ, Parisii, & Suessionis, scholis monachorum publicis prælatus multa scripsit ad vtilitatem communem, & plures in omni scientia auditores educauit doctissimos. Ad hunc venerabilem virum (eo tempore in vrbe Roma custodem & ministrum) Ecclesiæ Lateranensis, ac scholis monachorum publicis præsidentem, Rathgarius abbas de Fulda misit Hrabanum cum aliis duobus monachis, Haimone & Diedone: quorum prior episcopus postea fuit in Halberstat: posterior vero Hattoni in abbatia Fuldensi fratrum electione successit. Albinus ergo missos ad se monachos de Fulda sub magisterii sui ferula suscipiens, omnem circa illos diligentiam adhibuit, & nullis pro salubri eorum institutione laboribus pepercit. Hrabanum tamen, quem cæteris acutiorem ingenio videbat, propensiore studio prosequebatur docendi: & singulari cura sollicitudinis circa illum vigilabat. Annis sex continuis apud Albinum magistrum Hrabanus studiosissimus auditor atque discipulus Romæ permansit: & discendis scripturis indefessum studium sedulus impendit. In his artibus septem, quas professores earundem liberales vocant, euasit doctissimus, & in omni scientia, tam diuinarum, quam humanarum traditionum, non erat illi secundus. Enimuero quam eruditus fuerit in Grammaticis, in Rhetoricis, in Logicis, in Arithmeticis, in Geometricis, in Poeticis & Musicis, in Astronomicis & Mathematicis, in Physicis & Metaphysicis, in Philosophicis & Theologicis, in humanis quoque & diuinis, quicunque plenius intelligere desiderat, eius volumina, quæ & plura sunt & elegantissima, diligentius reuoluat. In disputando tanti fuit acuminis, vt omnium sophistarum nominatissimus haberetur & esset. Vnde, velut alter Augustinus hæreticorum terror & malleus erat, quos omnes facili congressione superabat & vicit. Et cum tantam omnium scientiarum esset copiam adeptus, nunquam tamen in superbiam fuit elatus, nunquam suo se iudicio inaniter super alios extulit, nunquam simpliciores & minus in scripturis eruditos etiam leuiter contempsit. In vera namq; humilitate fundatus monastica, paruulus in oculis suis apparebat, & quanto maior extitit, tanto se peramplius humiliauit.

Nouerat enim, monachi scientiam sine vera humilitate mentis perniciosam esse stultitiam, etiam si apud homines doctissimus habeatur. Dicit enim scriptura: *Doctrina viri per patientiam dinoscitur.* Patiens autem veraciter nemo dici meretur, qui humilis non fuerit, & omnipotentis nutui plena voluntate subiectus. Hrabanus autem noster, verus Dei amator, qui & humilis & patiens veraciter extitit, quanto in bonis studiis amplius profecerat, tanto magis animum suum corā Deo & hominibus humiliabat. Non illum vana terreni honoris ambitio traxit ad studium, nō paupertas vel inopia fecerat monachum in scripturis esse studiosum; sed Dei amor, qui vincit omnia, mentem illius accenderat ad spiritualis scientiæ incrementa. Nihil est difficile bonæ voluntati, nihil formidabile Deum veraciter amanti. Vnde cum se totum diuino mancipasset obsequio, nihilque in hoc mundo quæreret, nihil cuperet vel optaret, nisi Deum solum & scientiam scripturarum, dignum se Christo studuit exhibere ministrum, à quo nouerat omne donum mortalibus prouenire perfectum. Semper aliquem diuinæ lectionis codicem versabat in manibus, semper in semetipso sibi * vnitas aliquid operabatur bonæ operationis. Et neque diebus neque noctibus ab inuestigatione diuinarum cessabat scripturarum. Nam præter illud tempus, quod vel ineuitabilis necessitas requirebat naturæ, vel diuini cultus ratio postulabat: quod reliquum erat, omne scripturarum studio impendebat, idq; totum se arbitratus perdidisse, quod aliter quam in Dei laudibus, aut sacris fuisset lectionibus expensum: propterea quotiens ab actionibus poterat vacare publicis, suis vtiliter insistebat priuatis, semperque oratione præmissa speciali deuotione mentis ad Deum, aut legit, aut scripsit, aut legentem in scholis Albinum audiuit magistrum. His illum sacris intentum studiis, & sine intermissione continuanter occupatum, magna Dei miseratio cunctarum virtutum decorauit ornatu, contulitq; optatum sensum per omnia consummatum intelligendi scripturas, deditq; bene merito sanctorum scientiam, & in cunctis operibus bonis consummationem. Annis tandem sex Romæ apud magistrum cum ingenti doctrinæ profectu expletis, beatus Dei famulus, vna cum Haimone & Diedone, pastoris sui edicto reuocatur ad Fuldense monasterium, qui tametsi multo libentius sub directione præceptoris in annos plures cœptum continuasset studium, suo tamen promptus obediuit abbati, sciens obedientiam cunctis monachorum præualere virtutibus, per quam solam iter patescit claustralibus ad patriam cœlestem. Anno igitur Dominicæ Natiuitatis octingentesimo duodecimo, indictione Romanorum quinta, beatus Hrabanus annum agens ætatis quartum atque vicesimum, abbatis sui præcepto de Roma cum Haimone & Diedone ad monasteriū Fuldense reuertitur: anno videlicet abbatiæ Rathgarii memorati octauo. Quem fratres cum magna charitatis lætitia susceperunt, dona multiplicia in eo diuina honorantes: quippe qui nouerant illum non solum propter scientiæ præeminentiam, & magistrum esse venerabilem, sed multo magis ob vitæ meritum, cunctis in Christo virtutibus locupletem. Enimuero per illud sexennium, quo Romæ sub abbatis magisterio literis operam dederat, in omni scientia, tam humana quam diuina, supra omnes coætaneos suos mirifice profecerat, euasitque summus in omni scibili philosophus, poetaque disertissimus: & theologus cunctorum iudicio excellentissimus. Tanta denique & Romæ & Fuldæ cunctis vitæ suæ diebus virtutum, & meritorum sanctimonia claruit, quod eorum, qui cum eo habitabant, gratia illum Dei præuentum speciali nullus dubitauit: Vnde sibi non solum profuit, sed multis verbo, scriptis & exemplo salutis iter ostendit. Rathgarius quoque, venerabilis abbas, qui, vt supra diximus, illum præ cæteris arctius diligebat, eius profectum miro congratulabatur affectu, gauisusque talem se habere discipulum, qui iam idoneus esset quoscunque & alios docere, magnificas omnipotenti Deo gratiarum retulit actiones. Verum vt ecclesiastici ordinis collatione maior esset Hrabano inter fratres auctoritas, per singul[as]

Prou. 19.

* *for. vnitam.*

sacrosanctum gradus cuctum, postea nono decimo ætatis suæ anno, ad diaconatus ordinem promotus. Quo presbyter consecratus, nihil pristinæ humilitatis omisit: nihil monasticæ conuersationis, & puritatis neglexit: sed in ... humilitati subiiciens, totam ad regularis obseruantiam disciplinæ animũ conuertit, cunctisq; fratribus suis se obsequentissimum exhibuit: & vel orationi, vel sacræ lectionis studio semper intentus fuit. Cella, sicut prius est dictum, paradisus illi extitit, & chorum psallentium fratrum, cœlum reputauit. Et quia cunctis pro Christi nomine humiliter subsequi studuit, iure omnibus dilectus fuit. Amabant eum sancti seniores, vt filium, venerabantur studiosi iuuenes, vt cœlestis doctrinæ magistrum. Omnes quoq; in communi totius illũ religionis monasticæ habebant exemplum, & summum eruditionis Christianæ documentum. Præcipuo tamen congratulationis officio Rathgarius abbas reuerendissimus exultabat, quod illum, quem singulari prosequebatur affectu amoris, tanta cerneret insignia possidere virtutum. Et vere dignus fuit amari ab omnibus, qui conditorem omnium puro semper dilexit affectu. Completa fuit in illo placida illa æternæ sapientiæ pollicitatio dicentis: *Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Mecum sunt,* inquit, *diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso: & genimina mea argento electo.* Dilexit Hrabanus etenim sapientiam Dei patris, cuius notitia credentibus datur per fidem in scripturis sanctis: quarum lectioni tanto crebrius incubuit, quanto Deum sincerius amauit. Eius gutturi fluctus sacræ lectionis semper dulcis extitit; quem in feruore sancti Spiritus gustauit. O quam suauis est veraciter gustanti sapor diuini amoris, per quem huius mundi cuncta dulcescunt aduersa, & forti animo vilescunt omnia blandimenta. Nihil præter diuinum in affectum cordis admittitur: vbi solus creator super omnia amatur. Huius sacri ergasterii summus operator extitit Hrabanus iste, de quo loquimur, in quo spiritualis doctrinæ plenitudo exuberans totam illustrauit ecclesiam, & plures erudiuit ad iustitiam. Et ne ordine præpostero diuersus euagemur, operæ pretium iudicauimus intermissa repetere, & quæ circa Hrabanum ab vrbe reuersum, priusquam presbyter fuerit ordinatus, sint gesta, breuiter annotare. Rathgarius memorabilis abbas vtilitati cupiens consulere plurimorum, de fratrum suorum consilio scholam in monasterio Fuldensi publicam instituit: cuius magisterium sancto Hrabano, de Italia nuper reuerso, commendauit. Anno itaq; Dominicæ natiuitatis octingentesimo, tertiodecimo, indictione Romanorum sexta, Hrabanus annorum viginti quinque monasterii monachorum scholæ præficitur: & cum docendi modũ, quem ab Albino nunc didicerat, etiam tenere apud Fuldenses monachos inuiolabilem iubetur. Qui mox vt docendi subiuit officium, per omnia curauit Albinum sequi & imitari magistrum, vt iuniores videlicet monachos primum doceret in Grammaticis, & cum apti viderentur ad maiora gradatim ... bus etiã formarẽtur institutis. Cumq; huius nouæ institutionis apud Germanos fama transiret in publicum, plures cœnobiorum prælati eam docendi formam laudantes, alii monachos suos ad Fuldam miserunt sub Hrabani ferula sacris imbuendos studiis, alii vero scholas erexerunt in monasteriis propriis, quibus præceptores de memorato cœnobio doctiores quosque præfecerunt. Sed in tempore breui valde creuit numerus discipulorum Hrabani docentis, & per totam Germaniam & Galliam eruditionis & sanctitatis eius vera fama opinio se diffudit. Vnde factum est, quod non solum abbates, monachos: sed etiam nobiles terræ, filios suos Hrabani docendos magisterio subdiderunt. Quos ille, vt erat mansuetissimus, omnes summa cum diligentia informabat, prout vniuscuiusq; vel ætas, vel ingenium permittebat, alios in Grammaticis, alios vero in Rhetoricis: atque alios in altioribus diuinæ atq; humanæ philosophiæ scripturis, sine inuidia communicans, quod singuli ab eo postulassent, omnes vero, quos in auditorium suum docendis admonuit non solum prosa, sed etiam carmine, quicquid ... , scribere informauit. Multos insignes, doctissimosq; discipulos auditores habuit, quorum excellentiores atq; præcipuos Megenfridus in libro de temporibus gratiæ quartodecimo nominatum commemorat, & sunt hi. *Strabus*, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, qui magistro in regimine scholarum Fuldæ successit, vir in omni plenitudine scripturarum doctissimus, metro exercitatus & prosa, multa in vtroq; genere conscripsit. *Freculfus*, monachus Fuldensis, patria Saxo, postea episcopus Lexouiensis in Rhotomagensi prouincia Christianæ fidei prædicator egregius, qui & ipse plura opuscula conscripsit. *Luthertus*, monachus Fuldensis, & postea primus abbas in Hirsaugia, Spirensis diœcesis, patria Sueuus, Doctor in omni varietate scripturarum eminentissimus, nec minus vitæ merito quam eruditione præclarus, qui nonnulla ingenii sui monumenta reliquit, & multa suis bonæ memoriæ monachis impendit. *Hildolfus*, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, & primus apud sanctum Aurelium Hirsaugiæ scholarum magister, homo integerrimæ conuersationis & doctrinæ, qui & ipse multa vtilia conscripsit. *Richardus*, monachus Fuldensis, & secundus apud Hirsaugiã scholasticus post mortem Hildolfi, qui cum esset doctissimus, plura composuit. *Bernardus*, monachus Fuldensis, & postea Hirsfeldensis abbas, patria Francus orientalis, vir sapientia & moribus clarus, multa lucubrauit. *Berthulfus*, monachus Fuldensis, patria Doringus, vir tã in diuinis scripturis, quam in literis humanis longe doctissimus, qui & ipse nonnulla scripsit. *Ioannes*, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, Poeta & Musicus insignis, qui & plura scripsit: & cantum ecclesiasticum primus apud Germanos varia modulatione composuit. *Vuigbertus*, monachus Fuldensis, patria Saxonicus, vir miræ simplicitatis, & magnæ nihilominus eruditionis, vitæ merito, & claris virtutibus effulsit. *Egbertus*, monachus Fuldensis, vir vitæ admirabilis, & multo tempore voluntarie pro Christo inclusus, miraculis coruscans, nonnulla composuit. *Carolus*, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, magnæ sapientiæ & eruditionis homo, quem ferunt, mortuo præceptore, Mogontinum meruisse archiepiscopatum, & nonnulla edidisse volumina. *Altfridus*, monachus Fuldensis, patria Saxonicus, mira sanctitate & eruditione clarus, Denique verbi prædicator egregius, qui e Fulda missus ad nouam in Saxonia Corbeiam scholasticus, postea quartus Hildelsheymensis ecclesiæ pontifex ordinatur. Omnes præscriptos Hrabani apud Fuldam insignes discipulos, Megenfridus historiarũ scriptor commemorat: & varia dicitur scripsisse opuscula. Ex aliis quoque cœnobiis ad se missos insignes habuit auditores multos, doctrina & vitæ sanctimonia celeberrimos: quorum nomina per memoratum scriptorem expressa, nos illhic amore breuitatis obmittimus, ne tædium induceremus. Curauit etiam hic beatissimus monachorum institutor auditores suos erudire non minus ad timorem Dei, & mandatorum obseruantiam, quam ad intelligentiam scripturarum, sciens in sancto Propheta Daniel scriptum: *Quoniam qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Parum est enim ad scientiam hominis claustralis intellectum erudire, nisi etiam studeas pro viribus affectum ad Dei amorem accendere. In quo docendi genere beatus doctor Hrabanus præ cæteris notabiliter emicuit: qui suos auditores imprimis ad iustitiam erudiuit, quibus inter legendum crebro persuadere conatus est, mores suos regularibus institutionibus, euangelicisque ante omnia sententiis obedire instituens. Docuit illos mundum, & omnes voluptates carnis pro Dei amore contemnere, vanitates transitorias & seculi pompas fugere, & omnem concupiscentiam inordinatæ voluntatis declinare. Deum pura mente super omnia diligendum monuit, & sedulo, vt se reminiscerentur morituros, discipulis lector inculcauit. Monasticæ religionis tam sincerus fuit amator: vt in auditorium suum neminem admitteret, nisi prius

Prou. 8. 17.

Dan. 12. 3.

eius diligentissime super integritate obseruantiæ regularis explorasse. Vnde si quos mente aut corpore vagos, & ad obseruantiam monasticæ disciplinæ minus repperisset idoneos, tanquam animantia bruta & bestias immundas, ab accessu diuinarum scripturarum arcebat, dicens. Scriptum est: *Bestia, quæ montem tetigerit, lapidibus obruetur.* Propterea fratres abite, & prius mores vestros componere, vt moribus emendati digni sitis cum Mose Dei sermones in montis cacumine audire. Nemo enim Dei scripturas discendo vtiliter percipit, cuius adhuc anima vitiorum puluere sordescit. Et hæc forma docendi sancto viro semper familiaris extitit, vt studiis literarum institutionem præponeret disciplinam, & scientiæ scripturarum anteferret puritatem. Qui tanto facilius instinctus & vitiorum obscuritatem persuadere potuit: quanto eas non modo verbis, sed etiam operibus demonstrauit. Singularem habebat docendi gratiam, & persuadendi maximam facilitatem. Nam & ingenio fuit acutus: & facundia disertus, voce quoq; tubali sonorus, & quadam grauitate venerandus. Vnde quotiens ratio postulauit, sola potuit voce terrere improbos, & non minus humiliatos mulcere prostratos. Conueniens animæ donis corpus, Domino largiente, consecutus: & magna fuit in eo dilectionis auctoritas, & non minor cum mansuetudine affabilitatis humanitas. Qui moderatione ab adolescentia temperantissime vsus, & sibi tranquillus extitit, & discipulis doctor vtilis, fructuosusque, vt pro tempore merebantur, occurrit. Fuerunt eo tempore, Meginrido restante, in cœnobio Fuldensi monachi sub regula sancti Benedicti, omnipotenti Deo in summa religione famulantes, numero centum quinquaginta, qui omnes, vt supra dictum est, à vino & carnibus abstinebant. Ex his duodecim ad minus, in omni scientia scripturarum doctissimi, dicebantur *Seniores*: quorum consilio abbas in quotidianis necessitatibus vtebatur, vt opus non esset vniuersam fatigare congregationem. Quotiens vero ex his duodecim quispiam, vel ad aliud cœnobium missus, vel morte fuisset sublatus, ex doctioribus & sanctioribus mox alius in eius locum rectoris & seniorum electione constituebatur. Et hæc laudabilis seniorum constitutio multis annis durauit, quamdiu videlicet studiũ scripturarum in Fuldensi monasterio, quod sanctus Hrabanus inceperat, viguit. Ista autem fuit lex duodecim doctorum, vt singulis legerent singuli iuxta principalis ordinationem magistri, qui semper tertius decimus erat, & propterea omnium deputator lectionum, cui & obedire cæteri post abbatem omnes tenebantur. Fama sanctitatis & eruditionis Fuldensium monachorum, & sancti præcipue Hrabani, per totum se regnum Francorum longius diffundente, filios suos multi nobiles & ignobiles ad seruiendum Domino in eorum consortium tradiderunt, è quibus postea plures in Germania ecclesiæ pontifices habuerunt atq; pastores. Regulari enim obseruantia durante, nullus à Dei seruitio repellebatur, siue nobilis esset, siue ignobilis: sed iuxta præceptum legislatoris Benedicti, cunctis aditus patuit pura intentione conuerti volentibus. Quæ tamen consuetudo cum successu temporis, & in Fuldensi monasterio, & in plerisq; alijs contra intentionem regulæ cernitur immutata, postea videlicet quam & diuitiæ religionem extinxerunt, & luxus cum ambitione pessima studium ebriauit scripturarum. Feruor eo tempore incredibilis fuit monachorum, * sanctarum studium scripturarum, qui per sanctum Hrabanum Fuldæ cœpit, vt supra diximus, & breui per omnia pene cœnobia Germaniæ & Galliæ conualuit. Nec erant Latino patrioque sermone contenti, sed linguam discere Græcam atque docere, necessarium fore discipulis diuinæ speculationis arbitrati, etiam Hebraicæ Chaldaicæque notitiam cum labore fuerunt assecuti. Sanctus namque Hrabanus, Albini Romæ auditor, Theophilum quendam Ephesium habuit præceptorem, a quo Pelasgi sermonis intelligentiam apprehendit sufficientem, quam reuersus in patriam suis quoque discipulis absque inuidia communicauit. Enutritus enim est [illegible] non solum studiosissimus, sed etiam sine crebra lectione

Exod. 19. 12.

* videtur deesse, erga.

cuiusquam doctissimus, opinione meruit, neminem apud Latinos vere eruditum, & in sacris literis consummatum posse reperiri, qui notitiam Græcæ linguæ non fuerit assecutus. Quod eo confitemur fidentius, quo, arte imperitior a multiplicitatis hodie Græcis voluminibus, & ipsorum bonis præceptoribus quantulamcunque huiusce sermonis intelligentiam apprehendi. Nam sicuti riuulus ex fonte, ita ex lingua Græca, Latina descendit. Quisquis ergo fontis notitiam despicit, vim & proprietatem riuuli, poculo eius vtitur, nonne cognoscit. Iure igitur omnis Germania simul & Gallia tripartita hunc beatissimũ doctorem veneratur Hrabanum, vt vniuersum totius eruditionis principem: a quo & pontifices Romani susceperunt ecclesiasticæ disciplinæ & monastice, scripturarum salutarem clauem intelligentiæ. Merito, inquã, Germanorum posteritas omnis Hrabani laudes in perpetuum personabit, qui primus omnium veteri barbarie pulsa, suam fecit nationem sermone Latinam. Primus enim omnium sub fide Christi Germanos & Græcam resonare linguam docuit & Latinam. Nullus ante illum, apud Germanos vel natus vel institutus, Græci sermonis notitiam habens, tot volumina tam eleganter, tam propriè, tamque concinne atq; Latine vspiam conscripsit. Si qui vero apud Germanos in regno Francorum ante ipsum docti fuerint, non indigenæ, sed Græci, Romani, Galli, Scoti, Britanni, seu aduenæ aliunde venientes extiterant. Beatissimus autem Christianæ fidei doctor insignis Hrabanus, vnicus & primus Germanarum institutionũ princeps, & magister disciplinæ, qui nullum ante se in sua habuit natione præcedentem scientiæ consummatæ doctorem, diuino (haud dubium) succensus instinctu, quod domi habere nõ potuit: Romæ laudabiliter quæsiuit, inuenit, didicit, & Germanis sine inuidia reportauit, priscamq; de patria barbariem fugauit. Gentem suã gemino decorauit ornatu, quã & moribus ad sanctitatem politiorem reddidit, & infusa sermonis Romani elegantia in omnem scientiæ plenitudinem introduxit. O doctorem cunctis venerandũ seculis! O literatorũ principem, omnibus viris doctis perpetua celebrandum festiuitate, qui vitam in carne duxit sanctissimã, & vniuersis ecclesiæ filiis doctrinã effudit salutarem! Hic, inquã, vir æterna memoria cõmendandus est omniũ, qui non solum exemplo tunc præsentibus æternæ pabulum vitæ præbuit, sed etiã posteritati suis scriptis documẽta salutaria reliquit. Vere dignus est, cuius in benedictionibus memoriam celebret omnis per Germaniam posteritas, per quẽ nobis tanta mentis & corporis prouenit vtilitas. Fidem Christi orthodoxã summa cum alacritate semper docuit, sacrã eandem scripturã apud Germanos primus reddidit, viuã apostolicã ducens perniciosos hæreticorum errores constantissima ratione confutauit. Denique, sicut in superioribus est dictum, primus omniũ apud Germanos publicam monachorum scholã tenuit, in qua non solum claustrales, sed plures etiam secularis vitæ homines habuit auditores. In monasteriũ diuinarum scripturarum scientias conuertit seculares: &, veluti Socrates alter, tractã è cœlo Philosophiam in Ethicã transmutauit, propterea, vt me dixisse memini, auditores suos in omni doctrina literaturæ secularis ad plenũ instituit: eosque inprimis Grammaticos, Dialecticos, Rhetores, Arithmeticos, Geometras, Astronomos, Musicos, atque Poetas statuit: & postea idoneos ad diuinarum scripturarum scientiam introduxit. Hæc forma docendi per ipsum didascalis tradita, multis annis in Fuldensi monasterio perseuerauit, & successu tẽporis ad plura Germaniæ cœnobia non sine maxima vtilitate translata fuit sicuti facile per veterum scripta cõprobatur, eo tempore, præter solũ ordinem sancti patris Benedicti, nulla fuerunt claustraliũ per totã Germaniã cœnobia, cũ neq; Cistercienses adhuc essent instituti, neq; fratrũ Conuentus mendicantiũ, neq; aliarum cuiusuis obseruantiæ singularis, qui omnes longe postea superuenerunt. Eo ideo quotiens in hoc opere mẽtionem de monachis facimus, nõ alii quam Benedictini sunt intelligẽdi, nisi nominatim alterius professionis expressio fit specialis. Ad multos annos durauit in cœnobiis monachorum [illegible] laudabile studiũ scripturarum, &

viros

viros sanctitate non minus, quam doctrina sacer ordo Benedicti produxit innumerabiles. Legimus enim, sicuti ex supputatione annalium nostrorum constat manifestum, quod ex monachis ordinem sancti patris Benedicti professis, quatuor & viginti per successum temporis sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ fuerunt pontifices, cardinales ducenti, sexaginta nouem, Archiepiscopi, per diuersas mundi ecclesias, mille sexcenti, octoginta quatuor, Episcopi vero quatuor millia, quingenti, duodecim. Denique catalogo sanctorum ex eodem ordine reperiuntur ascripti, quindecim millia sexcenti, præter moniales & alios innumeros, quorum nomina ignoramus. Hi sunt fructus monachorũ studii salutaris, in quo, plantante Hrabano multa millia in omni doctrina & sanctitate totam illustrarunt ecclesiam. Sed non durauit in finem hæc sancta consuetudo monachorum, quoniam quod laudabiliter cœpit ex tempore, etiam cum tempore turpiter defecit. Nam circa Dominicæ natiuitatis annum millesimum centesimum, multiplicatis in ecclesia Dei variis institutis claustralium, studium à monachis nostris tepescere cœpit, ac pene defecit. Hrabanus autem Maurus, monachorũ scholasticus insignis, posteaquam scholis præfuerat annis quinque, manum apposuit ad scribendum, ætatis suæ anno tricesimo: qui fuit Dominicæ natiuitatis octingentesimus, octauusdecimus, indictione Romanorum vndecima. Et cumprimis quidem scripsit mirabile illud opus de laudibus sanctæ Crucis quod postea dicauit Gregorio summo pontifici quarto. De quo in supplicatione pro Mauro sic ait præceptor Albinus:

Hunc puerum docui diuini flumine verbi,
Ethicæ * *monitu & Sophiæ studio.*
Ipse quidem Francus genere est, atque incola syluæ
Buchoniæ, huc missus discere verba Dei.
Abba suus namque, Fuldensis rector ouilis,
Illum huc direxit, ad tua tecta, pater.
Quo mecum legeret metri scholastica artem,
Scripturam & sacram rite pararet ouans
Ast vbi sex lustra impleuit, iam scribere tempus,
Ad Christi laudem hunc edidit arte librum.

* for. præmissu.

Quæ vero, quanta, & qualia deinceps scripserit, tam in calce huius voluminis, quam in libro de scriptoribus ecclesiasticis lector studiosus poterit inuenire. Nullus ante illum Germanus tot volumina composuit: tot vtiles ecclesiæ tractatus tanta venustate, elegantiaque Latini sermonis rutilantes, in natione theutonica prius nemo lucubrauit. Nam vetus & nouum ex integro Testamentum in voluminibus multis exposuit, & commentariis pulcherrimis luculenter exornauit. Quod quidem scribendi studium ab eo tempore, vsque ad mortem suam per annos triginta nouem, sine intermissione, semper continuauit. Anno autem Domini nostri Iesu Christi octingentesimo vicesimo, indictione Romanorum tertia decima Rathgarius Fuldæ abbas tertius, cui fratrum electione quartus in ordine abbatum succedens, Ægilo, vir senex & religiosus, præfuit annis quinque, sub quo beatus Hrabanus cœptum strenue docendi continuauit officium, vitam in omni plenitudine virtutum agens religiosissimam: & sacram indesinenter explanans scripturam ad gloriam Dei omnipotentis. Qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

HRABANI MAVRI MAGNENTII, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, VIRI DOctissimi atque sanctissimi, liber Vitæ secundus, per Ioannem Trithemium, Abbatem Herbipol. fœliciter editus, incipit ad gloriam omnipotentis Dei.

HActenus, reuerendissime Præsul, & Princeps illustr Alberte, primum de vita sancti Hrabani prædecessoris tui librum, auxiliante Domino Deo, continuauimus, in quo conuersionem eius ad institutiones monasticas, studium quoque & eruditionem scripturarũ aperta narratione digessimus, vt quo feruore diuini amoris simul & fraternæ charitatis vir sanctus conuersationem suam inceperit posteritatis memoriæ perpetuo commendaremus. Nunc autem, in sequẽti libro, quem secundũ addicimus, primo tempus quo Fuldensi monasterio præfuit abbas, quantum * si vires nostræ tenues nimiũ extendunt, stylo commendare pergimus: vt historiam ordine debito non fraudemus, verumtamen nõ pollicemur, nos omnia scripturos, quæ in abbatia gessit: sed ex multis contigimus paucissima, vtpote qui propter negligentiam scriptorum inuenire nequiuimus, quæ restabant, potiora. Anno igitur Dominicæ natiuitatis octingẽtesimo, vicesimoquinto, indictione Romanorũ tertia, mortuus est Ægilo, Fuldensis monasterii abbas quart*, anno regiminis sui quinto, vir moribus & vita religiosus, & diuinarum scripturarum amator præcipuus. Post cuius sepulturam Hrabanus Maurus Magnentius, doctor & scholasticus, monachorũ celeberrimus, fratrum electione communi abbas in ordine quint* instituitur, anno ætatis suæ tricesimo septimo, & præfuit annis duobus & viginti, pastorẽ se ouium Christi exhibens, in omni sanctitate vitę spectabilem, & in opere semper efficacem. Primus Fuldæ abbas fuit a beato Bonifacio archiepiscopo institutus sanctus Sturmus, natione Anglicus, anno Domini septingentesimo, quadragesimo tertio, indictione Romanorũ vndecima, præfuitq; annis sex & triginta. Post quem Baugolfus abbas præfuit annis vigintiquinque. Cui successit Rathgarius annis sedecim. Quo mortuo, Ægil abbas præfuit annis quinque. Et illo vita defuncto, sanctus Hrabanus, in ordine fratrũ quintus, vt diximus, fuerat ordinatus. A fundatione itaq; monasterii Fuldensis, vsque ad ipsum Hrabanum, per annos octoginta duos, abbates per ordinẽ quatuor extiterunt. Hrabanus itaq; memorati cœnobii quintus abbas intitur* anno prænotato, qui fuit annus Ludouici regis Francorum Pii decimus, Eugenii Papæ secundi, annus quoq; secundus, & Othgarii archiepiscopi Moguntini primus, in humilitate pristina perseuerauit, & vitã, sicuti consueuerat, in omni puritate mentis & corporis corã Deo indesinenter continuauit. Deum munda cõscientia dilexit super omnia, pro cuius amore cõtempsit vniuersa. In toto corde suo mandatorum eius semper memor extitit, & nunquam a bono studio cessauit. In oratione tã deuotus & continuus extitit, vt nemo, cõuersationis eius ignarus, putasset illum lectioni scripturarũ vel * momentaneo potuisse intendere, vel nouæ compositionis quicquã lucubrare. Rursus in legendis diuinis scripturis, in lucubrandis quotidie ferme nouis voluminibus, atq; in docendis instituendisq; ad pietatem diuini cultus, ad regularis disciplinæ obseruantiã, & morum integritatem monachis commissis, nec minus in ordinanda cura domestica, tam frequens fuit & sedulus, vt orandi nullum videretur habere momentum. Amor quippe Dei, quo totus ardebat incensus, nõ permisit esse otiosum, quoniã, sicuti experimento verissime beatus testatur Gregorius, Amor Dei nunquã est otiosus. Spera[illegible] quod operari renuit, profecto verus Dei amor [illegible] fuit. Beatus itaq; abbas Hrabanus ouium Christi sollicitus, parum indulgens suæ infirmitati naturæ, omne tempus*, quo ab occupationibus rei familiaris sub[illegible] orationi & studio impendit. Monachum habuit nomine *Strabum*, patria Francum, ex vrbe Praxapolitana [illegible], virũ in omni scientia diuinarum humanarumq; literarũ doctissimum, carmine ac prosa longa exercitatione peritum, nec minus vitæ merito, quã scripturarum eruditione venerandum, quem post se monachorum scholæ præfecit, & introductum docendi modum obseruare, & continuare mandauit. Qui Strabus & prosa & carmine plura scripsit. Ipse denique Hrabanus, vigilantissimus pastor, munus docendi propter abbatiam penitus nõ deseruit: nec à componendis voluminibus cessauit. Amator nempe Dei [illegible]tus, quotiens opportune potuit, docẽdi officiũ, [illegible], repetiuit. Vnde quo liberius vacare posset [illegible], procurã oẽs rerum temporalium sufficientes constituit &

* for. se.

* for. momento.

idoneos, de quorum fidelitate non potuit dubitare. Regnum Dei ante omnia quærere studuit, & de reb⁹ transitoriis se nimis anxie nunquam intromisit. Et quia Deum in toto cor de suo dilexit super omnia, huius vitæ ab ipso necessaria consecutus est, magna in abundantia. Circa regimen vero animarum valde sollicitus extitit, & oues Christi sibi commissas verbo salutis, exemplo sanctitatis, & pabulo necessariæ sustentationis studiosissime pascere curauit. Sub eius regimine monasterium Fuldense rebus atq; personis creuit quotidie, & fama sanctitatis monachorum eius per totum Francorum se regnum diffudit. Præcipue tamen abbatis Hrabani opinio doctrinæ & sanctimoniæ in orbe fuit omnium celebris & gloriosa, non solum apud Germanos & Francos, sed apud Gallicanos quoq; & Italos. Cuius viri fama reges & principes, episcopos & doctores quoslibet, etiam longius distantes, in eius venerationem permouit. Omnes incomparabilem eius mirabantur doctrinam, & coniunctam eruditioni sanctitatem laudibus continuis prædicabant vbiq;. Ex omni regno Francorum, quod tunc erat vnum, Germanis & Gallis, ad audiendum illum certatim confluebant viri multarum facultatum periti, & se fore beatos existimabant, qui ad eius meruissent familiaritatem admitti. Multi quoque principes, nobiles & ciues Hrabani magisterio filios suos commiserunt imbuendos, variis atq; magnificis præceptorem donis & muneribus honorantes. Quos ille tanta sedulitate docuit, qua maior excogitari vix potuisset. Fuit enim laborum patiens, & qui sibi nihil onerosum aut graue iudicabat, quod vel ad Dei honorem, vel ad proximi pertinebat vtilitatem, vnde sibi soli natus videri non voluit, qui salutem aliorum semper, vt propriam quæsiuit. Ad regimen animarum, Deo prouidente valde fuit idoneus, vigilantia, pietate, discretione, prudentia, opere, & doctrina nulli secundus. Non erat penes illum acceptio personarum, sed electio sola meritorum: qui statim, vt abbas ordinatus fuerat, veritatem magistram, in omnibus Benedicti patris sequebatur regulam, a qua in omni vita sua nunquam temere declinauit. In ipsa namque regula sic abbas Benedictus mandat abbati: *Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti: nisi alia causa rationabilis existat. Quia siue seruus, siue liber, omnes vnum in Christo sumus, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus, quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur: si humiles & meliores cæteris in bonis & sanctis operibus inueniamur.* Hæc & alia monasticæ perfectionis instituta sanctus abba Hrabanus, vna cum euangelicis præceptis, teque conplures sibi in animo studuit adimplere continua, & fidelem in Christi ministrum atque vicarium in monasterio exhibuit. In doctrina sua regulam custodiuit apostolicam, in qua Paulus amator Christi præcepit, dicens ad
2. Tim. 4. 2. discipulum: *Argue, obsecra, increpa*, id est, misce discreto examine temporibus tempora, & terroribus blandimenta. Dirum magistri, & pium patris affectum subiectis sibi monachis exhibuit, quando indisciplinatos & duros corde eneruus arguit, obedientes vero mansuetos & humiles, vt in melius proficerent, paterno affectu beniuolus obsecrauit. Nunquam dissimulauit peccata delinquentium, sed mox vt oriri cœpissent vitia, radicitus amputauit. Honestiores enim & animis generosiores, prima vel secunda admonitione blandus corripuit, & oratione mansuetissima confestim ad sanitatem mentis reuocauit: improbos vero, si qui occurrissent, duros corde, superbos & inobedientes non verbis modo, sed etiam verberibus in
Prou. 18. ipso initio nentia seuerius castigauit, sciens scriptum, *quia stultus non corrigitur verbis.* Et iterum: *Percute filium tuum virga, &*
Prou. 23. 14. *liberabis animam eius* a morte.* Meditationem Dominicæ Passionis in corde suo singulari deuotione quotidie solebat
* al. de inferno. reuoluere, & pro morte Saluatoris innocentissima lachrymans & gemens gratias referre. Fertur enim sanctam in consuetudinem duxisse, vt nunquam cibum sumeret, nisi prius gratias agens, vitam, actus, & passionem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, ab incarnatione incipiens ad ascensum eius in cœlum per singulos articulos meditando, gemendo, & orando percurrisset. In argumentum est veritatis opus illud de laudibus sanctæ Crucis, in quo summa diligentia & deuotione mysteria Dominicæ Passionis euoluit. Nisi enim passioni Christo magnopere fuisset compassus, tanta studium præconiis nunquam eius passionis memoriam scribere potuisset. Verum quamuis in Christo compatiendo habuit vite [illegible] in [illegible], pietas ministrauit. Omnium namq; spiritualium exercitiorum Dominicæ passionis est maximum, in quo monachus, qui recto & sapido modo fuerit assiduus, cito magnum inuenit conuersationis internæ profectum. Monachus in hac sancta meditatione hominem mundanum præposuit, propterea quod exutus negotiis secularibus ad meditationem Dominicæ Passionis [illegible] & mortis aptior iudicetur. Hrabani autem conuersatio multum segregata fuit a mundo, propterea factus est Deo proximus, & sibi per binarium in ternario monasterio vnitus. Huius sanctissimæ conuersationis ad monasterium ternarii mysterium nemo veraciter intelligit, qui adhuc vitiorum puluere sordescit. Quisquis enim purgatus a voluptatibus carnis, & segregatus a vanis mundi sollicitudinib⁹ in domo Domini seculum solum habitat, iam oculos mentis apertos habere laudabiliter incipit, & nihil præter Deum solum vel amat vel metuit. Quo sanctissimo purgationis genere beatissimus abbas Hrabanus [illegible], Deum super omnia timuit, in cuius [illegible] [illegible] aut a bono opere [illegible] [illegible]. Quocirca futuræ sibi mortis [illegible], cum esset [illegible] [illegible] reddi[illegible], sedulo cogitabat, [illegible] regimen animarum. [illegible] ergo [illegible] reddendæ memoriam [illegible] mente, [illegible] pastoris [illegible] [illegible] vnus [illegible]. Propterea summo conatu sic [illegible], vt [illegible] permittit homo, [illegible] [illegible] reddenda ratione. Vnde non minus opere quam sermone, verum se omni [illegible] pastorem [illegible] Christi studuit exhibere. Et ob id omnia quæ discipulis docuit esse contraria, in suis factis ostendit non agenda. [illegible] gratum in cunctis actionibus exhibere studuit, [illegible] corde, & feruentissimo charitatis desiderio amauit. Ad [illegible] [illegible] ordinis [illegible], & a [illegible]. Ad subditos quoque suos debita sub [illegible] præbuit, quorum vtilitatem & [illegible] omnibus [illegible]. In charitate proximi propter Deum ardens fuit & [illegible], nulli grauis, in [illegible] nulli molestus, sed [illegible] beneficit [illegible]. Euangelicis obediens [illegible] præceptis, bonum quod sibi fieri, secundum [illegible] volunt, prior ipse [illegible] sedulo impendit. Omnes in Christo sincere dilexit, omne honore præuenit, & cunctis pro [illegible] benefacere [illegible]. Semetipsum sibi pro Christi [illegible] euangelicis mandatis, ac monasticis institutionibus suam in cunctis voluntatem subiecit: mortificauit q; pernitiosis desideriis, & [illegible] carnem, Christianæ arma patientiæ assumpsit. & [illegible] martyrio non caruit, vtpote qui corpus suum ieiuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis, & aliis exercitiis monasticis sine intermissione grauiter [illegible], carnibus, vino, & quibuslibet esculentis [illegible] semper abstinuit. Fabis, pisis, & holeribus naturæ indigentiam vtcunque sustentauit. [illegible] [illegible] & necessitatibus [illegible] nutrimentum. Quicquid necessitatibus suis potuit subtrahere, in vsus mox pauperum censuit erogari. Nam piennissimus cum esset in pauperes, & abbas Fuldæ, & archiepiscopus Moguntiæ, tanta eos commiseratione prosecutus est: vt de crastino nullam videretur habere prouidentiam. Vnde & a bonis viris, Deumq; timentibus pater nominabatur in [illegible], & [illegible]. Ab illis vero, quos [illegible] cupido insatiabilis auaritiæ flammis incenderat, non [illegible], non [illegible] munificus, sed prodigus, vanæ gloriæ, & dissipator [illegible] Christi, per iniuriam, potius nuncupari [illegible]. Ita virtus semper habet osores, qui [illegible] & [illegible] exemplo bonum, quod

negare in p[illegible]o nequeunt, in partem malam atque si[illegible] perueniunt. H[illegible] beatus Hrabanus ab[illegible] est [illegible], qui cum pietatem eius in pauperes haud negare possent, vanitatis studio ascribere non timebant, [illegible] vanæ laudis amore ductum eleemosynas facere potius, quam pro honore Dei. Sed vir Domini [illegible] fide Christi, qui radio diuini amoris stabili iam firmitate ardebat, nec vanis blateronum curauit obloquia, nec à bono, quod inchoauerat, opere propterea cessauit: quamuis non modo detractionibus suorum, sed etiam conuitiis vrgeretur. Nec tamen mirum, si in tanta congregatione bonorum inueniebantur etiam nonnulli minus perfecti, aut mali, cum inter duodecim apostolos Christi vnus fuerit inuentus traditor sui magistri: & e septem prius ecclesiæ diaconibus sui extiterit nonnullis auctor erroris. Verumtamen nõ dereliquit omnipotens famulum suum in tribulatione, quem in camino paupertatis multipliciter probatũ inuenit esse fidelem, ac stabili firmitate voluntatis bonæ pene immobilem. Nullus eorum, quibus Dei amor cordi fuerat, & sacrarum studium scripturarum, facientem eleemosynas virũ Dei molestabat in aliquo, sed ex monachis illi, quos ministros & dispensatores rerum domesticarum constituerat, facibus auaritiæ succensi, bonis obnitebantur studiis sui pastoris. E quibus vnus fuit, nomine *Adelhardus*, patria Francus, homo plus æquo in rebus mundi sollicitus, quem pater maiorem cellerarium domus constituerat, cuius historiã infœlicitatis vt scribamus, ratio postulat æquitatis. Clementissimus inopũ pater publico mandauit edicto, vt quotiens ex fratribus monasterii aliquis morte commutaret hanc miserabilem vitã, eius præbenda in cibo & potu integra, & sine diminutione, per dies triginta cõtinuos pro animæ defuncti salute, pauperibus deberet erogari. Contigit autem anno Hrabani abbatis duodecimo, qui fuit Dominicæ Natiuitatis octingentesimus, tricesimusseptimus, Indictione Romanorũ quintadecima, plures in Fuldẽsi cœnobio monachos, vocante Domino, ab hac miseria futurã transmigrare ad vitã. Vnde vir sanctus & defunctis compatiens & pauperibus viuis, ipsi Adelhardo, dispensatori dom⁹, seriosius mandauit, coram omnibus dicens ei: *Cura frater quam diligentissime, vt præbendas defunctorum fratrum meorum plenas & integras, sicuti pro eorum salute constitui, singulis fideliter pauperibus distribuas. Quod si neglexeris, animam tuam in districto Dei iudicio ream fore noueris, & puniendam.* Respondit Adelhardus, se patris iussa libenter facturum. Sed ô virus mortiferum, quã noxia est semper claustralibus auaritia, quos & propriæ salutis facit immemores, & contra pietatem monastirã in superbia pertinaces. Adelhardus piger ad obedientiam, tardus ad pietatem, & ardens [illegible] ad auaritiã, [illegible] inopum neglexit, & nimia cupiditate seductus, suffragia mortuorum [illegible] fraudulenter subtraxit. Nam partim contemptu abbatis, cuius obnitebatur pietati, partim auaritia, [illegible] quã cupiditate perniciosã, diues in reprobum sensum [illegible] in Domino præbendas, aut in totũ retinuit, aut [illegible] fideliter pauperibus ministrauit. Sed non tulit æquitas diuina tanta eius temeritatem sine vindicta. Quadam itaque die, cum externis rerum curis nimium occupatus, hora [illegible] tardior, & dormientibus cæteris per locum capitularem solus tenderet in dormitorium, lucernulã ex more [illegible] manibus gestans, vidit illic per gyrum monachos considere plurimos, consueto schemate nigro indutos: & nimio terrore correpť, quid ageret, nesciebat. Erat enim [illegible] hora noctis, qua conuentum simul tunc adunatum [illegible] nõ potuit. Vnde cum diligentius intueretur, singulas fratrum nuper vita defunctorũ vmbras esse cognouit, quibus stipendia subtraxerat ordinata, & vltra modũ perturbatus animo, retrocedere tentabat. Sed nimius pauor, sanguine concitato in aduersum, & crura obrigescere fecit & pedes, vsque adeo, quod se mouere de loco non potuit. Consurgunt mox impetuose spirituum defunctorũ terribiles vmbræ, prostratumq; nimio pauore videntẽ, indumentis, virtute occulta, spoliarunt, ac dorso, non solũ vt nobis est cõsuetudo castigãdis nudato, sed insuper corpore toto miserũ cædunt, [illegible] virgis verberãt, percutiunt, horribili voce, [illegible] consonantes: * *Arripe infœlix auaritia, quam meruisti, vindictam, [illegible] grauiora recepturus, postquam nobis [illegible] mortuis fuere computatum.* Euanescentibus mox vmbris, remansit Adelhardus iacens, vt mortuus, circa mediũ [illegible] noctis, cũ fratres consurgerent ad laudes matutinas, [illegible] miserum reperiunt, in loco capitulari iacentem, mortuo quã viuo similiorem. Qui deportatus ad [illegible]orium, & ad se tandem, [illegible] ope, reuersus, quid viderit, & quæ mala perpessus fuerit, audientib⁹ reuelauit, & quod die tertia moriturus, iuxta verbũ apparentium [illegible], prædixit. Et ne somnium existimarent, aut solius passionem mentis: *Cernite, inquit, plagas, & verbera [illegible] liuores quia nemo sic dormiens absq; impressione aliena [illegible] potuit figurari.* Intuebantur miserabili [illegible] perculsi astantes, nec lachrymas poterant continere, inter quos sanctus pastor Hrabanus omni [illegible] periclitanti ampliori compatiebatur affectu charitatis, & piæ commiserationis. Cur[illegible] ergo sollicitus, quod officiũ requirebat abbatis, iamq; viribus deficientem, paterno [illegible] affectu de cõmissis pœnitentiã agere, & de misericordia Dei nullaten⁹ desperare. Quem etiã salubri admonitione contritũ & pœnitentem, sacramentis præmuniuit Dominicis, morientemq; precibus Domino instanti⁹ commendauit. At ille sub magno & aperto signo veræ [illegible] die tertia migrauit e vita. Quo mortuo, beatissimus abba Hrabanus omnipotenti Deo sacrificiũ hostiæ salutaris pro remedio animę illius obtulit, ieiunia & orationes & sibi, & fratribus indixit, eleemosynas auxit, & in salutẽ ei⁹, quicquid boni poterat, misericorditer impendit. Cũ ecce defunctus, tricesima die post mortem suam, in cella oranti Hrabano post matutinas visibilis, & squalidus apparuit, & qualis pateretur, etiam habitu & assumpto schemate quodammodo demonstrauit. Ad quẽ nihil territus vir Domini ait: *Quomodo est, frater, & quid circa te nunc agitur, qui tam squalidus mihi appares? Dic mihi, per Dominum precor: quid tibi profuerunt orationes nostræ, castigationes & victimæ?* Cui respondit spiritus: *Orationes vestræ omnipotenti Deo gratæ & acceptæ fuerunt, mihiq; non in paruũ releuamen profuere pœnarum, sed plenã obtinere veniã nequeo, donec fratres mei [illegible] in cœlũ purgati, quos ego in carne positus, mea tenacitate ac negligentia in pœnis purgatorii retardaui. Nam & præbenda mihi aliquando debita ipsis in subsidiũ prouenit, sicuti diuina iustitia ordinauit: sed oro te pater, duplum mihi præbendæ pauperum, & certus fide, quod Dei miseratione citius liberabor.* Promisit vir sanct⁹, quod postulauit defunctus. Duplicauit egenis præbendas, & orationes cõtinuauit. Vnde post alios triginta dies iterũ claro schemate defunctus apparuit viuo pastori, se iã tunc liberatũ retulit, Domino Deo, & Hrabano gratias egit. Ex eo tempore Fuldenses monachi pauore tã miserabilis historiæ perculsi, & [illegible] satisfactione [illegible] pro mortuis [illegible] adhibuere sollicitã, & abbatis sui præcepta, sine contradictione, [illegible] custodire [illegible]bant. Nam cũ huius [illegible] apud eos memoria, qui tunc inter mortales viuebãt, penitus esset indelebilis, mentes omnium tanto perculserat metu pauoris, quod nõ solũ defunctis vita fratribus præbẽdas distribuebant integras, & plenas in vsus pauperũ, sed vnusquisq; etiã de sua portione [illegible] quotidie subtrahẽs aliquid [illegible] subsidium contulit egenorũ. Fecit & aliam valde necessariã cõstitutionem beatus abbas Hrabanus, quæ, vt fertur, vsq; in præsentem diem in monasterio seruatur. Sciens enim quã sit monachis frequens cõspectus mulierũ periculosus, illis maxime, qui iuniores ætate in timore Domini adhuc minus exercitatos habent sensus, de consilio duodecim seniorũ [illegible] perpetuo mulieribus ad monasteriũ interdixit accessum. Quæ [illegible] constitutio vt robur obtineret perpetuum [illegible] sexui per aquilonarem vrbis portã, extra quã situm est monasteriũ, perpetua sanctione prohibuit & negauit. In huius primordio constitutionis matrona quædam nobilis, curiositate fœminea superata, sancti abbatis inhibitionẽ cõtemnens, adiunctaq. sibi famula [illegible] per veterem vrbis portã exiuit, & ecclesiam monasterii [illegible] temere [illegible] intrauit [illegible] mox à dæmone arrepta, hor[illegible]-

* for. Accipe.

biles cœpit emittere voces, astantesq; nimio pauore perterruit. Quam ligatis manibus sui reportarunt in oppidu, & salutem eius cum lachrymis Hrabani & monachorũ precibus commiserunt. Verum, Domino permittente, tam crudeliter in eam sæuiebat dæmoniu, quod intra paucos dies morti fuit cópulsa, dæmonio in ea sine intermissione clamante: *Pro me data est sententia Dei, quoniam nemo, sola morte excepta, me ab hoc vasculo eiiciet.* Similia nõnullis constat postea contigisse mulieribus, quas sub simili præsumptione dæmonium inuasit. In festis tamen sancti Bonifacii martyris & dedicationis hodie mulieribus ad ecclesiam monasterii tantum accessus permittitur, quod beati Hrabani, & multis postea temporibus penitus negabatur. His & aliis multis per virũ Dei laudabiliter constitutis, & mirabiliter patratis, nemo de eius sanctitate poterat dubitare, cuius nutui omnes tam promptam cernebant diuinam adesse potentiam. Vnde nomen eius in toto regno Francorum factum est magna celebritate gloriosum: & multi de remotis terræ prouinciis eius fama eruditionis & sanctitatis excitati, ad videndum illũ & audiendũ quotidie confluebant, qui conuersatione ac moribus eius perspectis, ad meliora profecerunt. Multis in abbatia Fuldensi virtutibus coruscauit & signis, quorum à nobis memoriam, nimia intercapedo temporis abscondens, obliuione perpetua sepeliuit. Ita mortalib⁹ semper vilescunt præsentia, vt quantumlibet excellẽter suis temporibus dicta seu facta insigniũ virorum, non solũ commendare literis despiciant, sed etiã laudem adhibere meritis eorum dignam contemnant. Veterum magnifice gesta & legunt auide, & laudibus celebrant, sed contemporaneos sibi viros, etiam si veteribus sint meliores, quasi notos, & ob id minoris precii, spernẽdo meritis priuant. Tam est iniqua mortalium de rebus æstimatio semper, vt incognita miretur, & laudibus celebret: nota vero, & sibi præsentia, tanquam nihilum vilipendat: fidem maiorem incertis scriptis præstans alienis, quam scientiam vel æstimationẽ oculis propriis. Hinc fit iniuria multis, qui magna fecerunt in hoc mundo temporibus suis, & scriptorũ vel penuria, vel negligentia, nullã, aut paruam, apud posteritatem, memoriam sunt consecuti. Sic Hrabanus, sanctissimus abbas, magnas fecit in diebus suis virtutes, nec tamen condignam meritis à scriptoribus accepit memoriam. Refert enim supradictus auctor, Megintridus, in volumine de temporibus gratiæ, Hrabanum hunc, beatissimum abbatem, suis ad Deum orationibus cæcos illuminasse, duos claudos gressib⁹ formasse, quatuor, de humanis etiam corporibus plures eiecisse dæmones, & multis aliis claruisse miraculis. Sed quo hæc facta sint ordine, nõ satis luculenter expressit, propterea tamen de sanctitate illius dubitandum non est, quod vitam eius nõ inuenimus ex ordine ab antiquis compositam: cum similia multis sanctorum acciderint. Verum si quis de huius viri sanctimonia dubitat, libros, quos magno labore quondam edidit, attentius reuoluat. Optima scripsit, quoniam diuino spiritu illustratus, pure, sancte, & irreprehensibiliter in medio prauæ nationis vixit. Nec aliter viuere potuit, qui tam sancta docuit & scripsit. Nam cum esset ardens in diuino amore, nullum sine spirituali exercitio tempus præteriit, quippe qui se totum Dei seruitio mancipauit. Legit vtilia, scripsit sancta, docuit recta, operabatur cœlestia, & sine intermissione meditabatur diuina. Hæc illum sancta conuersatio, & nobis merito venerabilem fecit in terris, & cum sanctis Dei omnibus gloriosum reddidit in cœlis. Deo iuuenis in monasterio cœpit viuere, ac bene cœpta fideliter vsq, ad mortem continuauit. Monachus fuit innocens, Abbas in Deo semper proficiens, archiepiscopus inter præfectos excellens, fraternæ charitatis amator & cultor feruentissimus extitit, & salutem omnium studiosissime quæsiuit. Vnde zelo diuini amoris accensus, multis cœnobiis, quæ tunc fundabantur de nouo, & monachos ex suis dedit rogatus, & doctrina præclaros abbates. Infirmiores quosque, & minus in obseruantia regulari zelosos atque perfectos, in monasterio secum detinuit: & sub virga disciplinæ ad meliora quotidie compellere non cessauit. Ad monasteria vero nouiter fundata, nõ misit infirmos, sed fortes, non tepidos & carnales, sed moribus & eruditione consummatos atq; perfectos. Anno regiminis sui abbatialis tertiodecimo, qui fuit Dominicæ Natiuitatis octingentesimus, tricesimusoctauus, indictione Romanorum prima, cum Erlafridus quidam Comes in Calba monasterium in memoria sancti Aurelii pontificis, apud Hirsaugiam, Spirensis diœcesis, nouum a fundamento construxisset, missa legatione in Fuldam cum precibus Otgari Archiepiscopi Moguntini * & Hrabanum abbatem, monachos ab eo petiit, & eius dispositioni cœnobium, quod erexerat, cõmendauit. Qui pro Dei reuerentia, precibus annuens supplicantis, Luthertum Hirsaugiæ primum abbatem cõstituit, cui de suis, monachos in omni religione perfectos monastica, quindecim numero coniunxit. Ad monasteriũ quoq; nouæ Corbeiæ, q in Saxonica regione, quæ nunc Westgallia nuncupatur, fundari cœpit, anno Dominicæ Natiuitatis octingẽtesimo, vicesimosecundo, indictione Romanorũ quintadecima, monachos postea consummatos destinauit, viros eruditos atque sanctissimos, inter quos sanctus Altfridus, postea quartus in Hildelsheim pontifex, vnus extitit: per quem Deus multa signa & miracula fidelibus ostendit. Ad alia quoq; plura cœnobia, eo tempore nouiter costructa, beatus Pater abbates misit & monachos, quorum nomina breuitatis amore silentio pertransiuimus, vt potè qui ad finem historiæ rationabiliter festinamus. Cum itaq; reuerendissimus abbas Hrabanus in lege monastica irreprehensibiliter viueret, & multos verbo & exemplo ad iustitiã erudiret, sæuit in eum totius boni aduersarius, & variis modis viri propositũ eneruare, penitusq; subuertere laborabat, & multis variisq; nocendi modis virum sanctum impetiuit, cum animi eius constantiam nequaquam posset infringere, subditorũ eius mentes ad odium pastoris callida studuit machinatione prouocare. Anno igitur Natiuitatis eius quinquagesimo septimo, vt Megintridus (Fuldæ postea monachus) est autor, facta est inter eum & monachos eius, sollicitante diabolo, grauis quædã & nociua dissensio: cuius tamen causam non expressit. Quem Ludouicus Germanorum rex, frater Lotharii Imperatoris, ac Regis Italiæ, filius Ludouici primi cum audiuisset, missis ad Fuldam nunciis, Hrabanum ad se vocauit abbatem, & monachorum temeritatem regali auctoritate compescuit, venientemq, cum honore suscepit, & biennio ferme secu in curia regali detinuit. Interea monachi Fuldenses pœnitentia ducti, oratores miserunt ad regem, humili supplicatione rogantes, vt ablatum sibi redonaret abbatem. Quod tamen facere, propter causam rationabilem, & abbas ipse renuit, & Rex admittere nullatenus consensit. Mansit ergo in aula regia beatus abbas Hrabanus biennio, vsq; ad mortem Orgarii Archiepiscopi Moguntini, monachis interim lamentantibus.

* for. ad.

Finis libri secundi.

HRABANI MAVRI MAGNENTII, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, VIRI DOCTISSIMI ATQUE SANCTISSIMI LIBER VITÆ TERTIUS, per Ioannem Trithemium Abbatem nouiter editus.

IGitur post mortem memorati Archiepiscopi Moguntini Otgarii, qui fuit in ordine archipræsulũ quintus, & obiit anno Dominicæ Natiuitatis octingentesimo, quadragesimoseptimo, indictione Romanorũ decima, mensis Aprilis die vicesimaprima, in monasterio sancti Albani martyris apud Moguntiã, in capella sancti Bonifacii cum honore sepult⁹, anno pontificatus sui vicesimosecundo, beatus Hrabanus Maurus Magnentius, abbas Fuldensis, promotione Ludouici regis, in Archiepisc. Moguntinũ electus, votis procerum successit, & præfuit annis nouem, mensibus quatuor. Cui substitutus in abbatia Fuldensi succedens præfuit annis septem. Hrabanus itaque abbas anno ætatis suæ quinquagesimo nono, qui fuit Lotharii Imperatoris septimus, & quarti Leonis Papæ secundus, Germanorumque regis Ludouici æque septi-

mus, & Dominicæ Natiuitatis, iam prænotatus in Archiepiscopum ordinatus, pristinum vitæ rigorem non solum in nullo minuit, sed quasi tunc primum inciperet, conuersi ad Deum, regularis obseruantiæ disciplinam in multis auctam, vsque ad mortem custodiuit. A carnibus & vino imprimus abstinuit, delicias non quæsiuit, nullas infirmæ carnis aut mundi voluptates siue illecebras vllatenus admisit: balnea, & omne quod corpus tenerum fouet, sed mentem resoluit, damnatione perpetua refutauit, gregem sibi commissum, vt verus pontifex, feruidusque Christi minister, summa diligentia custodiuit; quem verbo, exemplo simul, & huius vitæ pabulo, qua potuit sollicitudine, pauit & enutriuit. Ab eius memoria nunquam recessit apostolica
1. Tim. 3. sententia Pauli, dicentis. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, castum, virtutibus ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, atque salutaris scientia doctorem: Non vinolentum, non percussorem sed modestum: Non litigiosum, non cupidum, & qui testimonium habeat bonum ab his etiam, qui foris sunt; vt non in improperium incidat, & in laqueum diaboli.* Quæ omnia crebrius in mente reuoluens, nihil eorum, quæ pontificalis ministerii officium requirere videbatur, omisit, sed irreprehensibilem se cunctis in operibus bonis semper exhibuit. Ordinatus autem fuit in Archiepiscopum, sicut est dictum, vicesima sexta die mensis Iunii, quæ fuit sanctorum, Ioannis & Pauli, martyrum festiuitate solennis, apud Moguntiam in ecclesia cathedrali: rege Ludouico, & multis aliis præsentibus. Eodem anno, iubente Ludouico rege, apud Moguntiam in monasterio sancti Albani martyris, circa principium mensis Octobris synodum habuit, ad quam non solum de sua prouincia, sed etiam de aliis plures episcopos & abbates conuocauit; quorum consilio, multa pro communi vtilitate rei ecclesiasticæ prudenter ordinauit. Fer idem tempus mulier quædam, Thierda nomine, pseudoprophetissa, de partibus alienis venit ad Moguntiam: quæ Salomonis episcopi Constantiensis parochiam suis vaticiniis non modice perturbauerat. Nam certam, de proximo instantem consummationis seculi diem, aliaque perplura, quæ soli Deo sunt cognita, quasi diuinitus sibi reuelata, se scire, publice prædicabat; dicens, eodem anno vltimum mundi diem imminere. Vnde multi ex populo vtriusque sexus timore perculsi, ad eam venerunt, oblatisque muneribus, se illius orationibus, quasi alicuius sanctæ commendabant. Et quod grauius est, sacri etiam ordinis viri doctrinas ecclesiasticas postponentes, illam quasi magistram cœlitus destinatam sequebantur. Hæc ad præsentiam sancti Hrabani archipræsulis, & aliorum episcoporum apud sanctum Albanum deducta, & diligenter de suis assertionibus requisita; presbyterum quendam sibi ea suggessisse, & se talia, quæstus causa, in populum seminasse, professa est. Quapropter synodali iudicio publice cæsa flagellis, ministerium prædicationis, quod irrationabiliter vsurpauerat, & sibi contra morem ecclesiasticum vendicare præsumpserat, cum dedecore maximo & manifesta confusione amisit, suisque vaticiniis tandem confusa, finem imposuit. Botescaleus quoque presbyter quidam, natione Gallus, ex Remorum diœcesi adueniens, de prædestinatione Dei nouum & perniciosum seminabat errorem. Dicebat enim, tam bonos ad vitam æternæ fœlicitatis, quam malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter a Deo prædestinatos esse: & nec illis nocere, si peccent, nec malis & præscitis prodesse, si ad melioris vitæ propositum conuertantur, eo quod prouidentia Dei omnino sit infallibilis. Contra quem beatissimus archipræsul Hrabanus campum disputationis latum ingressus, tam scripturarum auctoritate, quam euidentia rationis cum coram omnibus, Deo auxiliante, superauit, & vi argumentationis vsque adeo reddidit mutum, quod nihil pro sua opinione amplius potuit inferre. Benedictus per omnia Deus, qui perniciosissimum dogma erroris, per os famuli sui Hrabani confutauit. Rationabiliter itaq; à sancto Hrabano conuictus, superatus, & confusus in conspectu episcoporũ, abbatum, & cæterorum omnium, qui fuere præsentes, correctionẽ assumpsit, erroremq; suum publice reuocauit. De sententia vero synodi sanctæ ad episcopum proprium Hingmarum Remis transmissus est, dato prius iuramento confirmationis, ne in regnum Ludouici, hoc est, Germanicum amplius rediret. Multa quoque in eadem synodo & alia fuerunt vtiliter decreta, quę alibi habentur. Verum silentio prętereundum non est, quemadmodum omnis boni hostis & inimicus, Diabolus sanctis Hrabani studiis aduersabatur in omnibus die ac nocte, quærens & obseruans eius vitæ semitas, vt eum vel a sanctitatis reuocaret proposito, vel publicæ neci exponeret, aut confusioni personali. Nec à male cœptis quieuit, quousque tandem in breui plurium animas subditorum subuerterit. Nam cum vix duos in pontificatu menses impleuisset, suis pene omnibus, instigante spiritu maligno, cœpit nimium displicere, quorum tanta fuit subsecuta temeritas, vt occultum de morte illius tractarent consilium: conspirantes enim aduersus eum ex clericis ecclesiæ Moguntinæ complures, quorum vitia & inordinatam conuersationem vir sanctus rationabiliter arguebat, de laicis etiam multos nobiles & ignobiles in suam peruersam societatem occulte traxerunt, & malum in proprium pontificem consilium adunarunt. Fuit autẽ Hrabanus pontifex & in se rectus, integer, & iustus; ad subditos vero Zelosus, & pastorali sollicitudine vigilantissimus, qui cum ecclesiæ ministros ad Canonicas constitutiones, iuxta obsecrationem, vellet reducere, prauorum contra se mentes grauiter irritauit. Et nisi prouidentia diuina, quæ nunquam in sua dispositione fallitur, aliter ordinasset, manus impiorum effugere minime potuisset. *Sed non est consilium hominis contra Deum.* Eodem namque Prouer. 21.
tempore Hrabanus Archiepiscopus synodo prędidebat, apud sanctũ Albanum, Ludouicus rex in ciuitate Mogũtina procerum regni celebrabat conuentũ, qui homines sancti Hrabani, vt Regino testatur in chronicis, cõspirantes aduersus Dominũ suum, publice conuictos, cũ eo pacificauit, & vnicuiq; pro mensura delicti satisfactione iniunxit. Anno post hęc Dominicę Natiuitatis octingentesimo, quinquagesimo secundo, indictione Romanorũ quintadecima, qui fuit põtificatus beati Hrabani quint⁹ annus, iterũ celebrata est synodus, rege Ludouico iubẽte apud Mogũtiã, in monasterio sancti Albani martyris, ipso Hrabano pſidẽte Archiepiscopo, in qua pene oẽs episcopi, & abbates Francię orientalis, Bauarię atq; Saxonię, cũ Rhenanis & Mosellanis cõparuerunt propriis in plonis. Multa in ea synodo statuta sunt, ad cõmunem vtilitatem ecclesię, proq; morũ correctione Deo famulantiũ clericorũ; q̃ omnia Ludouicus ipse regali auctoritate cõfirmauit. Et episcopi quidẽ synodales q̃stiones in cõsilio determinabãt, rex aũt cum principib. in ciuitate tedãdis litib. inuigilabat. Anno Dominicę Natiuitatis octingentesimo quinquagesimo, indictione Romanorum tertiadecima, qui fuit sancti Hrabani annus in põtificatu 3. Germaniæ populos grauissima fames oppressit, maximẽ circa Rhenũ habitantes. Nã vnus modius frumenti in vrbe Moguntię, vendebatur pro decẽ nũmis argenti, quorũ sex & viginti vnũ hodie faciunt auri florenũ. Ex qua supputatione cõstat, vnum octale frumẽti, q̃ *Maldrũ* vocant, plus q̃ tres solidos florenos dictę mensurę Moguntinęsis. Morabatur aũt eo tẽpore beatus Hrabanus Archiepiscopus in quadã villa parochię suę, cui vocabulum est W *inella*, q̃ in dextra Rheni fluminis ad dextrã, ferme trib. a Moguntia distat miliarib. & nunc ab incolis terię Winckel nuncupatur. In ea residens, pauperes de diuersis locis aduenientes condũ pl⁹ q̃ trecentos suscipiebat, & alimẽto sustentabat, exceptis his, qui in præsentia illius assidue vescebantur. Venit aũt inter alios, vna dierum & mulier quędã ex villa Crucenaco (q̃ nunc oppidum est) oriunda, inedia pene cõsumpta cum infante paruulo, cũ aliis pauperibus, refocillari desiderans. Quę priusquã limen portæ domus episcopalis transcenderat, pręnimia imbecillitate corruens in terrã, spiritum exhalauit. Puer vero mamillã matris de mortuę iacentis, quasi viuentis, de sinu protrahens, & sugere tentans, multos intuentes ad fletum coegit. Quæ cum

beato pontifici nunciata fuissent, ingemuit, & præ nimio compassionis dolore lachrymas cohibere non potuit. Ex illa die per omnem regionem misericordiam prædicari fecit egenis, eleemosynas pro viribus auxit. Pauperibus, vndecunq; venientibus, necessarium præsentis vitæ pabulum abundantius ministrauit. Hanc eius munificentiam in pauperes omnipotens Deus gratam habens, duplici beneficio remunerasse legitur; dum ei copiosam huius vitæ prouisionem in præsenti retribuit, & animam illius tandem à corpore separatam, æternæ fœlicitatis in
Psal.111.9 cœlo delicijs perpetuo satiauit. *Dispersit* enim huius vitæ diuitias pro Christi amore, & *dedit pauperibus*, propter
& cornu. quod & *Iustitia eius manet in seculum seculi*, * & cornu eius cum sanctis omnibus exaltatur in gloria. Christum Iesum vnigenitum Dei filium, cuius minister erat & pontifex, amauit super omnia, pro cuius honore fidelem se ouium eius pastorem exhibuit, inscios docuit, pauperes pauit, errantes & per deuia peccatorum præcipitatos ad viam iustitiæ paterna solicitudine reduxit. Vere iustus
Eccl.31.8. & sanctus, *qui post aurum non abiit: nec in thesauris pecuniæ sperauit*. Omnis confidentia eius fuit in Domino, pro cuius amore cætera omnia despexit. Vnde rerum temporalium curam exemplo priscorum pontificum viris commisit idoneis: quorum releuatus ministerio, spiritualibus interius vacaret. Ea vero, quæ pontificale requirebant officium, in tota dioecesi per semetipsum administrabat, lectioni diuinarum scripturarum, meditationi quoque, orationi & contemplationi, quotiens a pontificali poterat ministerio vacare, semper fuit intentus, & sanctitatis exercitium, quod monachus in cœnobio didicerat, etiam Archipræsul factus, siue intermissione, continuans, nunquam intermisit. Verbum Dei prædicare sibi commisso populo non erubuit; quippe qui se Apostolorum cõsecutum esse ministerium recognouit. Enimuero sicut non meretur dici Apostolus, qui vacans mundi negociis vel ocio, verbum Dei commissis sibi populis non prędicat: Ita episcopali honore penitus est indignus, qui neglectis siue postpositis spiritualibus, sola temporalia curat. Transiens ergo per vicos, perq; castella & villas, Apostolorum more, Hrabanus cum clericis nonnullis & monachis, quos ad hoc ministeriũ nouit idoneos: Euangelium Dei populo nunciauit, delinquentes corripuit, pœnitentes Domino reconciliauit. Mores clericorum totis viribus ad Apostolicam institutionem reformare studuit, pro quorum directione salubri, tres libros notabiles ad Haldolfum, quartum Archiepiscopum Moguntinum, suum successorem, prius lucubrauit. Quotiens vero ab actionibus ecclesiæ publicis vacabat, mansionẽ residentię corporalis tenebat vel in memorata villa circa Rhenum Wincella, vel in Moguntia, circa maiorem ecclesiam, in domo episcopali, aut certe in monte, haud procul à prænominato vico, qui de nomine illius dictus est Bisthofeberus, in quo nũc monasterium sancti Ioannis Baptistę cernitur esse constructum. Frequenter etiam manere consueuit in cœnobio sancti martyris Albani, quod in monte prope Moguntiam Richolfus, tertius Archiepiscopus, construxit, anno Domini septingentesimo, nonagesimo sexto, indictione Romanorum quarta, propter monachorum ibi Deo famulantium vitæ sanctitatem. In monasterio etiam canonicorum sancti Victoris, extra Moguntiam, sæpius habitabat, cum propter aeris temperiem, tum propter loci & situs amœnitatem. Ibi nonnulla pro fidelium ædificatione scribens composuit, vbi & sanctus Lullus quondam Archiepiscopus orationi meditationiq; insistere consueuit. Hic iam reor oportunum, vt quam plura, quamq; vtilia scripserit volumina Hrabanus iste, sanctissimus pontifex, ab anno ætatis suæ tricesimo, vsq; ad finem vitæ per annos ferme octo & triginta, quibus nunquam à studio scripturarum & editione librorum cessauit, posteritatis memoriæ commendem. Fuit enim, quemadmodum in superioribus dictum est, per Germaniam omnium doctissimus, qui multitudine, vtilitate, facundia, & elegantia librorum à se editorum, nec præcedentem quenquam habuit similem, nec post se reliquit æqualem. Quod verum ex eo constabit facilius, si titulos librorum eius per ordinem exprimamus, non quo sunt editi, sed a nobis collocati.

Scripsit igitur ad Frecolfum Lexouiensem in Normannia episcopum, quondam discipulum suum de quo supra diximus, in Genesim libros quatuor: in Exodum libros quatuor: in Numeros libros quatuor: in Leuiticum libros quatuor: in Deuteronomium libros quatuor: in historiam Iosue libros duos: in historiam Iudicum libros duos: in historiam Ruth librum vnum: ad Hildouinum, abbatem sancti Dionysii super historiam Regum libros plures: in Paralipomenon libros quatuor: in Esdram & Neemiam libros tres: in historiam Tobiæ librum vnum: in historiam Iudith libros septem: in historiam Hester librum vnum: in historiam Iob libros plures: in totum Psalterium libros plures: in Prouerbia Salomonis libros plures: in Ecclesiasten libros plures: in Cantica Canticorum libros plures: in librum sapientiæ libros tres: in Ecclesiasticum libros decem: In Esaiam prophetã libros viginti: in Ezechielem libros viginti: in Danielem prophetã libros tres: in duodecim Prophetas minores libros duodecim: in historiam Machabęorum libros tres: in Euangelium Matthæi libros octo: in Euangelium Lucæ libros tres: in euangelium Marci libros quatuor. in euangelium Ioannis libros plures: ad Luxum Seruatum presbyterum in omnes epistolas Pauli Apostoli libros tres, & viginti: in Actus apostolorum libros plures: in Epistolas Canonicas libros septem: in Apocalypsim Ioannis libros plures: ad Gregorium Papam quartum de laudibus sanctæ Crucis laboriosum & mirabile opus, libros duos: ad Haymonem Episcopum Halberstatensem de Vniuerso, libros viginti duos: de Vniuersali natura, librum vnum. ad Haistulfum quartum ecclesiæ Moguntinæ archiepiscopum, de institutione, vita & moribus clericorum, libros tres: ad Humbertum episcopum de quæstionibus Canonum librum vnum: ad Reginbaldum Episcopum de eadem materia, librum vnũ de benedictionibus Patriarcharum, librum vnum: *de diuinis officiis, libri sedecim*. de computo ecclesiastico, libros duos: *præparamenta septem artium liberalium, multa insuper volumina comprehendit. Et grammaticam libros* quatuor *de metrica compositione*, libros tres: ad Ludouicum Germaniæ regem libros, & Epistolas edidit plurimas, de materiis diuersis & variis sibi ab eo propositis. Epistolas quoque sermones & homelias plures & sine certo numero scripsit composuit, & dixit, quorum singulorum per ordinem facere mentionem nimis foret lectoribus tœdiosum. Multa enim & alia scripsisse creditur, quæ in cognitionis nostræ ergasterium necdum peruenerunt. Hæc sunt Hrabani doctissimi, atque sanctissimi archipræsulis opuscula, quæ me legisse memini, quorum editioni per annos, sicut diximus, octo & triginta primum Fuldæ monachus & scholasticus, deinde abbas, & postremo archiepiscopus sine intermissione pro Dei gloria & fidelium vtilitate maxima insudauit. Fuit enim vir sua ætate Germanorum omnium studiosissimus, & vniuersalis facile princeps doctrinæ, qui sapientia & eruditione in sua natione omnes superauit, & atque præcedentes, nec similem post se habuit, inter sequentes. Ab eo namque tempore, quo scholasticam apud Fuldam claustralibus palestram instituit, per annos ferme quadringentos, multi in ordine sancti patris Benedicti per totam Europam monachi doctissimi claruerunt. De quibus in primo libro virorum illustrium, ordinis nostri memorati, complures nominatim recensui: & etiam non paucos in volumine, de scriptoribus ecclesiasticis, dudum collocaui. Eo tempore prouerbium illud verum extitit quo dicebatur: *Scientia scripturarum in cucullis latitat monachorum*. Monachi enim tunc fuerunt studiosi atque doctissimi, qui non solum Latinis sed etiam Græcis litteris apud Germanos & Gallos studium diligens impenderent. Nostris vero monachis postremo voluptates carnis & ocia lectioni scripturarum præferentibus, Græcarum etiam litterarum scientia pariter apud Germanos & Gallos penitus deperiit. Superue-

[illegible] & nouos studiorum modos cum [illegible] scribendi ac [illegible]. Fuit autem primus inter Germanos Doctor [illegible] eruditus, scientia profundus, eloquio [illegible], & [illegible], vita [illegible], & conuersatione, do[illegible] [illegible] sanctissimus; vere dignus, gratus, & acceptus Deo pontifex semper extitit. In cuius ministerio die & nocte tam sollicite vigilauit. Quicquid facere ad honorem Dei potuit, nullo vnquam tempore, nulla occasione prætermisit. Plures per diocesin Moguntinam ecclesias de nouo construxit: vetustas, & ruinosas etiam multas reparauit. Monasterio Fuldensi abbas præsidens monasticas præposituras nonnullas condidit, & quædam cœnobia monialium sui ordinis in finibus Buchoniæ nemoris fundauit. Sed & alia memoratu digna gessisse multa legitur, miraculis quoque variis coruscasse memoratur. De quibus cum certum ac manifestum non constet nobis veritatis testimonium; satius duximus tacere penitus, quam incerta litteris commendare. Illud vero quod, Megintrido testante, cognouimus, etiam styli officio posteritati commendare non dubitamus. Hrabanus etenim reuerentissimus præsul, tam in abbatia Fuldensi, quam in pontificatu ecclesiæ Moguntinæ multas ab æmulis iniurias, oblocutiones, detractiones, & contumelias, etiam à suis propriis, sine demerito sustinuit; & sæpe vsque ad mortem periclitatus fuit. Quæ omnia pro Dei amore patientissime sustinuit, & quicquid aduersi contra eum accidit, suis peccatis humiliter ascripsit. Vnde non solum se patientem in aduersis semper exhibuit; sed quod maioris est meriti, cuncta sibi contraria etiam voluntarie pro charitate Domini tolerauit.

Enimuero cũ esset omnium pontificum suo tempore mansuetissimus, persecutores & æmulos suos nunquam vocauit ad pœnam, nec verbo nec facto vllam de ipsis vnquam petiuit vindictam. Fundatus enim diuinæ glutino charitatis supra firmam petram: nulla tentatione potuit a Domino separari, viam timoris & amoris Domini, quã a teneris pueritiæ annis recte viuendo ambulare didicit. Nemo illũ vidit præter iustæ rationis modestiam ira commotum, nemo re[illegible] animo perturbatum; sed bonæ conscientiæ testimonio lętus, mente semper fuit pacificus: & sibimetipsi cum Deo vnitus, omni tempore tranquillus. Permansit constans in his exercitiis pietatis, & quanto se vicinio[rem] morti sensit vel credidit, tanto mentem a caducis & vanis mundi studiis amplius elongauit. Ieiuniis, vigiliis, orationibus, sacris eleemosynis, prædicationibus, & aliis bonis operibus, sine inter[mi]ssione fuit intentus, & omni tempore in officina diuini amoris vtiliter occupatus. Cum autem tempus habitationis venisset [illegible], quo misericors & mutator Dominus [illegible] suo pro [illegible] bonæ [illegible] mercedem d[illegible] prædestinauit fœlicitatis æternæ, correptus febri lecto decubuit, & crescente morbo, tandem ad extrema peruenit. Qui visione præmonitus angelica, [illegible] his [illegible] instare cer[illegible], [illegible] Domini [illegible] cramenti [illegible], & libris suis partim ad Fuldam [illegible] partimque ad [mon]asterium sancti Albani, extra mœnia ciuitatis Moguntinæ, prouide distributis, ad Dominum, quem toto corde semper amauerat, inter orationis verba sua [illegible], [quar]to Calendarum Nouembrium, anno Domini [illegible] Natiuitatis octingentesimo, quinquagesimo sexto, indictione Romanorum quarta, post [illegible] sui anno [illegible]. In cuius transitu voces canentium angelorum auditæ sunt, dicentium: *Iste sanctus dignę in memoriam vertitur hominum, qui gaudio ducitur angelorum: quia in hac peregrinatione, &c.* [M]ortuus est autem beatissimus archiepiscopus Hrabanus apud Vinicellam, habitationis suæ vicum, ad littora Rheni. Cuius sacrum corpus, sicut viuus ordinauerat, Moguntiam relatum est, & in ecclesia sancti Martyris Albani cum honore sepultum. De quo sequens inuenitur epitaphium, in memoriam eius scriptum:

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam,
Temporis mortalis discere sic poteris.
Vrbe quidem hac genitus sum, & sacro fonte renatus:
In Fulda, post hæc dogma sacrum didici.
Quo monachus factus seniorum iussa sequebar,
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licet incaute hanc, nec sic semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast vbi iam plures transissent tempore anni,
Conuenere [illegible] ferre [illegible],
Me abstraxere inde [illegible] regique tulere,
Populi [illegible] fungi præsulis officio:
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum est,
Nec pastoris opus iure benè explicitum.
Promptus erat animus, sed tardans debile corpus,
Feci, quod potui, quodque Deus dederat.
Nunc ergo te ex tumulo, frater dilecte, rogando
Commendes Christo me vt precibus Domino.
Iudicis æterni ut gratia [illegible] in æuum,
Non meritum aspiciens, sed pietatis opus.
Hrabanus nempe mihi nomen, lectio dulcis
Diuinæ legis semper vbique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cælestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

Et iste quidem beatissimi pontificis Hrabani finis, in hoc mundo viuendi extitit. Cuius sanctum corpus annis sexcentis quinquaginta nouem in memorato cœnobio sancti martyris Albani sepultum, in sarcophago iuxta murum chori eleuato permansit. Ad cuius quoque tumulum à principio magnus populi fuit concursus, & plura narrantur facta miracula; qui tamen successu temporis omnino defecit, & sacellum eius diu sine honore permansit. Vnde prouidentia Dei cuncta gubernantis, ad nominis sui gloriam, & famuli sui perpetuum honorem, sanctissimum corpus eius de Moguntia ordinauit, & voluit in Saxoniam transferri anno præsenti, quo hoc scripsimus, Dominicæ videlicet Natiuitatis millesimo, quingentesimo, quinto decimo, Indictione Romanorum [illegible]. Quæ quidem translatio per quem, qualiter, quando, & quomodo sit facta; speciali syntagmate describimus ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti: qui Deus est, viuit & regnat virtus per omnia secula seculorum, Amen.

HRABANI MAVRI MAGNENTII, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, viri doctissimi atque sanctissimi, ex ordine monachorum liber vitæ tertius finit, per Ioannem Trithemium abbatem editus.

EIVSDEM VITÆ COMPENDIVM.

Hrabanus in Fulda nascitur, patre Ruthardo, matre Aldegunde, secunda die Februarii anno Dominicæ Natiuitatis D.CC.LXXXVII. *lib. primo.*

Hrabanus fit monach⁹ anno Domini, D.CC.XCVI. ætatis suæ anno nono Fuldæ. *lib. primo.*

Hrabanus monachus causa studii Romam ad Albinum magistrum, & scholasticum monachorum mittitur. Anno Domini D.CCC.VI. *lib. primo.*

Hrabanus Romæ sex annis in studio exactis, Fuldam reuertitur, anno Domini DCCCXII. *lib. primo*, & mox scholasticus monachorum Fuldæ instituitur.

Hrabanus fit abbas Fuldensis in ordine quintus, annis XXII. Anno Domini DCCCXXV ætatis vero suę XXXVI. *lib. secundo in principio.*

Hrabanus factus est archiepiscop⁹ Moguntinus sexto Kal. Iulii anno Domini D. CCC. XLVII. ætatis suæ LIX. & præfuit annis IX. *lib. tertio.*

Hrabani recensentur quæ scripsit, & lucubrauit opuscula, per annos triginta nouem continuos, *eodem libr. tertio.*

Hrabanus archiepiscopus Moguntiæ sextus in Vinicella VI. Kal. Nouembris, moritur pontificatus sui anno nono, mense quarto, ætatis vero sue LXVIII. mensē nono, & incarnationis Domini D. CCC. LVI. *libr. tertio.*

Hrabani corpus in ecclesia iacuit sepultum annis D. C LIX. *in fine lib. tertii.*

Hrabani corpus in Saxoniam cum honore transfertur in mense Augusto, anno Domini millesimo, quingentesimo, quintodecimo.

Hrabani corporis siue ossium translationem in libro speciali descripsit Ioannis Trithemius, abbas monasterii sancti Iacobi Apostoli apud Herbipolim. Finis cum auxilio Dei XX. die Octobris. D. CCCC. XV.

E P I S T O L A

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SANCTI IACOBI MAIORIS, APOSTOLI WIRCIBURGENSIS, IN vitam sancti Maximi Præsulis Moguntini fœliciter sumit exordium.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, SERENISSIMOQVE PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO ALBERTO, SANCTAE MOGVNTINAE sedis & Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopo, sacri Romani imperii Principi electori, per Germaniam Archicancellario atque primati Halberstadensis ecclesiæ, Administratori Brandeburgensium, Marchioni Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum, Sclauorumque Duci, Norenburgensium Burgrauio, ac Rugiorum Principi Ioannes Trithemius, abbas monasterii sancti Iacobi maioris, Apostoli Wirciburgensis, quondam Spanheimensis, ordinis sancti patris Benedicti, promptissimam obsequendi voluntatem.

*PRæcepisti mihi nuper, sacratissime Princeps, vt quicquid sparsim apud veteres historiarum notarios possem inuenire scriptum de beato Maximo, ecclesiæ tuæ Moguntinæ quondam reuerentissimo pontifice, quem alii septimum, alii vero nonumdecimum in ordine antistitum posuerunt, pro reuerentia nominis eius in * vnum epithoma, hoc est, breuem libellum comportarem. Cupiens autem tuis obedire mandatis, mox vires tentans, libros historiales, quorum mihi fuit copia, lectione multa reuolui: & magnam in comportandis Maximi actibus difficultatem offendi. Ab eius namque obitu, vsque in hunc annum Dominicæ Natiuitatis millesimum, quingentesimum, sextumdecimum, anni fluxerunt triginta septem, supra centesimum atque millesimum, in quibus Moguntina tertio legitur funditus aggeribus destructa. Vnde non est mirandum, si aut scriptores defuerunt Moguntinensibus historiarum in tantis ecclesiæ persecutionibus, aut si fuerunt, eorum tamen annotationes ignibus ab impiis crematæ, ad nostram peruenire memoriam nequaquam potuerunt. Hinc factum esse quis dubitabit, quod nihil aut parum, non solum de sancto Maximo pontifice, verum & pluribus aliis, qui ante & post eum Moguntinæ præfuerunt ecclesiæ, scriptum inuenitur. Altera mihi difficultas ex eadem occasione nascitur, quod recentiores quidam incerti scriptores temporum & Moguntinensium historiarum, nec ordinem pontificum, nec tempus designauere, nec numerum. Sanctus etenim Crescens, qui primus ecclesiæ Moguntinæ reperitur Episcopus, anno Domini octuagesimo fuit ordinatus, & moritur sub Euaristo Papa Romano, anno Dominicæ Natiuitatis centesimo octauo, indictione sexta. A cuius obitu vsque ad sanctum Bonifacium, qui anno Christi septingentesimo, vicesimo Episcopus fuit ordinatus, per Gregorium papam secundum, deposito Vinilebo, quem Carolus Martellus, maior domus, laicum promouerat, anni transierunt quadraginta & sexcenti, in quibus neoterici & incerti scriptores Moguntinensium, sedecim duntaxat episcopos cum sancto Crescente, Bonifacio excluso, nominatim & ordine incerto connumerant. Verum nisi dicatur pontificio munere sæpius vacasse ad multos annos ecclesia Moguntina, non poterit esse vera taliter opinantium sententia. Sed in contrarium vt ego sentiam, Meginfridi solidissimæ auctoritatis viri, me compellit ad amussim exquisita diligentia, qui temporibus Othonis secundi ac tertii imperatorum, Fuldæ viuens in humanis libros quatuor & viginti historiarum de temporibus gratiæ composuit, in quibus aliter multo sensit & scripsit, quam auctores incerti omnes memorati. Moguntinos nempe præsules ante sanctum Bonifacium quadraginta fuisse commemorat, inter quos beatum Maximum non sancti Aurei martyris, vt isti asseuerant, sed sancti Lucii Annæi pontificis octauidecimi successorem immediatum fuisse probat. Sanctum vero martyrem Aureum ab Attila, Hunnorum rege, anno Domini quadringentesimo, quinquagesimo quarto, indictione Romanorum septima cum Iustina sorore multisque Christianorum milibus in ecclesia XVI. Kalendas Iunii passum non sextum, sed quintum atque vicesimum ecclesiæ Moguntinæ fuisse pontificem, luce clarius demonstrat; cui in episcopatu non Maximus, qui annis ferme duobus & septuaginta præcesserat ab hac vita sublatus, sed Eutropius, cuius isti nullam faciunt mentionem, eodem anno successit. Vnde satis admirari nequeo, qui fuerint, aut quo * vixerint in humanis isti scriptores Moguntinensium incerti, quorum nec volumina princi-*

* for. vnū epitomen.

* for. deest, tempore.

pium

pium habent, nec titulos, nullius[que] nomen inuenitur ascriptum. Ecce Meginfridus quadraginta pontifices in ecclesia Moguntina sanctum Bonifacium praecessisse asserit, quorum nomina, tempus & regiminis annos clare per ordinem expressit: cum recentiores historiographi, etiam sibi mutuo discordantes, nominatim duntaxat inuenerint sedecim, quorum nec ordinem successionis recte descripserunt, nec annos aut pontificatus tempora, vel vnius expresserunt. Possumus tamen veniae [illegible] iudicare [illegible] istos neotericos duplici ratione: prima, quod veteres de his rebus scribentes in promptu non habuerunt auctores, quorum possent vestigia sequi, cum nullus priscorum res gestas sine lectione praecedentium auctorum literis committere possit. Secunda vero causa fuit, quae manet & hodie, quod pontifices ecclesiarum aut Deo penitus, aut vanitatibus dediti, & historias contemnentes, nulla scriptoribus rerum seu temporum beneficia vel munera contulerunt. Quemadmodum inter alios conqueritur Sigebardus monachus sancti Albani, qui claruit anno Domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo septimo in prologo libri sui de passione sanctorum Aurei & Iustinae martyrum, dicens: Si labor o[lim] scribentium studia, more veterum, aut condigno remunerationis gauderent praemio, aut saltem magnatorum aspectibus gratiosa, detractorum morsibus non parerent; ad discendum incognita, & scribendum vetera, remoto procul ocio, multorum animos labor inclitus & industria naturalis [illegible]. *Hinc recte factum, quod scriptores pristinis rebus defuerunt atque temporibus, eo quod principes Germanorum, & praelates neglexerunt historias, & sua quidem facta commendari literis minime curauerunt; qui scriptores comparare beneficiis atque muneribus recusarunt. Inde fit quod nec tua sacrosancta ecclesia Moguntina suorum habet historias pontificum, nec ordinem eorum recte nouit, nec numerum. Vale decus principum, Nestoreos faelix per annos. Ex meo coenobio apud VVirciburgum XIX. mensis Ianuarii. Anno Dominicae Natiuitatis millesimo, quingentesimo, sexto decimo.*

Finis Epistolae Ioannis Trithemii abbatis.

BEATI MAXIMI, NOBILIS ECCLESIAE Moguntinae quondam episcopi, vita: per Ioannem Trithemium Abbatem sancti Iacobi maioris. Apostoli VVirciburgensium nouiter edita, faeliciter incipit.

EO tempore, quo Liberius papa sub graui persecutione Arrianorum sanctam Romanorum gubernabat ecclesiam, sanctus Lucius Annaeus, patria Romanus, apud Moguntiam, nobilem Germaniae vrbem decimus octauus pontificatum annis tenuit ferme vndecim. Quo foeliciter vita defuncto, sanctus presbyter Maximus communi voto populi fidelis in episcopatu succedens, anno Dominicae Natiuitatis trecentesimo, quinquagesimo quarto, Indictione Romanorum duodecima, praefuit annis, vt Meginfridus refert in chronicis, quatuor & viginti, sub Arrianorum persecutione grauissima, temporibus videlicet Theodomori & Clogionis regum Francorum, quo tempore Dagobertus, Genebaldi filius, Dux Francorum orientalium apud VVirciburgum, Rheno transmisso, Moguntinos in odium Romanorum grauiter afflixit: vrbem quoq[ue] Treuirorum, quae tum parebat Romanis obsedit, coepit, spoliauit, incendit, funditus[que] subuertit. Annis quippe nonginta[?] bellum cum Gallis atq[ue] Romanis Franci reges habuere continuum, quousque [illegible] victores eorum [illegible], pene totam Europam suo Dominio violenter subdiderunt. Sub his turbationibus ecclesiae, multi Christianorum [illegible] propter Catholicae fidei [illegible]onem, ab infidelibus & haereticis, apud Moguntiam, & in omnibus terminis eius, crudeliter fuerunt occisi, quorum apud mortales nulla penitus habetur memoria propter malitiam temporum, & penuriam fidelium scriptorum. Nusquam erant tuti, [illegible] tis in vrbibus & oppidis securi, quando & gladius vbiq[ue] sequebatur gentilium: & non minus perfidia insaniebat haereticorum. Nam etsi pacem habere videretur ecclesia, ab his, qui Romanis principibus fuerunt subiecti, vt abnegare Christum iam tunc nemo compelleretur: Arrianorum tamen in [illegible] tempore vesania praeualuit, vt nihil aut parum a persecutione gentium differret. Denique Franci tam orientales, quam illi, qui ad ostia Rheni consederant, occidentales Gothicae quoque nationes & alii pagani frequentes in Galliam motus & incursus facientes, Moguntiam, Coloniam, Treuerim, VVormatiam, Spiram, Argentinam, & alias trans Rhenum vrbes, nimia crudelitate saepius molestabant, nulli parcentes gradui, sexui, vel aetati. Quapropter pontifices, & ministri Domini sacerdotes, in quos furor persequentium crudelius saeuiebat, in vrbibus & vicis publice non audentes comparere, quotiens persecutionis [illegible] mouebat, cum suis ad nemora *succellerunt, in speluncis & cauernis montium latitantes, inedia, fame ac siti, vltra quam credi potest, afflicti, longum pro fide Christi [illegible] sustinebant. *for. secesserunt.* Eam tempora beatissimus praesul Maximus incidit, quibus, nisi optimus, nemo fuit Christianus. Probauit persecutio fidem, & contulit in passione amor Dei constantiam. Beatus vero pontifex, vt Meginfridus est autor in Chronicis, ab Arrianis, haereticis, multas & atrocissimas insidias & persecutiones pro fide orthodoxa sustinuit, & septies de sua pulsus ecclesia, trusus[que] fuit. Nam cum esset vir in diuinis scripturis longe doctissimus, & secularis literaturae non ignarus, malleo similis, durus redargutor Arrianorum extitit, contra quorum vesaniam non solum verbis, sed etiam scriptis multipliciter pugnauit. Scripsit enim iam dicto Meginfrido testante, contra Arrianos, libros quatuor. De Incarnatione Domini libros duos. De Spiritu sancto libros duos. De constantia fidei Catholicae, librum vnum. De martyrio sanctorum, librum vnum. Homelias, & sermones multos & vtiles ad populum. Alia quoq[ue] nonnulla scripsisse dicitur, quae ad notitiam nostrae lectionis peruenire minime potuerunt. Ciuitas enim Moguntina, post mortem eius tertio, sicut diximus, euersa, & funditus destructa fuit. Primo scil[icet] per Francos. Secundo per VVandalos. Et tertio sub Attila, per Hunnos, qui & sanctum Aureum pontificem cum Iustina sorore, & multis aliis in Ecclesia peremerunt. Hac trina Moguntinae ciuitatis destructione, haud solum multa Christianorum millia fuerunt occisa, sed etiam nomina eorundem simul, & modus cum loco & tempore passionis ad posteritatis memoriam nequaquam peruenire potuerunt, eo quod scriptoribus, nec opportunitas scribendi fuit, nec locus, vel tempus. Vnde mirandum non est, si & Petri praesulis Maximi lucubrationes vel interierint ignibus crematae, vel alicubi situ lateant aut puluere sepultae. Eadem est calamitate fictum, quod praeter sedecim numero, ecclesia Moguntina suorum Pontificum, qui sanctum Bonifacium archiepiscopum & martyrem praecesserunt, neque nomina, neque ordinem, neque tempora vspiam potuit inuenire, cum non sit verisimile, in annis sexcentis quadraginta, non plures extitisse quam sedecim, nisi quis contendat, oues Christi apud Moguntiam & saepius, & diutius, permittente Deo, pastoris necessario caruisse solatio. Quod si quis asserit, minime probabit. Nos enim contrarium ex Megenfrido facile poterimus comprobare, qui temporibus Othonum clarens in humanis cum esset, omnium Germanorum diligentissimus compilator historiarum, quadraginta numero fuisse ante Bonifacium in ecclesia Moguntina pontifices commemorat: inter quos sanctum Maximum, non vt Neoterici quidam fecerunt, incerti auctores, septimum,

mum, sed nonumdecimum extitisse præsulem asserit, beatoque Lucio successisse Anneo ac annis, sicut dictum est, præfuisse quatuor, & viginti. Neoterici autem, innominati scriptores, Megenfridi chronicorum notitiam non habentes, sed decem duntaxat ante sanctum Bonifacium ecclesiæ præfuisse Moguntinę pontifices asserunt, inter quos Maximum in ordine septimum locantes, beati Aurei martyris sub Attila, Hunnorum rege, passi successorem immediatum extitisse cōtendunt. Sed hæc ratio * tempus non admittit. Sanctus enim Lucius Anneus, præsul octauusdecimus, moritur anno Dominicæ Natiuitatis trecentesimo, quinquagesimoquarto, Indictione Romanorum duodecima, temporibus Liberii papæ, cui eodem anno, sanctus Maximus in pontificatu successit. Beatus vero præsul Aureus Moguntiæ ab Attila passus est sextodecimo calendas Iunii, Anno Domini quadringentesimo, quinquagesimoquarto, Indictione Romanorum septima: cui non Maximus, vt isti putant, sed Eutropius in pontificatu successit, temporibus sancti Leonis papæ primi. Vides nunc, quod præcise centum annorum tempus, ab institutione Maximi ad pontificatum, vsque ad passionem beati martyris Aurei intermediat: quod præter Megenfridum monachum nullus scriptorum Moguntinensium, quos ego legerim, animaduertit. Vnde mihi videtur, scriptores ipsos nominum consonantia fuisse deceptos: qui pro *Anneo* posuerunt *Aureum*, & Maximum successorem immediatum ipsius Aurei martyris opinati sunt, cuius non Aureus, sed Anneus fuit successor, vt ostendimus, centum ante annos. Nam ita summatim auctor inquit memoratus: *Anno Dominicæ Natiuitatis octogesimo, Crescens à Roma directus in Germaniam primus Moguntinensium ordinatus est episcopus, & præfuit annis duobus & viginti, vir magnæ sanctitatis, & martyrio coronatus.* Post quem Maximus annis sex, Crescentius autem pręfuit annis XIX. Ciriacus annis XIV. Hilarius vir sanctus & martyr annis XX. Martinus annis XIV. Celsus martyr annis XXII Lucius annis X. * Horhardus, vir sanctissimæ vitæ, annis XV. Sufficonius, vir sanctus, annis VIII. Hengerus martyr annis quatuor. Rutherus martyr annis XX. Auitus, vir doctus atque sanctissimus, annis XXII. Ignatius martyr annis tredecim. Dionysius, vir sanctus, annis XXVI. Ruthbertus annis XII. Adelhardus, vir sanctus, annis decem. Anneus Lucius annis XVIII. Vir Apostolicę atque sanctissimæ vitæ, Maximus, de quo nobis est sermo, præfuit annis XXIV. Sidonius annis XIX. Sigismundus annis sex. Lupoldus vir sanctus, annis XVII. Nicecius annis VIII. Marianus annis X Aureus martyr, annis XVI. Post quem sanctus Eutropius pręfuit annis XXIII. Post quem ordine suo, vsque ad sanctum Bonifacium exclusiue, adhuc quatuordecim pontifices extiterunt in ecclesia Moguntina, quorum ista sunt nomina: Adelbertus, Rudhorius, Adelbaldus, Landefridus, Rudhardus, Sidonius, Secundus, Vinlibertus, Ludgaltus, Ruthelmus, Rudualdus, Leonaldus, Richbertus, Heroldus, & filius eius Vinilibus laicus, per Carolum Martellum, maiorem domus Francorum, ea ratione pontificatu Moguntino donatus, sicut & Milo filius sancti Lurhuini archiepiscopatu Treuirorum, & alii multis alias per Galliam, vt bello interessent cum illo contra Saxones, Francorum Domino rebelles. Verum non multo post Vinilibus laicus, ignarus diuinarum scripturarum propter venationes & homicidium sententia Gregorii papę secundi fuit depositus: & sanctus Bonifacius monachus & presbyter anno Domini septingentesimo vicesimo, Indictione Romanorum tertia in eius locum pręsul Moguntinæ ecclesiæ primus & quadragesimus ordinatus, quem Zacharias papa Romanus postea in archiepiscopum eiusdem ecclesiæ sublimauit. Hæc ideo mihi præmittenda necessario videbantur, ne quis eorum, qui olim ista lecturi sunt, a Moguntinis scedulis discordantem me, aut mendacem existimare velit, aut sine auctore certo ab aliorum opinione temere discrepantem. Stultum nempe foret Megenfridum certum, fixum & solidum præterire scriptorem, & incertorum scedulas sequi recentium, propterea tam nominatim scriptoris decreuimus inhęrere vestigiis & incertas neotericorum sententias pręterire. Maximus igitur beati Lucii Annęi presbyter, & in ministerio verbi Dei socius, natione Germanus, patria Moguntinus, & religione Christianus fuit. Cuius temporibus adhuc Romani, sicuti & prius, a multis retro annis Moguntiam, Treuerim, Coloniam, Wormatiam, Neometum, quæ nunc dicitur *Spira*, cum magna parte Galliæ suo sub Dominio tenebant, licet à Francis, Germanis, Theutonibus, Saxonibus, Bauaris, atque Doringis incursiones multas & frequentes paterentur, nunc victi, nunc autem victores. Qui more veterum, nimis cupidi Romanorum amplificare Dominium, eas, quas superauissent, gentes, & moribus, & legibus simul ac literis vti Romanis compellebant, quo potentiores cæteris esse viderentur. Vnde Germani circa littora Rheni commorantes, & Galli tandem victi à Romanis, eorum & linguam susceperunt, & modum scribendi: Scholas instituerunt publicas per vrbes, in quibus, Romanorum exemplo filii ciuium atque nobilium litterarum studiis imbuerentur. Insuper, quo victoribus abundantius complacerent Romanis, prætermittentes nomina suæ gentis auita, natis suis vocabula & Gręca imposuerunt & Latina: quanquam id postea conuersi ad Christum fecerint multi, non ob metum vel dilectionem Romanorum, sed pro reuerentia potius & amore sanctorum Apostolorum ac Saluatoris Iesu Christi martyrum. Hæc dixerim, ne quis præfatos ecclesię Moguntinæ pontifices propterea natos vel Gręcos existimet vel Romanos, quod eos illorum nominibus quandoque inuenerit nuncupatos. Variantur hominum cum tempore mores, mutantur nomina, & studia mentium continua volubilitate seculorum alterantur. Beatus Maximus, testante Megenfrido, honestis & Christianis parentibus ortus, in vrbe Moguntina, more gentis, adhuc puer studio deputatus est litterarum, in quo cum tempore adeo profecit, quod sibi coætaneos pene omnes superauit. Erant in tempore illo plures cū Christianis mixti gentiles, & quemadmodum, persecutione cessante, nemo paganum cogebat fieri Christianum, ita nec quisquam impellebat credentem abnegare vel deserere Christum. Multi tamen inter Christianos surrexerunt hæretici, inter quos Arriani, principum Romanorum fauore suffulti, multas intulerunt veris Christianis persecutiones & molestias. Vnde cum publice non semper liceret, metu hęreticorum fideles quique filios suos in priuato fidem seruare constanter orthodoxam vsque ad mortem docuerunt. Sic nimirum & sanctus Maximus, in his, quæ pertinebant ad fidem, & veram religionem, teneris ab vnguiculis parentum & sacerdotum magisterio sufficienter instructus, in virum cum tempore magnum creuit, atque mentis & doctrina gloriosum. Mox enim, vt per ætatem sapere ac intelligere cœpit, diuina miseratione præuentus, non minus quam gratia semper comitatus, Deo se totum obtulit, pro cuius amore cuncta huius mundi blanda & dulcia cōtempsit. Consuetudo fuit illo in tempore valde necessaria clericis ac sacerdotibus, soli Deo vacare, sacro ministerio verbi & orationis insistere: ad fidem & iustitiam populum non minus exemplo bonæ actionis, quam sanctę prædicationis verbo erudire, mundi honores, diuitias quoque & omnes voluptates morituræ carnis vilipendere, & Christum opere & sermone super omnia veraciter amare. In quo viuendi genere beatus Maximus in clericatu suo perseueranter enituit: & breui cæteris perfectionis in se normam dedit. Merito sanctitatis, fuit admirabilis: & diuinarum scripturarum interpres & Doctor insignis. Propter quod ordinatus à beato pontifice Adelhardo clericus, vitam per omnia duxit apostolicam, multorumque corda verbo & exemplo in diebus suis ad Dominum conuertit. Adelhardo post hæc vita defuncto, beatus Lucius Anneus in pontificatu succedens, præfuit annis decem & octo, vir magnarum in Christo virtutum, cui sanctus ipse Maximus stabili sem-

per

* *for. temporis.*

* *for. Gotthardus.*

per charitatem adhæsit, & innumeras Arrianorum persecutiones pro defensione Catholicæ fidei sustinuit; sed adiutorio Saluatoris nostri Jesu Christi fœliciter vbique triumphauit. Postremo tamen, sancto Lucio Annæo pro fide orthodoxa in exilio, apud Phrygiam strangulato cũ duobus presbyteris, Paulo & Crescentio sub ordinatione & insidiis Arrianorum, beatissimus presbyter Maximus, quem pro confirmandis in recta fide populis apud Moguntiam, ordinatione diuina, reliquerat; fidelium omnium voto communi, præsul ecclesiæ iam dictæ nonusdecimus constituitur; & præfuit in tribulationib. hæreticorum multis, quatuor ferme annis atq; viginti. Facta sunt hæc, vt supra diximus, anno Dominicæ Natiuitatis trecentesimo, quinquagesimoquarto, decima die mẽsis Iulij, Indictione Romanorum duodecima. Ordinatus autem Pontifex in Ecclesia Moguntina beatissimus Pater Maximus, per omnia se studuit exhibere Domino ministrum irreprehensibilem, paratus amore Dei pro salute fidelis populi nõ solum persecutiones sustinere & carceres: sed mortem quoque, & si quid esset morte crudelius, quod ei posset occurrere: Vitam in omni puritate Christiana ducens continuam & Apostolicam: mundi rebus pauper & modicus, virtutibus diues, humilitate profundus. Qui cum esset vir tam in diuinis Scripturis, quam in secularibus scientiis multum peritus atque doctissimus, hoc summopere curabat in primis; vt vita constaret eius doctrinæ cõformis; ne aliis bona prędicans, ipse reprobus efficeretur. Corpus proinde suum

1.Cor.9.27. ieiuniis, abstinentia multa, & vigiliis pene continuis pro Christi Saluatoris amore castigans; sanctis orationibus & prædicationi salutaris doctrinæ verbi Dei sine intermissione, quotiens oportune licebat, intentus. Per vicos circumibat & verbis, & plurimum Apostolorum exemplo, pedibus nudus, presbytero, diacono & subdiacono comitantibus; & cunctis per gyrum populis oportune & importune fidem Christi, quanta potuit sedulitate, prædicauit. Fide, actione, atq; virtute Maximus Pontifex coram Deo & cunctis fidelibus extitit, qui nihil in hoc mundo aliud, quam Dei honorem, & salutem proximi quæsiuit. Mentis desiderio semper in Deum fuit eleuatus: quippe qui se huic mundo peregrinum & nouit, & exhibuit; & propterea nulla rerum temporalium cupidine vel occupatione detentus vel implicatus fuit. O ter vere beatum, quaterque beatissimum Pontificem, cui Deus omnia solus extitit, qui mente simul & animo nihil aliud quam Dominum curauit, in amore semper occupatum se cuius & ostendit! Amator enim Christi cum esset feruidus, omnia pro honore caduca contempsit auctoris: nec vanis laxauit animum, qui sanctũ in se Dei meruit suscipere cõmorantem * Patris, & Filij, Spiritum. Electus Dei Pontifex, minister Christi, sobrius vir, sanctitate maximus, virtute nitens ab intus, contempsit, quicquid cernitur: amauit, quod non tangitur, sed pura mente colitur.

*for. Patrẽ & Filium.

O decus tu Pontificum,
Diuini cultor numinis,
Qui sine mundi sordibus,
Christo vixisti splendidus.
Adesto mitis omnibus,
Te mente recolentibus,
Nos soluens tuis precibus,
Nostris a sceleribus.

Non est eo tempore inuentus apud Germanos Pontifex doctior, sanctiorque præsule Maximo, qui tanta sub innocentia & eruditione scripturarum legem conseruaret Excelsi; quoniam & hæreticorum errores verbis & scriptis constantissime redarguit, & fundatus supra firmam petram Domini amoris, nullas eorum persecutiones formidauit. Septies tempore Pontificatus sui ab impiis Arrianis vrbe Moguntina pulsus est; septies quoque diuina prouidentia restitutus; nunquam attædiatus mente, nunquam deiectus animo, nunquam victus aut superatus. Nam cum esset diuina miseratione præuentus aut illustratus, vnum Deum consubstantialem & coæternum semper, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum asseruit, & sanctam indiuiduamque Trinitatem personarum, vnius incomprehensibilis & impartibilis Dei, constanter vbique prædicauit. Pro huius veræ, Catholicæ, orthodoxęque fidei assertione tuenda, nec mortem timuit, nec vincula, carcerem, aut exilium subire formidauit. Docuit publice, cum licuit, populum: docuitque, si aliter non potuit, occulte; gregem Domini suo ministerio commissum docuit verbis, docuit scriptis Patrem & Filium, & Spiritum sanctum in Trinitate personarum vnum esse Deum, in quo nec maius sit, nec minus; quemadmodum neque prius, neque posterius. Enimuero nec Pater maior est Filio, aut Spiritu sancto, nec minor; sicuti neque prior neque posterior; quoniam Trinitati personarum Deitas vna conuenit, nec tamen trina personarum existentia vnitatem confundit. Beatus ergo præsul Maximus, & apud omnem posteritatem fidelium sempiterna memoria iure venerandus, qui Spiritu illustrante diuino per fidem in vera humilitate sanctissimæ Trinitatis incomprehensibile mysterium commeruit fideliter suscipere quod Arrius mente in superbiam elatus, & arrogantissimus, nulla potuit ratione penetrare. Obscuratum est insipiens cor omnium Arrianorum, qui cum essent stulti superbi, & nimium arrogantes, sapientissimos se omnium æstimabant. Cum beatissimus Christi præsul Maximus in confessione veræ fidei sinceriter viueret, fideli populo se Pontificem per omnia irreprehensibilem exhiberet, fidem quoque orthodoxam gentibus non minus, quam Arrianis, constantissime prædicaret, multas illi posuerunt insidias, & nihil amplius quam ipsum eius sanguinem sitiebant. Sed protegente misericordia Domini famulum suum, permissi non sunt illum, quod maxime cupiebant, occidere, quamuis idipsum sæpe iteratis vicibus pertentassent. Megenfrido, sicut diximus, protestante in Chronicis, de temporibus gratiæ, septies eum non sine iniuriis multis, & contumelia manifesta, cum quibusdam clericis extra Moguntinam ciuitatem eiecerunt, verberatumque sæpius crudeliter, interficere minime potuerunt. At ille semper gaudens recessit ab vrbe cum plerisque discipulis suis, religiosissimis viris, Sidonio, Athatio & Clemente presbyteris & aliis, quorum nomina præfatus non commemorat auctor: Deo gratias agens omnipotenti, quoniam dignus est habitus pro recta fide, & nomine Iesu contumeliam pati. Reliquerat tamẽ semper e clericis in ciuitate, vel prope presbyteros quosdam, zelo Christianæ fidei constantes; qui saltem per vicos & domos circumeuntes, occulte præmonerẽt Christi fideles, vt sese ab Arriana impietate sollicite custodirent. Quotiens enim publice, sicut dictum est, vtiliter & fructuose prædicare verbum Dei non permittebantur in vrbe, secretius id facere, vel in domibus fidelium nocturno tempore clausis, vel in nemoribus & latibulis montium cogebantur ad tempus. O quantis virtutibus Christianorum fides eo in tempore claruit, quæ tantis aduersitatum indesinenter agitata procellis non solum vinci aut superari non potuit; sed in tribulatione dilatata conualescens quotidie, *seque ipsa est facta constantior, quanto gentilium vel hęreticorum persecutione amplius premebatur! Quid nos miseri, nimiumque tepidi; & propterea inutiles Christi sacerdotes atque ministri fecissemus: si nos illis contigisset vir ille temporibus? Putasne, tenuissemus in tanta persecutione constantiam, qui nullam aut paruam seruamus in pace disciplinam? Quis in tribulatione vitam pro fide Christi exponeret: qui pro eius reuerentia & amore, in pace, temperare non vult à vitiis & voluptatibus mortiferæ carnis! Aut quando mortem pro defensione religionis suæ in persecutione hæreticorum patienter susciperet, qui pacem habens optimam, eius, quam profitetur, institutionis fidei normam & præcepta salutaria negligit custodire. O morum ingens diuersitas, quantam cum tempore meritorum dissimilitudinem inducis mortalibus! In diebus illis sancta mater Ecclesia pacem bonam in multitudine fidelium habebat interius, licet maximas persecutiones infidelium crebro exterius pateretur.

*for. seipsa tanto.

retur. Nunc autem pacem ab hæreticis & paganis est consecuta exterius; sed quanta patiatur interius aduersa in prauis moribus filiorum, nemo est, qui sufficienter possit exprimere. Nam, vt Propheta dicit. *Omne caput* Isa.1.5. *languidum, & omne cor mœrens*, non est in corpore militanti Ecclesiæ, vt olim priscis fuit temporibus, vera salus *à vertice capitis vsque ad plantam pedis*. *Omnes* à feruore Psal.13.3. Catholicæ fidei *declinauerunt, inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. Heu qualis comparatio fiet sacerdotum Domini nostræ tempestatis ad illos, qui in Ecclesia priscis floruere temporibus, quando (vt parabolice loquar) ipsi sacerdotes erant aurei: calices vero, in quibus Domino sacrificabant, lignei, vitrei, siue de cupro, aut viliori metallo fabricati. Corda quoque ministrorum Ecclesiæ cunctis fuerunt adornata virtutibus, & merito sanctitatis lucida; cum templa materialia essent humilia, & rara luce tenebrosa. His autem nouissimis temporibus nostris, templa sunt ampla, pulchra nimis, & fenestrarum altitudine splendida; corda vero sacerdotum & ministrorum altaris, vt plurimorum, ignorantia scripturarum & fœditate scelerum, proh pudor, omnino tenebrosa. Denique aurei, vel argentei sunt calices, &, si dicere audeam, lutei sacerdotes. Vnde merito ingemiscens dicere potest sancta mater fidelium, Christi Ecclesia: Heu mihi quia nunc facta est *in* Isa.38.17. *pace amaritudo mea amarissima*; quoniam quæ olim in persecutione paganorum multitudine iustorum & martyrum florui, his diebus, qui ad pacem sunt mihi, pene tota in paucitate sanctorum, & multitudine peruersorum defeci. Sed non sic beatissimus præsul Maximus, sub persecutione impiorum, fundatus in amore Christi, longe cœlestia præposuit terrenis; diuina humanis, sempiterna caducis. Vitam in egestate peregit Apostolicam, sciens posse naturam, paucis esse contentam; si mens Deo credula bonam adhibuerit in corde voluntatem. Quocirca præcepto magistri humiliter obediens, nō fuit de crastino sollicitus, aurum vel argentum in thecis nunquam reposuit, diuitias mundi fallaces nunquam quæsiuit vel amauit. Victum iuxta consilium Apostoli ha- 1.Tim.6.8 bens tenuem, & amictu siue curiositate simplici fuit contentus, sciens Pontificum opes virtutem esse constantiæ, & gloriam salutem, & profectū plebis in Domino commissæ. Si quid vltra quotidiani victus * parci necessita- *al. sacri. tem fortitan superfuit in crastinum seruari non permisit, sed in vsus mox pauperum manu propria expendit. Hic, nisi comparationes dicerentur odiosæ, in eos libuerit exclamare Pontifices & ministros Ecclesiæ sacrosanctæ; quibus de salute animarum populi sibi commissi nihil aut parum; de ambitione superbia, & cupiditate rerum temporalium constat summo conamine totum. Quibus vanitas est quotidiano in vsu, auaritia semper cœca & inquieta, familiaris ambitio, & contemptus humilium Christi comes vbique & pauperum negligentia sodalis, fastus dominij temporalis, & luxus carnis moriturae, cuius iugi frequentatione amicus. Verum cum ista nihil ad me pertineant, nolo mihi officium docendi vsurpare alienum. Magna fuit Beati Maximi temporibus in Ecclesia Catholica Pontificum & sacerdotum Christi persecutio, & multi, Arrianorum non valentes impietati resistere, in eorum dogma perniciosum consentientes, hęresi subscripserunt. Ex illis vero, pro fide Orthodoxa qui fortiter steterunt, plures fuerunt occisi; alij cū ignominia in exiliū fuerunt deportati; alij vero in montiū cauernis & nemorib. latere compulsi. Inter quos sanctus Lucius Annæus, Maximi, sicut diximus, antecessor, in Phrygiam deportatus; postea quā biennio exulasset, noctu, Arrianorū insidiis, est strangulatus. Sanctus etiā Paulinus, Treuirorū Episcopus, cum idē exulasset cū Radiano quodā Episcopo annis quatuor, capite truncatus est, anno pontificatus beati Maximi decimo: qui fuit dominicę Natiuitatis trecentesimus, sexagesimus quartus, Indictione Romanorum tertia. Beatus quoque Hilarius, Episcopus Pictauiensis in Gallia, [illegible] Saturnini Arelatensis episcopi, & complicum [illegible] Arrianorum relegatus in Phrygiam, [illegible] in Galliam redire permissus. Tanta sub Constantio & Constante, Romanis principibus, eo tēpore fuit Arrianorum [illegible] in veræ atque Catholicę fidei assertores sæuiendi potestas, vt in sanctorū pontificū ecclesias, quos vel interfecissent, vel procul expulissent, sui erroris cōplices ordinarent Episcopos, gladiis suffulti & armis, qui SpiritusS. gratia penitus erant indigni. Et quia vnius episcopi Arrianorū depositio historia sancti Maximi concernit, operæpretiū fore arbitror, gestę rei seriem literis dare posterorum. Licentia Imperatorum Arriani hæretici abutentes, quendam eiusmodi, hominem scelestissimum, nomine *Effratam*, in ecclesia nunc metropolitana Coloniensi ad littora Rheni positam, Episcopum posuerunt; qui sua impietate multos à vera religione secum abduxit in errorem. Anno igitur Dominicæ Natiuitatis trecentesimo, septuagesimo quinto, Indictione Romanorum tertia, qui fuit annus pontificatus beati Maximi episcopi Moguntini vicesimus primus, adunatum est Concilium Episcoporum, in memorata ciuitate Coloniensi, furore Arrianorum iam tunc aliquantulum, per Dei gratiam, humiliato, & extincto: Vocati sunt ad ipsam Synodum plures episcopi fideles, inter quos isti nominantur fuisse præsentes. *Maximus* episcopus Moguntinus, *Benosius* episcopus Treuirorum. *Victor* Wangionum episcopus, *Iesse* Neometensium episcopus, *Amandus* Ellatensium episcopus, *Victorinus* Metensium Episcopus, & alij nonnulli ex Gallia Pontifices; quorum nomina memoriæ non occurrunt. Audiens Effrata tantorum contra se Pontificum aduentum, fugam iniit, & quorundam ciuium Christo fidelium industria præuentus, redire coactus fuit. Iam enim occulte pergens transierat Rhenum. Reductus autem, & sancto Concilio præsentatus; eius doctrina examini Patrum exponitur, & erronea inuenitur. Qui cum esset Arriana loquacitate garrulus, plura contra sanctos Patres, pro sui erroris defensione, in medium proposuit, quæ sanctus Maximus, disputator Catholicus, veluti *araneorum tela, scripturarum testimonio, subito rationabiliter confutauit. *for. araneorū tela vel, Arrianorū tela* Postremo videntes sancti Patres hæreticum in suo errore pertinacem, vt virus pestiferum, à Pontificatu deposuerunt: & ne fidem deinceps maculare posset recte credentium, procul extra patriam proscriptum, quantocyus abire compulerunt. His apud Coloniam pro Christi honore peractis, sanctus Præsul Maximus ad Moguntiam reuertitur, & senio grauatus, paulatim viribus corporis cœpit destitui, sed mente sana vigens, & spiritu, nihil iam tunc optabat magis; quam *dissolui, & esse cum Christo*, quem puro semper corde amauit. Cumque post biennij tempus finem sibi huius vitæ conspiceret imminere: ne post eius de hoc mundo transitum ad Patrem, in ouile Christi lupi prorumperent rapaces, conuocatis ad se fratribus, de vnanimi consensu omnium, presbyterum quendam, nomine *Sidonium*, per omnia virum Deo charum, Ecclesiæ Moguntinæ post se futurum designauit Episcopum; qui fuit in ordine Pontificum Moguntinensium vicesimus, teste Megenfrido: & præfuit in multa sanctitate decem & nouem annis. Maximus autem sanctissimus præsul, post multa religiosissime gesta; post varias pro fide Christi persecutiones, & innumeras tribulationes; tandem, plenus dierum atque virtutum, ad Dominum fœliciter migrauit, die mensis Nouembris octauadecima, Anno Pōtificatus sui vicesimoquarto; qui fuit Dominicæ Natiuitatis trecentesimus, septuagesimus octauus, Indictione Romanorum sexta. Quo anno, post feram Auxentij mortem, Sanctus Ambrosius Mediolani Præsul constituitur. Qui cum esset in omnibus scientiis doctissimus, non solum diuinarum scripturarum, sed etiam secularium literarum, vitæ quoque merito celeberrimus, breui, miserante Domino, Ecclesiæ pacem obtinuit, & Arrianos procul effugauit. Beatissimi vero Pontificis sancti Maximi corpus, à discipulis in Ecclesia præsulis Hilarij, postea nuncupata in Dalheim, vbi [illegible] Moguntina eo tempore legitur fuisse constructa, debito cum honore, iuxta tumbam sancti Crescentij, primi episcopi, fuit sepultum; in quo quidem loco [illegible]

permansit annis quingentis, quinquaginta septem, vsque ad tempora Hildeberti, post sanctum Bonifacium, Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopi duodecimi. Qui anno Dominicæ Natiuitatis nongentesimo vicesimo quinto, Indictione Romanorum octaua, die mensis Martij quartadecima: decem Ecclesiæ Moguntinæ Pontificum ossa de capella sancti Hilarij memorata, solenni cum processione cleri & populi ad ecclesiam monasterij sancti martyris Albani transtulit: & in choro, summa cum reuerentia, collocauit. Inter quæ corpus etiam beatissimi Pontificis Maximi, de quo loquimur, annumeratur. Hæc autem sunt nomina decem Ecclesiæ Moguntinæ Pontificum, quorum ossa præfatus Archipræsul ex Dalheim transtulit ad sanctum martyrem Albanum: *Crescentis*, primi martyris; *Marini*, secundi episcopi; *Rodhardi*, noni Episcopi, viri quondam sanctissimi, qui sua prædicatione, multa paganorum milia conuertit ad Christum: *Suffiboni*, decimi Episcopi, æque viri per omnia sanctissimi: *Maximi*, de quo nobis sermo est, decimi noni Episcopi: *Sidonij*, vicesimi Episcopi, doctoris gentium insignis, & vere sanctissimi: *Sigismundi*, vicesimi primi Episcopi, per omnia sanctissimi: *Ludegalli*, Episcopi tricesimiquarti, magnarum virtutum in Christo viri. *Ludoaldi*, tricesimi sexti Pontificis, Christianissimi per omnia in Domino viri: *Leoncaldi*, Episcopi tricesimiseptimi, viri quoque sanctissimi. De hac sanctorum translatione Pontificum, quidam eo tempore carmine sic scriptum posteritati reliquit:

A Bonifacio meruit qui Gallia primo,
Is pater Hiluertus, archipræsul duodenus,
Comperiens ossa Patrum veneranda relicta
Intra basilicam nunc Hilarij sacrosanctam:
E quibus hinc denos transuexit in ordine priscos,
Vt locus insignis conseruet pignora dignus;
Attendens merita, simul ipsorum pia gesta.
Hunc vt confratres aureo collaterales*
Efficit. & tumulo stricto conclusit in isto,
Christi nongentos, x. ter, semel v. legis annos:
Vt decimam quartam lucem, vult Martius, addam.

*for. Auro.

Ea translatione, decem Ecclesiæ Moguntinæ præscriptorum venerabilium Pontificum, per Hildebertum Archiepiscopum, sicut præmisimus, facta; remansit in choro sancti Martyris Albani, apud Moguntiam, beati Maximi corpus denuo sepultum, annis quingentis septuaginta nouem, vsque ad tempora Domini Alberti, ex Marchionibus Brandeburgi Principis nobilissimi, Moguntinæ ac Magdeburgensis in Saxonia Ecclesiarum insignium Archiepiscopi reuerendissimi, atque primatis Germanorum. Is Christo deuotissimus Archipræsul, cum cultor, amator, & venerator Sanctorum Dei maximus esset, reliquias, & sacra busta eorum summa cum veneratione semper, vbi licuit, inquisiuit; de puluere cum honore leuans, auro & argento vestiuit: honorem quoque singulis debitum exhibens, eorum memoriam festiue celebrauit. Mox enim vt summi Pontificatus duplicem apud Germanos, Domino prouidente, apicem suscepit; totum se Christianæ religioni mancipauit, actus episcopales, præter multorum consuetudinem præsulum, in persona frequenter propria deuotissime ministrauit, ordines contulit, missas ad altare solenniter sæpius decantauit. Consecrauit ecclesias, benedixit Abbates, habitum publice deferebat pontificalem locis atque temporibus suis, & nihil omisit eorum, quę ad Christiani Antistitis sacrum videbantur pertinere officium. Summa eius delectatio semper in obsequio diuino, in celebrandis ad altare mysteriis sacrosanctis, in ornandis quoque & venerandis reliquiis Sanctorum. Vnde cum anno Moguntini Archipontificatus sui primo, Magdeburgensis autem secundo, pro Dei amore & reuerentia Sanctorum, apud Moguntiam circumeundo sacras, more suo, visitaret Ecclesias, basilicam martyris Sancti Albani deuotus intrauit: & videns præscriptorum decem Pontificum sancta corpora sine honore neglecta, authoritate non minus Apostolica, quam ordinaria visus; corpus sancti Hrabani, quondam Archiepiscopi totum; & sancti Maximi Episcopi medium, permissione canonicorum, inde abstulit, & in Saxoniam transferens, apud Hallas opidum, in basilica castri sancti Mauricij, solenni processionis officio, collocauit, anno Dominicæ Natiuitatis millesimo, quingentesimo, quintodecimo, Indictione Romanorum tertia; à transitu vero ipsius beati Maximi, anno millesimo, centesimo, tricesimo septimo. Ad laudem & gloriam Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi: Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

Finis adest.

EXCERPTIO HRABANI MAVRI DE ARTE GRAMMATICA PRISCIANI.

De voce. AVctoritas Philosophorum ostendit, proprietatem vocis in aëris percussione esse, quocunq; modo ictus fiat. Quam etiam diuiserunt in 4. species, articulatã, inarticulatam, literatam & inliteratam. Sed de his duæ coniunctæ, videlicet articulata & literata præcipuam commodamq;, imo necessariam vocem efficere, haud dubium est; quia ipsa solummodo literarum & intellectus capax esse dinoscitur: Cæteræ in tantum vtiles nõ sunt; quia simul natura & intellectu capi nõ possunt: verum inuicem per singulas coëuntes, si quis inquirere voluerit, sine dubio inueniet, vocem eas reddere, sinę intellectione, si tamen ea vtuntur, literis carent; quod supra dictis non contingit.

De littera. Littera est pars minima vocis articulatæ, hoc est, quæ constat compositione litterarum: Minima autem, quantum ad totam comprehensionem vocis litteratæ. Nam vox est, quicquid loquimur, vt puta, si dicas: *Orator venit & docuit*. Nam potest solui, *Orator venit & docuit*, per singula verba; ipsa autem verba in syllabas, *o* & *ra*, *tor*; *ipsas syllabas in litteras; littera quoque ipsa minime potest diuidi, vnde hæc à Philosophis *atomos* dicitur, id est, indiuisibilis. *Scaurus* sic eam definiuit: *littera est vocis, quæ scribi potest, forma.* Elementum est enim minima vis, est indiuisibilis materia vocis articulatæ, & vniuscuiusque rei initium, à quo sumitur incrementum, & in quod resoluitur, huius figura littera vocatur. Veteres etiam litteras elemẽta dixerunt, ad similitudinem mundi elementorum; eo quod *sic illa coëuntia omne perficiunt corpus; sic etiam ista coniuncta orationem conseruant, & disiuncta dissoluunt. Hoc ergo interest inter elementa & litteras; quod elementa proprie dicuntur ipsæ pronunciationes, id est, vis soni, quæ auditur ac intelligitur, figuræ vero earum litteræ, a vero & b, & c, & alia quælibet, nomen est & pronuntiationis & figuræ; legitur elementum, intelligitur littera, scribitur & nominatur.

*for. ipsæ syllabæ.

*for. sicut.

Litera dicta quasi *legitera*, quia legitur, & quod legentibus iter ostẽdit, & à litura, quam patitur, & ꝙ legendo iteratur. Omnes ergo literę, quibꝰ Latini vtũtur, 20 & 3. sunt, quarum differẽtiæ tres sunt. Prima differentia qualitates habet duas, quæ aut Latinæ sunt, aut Græcę: Latinæ sunt vna & viginti: Græcæ duæ, y. vocalis & z. semiuocalis, quæ in vsum eorum propter Græca nomina venerunt. Sunt & alię quinque, quas post ꝑceptionem Dominicæ fidei, & si nõ in alphabeti ordine recipiunt, diuinis tñ paginis inditas continent, *H. propter nomen* IHESV: α & ω ꝓpter auctoritatem diuini sermonis, ego sum ἄλφα & ω, χ & ρ propter nomen Xp̃i. Secunda differentia in literis qualitates æque duas habet, q̃ aut vocales sunt aut consonantes. Itẽ tertia differentia est inter cõsonantes, ꝙ quædã sunt semiuocales, quędã mutę, quædã liquidę, & quædã duplices. Sunt tñ vocales quinq;, s. a, e, i, o, u. Semiuocales septem, l m n r s x z. Mutæ nouem, b c d f g k p q & t. Vocales dictæ sunt quasi *vocantes*, quia & vocẽ per se faciunt, & aliis vocẽ præstant: Consonantes quidẽ, ꝙ cõsonant vocalibus: & bene dicuntur *consonantes*, quod duo soni simul sonãt. Semiuocales appellatæ, ꝙ plenam vocem non habent, vt semiuiri & semidij dicuntur, non quod dimidij, sed quod pleni dij, & pleni non sint: his si detrahas vocalem, habent tamen & tenuem sonũ, & sibilum quendam vt si dicas, tolle inde vocalem e, sonat tñ quidam *sibulus ac tenuis sonus. Mutæ autem dictę, nõ quod omnino voce careant; sed quod ad cõparationem bene sonantium, exiguã quandam partem vocis habeãt; velut informis dicitur mulier, non quæ caret forma; sed quæ male est formata, & frigidum dicimus eum, qui non penitus expers est caloris; sed qui minimo hoc vtitur: Latini omnes vocales dichronas habent, i. quæ corripi possunt & produci, quemadmodum Græci ῃ, α ι & υ, ε vero & ο semper Gręci breues habent, & η & ω semper longas. Breues sunt vocales, vt: ămor, ĕrit, ĭter, ŏperis, ŭtiq; longæ: æra, erecta, îuit, ômen vtile. Ex his igitur vocalib. i & v transeunt in consonantium potestatẽ: Cum aut ipsę inter se geminantur, vt; Iuno, vita; aut vocalib. applicantur, vt vates, velox, vox, i vt iecur, iocus. hæ etiã mediæ dicũtur, qm̃ in quibusdam dictionib. medium sonum habẽt, nec naturalẽ, nec proprium, sed alternos inter se sonos confundunt, vt vir optimus; Et i quidem qñ post n consonantem in loco digamma functã Æolici ponitur, breuis est; sequente d & m, & r & t & x sonum y græce videtur habere, vt video, vim, virtus, vita, vix. v aũt, quamuis cõtractum, eundem tamen, hoc est y, sonum habet, inter q, & e, & i, & æ diphthongon positum atq; eius quæ. Nec non inter g & easdem vocales, cũ in vna syllaba sic inueniuntur, vt, pingues, anguis, linguæ. I aũt pro duplici cõsonante videtur esse, qñ inter duas vocales est posita, ideoq; semper priorem syllabã facit longã; vt, maius, peius, eius, quia non aliter pronuntiari potest, q̃ si cum priori syllaba prior i, & cum sequenti altera proferatur. & ideo antiqui in his verbis duo ii semper scribebant. V vero loco cõsonantis posita, eandẽ prorsus in omnib. vim habet apud Latinos, q̃ apud Æolos digamma, & ipsius digãma voce vau profecta est; pro qua Cęsar hanc figurã id est F, scribi voluit: Digamma n. aliqñ pro simplici, aliqñ pro duplici consonante apud Æolos inuenitur scripta, sicq; nostrũ v, locũ simplicis videtur habere consonantis, vt, *At Venus haud animo nequicquam exterrita mater*: Duplicis quoq; cum in præterito perfecto, & plusq̃ perfecto, tertiæ & quartæ coniugationis, in quibus i ante v consonantẽ posita ꝓducitur eademq; subtracta corripitur, vt, cupiui cupij, cupiuer. m cupieram audiui audij, audiueram audieram. A liquido vero metrici hac digamma, v & i loco consonantis posita pro correpta vocali vtuntur, vt Horatius, *siluæ* trissyllabum *pertulit in epodo hoc versu:

*for. protulit.

Niuesq; deducunt Iouem nunc mare nunc siluæ.

Est enim dimetrium iambicum coniunctum penthemimere heroico. Et Aurelius Prudentius in Psychomachia:

Egregiam cernit ... proximus Iob.

Sciendumq;, quod Æoli digamma causa aspirationis, vt effugerent spiritus austeritatem, & causa hiatus deuitandi assumebant. Nos autem in multis quidem, non tamen in omnib. illos sequimur, vt cum deuitãtes aspirationem dicimus, vespera, vis, vestis; hiatum: vt, clauus, argiuus, pauo, ouum, ouis, bouis. Ex consonantibus ergo sunt l & r liquidæ, quibus quidam addunt, m & n; hæ postpositę, f, semiuocali, & sex mutis, id est, b c d g p t, pro arbitrio poetæ, plerumq; in metro vim consonantis amittunt, & breuem syllabam reddunt, ac ideo Priscianus docuit, f, magis mutã esse, *qui si est muta quęlibet liquidis pręponitur, & locũ literæ φ grecæ mutæ apud nos obtinet, pręter quod fixis labris, quomodo φ, pronuncianda nõ est, k enim & q quamuis figura & nomine videantur aliquã habere differentiam cum c tamen eandem tam in sono vocum, quam in metro potestatem cõtinent, & k quidẽ penitus superuacua est, nulla n. videtur ratio cur ã sequẽte hæc scribi debeat: Carthago enim & caput siue per k siue per c scribantur, nullam faciunt nec in sono nec in potestate eiusdem cõsonantis differentiam, q vero propter nihil aliud scribenda videtur esse, nisi vt ostendat sequentem v ante alteram vocalem in eadem syllaba positam perdere vim literæ in metro. H autẽ aspirationis est nota, & nihil aliud habet literæ, nisi figuram, vt Priscianus dicit. Aliqui tamen Grammatici literam eam

*for. sibulus.

*Locus deprauatus.

esse

esse dicunt, quia more consonantium literarum in metro sæpe breuem syllabam longam reddit, hæc si c mutæ subiuncta fuerit, [illegible] graecam [illegible] si p præposita fuerit, φ significat. Item si fuerit t præposita aspirationi pro θ ponitur. Si ps simul positæ ψ græcam asserunt litteram, & hæ in peregrinis dictionibus vt Chimæra, Philosophus, thelesfot, psalmigraphus. Cæterum h vocalibus nunquam supponitur nisi in interiectione, ah, oh quę obturbantis & dolentis significant affectum. S quoq; singularis est potestatis, quæ in metro vim suam frequenter amittit, hæc aliquãdo in capite verbi præposita alteræ cõsonanti præcedentis verbi nouissimam syllabam in breuem vocalem desinentem producit, aliquando correptã relinquit. Hanc & aliquando in medio verbo alteri consonanti præpositam liquentium more disperire quidam dicunt, vt in illo Virg.

Hortatur Mnestheus, nunc. nunc insurgite remis.

X duplex modo pro cs modo pro gs accipitur, vt: apex apicis, grex gregis; transit tamen aliquando in u consonantem, vt: nix niuis, nec non in c, vt: nox noctis, subit etiam loco aspirationis, vt veho vexi, traho traxi, sed hæc contra regulam declinari videntur. Z in græcis tantummodo ponitur dictionibus, pro hac veterũ quidam i vocalem dixerunt, quidam duas ss scribere solebant, vnde iugum dictum est velut zugon, & Iupiter velut zeuspater, item Messentius & petissãte & tablissare, & cætera huiusmodi vsum veterem declarabant. Illud prætetea nobis intimandum est, quod omnium consonantium litterarum ista natura sit, vt semiuocales omnes ab e incipiant, & in se desinant, excepta x, quæ ab i incipit. Et mutæ omnes à se incipiant, & in e desinant, exceptis k & q & h. Postremo illud notandum est, quod vnicuique litteræ accidunt 3. id est, nomen, quo nominatur, & pronunciatur: figura, qua scripta aspicitur & notatur: potestas, qua ad proprietatẽ suam à reliquis in metrica ratione segregatur & intelligitur, vtrum sit vocalis, an consonans, an duplex, an semiuocalis, an muta, an liquida. Accidit etiam secundum aliquos auctores litteris ordo, quo alia præcedit, alia subsequitur, ita vt a prior sit, subsequẽs b, tertia c, ac deinde cæteræ in ordinem litteræ. A autem in omnibus gentibus ideo prior est litterarum, pro eo quod ipsa prior nascentibus vocem aperit.

De syllaba.

Syllaba est proprie congregatio aut compræhensio literarum sub vno accentu & vno spiritu prolata, abusiue tamen etiam singularium vocalium sonos syllabas nominamus. *Syllaba* græce, latine *conceptio*, siue *complexio* dicitur. Nã syllaba dicta est, ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα, id est, à conceptione litterarum, συλλαμβάνειν enim dicitur concipere, vnde vere est illa syllaba, quæ ex pluribus nascitur literis, ab singulis tamen incipiens syllaba, non plus quam ad sex literas in Latino sermone procedere potest, vt a, ab, est, mars, stans, stirps. Et sciendum est, quod nulla syllaba tres vocales habeat: vnde v & i non aliter iunguntur diphthongis, nisi loco positæ consonantium, vt siluę, Troię, v tantũ iungi potest diphthongo, cum amittit vim literæ, vt; quæ, linguæ, & sæpe vna vocalis producta inuenitur, pro diphthongo posita, vt inquiro pro quæro, includo pro claudo, occido pro cædo, illido pro lædo, Nilus pro Neilus, musa pro moysa, & è contrario pro longa vocali fiet diphthongus, vt lauot lautus, fauco fautus, auis auceps. Sed & hoc notandum est, quod si antecedant tres consonantes vocalẽ, non possunt nisi duo cõsequi, vt monstrans, scrobs. Nec iterum si consequantur, possunt antecedere, nisi duæ, vt stirps. Tres aũt consonantes non possunt aliter iungi in principio syllabæ ni sit prima s, & secunda post s vel c, vel p, vel t, & tertia l vel r: vt sculptile, splendens, scriba, stratum, spreuit. In fine vero dictionis contra inuenimus primam liquidam sequentem mutam, postremam s: vt, vrbs, stirps: Duarum igitur consonantium simul in syllaba positarum ista ratio est. Semiuocales aliis semiuocalibus præponuntur in eadẽ syllaba: vt, Mnesteus, amnis, Smirna, smaragdus; nam vitium faciunt qui z m scribũt, nunquam enim duplex in capite syllabæ potest cum alia iungi consonante, quod Lucanus ostendit in decimo: *Terga sedente crebro maculis distincta smaragdo:* Nam nisi esset s ante m, subtrahi in metro minime potuisset, s n, in metro sæpe vim consonantis amittit, ante aliam consonantem in eadem syllaba posita, z autem non, nisi sequatur correptã vocalem, & altera mox sibi sequatur. In fine quoq, syllabæ omnes liquidæ solent ante s poni, vt, puls, ars, hyems, põs. Similiter ante x excepta m, vt falx, lanx, arx. In multis autem præponuntur, b & g, sequẽte, d, vt bdelyros, bdellium, genus lapidis, migdonides. C vero & p præponuntur sequẽte t, vt lectus, aptus. Semiuocalis nulla præponitur mutis in capite dictionis, nisi s sequente b & c, & q & p & t, vt, asbestus, scutum, squalens, sperat, stans. Mutæ quoq; omnes pene omnib. præponuntur liquidis, vt, blandus, claret, abodlas (hoc est nomẽ barbarum) glacies, tlemus, planus, flauus, abnuo, cnidũ, Ariadne, Gneus, Ætnam, crẽpuit, brẽnus, creber, drances, gratus, frater, pratum, tractus. Ante m autem inueniuntur tãtum c, d, g, t, vt Alcmenę Admetus, dragma, rhyhtmos. Sin aut syllaba in duas desinit cõsonantes, necesse est priorem liquidã esse & sequentẽ, s & χ, vt supra ostendimus, & c, & t antecedẽte n, vt, hinc, dicunt, amant, hunc, nec non & s antecedit t, vt in præpositione *post*, & in cõiunctione *ast*, & in* verbo anomali, vt, sum, es, est. Nam & loco ψ græcæ b s & p s scribitur, pro ratione genitiui, vt Arabs arabis, pelops pelopis, celebs celibis, princeps principis. Quibusdã tamen, vt supra docuimus, nõ aliter videtur ψ græca nisi ps scribenda, quanq̃ enim ratio genitiui supra dictam exigat scripturam, tamen cognationẽ soni ad hoc procliuiorem s aiunt; hoc tamen sciendum est, quod principium syllabæ omni modo pro χ ps debet habere, vt psittacus, pseudulus, ipse. Nubo quoq; nupsi, scribo, scripsi faciunt, quamuis analogia per b cogit scribere, sed euphonia superat, quæ etiã nuptam non nubtã, & scriptum nõ scribtũ compellit per p nõ per b dicere & scribere. Omnes demũ syllabæ aut lõgę sunt, aut breues aut cõmunes. Longæ dicuntur, quæ semper longæ sunt, breues, q̃ semper breues sunt; Cõmunes, quę modo breues sunt, modo lõgę, prout versificatori placuerit, sed lõgæ duobus modis fiunt, natura & positione. Natura quidem bifariæ aut ꝓductione videl. singularium vocaliũ, vt, nauis, sedes, finis, omen, vnus; aut duarum cõiunctione, quod diphthongon vocant; diphthongi aũt dicũtur, quod binos phthongos, hoc est, voces comprehendant: Nam singulæ vocales suas voces habent, vt, æuum, poena, augustus, eurus, ei, quod est interiectio dolentis, & timentis, vt Virgil. 11. Æneid. *ei mihi, qualis erat, quantũ mutatus ab illo:* & ae quãdo in genitiuo casu à poetis per dięresin profertur, secundum græcos per a & i scribitur siue in proprijs nominibus, vt Aeneai, Anchisai, siue in appellatiuis, vt pictai, aulai, vtraq; n. longa Virg. in 3. *Aulai medio libabant pocula Bacchi*, pro *aula*. Et Cicero, *atq; oculos vr get pedibus pectusq; nepai*, pro *nepa* i. scorpij. Positione vero longę fiunt syllabæ 3. modis: Cum correpta vocalis aut in duas desinit consonantes, vt ast, aut in vnã duplicem, vt dux, aut in vnã desinit cõsonantem, & excipitur ab altera, vt, arca. aut excipitur ab x duplici consonante, vt, axis, aut excipitur ab i loco consonantis posita, vt Troia. Quę positio nonnunquã in metris in tres diuiditur syllabas, vt est illud: *Arma virum tabulaq; & Troia gaza per vndas*; aut desinit in consonantem, vt excipitur ab u & i positis in loco cõsonantiũ, vt, aduena, adiutor. Breues vero sunt syllabæ, quæ horum nihil habuerint. Accidit vnicuique syllabæ tenor, spiritus, tempus, numerus litterarũ. Tenor acutus & grauis & circumflexus, qui in vnaquaq; dictione certa, certꝰ esse debet. Similiter spiritus asper & lenis. Tempus vnum & duo, aut etiam (vt quibusdam placet) vnũ semis & duo semis, & tria & quatuor. Vnum, si vocalis breuis per se, & si eam vna cõsonans simplex cõsequatur, vt caput. Vnum semis in cõmunib. syllabis, de quib. postea dicemus, vt, lacrimæ. In lõgis natura & positione duo sunt tempora, vt da, ast, duo semis, vt quando post vocalem natura longam sequitur vna consonans, vt, sol. Tria, quãdo post vocalem natura longã duæ consonãtes sequuntur, & vna duplex, vt, mons, rex, quatuor tẽpora sunt, vt puta, si quis simul ponat in versu *lex prima*, & *lux* clara,

* *al. verbis anomalis.*

clara, & *pax plena*, & his similia. Vocalis enim natura longa est, in *le* & *lu* & in *pa*, & duo tempora habet, hæc excipitur ab x duplici, quę vnum tempus habet, quã sequuntur muta & liquida, quæ item per se vnũ tempus habent & complent. Hæ ergo oẽs simul iunctæ quatuor tempora faciunt, tamen in metro necesse est, vnamquamq; syllabã & vnius & duorum accipi temporũ. Cætera quoq; tempora, quæ accidunt, superflua à metricis iudicantur. Numerus literarũ accidit syllabæ, quia, vt supra diximus, nõ minus quã vnius, nec plus quã sex literarum apud latinos potest inueniri syllaba, illud q; commendandum est ꝙ omnis syllaba incipit habere rationem à vocali, vtrũ longa sit, an breuis. Deinde & cõsiderari de consonantib. sequentib. non de præcedentibus. Præcedentes n. consonantes nõ ipsi prosunt, quæ sequitur, sed anteriori vocali, v.g vt, si quis simul dicat, gens, stirps, n enim & duo s cũ i priori vocali, id est, e suum tempus tribuunt; & item r, p, s, præcedenti se, i, consociatur. Communes aũt syllabæ modis fiunt nouẽ, quibus aut naturaliter longæ poetali licẽtia in breues, aut naturaliter breues trãsferuntur in longas. Primus igitur modus est, cum correpta vocalis in eodem verbo à duobus excipitur consonantibus, quarũ posterior sit liquida, est n. natura breuis in hoc, *mens tenebris obscura iacet*, est positione longa in hoc, *mortuaq; tenebris*. Et sciendum, ꝙ non solum ante l vel r, sed etiã ante m vel n, positæ mutę, apud priscos poetas faciunt comunes syllabas, vt Ouid *piscosamq; Cnidon grauidamq; Amathunta metallis*. Secundus modus est, cum correpta vocalis in consonãtem desinit, & excipitur ab h litera, est enim natura breuis in hoc, *porcinum tenuere gregem niger hispidus horrens*, lõga in hoc, *Vir humilis maesto deiectus lumine terram*. Tertius modus est syllabæ cõmunis, cũ verbũ aliquod in vocalẽ desinens correptam excipitur à duabus consonantibus, quarũ prior sit s est enim natura breuis in hoc Fortunati: *Ordinibus variis alba Smaragdus inest*. Est positione longa in hoc Sedulij: *Adueniat regnum iam iamq; scilicet illud*. Hæc quoq; s litera, aliis duabus consonantib. id est, mutæ & liquidæ in principio syllabæ sequentis præposita, inueniuntur cõmunem syllabam facere, vt Horat. sermon. lib 1. *Linquimus insani ridentes præmia scribæ*. Est aũt modus quartus syllabæ cõmunis, cum post pedem quemlibet vna syllaba breuis remãserit de verbo, quę vel in vocalẽ desinẽs excipitur à cõsonante verbi sequentis, vel in consonantẽ desinẽs excipitur altera vocali, est n natura breuis in hoc: *cuius onus leue est, cuius iuga ferre suaue est*. Est longa in hoc: *Frondea iam erat, cuius in robore nullum*. Item modus quintus, cum pars orationis desinit in diphthongon, sequẽte statim altera vocali, est n. longa in hoc, vt, *musæ Aonides*; breuis in hoc: *Insulæ Ionio in magno*. Virg. in 7. *Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis*. hoc ergo modo, sicut & priore, recentiores poetæ rarissime vtuntur, sed magis synalœphã in eo faciunt, vt Prosper:

Non nostra hoc opus est, sed ab illo sumitur hic ros,
Qui siccam rupem fundere iussit aquas.

Sextusq; modus est, cum productam vocalem vocalis altera cõsequitur, est enim longa in hoc; *O vtinam in thalamo inuisi Cæsaris essem*. Breuis in hoc. *Te Corydon, ô Alexi, trahit sua quemq; voluptas*. & item Virg. in 5. *Infindunt pariter sulcos, totumq; dehiscit conuulsum*. Quem modum moderni versificatores in eadem potius parte orationis facere cõsuerũt, vt, *Eoi venere magi*, &, *Splendidus auctoris de vertice fulget eous*. Septimus modus est, cum pronomen c litera terminatum vocalis statim sequitur, est n. longa in hoc Sedulij; *Non quia qui summus pater est, & filius hic est: Sed quia ꝙ summus pater est, & filius hic est*. Breuis in hoc *Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis*. Sed & aduerbium vnum c litera terminatum communem syllabam facit, est n. longa in hoc Paulini: *Donec aspirante Deo conatibus ægris* Breuis in hoc Prosperi, vt; *Morbo obsessis præstanda est cura medendi Donec in ægroto corpore vita manet*. Octauus modus est, cũ correptam vocalem in eadem parte orationis consequitur x consonans græca duplex. Est enim longa in hoc Iuuenci; *Difficile est terris affixos dimittere gazas*. Breuis in hoc eiusdem; *Et gaza astabat rerũ possessio fulgens*. Nonus modus est, quo ... syllabam ... in quocunq; metro, ad ... phorus, tandem ... poetarum, & correpta producitur & producta corripitur, cuius exempla in omnibus metris sunt plurima. Sciendum aũt, quod falso x literam dicunt communem syllabam facere posse in metro, quia cum in eadẽ parte orationis sequitur vocalẽ, siue natura longa sit, siue natura breuis semper eã habet lõgam, vt pax, lux, vox, rex lex; & item fax, nex, nix, nox, nux. Cum vero in principio fuerit verbi, non potest producere finalem vocalem prioris verbi, vt: *Per tibui in flaeu conduxit littera Xerxes*. Omnes quippe consonantes syllabæ, vt ait Varro, aliæ sunt asperæ, vt trux, crux; aliæ * leues, vt luna, lana; aliæ procerçs, quæ vocalẽ longam extremam habent, aut penultimã, vt mansuetudo, facilitas, aliæ retorridæ, quæ mutam habent extremã; vt, hic, hoc; aliæ barbaræ, vt, gaza, mammon; aliæ græculæ, vt hymnos, zenon. aliæ duræ, vt ignotus, cognitus; aliæ molles, vt ædes, ludus, & ideo hoc omnino seruare debent, qui volunt lubricos & currentes versus facere, vt quicunq; in sonis aures grauet, vel obstupescere faciat, vitare cõtendant, & euphoniæ in carminibus summam tribuant.

*for lenes

De primis syllabis.

Primarum syllabarum in omnibus partibus difficilis inuestigatio est, quam videlicet ipse maxime dignoscere poterit, qui pedum rationem & versuum scansionem in metris sedulus discere curat, quia cum sint multæ dictiones, quæ secundum analogiæ qualitatem eadem terminatione finiuntur, tamen non multæ sunt, quæ in initiis cõcordent, sed cum hæc operosa expositione indigeant, ea solummodo nos, quæ à fidissimis artiũ scriptorib. exquisita reperimus, breuiter cõmemorare satis sit. Nam syllaba, aut diphthõgo lõga esse cognoscitur, (qui quinquefarie scribitur, id est, ae, oe, au, eu, ei: hi vbicunq; reperiuntur, semper syllabam longã natura esse õstẽdunt) aut exemplo. Quæritur n. in scansione metri, & in cognitione pedum, vtrum syllaba longa sit, an breuis, verbi g. *Musa* nomẽ appellatiuum, si nescias, vtrum *mu* producta sit, an correpta, occurrat tibi illud Virgilij: *Musa mihi causas memora, quo numine læso*: & inuenies *mu* productã, quia omnis versus heroicus, necesse est, primam syllabam habeat longam, cum spondæus vel dactylus in capite versus huius metri semper constet. Item in Elegiaco carmine ad indagandas syllabas exempla prompta sunt: nam prior versus hexameter dactylum quinta regione pene semper tenet qui primam syllabam longam & posteriores duas breues habet. Similiter & sequens versus pentameter post duos primos pedes & colofon duob. dactylis & vna supersyllaba, versum semper claudit vt Virg. in Epitaph. quod sibi ante mortem condidisse fertur:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini: pascua, rura, duces.

Quod sic scanditur, *Mantua* dactylus *me genu* dact. *it cala* dact. *bri ra pu* dact. *ere te* dact. *net nunc* spondæus. *Partheno* dact. *pe: ceci.* dact. *ni* colofon *pascua* dact. *rura du* dact. *ces* colofon Ecce, vt diximus, in priore versu. quinta regione dactylus *e* longam & *re*, & *te*, breues ostendit. Atq; in sequenti versu *pa* longa & *scu* & *a* breues. & item *rũ* longa, *ra* & *du* breues similiter idem pes ostẽdit. Licet enim loca alia in versu vicissim spondæus & dactylus teneant, in istis tamen minime exempla fallunt Fortunatus in libello, quem de B. Mariæ laude cecinit, ita ponit:

Rorarunt cœli nubes, iustumq; pluerunt:
Quem Saluatorem germine Virgo dedit.

Quod sic scãditur: *Rora* spond. *runt cœ* spond. *li nu* spond. *bes iu* spõd. *stumq; plu* dãct. *erunt* spond. *Quem Sal* spondæus, *uato* spd. *rem* colofon, *germine* dact. *Virgo de* dactylus, *dit* colofon. Ergo sicut in priore exemplo omnibus locis dactylum præter vnum spondæũ, ambo versus habuerunt ita nunc in sequenti omnibus locis spondęum præter supradicta tria loca habent. Item aliquando prima syllaba ex cõpositione figuræ, qualis sit deprehenditur, vt si nescias, qualis sit, *pius vel probus*, ex cõpositione quæ est, *impius vel reprobus* cognoscitur; licet in syllabis aliquando hoc fallat. Nam cum dicimus *nubere*, *nu* longa est. Calpurnius in x. *Nubere vis Prisco, non miror, Paula sapisti*. Item cum dicimus *pronuba*, aut *innuba*, aut *connubium*, *nu* breuis in copositione. Virg. in 6. Æneid. *Et Bellona manet te pronuba nec face*

tantum. Idem in 4. *Connubio iungam stabili propriamque dicabo.* Item a *lux lucis* longa est *lu*, licet in aliam deriuatione breuis, *l*[illegible]. Item *homo* breuis est, vbique *humanus* semper longa. *Itur in antiquam siluam*, *i*, longa *superumque ad lumen ituras*, *i* breuis. Sed hoc inuenire raro contingit, verum si quælibet pars orationis præpositionibus componantur, primas syllabas ex his cognoscimus, nam talis manebit fere in composita syllaba, qualis & ipsa præpositio fuerit, vt deceptus, eductus, abūdans, reluctans, *de* videlicet & *e* longa, *ab* & *re* breuis. Sed ex ipsis præpositionibus *ad* & *ob* & *in* & *sub* diuerse in verbis ponuntur. Nam corripiūtur, cum crescendo dissyllabā reddunt, vt, ădit, ŏbit ĭnit sŭbit. Indifferent. sunt, cum trissyllabam faciunt, vt, adicit, obicit, inicit, subicit. Producūtur tamen cum tetrassyllabas ex se reddunt, vt ādicio, ōbicio, īnicio, sūbicio Item producuntur, quæ per *præ* & per *quæ* in primis syllabis scribuntur, vt præmium, præsciuit, quærens, quæsiuit. Breuiantur vero pretium, precor, premo, prehendo, & queror, hoc est, querelam depono, & quæ ex his per deriuationem vel cōpositionem fieri possunt, vt, adprecor, preces, comprimo, apprehensus, conqueror, querela, & *que* coniunctio. Item breuiantur ex iisdem præpositionibus in compositione, vt, dehinc, profectus, protulus, professus, profatus, proauus, pronepos, &c. Sunt etiā aliquanta verba, quæ primas syllabas tēporum ratione permutant, quæ subter collecta in omni præterito perfecto vel in omni præterito plusquamperfecto, vel in vno futuro tantū modi coniunctiui producuntur. In ceteris a. modis & temporib. breuiantur, vt sunt hęc primæ coniugationis, lăuo, lāui, lāueram, lāuissem, lāuerim, cum lāuero. Iuuo, iūui, iūueram, iūuissem, iūuerim, cum iūuero. Et secundæ hæc: Sĕdeo, sēdi, sēderam, sēdissem, sēderim, cū sēdero. Făueo, fāui, fāueram, fāuissē, cum fāuerim, fāuero. Mŏueo, mōui, mōueram, mōuissem, mōuerim, cum mōuero. Fŏueo, fōui, fōueram, fōuissem, fōuerim, cū fōuero. Vŏueo, vōui, vōueram, vōuissem, cū vōuerim, vōuero. Păueo, pāui, pāueram, pāuissem, pāuerim, cum pāuero. Căueo, cāui, cāueram, cāuissem, cū cāuerim, cāuero Vĭdeo, vīdi, vīderam, vīdissem, cum vīderim, vīdero. Nĕo, nēui, nēueram, nēuissem, cum nēuerim, nēuero. Flĕo, flēui, flēueram, flēuissem, cum flēuerim, flēuero. Cĭeo, cīui vel cij, cīueram, cīuissem, cum cīuerim, cīuero. Tertiæ vero coniugationis verba, quæ eandem regulā sequuntur, sunt hæc fŭgio, fūgi, fūgeram, fūgissem, cum fūgerim, fūgero. Cŭdo, cūdi, cūderā, cūdissem, cum cūderim, cūdero. Căpio, cēpi, cēperam, cēpissem, cū cēperim, cēpero. Lĕgo, lēgi, lēgeram, lēgissem, cū lēgerim, lēgero. Făcio, fēci, fēceram, fēcissem, cū fēcerim, fēcero. Iăcio, iēci, iēceram, iēcissem, cū iēcerim, iēcero. Lĭno, lēui, lēueram, lēuissem, cū lēuerim, lēuero. Ĕmo, ēmi, ēmeram, ēmissem, cum ēmerim, ēmero. Sĕro, sēui, sēueram, sēuissem, cum sēuerim, sēuero. Ex quibus sunt illa, quæ in præsenti tempore & in aliis quibusdam temporibus sua positione primam syllabam ostendunt se habere longam, sed quæ natura correptam vocalem habent, huic regulæ mancipantur. Rŭmpo, rūpi, rūperam, rūpissem, cum rūperim, rūpero. Cĕrno, crēui, crēueram, crēuissem, cum crēuerim, crēuero. Spĕrno, sprēui, sprēueram, sprēuissem, cum sprēuerim, sprēuero. Fŭndo, fūdi, fūderam, fūdissem, cum fūderim, fūdero. Vĭnco, vīci, vīceram, vīcissem, cum vīcerim, vīcero. Tĕro, trīui, trīueram, trīuissem, cum trīuerim, trīuero. Frăngo, frēgi, frēgeram, frēgissem, cum frēgerim, frēgero. Fŏdio, fōdi, fōderam, fōdissem, cum fōderim, fōdero. ŏdio, ōdi, ōderam, ōdissem, cum ōderim, ōdero. Quartæ coniugationis, vt: vĕnio, vēni, vēneram, vēnissem, cum vēnerim, vēnero. Eo, iui vel ij, īeram, ījssem, cum īerim, īero. Queo, quiui, quiueram, quiuissem, cum quiuerim, quiuero. Item contra inueniuntur, quæ in præsenti tempore producta sunt & in præterito breuiantur, vt sunt hæc: pōno, pŏsui, cōgo, cŏegi, do, dĕdi; stō, stĕti. & ex eo composita: præsto, asto, persto, resto. Item omnia verba, quæ in præteritis ante crescunt, in primis syllabis breuiantur, vt sunt hæc: pendeo pependi, mordeo, momordi, spondeo spospondi, tondeo totondi secundæ coniugationis. Tertij quoque ordinis hæc sunt: posco, poposci; curro, cucurri; disco, didici; cano, cecini; tango, tetigi; tendo, tetendi, pendo, pependi, pello, pepuli, tundo, tutudi; pungo, pupugi vel punxi; parco, peperci; pedo, pepedi, fallo, fefelli; cado, cecidi; tollo, tetuli; pario, peperi; pango, pepigi, &c. Item in verbis, quæ in eisdem litteris scribuntur notandum, quod *liber* si librum significat aut corticem, breuem habet *li*: si liberum, longam. *Pila* si vas significat, longam habet *pi*, si sphæram, breuem. Securus longam *e*, securis breuem, domus breuem *do*, doma, i. tectum longam. *Plaga* cum clima significat, breuis est *pla*; cum vindictam, longa. Palus paludis, breuis *pa*, palus pali longa. Populus cum vulgus significat, breuis est *po*; cum arborem, longa. Nitens à nitore breuis est *ni*, à nisu longa. Item educo educis, longa *du*, educa educas, i. nutrio, breuis. Concido, decido, incido, occido, si ad casum pertinent, correptam habent *ci*; si ad concisionem, productam. Colo colis, breuis *co*, colo colas producta. Placeo places, correpta *pla*; placo placas, producta. Pareo pares, i. appareo, siue obtempero, producta *pa*, paro paras, i. præparo, & pario paris, correpta. Parentes, cum apparentes significat, producta *pa*; cum genitores, correpta, sicut & parientes. Incĭpio, incēpi, incēperam, incēpissem, cum incēperim, incēpero. Satăgo, satēgi, satēgeram, satēgissem, cum satēgerim, satēgero, & cuius simplex, vt, ăgo, ēgi, ēgeram, ēgissem, cum ēgerim, ēgero. Sĭno, sīui, sīueram, sīuissem, cum sīuerim, sīuero. Dico dicis, longa *di* sic & ex eo composita producuntur, vt: cōdico, prædico, contradico, interdico. Dicas à dico, breuis *di*, similiter & ex eo composita corripiuntur, vt prædico, vnde prædicator, dedico, abdico. *Idem* si neutri generis est, corripitur; si masculini, producitur in vtroque numero. Leuitas, si instabilitatē mentis designat, aut pusillitatem ponderis, breuis est *le*; si leuitatem tactus, vnde ligna in ædificio leuigata dicuntur, longa est. Lego legis, correpta *le*; lego legas, producta. Cimini à cio cis, quartę coniugationis, producta penultima; à cieo ciui secundę coniugationis, correpta penultima. *Iio* penultimam breuē habet in præsenti, sed producit eam in præterito perfecto, vt ici; vnde ictus. *Ne* a. aduerbium prohibendi vel negandi longū est, quādo a. pro interrogatione vel increpatione ponitur, breuiatur. *Labor* cum nomen est, corripitur, cum verbum deponens, producitur, vt: *Labitur inualida deformis gloria forma.* Liquor si nomen, corripitur, si verbū, producitur vt Virg in Georg. *Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit.*

Medias syllabas tribus modis agnoscimus, positione & diphthongis & accentu; sed de positione & diphthongis satis, vt reor, supra tractauimus, nunc de accentibus tractemus Accentus vero est vt quidam recte putauerunt vigor ac anima vocis. Nam sicut nulla vox sine vocali est, ita sine accentu nulla est. Et accentus dictus est, quasi *adcantus*, quod iuxta cantum fit, sicut aduerbium dictum, quod iuxta verbum est. Hic autem græce prosodia dicitur, vnde latini ei nomen posuerunt; nam græce *πρὸς*, latine ad; *ᾠδὴ* græce, latine *cantus* est. Qui vocis accentus duo sunt, ad ea quæ tractamus necessarij: correptus & productus, quia metrici temporis *De medijs syllabis.*

quantitatem, quam in vnaquaq; syllaba habere debeat, ostendunt. Cęteri quoq; magis pronuntiationi, siue scripturæ, vel scriptioni deseruiũt. Correptus accentus est in his syllabis, quas sine vlla mora vocis enuntiamus, vt, macula, tabula. Productus est in his, quas cum aliqua mora vocis exprimimus, vt, maiestas, libertas, quia vnaquæque longa syllaba tantum bis temporis occupat, quantum semel breuis. Medias tamen syllabas ita pronuntiationis accentus demonstrant, vt in trisyllabis partibus si penultima correpta est, & nec natura, nec positione longa, ad antepenultimam accentus transferatur, & penultima velocius pronuntietur, vt mænia, vincula. Si vero penultima siue natura siue positione longa est, ipsa accẽtum tenebit, vel circumflexum vel acutum, vt natura, potestas. Sciendum est tamen, quæ in verbis i correpta proferuntur, cum in medium venerint, & ipsa r in e mutauerint, vt legis, lege, legere, vbiq; breuiantur, excepto cum à tribus consonantibus excipiuntur, b & m & r, vt: legebam, legemus, legerit. Ceterum eas dictiones, quæ polysyllabæ sunt, necesse est, vt exemplis & positione ac figuris, sicut & accentibus, inuestigemus, vt si quęramus, *truculentissimorum* quibus syllabis constet, edidicimus primam & secundam exemplo breues esse, vt: *Dominus truculentos persequor hostes*: tertiam & quartam positione longas, quintam breuem accentu didicimus; quia cum dicimus, *truculentissimus*, penultimam breuem esse probamus: sextam cum circumflexo accentu pronuntiamus, longam, eam demonstramus. Item *cornigerorum*, si quęramus, quibus syllabis constet, inuenimus primam positione lõgam secundam accentu breuem, vt corniger penultima correpta; tertiam ex compositione figuræ depræhendimus esse correptam, quia *corniger*, nomen appellatiuum, figuræ est composite ex *cornu* nomine & *gero* verbo. In gero quoq; geris breuis est *ge*, similiter & in compositione corripitur. Quartam accentu longam esse ostendimus, vltimæ vero qualitatem per singulas partes orationis monstrabimus in ratione subiecta.

Item de medijs syllabis. Medias syllabas 6 modis agnoscimus, diphthongis, positione consonantium, compositione partium, regula, auctorum exemplis, & accentu; Sed de diphthongis & positione litterarum supra disseruimus, cum de syllaba tractabamus; nunc de cæteris dicemus. Compositione ergo partium mediæ syllabæ dinoscuntur, quia fere partes omnes cõpositæ eiusdẽ potestatis habent syllabas in compositione, cuius habuere simplices, excepto, cum vel correptæ à priore statu fuerint, & demptis vocalibus conglutinatio consonantium fit, vt parricida, à parente nomine & verbo cedere, & quadrigæ pro quadriiugæ, bini pro bis vni, deni pro decies vni; vel cum concurrunt inter se duæ consonantes in compositione, id est, finalis prioris dictionis, & inchoatiua sequentis, & in hoc breuem syllabam prioris membri positione producunt, vt paterfamilias, eiusmodi, satisfactio, vterque quod sæpius accidit præpositionibus, quæ in consonantem terminant, & breues sunt natura, vt inter, subter, super: producuntur aut positione, vt interfector, superstes, subterfugit. Aliter enim pene semper supra dictum ius seruant, vt beneuolus, maleuolus, quæ quia simplicia fuerunt omnibus syllabis breuia, sunt & in compositione similiter. Nam quæcunque à *gero* verbo sunt composita, vel *fero*, vel *tereo*, vel *possum*, vel *facio*, vel *gigno*, omnia medijs syllabis breuiantur, quia ipsa verba supra dicta simplici figura primam partem corripiunt, vt corniger cornigeri, aliger aligeri, armiger armigeri, lauriger laurigeri, congero, degero, * congerans, degerans. Item astrifer, astriferi, stellifer, stelliferi, somnifer, somniferi, vocifero, vociferans, auferens ab aufero, confero, conferens. Item omnipotens, armipotens, almipotens, omnitenens, arcitenens, & contineo, continens, detineo detinens. Item pacificus, pacifico, pacificans; magnificus, magnifico, magnificans, mirifico, mirifice, mirificans, glorifico, glorifice glorificans, & similia his. Item verbigena, terrigena, nubigena, troiugena, vnigenitus, primogenitus. Et sciendum, quod omnia hæc, quæ in priore membro vltimam i habent, eandem

** for. congerens, degerens.*

corripiunt. Regula quoque auctorum tam copiosa est relatu, tamq; multiplicibus distincta varietatibus, & tam idoneis suffulta testimonijs, vt vix eam aliquis memoriæ totam commendare possit, aut stricto sermone exponere. Sed quia penitus à nobis hanc silere non oportet, licet totam edicere breui hoc opusculo nostro non possimus, in insignioribus tamen locis stylo contingere curemus. Nominis ergo rationem Priscianus scribens vbi de denominatiuis disputauit, vniuscuiusq; terminationis penultimas syllabas vel antepenultimas sagacissime inuestigauit. Cuius auctoritatem nosquoq; in hoc loco secuti sumus. Ita tamen vt & q̃ ille de alijs speciebus seorsum cõposuit, nos mixtim pro breuitate operis, & iuxta conuenientiam terminationis inseramus. Ergo in a desinentia denominatiua, si i habent ante a, hanc semper breuiant, vt sapientia, acrimonia, nec non & secundæ declinationis nomina, quæ in cus desinũt, nisi sint regionum nomina, quæ ex his diriuãtur, antepenultimã, i. sicut & penultimam corripiunt, vt ab amicus, amici, amicitia, inimicus, inimicitia, pudicus, pudicitia, sic & alia quędam eiusdem declinationis nomina dissyllaba, vt lætus læti lætitia, durus duri duritia, mæstus mæsti mæstitia, stultus stulti stultitia. Similiter & illa quæ in tertia declinatione similem habent nominatiuo genitiuum; nam istorum denominatiua à datiuo diriuantur, sicut priorum à genitiuo, vt segnis segni segnitia, tristis tristi tristitia. *In a.* Consonante vero antecedente in a desinentia denominatiua seu verbalia formas habent tres la, na, ra; *la*, est longa antecedente e; cautus, cauti, cautela; tutus, tuti, tutela; custos, custodi, custodela; mandatum, mandati, mandatela; cliens, clienti, clientela. *In la.* Et nota, quod omnia extremam vocalem genitiui, si secundæ sint, siue tertiæ datiui in e longam conuertentia, assumunt, la, quę vero à verbis fiunt secundæ coniugationis, à secunda persona abijciunt s & assumunt, la, candeo candes candela, suadeo suades suadela. *In na.* *Na* vero desinentia, omni modo longam habent penultimam, vel natura vel positione, officium officina, medicus medicina, rex regis regina, leo leæna, doctrix doctrina, piscis piscina, cocus cocina & culina, cantus cantilena, far farina, lux lucis lucina, luceo lucerna, lateo laterna. Fiscina corripit penultimam, quomodo fuscina, mutina, pagina, & hoc ideo, quia non diriuatiua sunt, sed primitiua, sic & sagana, sagana enim & saga idem significant; *In ra.* *Ra* autem terminantia omnia participijs femininis futuri temporis similem habent formam, vnde penultima quoque v sine dubio producitur, scriptura, censura, pictura, tonsura, vsura, litura, natura, armatura. Et notandum, quod supradictæ omnes formæ, id est, in a desinentes, propriæ sunt feminini generis. Inueniuntur tamen pauca verbalia masculini generis, siue communia, vt hic scriba à scribo, à lego, i longa, le, collega, fugio, hic & hæc perfuga, assequor assecula, aduenio aduena, conuenio conuena, penultima in his correpta; in conuiua, longa. Nam Propheta, Poeta, prorera primitiua, e penultimam producunt. *In ne.* In *ne* autem desinentia patronymica feminini generis, quæ sunt iadis linguæ, i longam habent penultimam, si principale non habuerit eandem i vocalem, vt Adrestos adrestine, Nereus nerine: sin autem principale habuerit i, o producta ante, *ne*, inuenitur vt acrisios, acrisione. *In e.* In *e* desinentia diriuatiua neutra sunt, vt sedile, ciuile, monile, cubile, quæ penultimam longam habent, & quia pleraque à communibus nascuntur neutri generis, quæ in masculino & fæminino in is terminantur, ex eorum regulis horum penultimæ noscuntur. *In o.* In *o* masculina quidem siue communia pauca inueniuntur, vt à cicere cicero, à capite capito, à labe labeo, à latendo latro, à leniendo vero natura longa leno, à catus cato, à comedendo comedo, ab epulando epulo, penultima naturaliter breui, à palpando palpo positione longa est, fæminina namque plurima sunt diriuatiua modo in io, modo in go, modo in do desinentia; *In io.* In *io* igitur terminantia plerunque à participijs præteriti temporis fiunt, quorum genitiuus assumpta, o, & correpta i facit huiuscemodi nomina; oratus, orati, oratio; accusatus, accusati,

accusa-

accusatio; status, stati, statio; datus, dati, datio; nexus, nexi, nexio; abolitus, aboliti, abolitio; lectus, lecti, lectio; munitus, muniti, munitio. Internectus autem internecti internecio, fecit euphoniæ causa, abiecta t. Diminutiua quoq; omnia, quę i ante o habent, hanc corripiunt, vt dixi homuncio.

In go. In *go* vero desinentia siue sint deriuatiua, siue primitiua seu composita penultimam vel natura, vel positione longam habent, virago, compago, Carthago, fartago, caligo, vligo rubigo ferrugo ærugo virgo, margo; excipitur vnum ligo, cuius penultima corripitur; nec mirum, cum sit masculinum & solum dissyllabum vocalem ante, go, habens.

In do. In *do* desinentia diriuatiua tam a nominibus, quam a verbis, vel participiis veniunt, hæc quoq; modo e longam vel i, modo *tu*, habent ante *do* vt acris acredo dulcis dulcedo, intercapio intercapedo torpeo torpedo, libet libido, cupio cupido, formido formidas, formidinis, quod ideo fecit simile nomen verbale primitiuo verbo, quia ipsa positio verbi talem habuit formam.

In tudo. In *tudo* quoque fortitudo, magnitudo, habitudo, amplitudo, firmitudo, celsitudo, suauitudo, i antepenultima vbiq; correpta, testa siue testu testudo quod est corporale nec non omnia in *do* desinentia quamuis non sint diriuatiua penultimam u habentia producunt eam, natura vel positione, vt hirundo arundo, hirudo.

In al. In *al* desinētia denominatiua, si primitiua eorū penultimam natura vel positione habuerint productam, ea quoque longam habent penultimam, ceruix, ceruicis, ceruical, tribunus tribunal, vectus vectigal, lupercus lupercal, sin illa breuem, ea quoq; correptam torus toral animus & anima animal.

In um. In *um* desinentia diriuatiua, siue etiam composita diuersas habent formas, quædam enim vocalem e habent longam vel i correptam ante um, e, vt oliuetum, corsletum, tosetum, dumetum, quercetum ac scruetum, mirtetum i u, vt augurium solarium, pomarium, solaciū, suauium basium, odium, remedium, concubium, palladium, officium, connubium, conuiuium, exilium consilium, iudicium meritorium municipium prȩsidium domicilium.

In bulum. Consonantes quoque ante *um* habentia diriuatiua diuersas habent formas; Alia enim in *bulum* desinunt, quæ forma assimilis est diminutiuis, & veniunt à nominibus vel à verbis vt: cuna cunabulum; vesta vel vestis vestibulum, thus, thuris, thuribulum; voco, vocas; vocabulum; concilias, conciliabulum, stas, stabulum; pasco, pabulum; prosto prostibulum; patior vel patio, patibulum. † Sin vero a, producitur, vt cunabulum pabulum, excipitur stabulum, quod corripit a; nec mirum, cum verbum quoque stabulo stabulas eandem corripiat syllabam, & stabilis, & status, & quæcunque a verbo sto stas diriuata fuerint, excepto vno verbo supino statum, & stamen nomine, & statura, quod tam nomen quam participium est, staturus quoque & staturum producuntur quamuis status, stata, statum corripiantur.

† Et attendendum, quod penultima in omnibus corripitur antepenultima vero si habeat i, corripitur, vt vestibulum patibulum.

In culum. Inueniuntur etiam quædam in *culum* desinentia, quæ à secunda deriuantur persona vt deuertis deuerticulum vertis verticulum, vehis vehiculum, perior periris, vnde peritus & ab eo compositum imperitus periculum, oras oraculum, propugnas propugnaculum, obstas obstaculum, miraris miraculum, perpendis perpendiculum specio specis speculum pro speciculum per syncopam fero fers ferculum.

In culus, cula, culū. Et sciendum quod omnia penultimam u corripiunt similiter & diminutiua, quæ in *culus, cula, culum*, & *vlus, vla, vlum* desinunt vt igniculus tantulus [illegible] nauicula tantula, corpusculum, capitulum [illegible] & quæcunq e i antepenultimam habent, eandem breuiant, vt dulciculus, dulcicula, dulciculum, monticula, fidicula, comiculum, versiculus, anicula, geniculum. Excipitur craticula, quod in antepenultima producit Iuuenalis: *Conbiber æstiuum contracta cuticula solem*, & apicula. Quæ vero e ante *cula* habent producunt eam vt vulpecula, nubecula diecula.

In mentum. Alia vero verbalium in *mentum* desinunt, vt: vestio, vestis, vestimentum; hortor, hortaris, hortamentum; orno, ornas, ornamentum; sacro sacras, sacramentum; fundo fundas fundamentum; moneo, monitus monimentum; alo, alis, alimentum, munio, munitus, munimentum. Et sciendum, quod antepenultimam productam habent, vel correptam, prout sint penultimæ syllabæ præteriti temporis eorum verborum ex quibus diriuantur.

In moniū. In *monium* etiam inueniuntur diriuata, i correpta antecedente *mo*, siue sequente vt: patrimonium, matrimonium, testimonium.

In en. In *en* desinentia diriuatiua, in antecedente pene omnia verbalia sunt & neutra; & si sint à prima coniugatione a longam habent penultimam, vt: solor, solaris solamen, foro foras foramen; curuas, curuamen; oblectas, oblectamen; purgo purgas, purgamen; irrito, irritas irritamen; ligas, ligamen. Sin a secunda vel tertia, i habent correptam, vt: moneo, mones, monimen; rego, regis, regimen; tego tegis, tegimen, & per concisionem tegmen; à specis vel specie specimen; vel a productam, si in *no* desinit verbum; acuo acumen; fluo flumen, nuo, numen; numen enim est Dei nutus vnde Virgil. *Meo sine numine venti*, id est sine meo nutu; luo, lumen, quo omnia abluuntur, id est, purgantur à tenebris. A verbis, u, quartæ venientia, i productam habent; munio, munimen; lenio, lenimen; molior, molimen. Pauca inueniuntur in *en* diriuatiua gen. masc. à pectendo pecten à filo filamen, quod per syncopam flamen dicimus, & à canēdo composita masculina, i correptam habent penultimam tubicen cornicen fidicen, excipitur vnum, *tibicen*, quod ideo solum i productam habuit penultimam, quod synæresi facta est duorum ii breuium in vnam longam.

In ar. In *ar* desinentia diriuatiua, si consonantem habeant ante *ar* penultima syllaba producitur vt: cæsus, Cæsar, lacus, lacunar; lupa lupanar sin vocalem corripitur vt: laqueus laquear.

In er. In *er* diriuatiua à nominibus pleraq; s & t habent ante r, vt: equester, pedester, sicut & diminutiua habent, vt antester, parasitaster, antoniaster catulaster. Pleraque verbalia, verborum consonantem correptam seruant, vt: rubeo, ruber; pigro piger; macero, macer.

In or, ur. In *or* & in *ur* à verbis inuenio fieri abiectione, o, vt: coloro, color; laboro, labor, honoro, honor, decoro, decor; adoro, ador; murmuro, murmur; auguro, augur, saturo, satur, cuius fœmininum, satura, & neutrum saturum. Alia assumunt verbo r, vt: amo, amor, furo, furor. Alia à participiis mutant *us* in *or*, & eius accentus seruant, vt: senatus, senator; monitus monitor. Et sciendum, quod omnia comparatiua in *or* desinentia penultimam i semper correptam habent, vt: senior, doctior, fidelior, masculini & fœminini generis, sic & eorum neutra vt: doctius, fidelius.

In as. In *as* desinentia denominatiua, sin i habent penultimam aut e, corripiunt vt: probus, probi probitas; bonus, boni, bonitas, timidus, timidi timiditas; pius pij, pietas; socius, socij, societas; capax, capaci, capacitas; felix felici felicitas; celer, celeri, celeritas: auctor, auctoritas, quædam enim producunt e, vt: pauper, paupertas; vber, vbertas; maior, maiestas. Sunt autem ex his quædam communia, vt: primas, optimas, vltima circumflexa.

In es. In *es* desinunt correptam denominatiua & verbalia vt: eques, equitis; struo, strues; sepio, sepes. In *es* productam inueni verbalia, vt: luxu, vt: luxurio luxuries; illuuio, illuuies. Inueniuntur quoque patronymica huius formæ vt: inchiliades. De hac igitur forma qua vtuntur nostri, diligentius dicendum est, nam si nominatiuus Græcus in *as* desinat, Genitiuus vero in *u* diphthongon, a penultima breuis ante *des*, inuenitur in patronymico vt: Pelias, peliades; Æneas Æneades, Menœtius menœtiades; Lerchios lerchiades. Nam Æniades magis contra regulam, autoritate poetica posuit, Virgilius in 9. e & a correptas, in i productam conuertens: *Sit satis in anide telis impune numanum oppetiisse tuis*. Hippotes hippotades; butes butades; Cornetes, cornetides, i penultima breui, excipiuntur tamen hæc quæ contra regulam penultimas vocales producunt, æolides, demades, coritides, licoorgides, lagides belides, euerides, licomedides hæc apud Grȩcos contra regulam penultimam diphthongon habent pro qua nos i longam ponimus.

In is. In *is* de nominatiua siue verbalia multas & diuersas habent formas, alia enim in *alis*, alia in *elis*, alia in *ilis*, *ulis* finiuntur vt: curialis, fidelis, docilis, virilis curulis: alia vero in ris a longa antecedente, vt apollinaris, scholaris, alia

mum, sed nonumdecimum extitisse præsulem assent, beatoque Lucio successisse Anneo ac annis, sicut dictum est, præfuisse quatuor, & viginti. Neoterici autem, innominati scriptores, Megenfridi chronicorum notitiam non habentes, sedecim duntaxat ante sanctum Bonifacium ecclesiæ præfuisse Moguntinę pontifices asserunt, inter quos Maximum in ordine septimum locantes, beati Aurei martyris sub Attila, Hunnorum rege, passi successorem immediatum extitisse cōtendunt. Sed hæc ratio * tempus non admittit. Sanctus enim Lucius Annęus, præsul octauusdecimus, moritur anno Dominicæ Natiuitatis trecentesimo, quinquagesimoquarto, Indictione Romanorum duodecima, temporibus Liberii papæ, cui eodem anno, sanctus Maximus in pontificatu successit. Beatus vero præsul Aureus Moguntiæ ab Attila passus est sextodecimo calendas Iunii, Anno Domini quadringentesimo, quinquagesimoquarto, Indictione Romanorum septima: cui non Maximus, vt isti putant, sed Eutropius in pontificatu successit, temporibus sancti Leonis papæ primi. Vides nunc, quod præcise centum annorum tempus, ab institutione Maximi ad pontificatum, vsque ad passionem beati martyris Aurei intermediat: quod præter Megenfridum monachum nullus scriptorum Moguntinensium, quos ego legerim, animaduertit. Vnde mihi videtur, scriptores ipsos nominum consonantia fuisse deceptos: qui pro *Anneo* posuerunt *Aureum*, & Maximum successorem immediatum ipsius Aurei martyris opinati sunt, cuius non Aureus, sed Annęus fuit successor, vt ostendimus, centum ante annos. Nam ita summatim auctor inquit memoratus: *Anno Dominicæ Natiuitatis octogesimo, Crescens à Roma directus in Germaniam primus Moguntinensium ordinatus est episcopus, & præfuit annis duobus & viginti, vir magna sanctitatis, & martyrio coronatus.* Post quem Maximus annis sex. Crescentius autem pręfuit annis XIX. Ciriacus annis XIV. Hilarius vir sanctus & martyr annis XX. Martinus annis XIV. Celsus martyr annis XXII Lucius annis X. * Horhardus, vir sanctissimæ vitæ, annis XV. Sufficonius, vir sanctus, annis VIII. Henrigerus martyr annis quatuor. Rutherus martyr annis XX. Auitus, vir doctus atque sanctissimus, annis XXII. Ignatius martyr annis tredecim. Dionysius, vir sanctus, annis XXVI. Ruthbertus annis XII. Adelhardus, vir sanctus, annis decem. Annęus Lucius annis XVIII. Vir Apostolicę atque sanctissimæ vitæ, Maximus, de quo nobis est sermo, præfuit annis XXIV. Sidonius annis XIX. Sigismundus annis sex. Lupoldus, vir sanctus, annis XVII. Nicecius annis VIII. Marianus annis X. Aureus martyr annis XVI. Post quem sanctus Eutropius pręfuit annis XXIII. Post quem ordine suo, vsque ad sanctum Bonifacium exclusiue, adhuc quatuordecim pontifices extiterunt in ecclesia Moguntina, quorum ista sunt nomina: Adelbertus, Rudhottus, Adelbaldus, Landtfridus, Rudhardus, Sidonius, Secundus Vinlibertus, Ludgaltus, Ruthelmus, Rudualdus, Leonaldus, Richbertus, Heroldus, & filius eius Vinihebus laicus, per Carolum Martellum, maiorem domus Francorum, ea ratione pontificatu Moguntino donatus, sicut & Milo filius sancti Luthuini archiepiscopatu Treuirorum, & alii multis aliis per Galliam, vt bello interessent cum illo contra Saxones, Francorum Domino rebelles. Verum non multo post Vinihebus laicus, ignarus diuinarum scripturarum propter venationes & homicidium sententiâ Gregorii papę secundi fuit depositus: & sanctus Bonifacius monachus & presbyter anno Domini septingentesimo vicesimo, Indictione Romanorum tertia, in eius locum pręsul Moguntinæ ecclesiæ primus & quadragesimus ordinatus, quem Zacharias papa Romanus postea in archiepiscopum eiusdem ecclesiæ sublimauit. Hæc ideo mihi præmittenda necessario videbantur, ne quis eorum, qui olim ista lecturi sunt, à Moguntinis scedulis discordantem me, aut emendatorem existimare velit, aut sine auctore certo ab aliorum opinione temere discrepantem. Sruerum nempe fore Megenfridum certum, fixum & solidum præterire scriptorem, & incertorum scedulas sequi recentium, propterea iam nominatim scriptoris decreuimus inhęrere vestigiis & incertas neotericorum sententias pręterire. Maximus igitur beati Lucii Annęi presbyter, & in ministerio verbi Dei socius, natione Germanus, patria Moguntinus, & religione Christianus fuit. Cuius temporibus adhuc Romani, sicuti & prius, à multis retro annis Moguntiam, Treuerim, Coloniam, Wormatiam, Neometum, quæ nunc dicitur *Spira*, cum magna parte Galliæ suo sub Dominio tenebant, licet à Francis, Germanis, Theutonibus, Saxonibus, Bauaris, atque Dorinsis incursiones multas & frequentes paterentur, nunc victi, nunc autem victores. Qui more veterum, nimis cupidi Romanum ampliare Dominium, eas, quas superauissent, gentes, & moribus, & legibus simul ac literis vti Romanis compellebant, quo potentiores cæteris esse viderentur. Vnde Germani circa littora Rheni commorantes, & Galli tandem victi à Romanis, eorum & linguam susceperunt, & modum scribendi: Scholas instituerunt publicas per vrbes, in quibus, Romanorum exemplo filii ciuium atque nobilium litterarum studiis imbuerentur. In super, quo victoribus abundantius complacerent Romanis, prætermittentes nomina suæ gentis auita, natis suis vocabula & Gręca imposuerunt & Latina: quanquam id postea conuersi ad Christum fecerint multi, non ob metum vel dilectionem Romanorum, sed pro reuerentia potius & amore sanctorum Apostolorum ac Saluatoris Iesu Christi martyrum. Hæc dixerim, ne quis præfatos ecclesię Moguntinæ pontifices propterea natos vel Gręcos existimet vel Romanos, quod eos illorum nominibus quandoque inuenerit nuncupatos. Variantur hominum cum tempore mores, mutantur nomina, & studia mentium continua volubilitate seculorum alterantur. Beatus Maximus, restante Megenfrido, honestis & Christianis parentibus ortus, in vrbe Moguntina, more gentis, adhuc puer studio deputatus est litterarum, in quo cum tempore adeo profecit, quod sibi coætaneos pene omnes superauit. Erant in tempore illo plures cū Christianis mixti gentiles, & quemadmodum, persecutione cessante, nemo paganum cogebat fieri Christianum, ita nec quisquam impellebat credentem abnegare vel deserere Christum. Multi tamen inter Christianos surrexerunt hæretici, inter quos Arriani, principum Romanorum fauore suffulti, multas intulerunt veris Christianis persecutiones & molestias. Vnde cum publice non semper liceret, metu hęreticorum fideles quique filios suos in priuato fidem seruare constanter orthodoxam vsque ad mortem docuerunt. Sic nimirum & sanctus Maximus, in his, quæ pertinebant ad fidem, & veram religionem, teneris ab vnguiculis parentum & sacerdotum magisterio sufficienter instructus, in virum cum tempore magnum creuit, atque meritis & doctrina gloriosum. Mox enim, vt per ætatem sapere ac intelligere cœpit, diuina miseratione præuentus, non minus quam gratia semper comitatus, Deo se totum obtulit, pro cuius amore cuncta huius mundi blanda & dulcia cōtempsit. Consuetudo fuit illo in tempore valde necessaria clericis ac sacerdotibus, soli Deo vacare, sacro ministerio verbi & orationis insistere: ad fidem & iustitiam populum non minus exemplo bonæ actionis, quam sanctę prædicationis verbo erudire, mundi honores, diuitias quoque & omnes voluptates moriturae carnis vilipendere, & Christum opere & sermone super omnia veraciter amare. In quo viuendi genere beatus Maximus in clericatu suo perseueranter enituit: & breui cæteris perfectionis in se normam dedit. Merito sanctitatis, fuit admirabilis; & diuinarum scripturarum interpres & Doctor insignis. Propter quod ordinatus à beato pontifice Adelhardo clericus, vitam per omnia duxit apostolicam, multorumque corda verbo & exemplo in diebus suis ad Dominum conuertit. Adelhardo post hæc vita defuncto, beatus Lucius Annæus in pontificatu succedens, præfuit annis decem & octo, vir magnarum in Christo virtutum, cui sanctus ipse Maximus stabili sem-

per

* for. temporu.

* for. Gotthardus.

per charitatem adhæsit, & innumeras Arrianorum persecutiones pro defensione Catholicæ fidei sustinuit; sed adiutorio Saluatoris nostri Jesu Christi fœliciter vbique triumphauit. Postremo tamen, sancto Lucio Annæo pro fide orthodoxa in exilio, apud Phrygiam strangulato cū duobus presbyteris, Paulo & Crescentio sub ordinatione & insidiis Arrianorum; beatissimus presbyter Maximus, quem pro confirmandis in recta fide populis apud Moguntiacum, ordinatione diuina, reliquerat; fidelium omnium voto communi, præsul ecclesiæ iam dictæ nonusdecimus constituitur; & præfuit in tribulationib. hæreticorum multis, quatuor ferme annis atq; viginti. Facta sunt hæc, vt supra diximus, anno Dominicæ Natiuitatis trecentesimo, quinquagesimoquarto, decima die mēsis Iulij, Indictione Romanorum duodecima. Ordinatus autem Pontifex in Ecclesia Moguntina beatissimus Pater Maximus, per omnia se studuit exhibere Domino ministrum irreprehensibilem, paratus amore Dei pro salute fidelis populi nō solum persecutiones sustinere & carceres: sed mortem quoque, & si quid esset morte crudelius, quod ei posset occurrere: Vitam in omni puritate Christiana ducens continuam & Apostolicam: mundi rebus pauper & modicus, virtutibus diues, humilitate profundus. Qui cum esset vir tam in diuinis Scripturis, quam in secularibus scientiis multum peritus atque doctissimus, hoc summopere curabat in primis; vt vita constaret eius doctrinæ cōformis; ne aliis bona prędicans, ipse reprobus efficeretur. Corpus proinde suum

1. Cor. 9. 27. ieiuniis, abstinentia multa, & vigiliis pene continuis pro Christi Saluatoris amore castigans; sanctis orationibus & prædicationi salutaris doctrinæ verbi Dei sine intermissione, quotiens oportune licebat, intentus. Per vicos circumibat & verbis, & plurimum Apostolorum exemplo, pedibus nudus, presbytero diacono & subdiacono comitantibus; & cunctis per gyrum populis oportune & importune fidem Christi, quanta potuit sedulitate, prædicauit. Fide, actione, atq; virtute Maximus Pontifex coram Deo & cunctis fidelibus extitit, qui nihil in hoc mundo aliud, quam Dei honorem, & salutem proximi quæsiuit. Mentis desiderio semper in Deum fuit eleuatus: quippe qui se huic mundo peregrinum & nouit, & exhibuit; & propterea nulla rerum temporalium cupidine vel occupatione detentus vel implicatus fuit. O ter vere beatum, quaterque beatissimum Pontificem, cui Deus omnia solus extitit, qui mente simul & animo nihil aliud quam Dominum curauit, in amore semper occupatum se cuius & ostendit! Amator enim Christi cum esset feruidus, omnia pro honore caduca contempsit auctoris: nec vanis laxauit animum, qui sanctū in se Dei meruit suscipere cōmorantem * Patris, & Filij, Spiritum. Electus Dei Pontifex, minister Christi, sobrius vir, sanctitate maximus, virtute nitens ab intus, contempsit, quicquid cernitur: amauit, quod non tangitur, sed pura mente colitur.

*for. Patrē & Filium.

O decus tu Pontificum,
Diuini cultor numinis,
Qui sine mundi sordibus,
Christo vixisti splendidus.
Adesto mitis omnibus,
Te mente recolentibus,
Nos soluens tuis precibus,
Nostris à sceleribus.

Non est eo tempore inuentus apud Germanos Pontifex doctior, sanctiorque præsule Maximo, qui tanta sub innocentia & eruditione scripturarum legem conseruaret Excelsi; quoniam & hæreticorum errores verbis & scriptis constantissime redarguit, & fundatus supra firmam petram Domini amoris, nullas eorum persecutiones formidauit. Septies tempore Pontificatus sui ab impiis Arrianis vrbe Moguntina pulsus est; septies quoque diuina prouidentia restitutus; nunquam attædiatus mente, nunquam deiectus animo, nunquam victus aut superatus. Nam cum esset diuina miseratione præuentus aut illustratus, vnum Deum consubstantialem & coæternum semper; Patrem & Filium, & Spiritum sanctum asseruit: & sanctam indiuiduamque Trinitatem personarum, vnius incomprehensibilis & impartibilis Dei, constanter vbique prædicauit. Pro huius veræ, Catholicæ, orthodoxęque fidei assertione tuenda, nec mortem timuit, nec vincula, carcerem, aut exilium subire formidauit. Docuit publice, cum licuit, populum: docuitque, si aliter non potuit, occulte; gregem Domini sui ministerio commissum docuit verbis, docuit scriptis Patrem & Filium, & Spiritum sanctum in Trinitate personarum vnum esse Deum, in quo nec maius sit, nec minus; quemadmodum neque prius, neque posterius. Enimuero nec Pater maior est Filio, aut Spiritu sancto, nec minor; sicuti neque prior neque posterior; quoniam Trinitati personarum Deitas vna conuenit, nec tamen trina personarum existentia vnitatem confundit. Beatus ergo præsul Maximus, & apud omnem posteritatem fidelium sempiterna memoria iure venerandus, qui Spiritu illustrante diuino per fidem in vera humilitate sanctissimæ Trinitatis incomprehensibile mysterium commeruit fideliter suscipere quod Arrius mente in superbiam elatus, & arrogantissimus, nulla potuit ratione penetrare. Obscuratum est insipiens cor omnium Arrianorum, qui cum essent stulti superbi, & nimium arrogantes, sapientissimos se omnium æstimabant. Cum beatissimus Christi præsul Maximus in confessione veræ fidei sinceriter viueret, fideli populo se Pontificem per omnia irreprehensibilem exhiberet, fidem quoque orthodoxam gentibus non minus, quam Arrianis, constantissime prædicaret, multas illi posuerunt insidias, & nihil amplius quam ipsum eius sanguinem sitiebant. Sed protegente misericordia Domini famulum suum, permissi non sunt illum, quod maxime cupiebant, occidere, quamuis idipsum sæpe iteratis vicibus pertentassent. Megenfrido, sicut diximus, protestante in Chronicis, de temporibus gratiæ, septies eum non sine iniuriis multis, & contumelia manifesta, cum quibusdam clericis extra Moguntinam ciuitatem eiecerunt, verberatumque sæpius crudeliter, interficere minime potuerunt. At ille semper gaudens recessit ab vrbe cum plerisque discipulis suis, religiosissimis viris, Sidonio, Athario & Clemente presbyteris & aliis, quorum nomina præfatus non commemorat auctor: Deo gratias agens omnipotenti, quoniam dignus est habitus pro recta fide, & nomine Iesu contumeliam pati. Reliquerat tamē semper è clericis in ciuitate, vel prope presbyteros quosdam, zelo Christianæ fidei constantes; qui saltem per vicos & domos circumeuntes, occulte præmonerēt Christi fideles, vt sese ab Arriana impietate sollicite custodirent. Quotiens enim publice, sicut dictum est, vtiliter & fructuose prædicare verbum Dei non permittebantur in vrbe, secretius id facere, vel in domibus fidelium nocturno tempore clausis, vel in nemoribus & latibulis montium cogebantur ad tempus. O quantis virtutibus Christianorum fides eo in tempore claruit, quæ tantis aduersitatum indesinenter agitata procellis non solum vinci aut superari non potuit; sed in tribulatione dilatata conualescens quotidie, *seque ipsa est facta constantior, quanto gentilium vel hęreticorum persecutione amplius premebatur! Quid nos miseri, nimiumque tepidi; & propterea inutiles Christi sacerdotes atque ministri fecissemus: si nos illis contigisset vir ille temporibus? Putasne, tenuissemus in tanta persecutione constantiam, qui nullam aut paruam seruamus in pace disciplinam? Quis in tribulatione vitam pro fide Christi exponeret: qui pro eius reuerentia & amore, in pace, temperare non vult à vitiis & voluptatibus morituræ carnis! Aut quando mortem pro defensione religionis suæ in persecutione hæreticorum patienter susciperet, qui pacem habens optimam, eius, quam profitetur, institutionis fidei normam & præcepta salutaria negligit custodire. O morum ingens diuersitas, quantam cum tempore meritorum dissimilitudinem induxit mortalibus! In diebus illis sancta mater Ecclesia pacem bonam in multitudine fidelium habebat interius, licet maximas persecutiones infidelium crebro exterius pate-

*for. scripsa tanto.

permansit annis quingentis, quinquaginta septem, vsque ad tempora Hildeberti, post sanctum Bonifacium, Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopi duodecimi. Qui anno Dominicæ Natiuitatis nongentesimo tricesimo quinto, Indictione Romanorum octaua, die mensis Martij quartadecima: decem Ecclesiæ Moguntinæ Pontificum ossa de capella sancti Hilarij memorata, solenni cum processione cleri & populi ad ecclesiam monasterij sancti martyris Albani transtulit: & in choro, summa cum reuerentia, collocauit. Inter quæ corpus etiam beatissimi Pontificis Maximi, de quo loquimur, annumeratur. Hæc autem sunt nomina decem Ecclesiæ Moguntinæ Pontificum, quorum ossa præfatus Archipræsul ex Dalheim transtulit ad sanctum martyrem Albanum: *Crescentis*, primi martyris; *Marini*, secundi episcopi; *Rodhardi*, noni Episcopi, viri quondam sanctissimi, qui sua prædicatione, multa paganorum milia conuertit ad Christum: *Suffibonij*, decimi Episcopi, æque viri per omnia sanctissimi: *Maximi*, de quo nobis sermo est, decimi noni Episcopi: *Sidonij*, vicesimi Episcopi, doctoris gentium insignis, & vere sanctissimi: *Sigismundi*, vicesimi primi Episcopi, per omnia sanctissimi: *Ludegalli*, Episcopi tricesimiquarti, magnarum virtutum in Christo viri: *Ludoaldi*, tricesimi sexti Pontificis, Christianissimi per omnia in Domino viri: *Leonealdi*, Episcopi tricesimiseptimi, viri quoque sanctissimi. De hac sanctorum translatione Pontificum, quidam eo tempore carmine sic scriptum posteritati reliquit:

A Bonifacio meruit qui Gallia primo,
Is pater Hiluertus, archipræsul duodenus,
Comperiens ossa Patrum veneranda relicta
Intra basilicam nunc Hilarij sacrosanctam:
E quibus hinc denos transuexit in ordine priscos,
Vt locus insignis conseruet pignora dignus;
Attendens merita, simul ipsorum pia gesta.
Huic vt confratres anreo collaterales*
Efficit: & tumulo stricto conclusit in isto,
Christi nongentos, x. ter, semel v. legis annos:
Vt decimam quartam lucem, vult Martius, addam.

*for. Anreo.

Ea translatione, decem Ecclesiæ Moguntinæ præscriptorum venerabilium Pontificum, per Hildebertum Archiepiscopum, sicut præmisimus, facta; remansit in choro sancti Martyris Albani, apud Moguntiam, beati Maximi corpus denuo sepultum, annis quingentis septuaginta nouem, vsque ad tempora Domini Alberti, ex Marchionibus Brandeburgi Principis nobilissimi, Moguntinæ ac Magdeburgensis in Saxonia Ecclesiarum insignium Archiepiscopi reuerendissimi, atque primatis Germanorum. Is Christo deuotissimus Archipræsul, cum cultor, amator, & venerator Sanctorum Dei maximus esset, reliquias, & sacra busta eorum summa cum veneratione semper, vbi licuit, inquisiuit; de puluere cum honore leuans, auro & argento vestiuit: honorem quoque singulis debitum exhibens, eorum memoriam festiue celebrauit. Mox enim vt summi Pontificatus duplicem apud Germanos, Domino prouidente, apicem suscepit; totum se Christianæ religioni mancipauit, actus episcopales, præter multorum consuetudinem præsulum, in persona frequenter propria deuotissime ministrauit, ordines contulit, missas ad altare solenniter sæpius decantauit. Consecrauit ecclesias, benedixit Abbates, habitum publice deferebat pontificalem locis atque temporibus suis; & nihil omisit eorum, quę ad Christiani Antistitis sacrum videbantur pertinere officium. Summa eius delectatio semper in obsequio diuino, in celebrandis ad altare mysteriis sacrosanctis, in ornandis quoque & venerandis reliquiis Sanctorum. Vnde cum anno Moguntini Archipontificatus sui primo, Magdeburgensis autem secundo, pro Dei amore & reuerentia Sanctorum, apud Moguntiam circumeundo sacras, more suo, visitaret Ecclesias, basilicam martyris Sancti Albani deuotus intrauit: & videns præscriptorum decem Pontificum sancta corpora sine honore neglecta, authoritate non minus Apostolica, quam ordinaria vsus; corpus sancti Hrabani, quondam Archiepiscopi totum; & sancti Maximi Episcopi medium, permissione canonicorum, inde abstulit, & in Saxoniam transferens, apud Hallas opidum, in basilica castri sancti Mauricij, solenni processionis officio, collocauit; anno Dominicæ Natiuitatis millesimo, quingentesimo, quintodecimo, Indictione Romanorum tertia; à transitu vero ipsius beati Maximi, anno millesimo, centesimo, tricesimo septimo. Ad laudem & gloriam Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi: Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

Finis adest.

EXCERPTIO HRABANI MAVRI DE ARTE GRAMMATICA PRISCIANI.

De voce. AVctoritas Philosophorum ostendit, proprietatem vocis in aëris percussione esse, quocunq; modo ictus fiat. Quam etiam diuiserunt in 4. species, articulatã, inarticulatam, literatam & inliteratam. Sed de his duæ coniunctæ, videlicet articulata & literata præcipuam commodamq;, imo necessariam vocem efficere, haud dubium est; quia ipsa soluinmodo literarum & intellectus capax esse dinoscitur: Cæteræ in tantum vtiles nõ sunt, quia simul natura & intellectu capi nõ possunt: verum inuicem per singulas coëuntes, si quis inquirere voluerit, sine dubio inueniet, vocem eas reddere, sine intellectione, si tamen ea vtuntur, literis carent; quod supra dictis non contingit.

De littera. Littera est pars minima vocis articulatæ, hoc est, quæ constat compositione litterarum: Minima autem, quantum ad totam comprehensionem vocis litteratæ. Nam vox est, quicquid loquimur, vt puta, si dicas: *Orator venit & docuit*. Nam potest solui, *Orator venit, & docuit*, per singula verba; ipsa autem verba in syllabas, *o* & *ra*, *tor*; * ipsas syllabas in litteras, littera quoque ipsa minime potest diuidi, vnde hæc à Philosophis *atomos* dicitur, id est, indiuisibilis. *Scaurus* sic eam definiuit: *littera est vocis, quæ scribi potest, forma.* Elementum est enim minima vis, est indiuisibilis materia vocis articulatæ, & vniuscuiusque rei initium, à quo sumitur incrementum, & in quod resoluitur, huius figura littera vocatur. Veteres etiam litteras elemẽta dixerunt, ad similitudinem mundi elementorum; eo quod * sic illa coëuntia omne perficiunt corpus; sic etiam ista coniuncta orationem conseruant, & disiuncta dissoluunt. Hoc ergo interest inter elementa & litteras; quod elementa proprie dicuntur ipsæ pronunciationes, id est, vis soni, quæ auditur ac intelligitur, figuræ vero earum literæ, a vero & b, & c, & alia quælibet, nomen est & pronunciationis. & figuræ; legitur elementum, intelligitur littera, scribitur & nominatur.

Marginal notes: *for. ipsas syllabas. — *for. sicut.

Litera dicta quasi *legitera*, quia legitur, & quod legentibus iter ostẽdit, & à litura, quam patitur, & ꝙ legendo iteratur. Omnes ergo literę, quib* Latini vtũtur, 20 & 3. sunt, quarum differẽtiæ tres sunt. Prima differentia qualitates habet duas, quæ aut Latinæ sunt, aut Græcę: Latinæ sunt vna & viginti: Græcæ duæ, y. vocalis & z. semiuocalis, quæ in vsum eorum propter Græca nomina venerunt. Sunt & aliç quinque, quas post pceptionem Dominicæ fidei, & si nõ in alphabeti ordine recipiunt, diuinis tñ paginis inditas continent, *H. propter nomen* IHESV: α & ω, ppter auctoritatem diuini sermonis, ego sum *α*... & *ω*, x & p propter nomen Xpi. Secunda differentia in literis qualitates æque duas habet, q̃ aut vocales sunt aut consonantes. Itẽ tertia differentia est inter cõsonantes, ꝙ quædã sunt semiuocales, quędã mutę, quædã liquidę, & quædã duplices. Sunt tñ vocales quinq;, s. a, e, i, o, u. Semiuocales septem, l m n r s x z. Mutæ nouem, b c d f g k p q & t. Vocales dictæ sunt quasi *sonantes*, quia & vocẽ per se faciunt, & aliis vocẽ præstant: Consonantes quidẽ, ꝙ cõsonant vocalibus: & bene dicuntur *consonantes*, quod duo soni simul sonãt. Semiuocales appellatæ, ꝙ plenam vocem non habent, vt semiuiri & semidij dicuntur, non quod dimidij, sed quod pleni dij, & pleni non sint: his si detrahas vocalem, habent tamen & tenuem sonũ, & sibilum quendam vt si dicas, tolle inde vocalem e, sonat tñ quidam * sibulus ac tenuis sonus. Mutæ autem dictę, nõ quod omnino voce careant; sed quod ad cõparationem bene sonantium, exiguã quandam partem vocis habeãt; velut informis dicitur mulier, non quæ caret forma; sed quæ male est formata; & frigidum dicimus eum, qui non penitus expers est caloris; sed qui minimo hoc vtitur: Latini omnes vocales dichronas habent, i. quæ corripi possunt & produci, quemadmodum Græci iij, α ι & υ, ε vero & ο semper Gręci breues habent, & η & ω semper longas. Breues sunt vocales, vt: ámor, erit, iter, óperis, vtiq; longæ: æra, erecta, ĩuit, ômen vtile. Ex his igitur vocalib. i & v transeunt in consonantium potestatẽ: Cum aut ipsę inter se geminantur, vt; Iuno, vita; aut vocalib. applicantur, vt vates, velox, vox, i vt iecur, iocus. hæ etiã mediæ dicũtur, qm̃ in quibusdam dictionib. medium sonum habẽt, nec naturalẽ, nec proprium, sed alternos inter se sonos confundunt, vt vir optimus; Et i quidem qñ post n consonantem loco digamma functã Æolici ponitur, breuis est; sequente d & m, & r & t & x sonum y græce videtur habere, vt video, vim, virtus, vita, vix. v aũt. quamuis cõtractum, eundem tamen, hoc est y, sonum habet, inter q, & e, & i, & æ diphthongon positum atq; quis quæ: Nec non inter g & easdem vocales, cũ in vna syllaba sic inueniuntur, vt, pingues, anguis, linguæ. I aũt pro duplici cõsonante videtur esse, qñ inter duas vocales est posita, ideoq; semper priorem syllabã facit longã; vt, maius, peius, eius, quia non aliter pronuntiari potest, q̃ si cum priori syllaba prior i, & cum sequenti altera proferatur & ideo antiqui in his verbis duo u semper scribebant. V vero loco cõsonantis posita, eandẽ prorsus in omnib. vim habet apud Latinos, q̃ apud Æolos digamma, & ipsius digãma voce vau profecta est; pro qua Cęsar hanc figurã id est F, scribi voluit: Digamma n. aliqñ pro simplici, aliqñ pro duplici consonante apud Æolos inuenitur scripta, sicq; nostrũ v, locũ simplicis videtur habere consonantis, vt, *At Venus haud animo nequicquam exterrita mater*. Duplicis quoq; cum in præterito perfecto, & plusq̃ perfecto, tertiæ & quartæ coniugationis, in quibus i ante v consonantẽ posita pducitur eademq; subtracta corripitur, vt, cupiui cupij, cupiuer m cupieram audiui audij, audiueram audieram. Aliquando vero metrici hac digamma, v & i loco consonantis posita pro correpta vocali vtuntur, vt Horatius, *siluę* trisyllabum * pertulit in epodo hoc versu:

Niuesq; deducunt Iouem nunc mare nunc siluæ.

Est enim dimetrum iambicum coniunctum penthemimere heroico. Et Aurelius Prudentius in Psychimachia:

Fg egia omitata v ro: : am prox miu leb.

Sciendumq;, quod Æoli digamma causa aspirationis, vt effugerent spiritus asperitatem, & causa hiatus deuitandi assumebant. Nos autem in multis quidem, non tamen in omnib. illos sequimur, vt cum deuitãtes aspirationem dicimus, vespera, vis, vestis; hiatum: vt, clauus, argiuus, pauo, ouum, ouis, bouis. Ex consonantibus ergo sunt l & r liquidæ, quibus quidam addunt, m & n; hæ postpositę, f, semiuocali, & sex mutis, id est, b c d g p t, pro arbitrio poetæ, plerumq; in metro vim consonantis amittunt, & breuem syllabam reddunt, ac ideo Priscianus docuit, f, magis mutã esse, * qui si est muta quęlibet liquidis pręponitur, & locũ literæ φ gręcæ mutæ apud nos obtinet, pręter quod fixis labris, quomodo φ, pronuncianda nõ est, k enim & q quamuis figura & nomine videantur aliquã habere differentiam cum c tamen eandem tam in sono vocum, quam in metro potestatem cõtinent, & k quidẽ penitus superuacua est, nulla n. videtur ratio cur à sequẽte hæc scribi debeat: Carthago enim & caput siue per k siue per c scribantur, nullam faciunt nec in sono nec in potestate eiusdem cõsonantis differentiam, q vero propter nihil aliud scribẽnda videtur esse, nisi vt ostendat sequentem v ante alteram vocalem in eadem syllaba positam perdere vim literæ in metro. H autẽ aspirationis est nota, & nihil aliud habet literæ, nisi figuram, vt Priscianus dicit. Aliqui tamen Grammatici litteram eam

Marginal notes: *for. sibilus. — *for. protulit. — *Locus deprauatus.

esse dicunt, quia more consonantis literæ in metro sæpe breuem syllabam longam reddit, hæc si e mutæ subiuncta fuerit, sonorat græcam. Si p præposita fuerit, φ significat. Item si fuerit t præposita aspirationis pro θ ponitur. Si ps simul positæ, ψ græcam asserunt loco poni, & hæc in peregrinis dictionibus, vt Chimæra, Philosophus, thelesfor, psalmigraphus. Cæterum h vocalibus nunquam supponitur nisi in interiectione, ah, oh quę obturbantis & dolentis significant affectum. S quoq; singularis est potestatis, quæ in metro vim suam frequenter amittit, hæc aliquando in capite verbi præposita alteræ consonanti præcedentis verbi nouissimam syllabam in breuem vocalem desinentem producit, aliquando correptã relinquit. Hanc & aliquando in medio verbo alteri consonanti præpositam liquentium more dispertire quidam dicunt, vt in illo Virg.

Hortatur Mnestheus, nunc, nunc insurgite remis.

X duplex modo pro cs modo pro gs accipitur, vt: apex apicis, grex gregis; transit tamen aliquando in u consonantem, vt: nix niuis, nec non in c, vt: nox noctis, subit etiam loco aspirationis, vt veho vexi, traho traxi, sed hæc contra regulam declinari videntur. Z in græcis tantummodo ponitur dictionibus, pro hac veterũ quidam i vocalem dixerunt, quidam duas ss scribere solebant, vnde iugum dictum est velut zugon, & Iupiter velut zeuspater, item Messentius & petissare & tablissare, & cætera huiusmodi vsum veterem declarabant. Illud præterea nobis intimandum est, quod omnium consonantium litterarum ista natura sit, vt semiuocales omnes ab e incipiant, & in se desinant, excepta x, quæ ab i incipit; Et mutæ omnes à se incipiant, & in e desinant, exceptis k & g & h. Postremo illud notandum est, quod vnicuique litteræ accidunt 3. id est, nomen, quo nominatur, & pronunciatur: figura, qua scripta aspicitur & notatur: potestas, qua ad proprietatẽ suam à reliquis in metrica ratione segregatur & intelligitur, vtrum sit vocalis, an consonans, an duplex, an semiuocalis, an muta, an liquida. Accidit etiam secundum aliquos auctores litteris ordo, quo alia præcedit, alia subsequitur, ita vt a prior sit, subsequẽs b, tertia c, ac deinde cæteræ in ordinem litteræ. A autem in omnibus gentibus ideo prior est literarum, pro eo quod ipsa prior nascentibus vocem aperit.

De syllaba.

Syllaba est proprie congregatio aut comprehensio literarum sub vno accentu & vno spiritu prolata, abusiue tamen etiam singularium vocalium sonos syllabas nominamus. *Syllaba* græce, latine *conceptio*, siue *complexio* dicitur. Nã syllaba dicta est, ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα, id est, à conceptione litterarum, συλλαμβάνειν enim dicitur concipere, vnde vere est illa syllaba, quæ ex pluribus nascitur literis, ab singulis tamen incipiens syllaba, non plus quam ad sex literas in Latino sermone procedere potest, vt a, ab, est, mars, stans, stirps. Et sciendum est, quod nulla syllaba tres vocales habeat: vnde v & i non aliter iunguntur diphthongis, nisi loco positæ consonantium, vt siluę, Troię, v tantũ iungi potest diphthongo, cum amittit vim literæ, vt; quæ, linguæ, & sæpe vna vocalis producta inuenitur, pro diphthongo posita, vt inquiro pro quæro, includo pro claudo, occido pro cædo, illido pro lædo, Nilus pro Neilus, musa pro moysa, & è contrario pro longa vocali fiet diphthongus, vt lauor lautus, faueo fautus, auis auceps. Sed & hoc notandum est, quod si antecedant tres consonantes vocalẽ, non possunt nisi duo cõsequi, vt monstrans, scrobs. Nec iterum si consequantur, possunt antecedere, nisi duæ, vt stirps. Tres aũt consonantes non possunt aliter iungi in principio syllabæ ni sit prima s, & secunda post s vel c, vel p, vel t, & tertia l vel r: vt sculptile, splendens, scriba, stratum, spreuit. In fine vero dictionis contra inuenimus primam liquidam sequentem mutam, postremam s: vt, vrbs, stirps: Duarum igitur consonantium simul in syllaba positarum ista ratio est. Semiuocales aliis semiuocalibus præponuntur in eadẽ syllaba: vt, Mnestheus, amnis, Smirna, smaragdus, nam vitium faciunt qui z m scribũt, nunquam enim duplex in capite syllabæ potest cum alia iungi consonante, quod Lucanus ostendit in decimo: *Terga sedente crebro maculis distincta smaragdo.* Nam nisi esset s ante m, subtrahi in metro minime potuisset, s n. in metro sæpe vim consonantis amittit, ante aliam consonantem in eadem syllaba posita, z autem non, nisi sequatur correptã vocalem, & altera mox sibi sequatur. In fine quoq; syllabæ omnes liquidæ solent ante s poni, vt, puls, ars, hyems, põs. Similiter ante x excepta m, vt falx, lanx, arx. In multis autem præponuntur, b & g, sequẽte, d, vt bdelyro, bdellium, genus lapidis, migdonides. C vero & p præponuntur sequẽte t, vt lectus, aptus. Semiuocalis nulla præponitur mutis in capite dictionis, nisi s sequente b & c, & q & p & t, vt, asbestus, scutum, squalens, sperat, stans. Mutæ quoq; omnes pene omnib. præponuntur liquidis, vt, blandus, claret, abodlas (hoc est non ẽ barbarum) glacies, tlemus, planus, flauus, abnuo, cnidũ, Ariadne, Gneus, Ætnam, crẽpuit, brẽnus, creber, drances, gratus, fratres, pratum, tractus. Ante m autem inueniuntur tãtum c, d, g, t, vt Alcmenę Admetus, dragma, rhythmos. Sin aũt syllaba in duas desinit cõsonantes, necesse est priorem liquidã esse & sequentẽ, s & χ, vt supra ostendimus, & c, & t antecedẽte n, vt, hinc, dicunt, amant, hunc, nec non & s antecedit t, vt in præpositione *post*, & in cõiunctione *ast*, & in *verbo anomali, vt, sum, es, est. Nam & loco ψ græcæ bs & ps scribitur, pro ratione genitiui, vt Arabs arabis, pelops pelopis, celebs celibis, princeps principis. Quibusdã tamen, vt supra docuimus, nõ aliter videtur ψ græca nisi ps scribenda, quanq̃ enim ratio genitiui supra dictam exigat scripturam, tamen cognationẽ soni ad hoc procliuiorem s aiunt; hoc tamen sciendum est, quod principium syllabæ omni modo pro χ ps debet habere, vt psittacus, pseudulus, ipse. Nubo quoq; nupsi, scribo, scripsi faciunt, quamuis analogia per b cogit scribere, sed euphonia superat, quæ etiã nuptam non nubtã, & scribtum nõ scriptũ compellit per p nõ per b dicere & scribere. Omnes deniq; syllabæ aut lõgę sunt, aut breues aut cõmunes. Longæ dicuntur, quæ semper longæ sunt, breues, q̃ semper breues sunt; Cõmunes, quę modo breues sunt, modo lõgę, prout versificatori placuerit, sed lõgæ duobus modis fiunt, natura & positione. Natura quidem bifariæ aut ꝓductione videl. singularium vocaliũ, vt, nauis, sedes, finis, omen, vnus; aut duarum cõiunctione, quod diphthongon vocant; diphthongi aũt dicuntur, quod binos phthongos, hoc est, voces compræhendant: Nam singulæ vocales suas voces habent, vt, aeuum, poena, augustus, eurus, ei, quod est interiectio dolentis, & timentis, vt Virgil. 11. Æneid. *ei mihi, qualis erat, quantũ mutatus ab illo*: & ae quãdo in genitiuo casu a poetis per diæresin profertur, secundum græcos per a & i scribitur siue in propriis nominibus, vt Aeneai, Anchisai, siue in appellatiuis, vt pictai, aulai, vtraq; n. longa Virg. in 3. *Aulai medio libabant pocula Bacchi*, pro *aulæ*. Et Cicero, *atq; oculos vrget pedibus pectus q; nepai*, pro *nepæ* i. scorpij. Positione vero longę fiunt syllabæ 3. modis: Cum correpta vocalis aut in duas desinit consonantes, vt ast, aut in vnã duplicem, vt dux, aut in vnã desinit cõsonantem, & excipitur ab altera, vt, arca. aut excipitur ab x duplici consonante, vt, axis, aut excipitur ab i loco consonantis posita, vt Troia. Quę positio nonnunquã in metris in tres diuiditur syllabas, vt est illud: *Arma virum tabulæq; & Troia gaza per vndas*; aut desinit in consonantem, vt excipitur ab u & i positis in loco cõsonantiũ, vt, aduena, adiutor. Breues vero sunt syllabæ, quæ horum nihil habuerint. Accidit vnicuique syllabæ tenor, spiritus, tempus, numerus litterarũ. Tenor acutus & grauis & circumflexus, qui in vnaquaq; dictione certa, cert° esse debet. Similiter spiritus asper & lenis. Tempus vnum & duo, aut etiam (vt quibusdam placet) vnũ semis & duo semis, & tria & quatuor. Vnum, si vocalis breuis per se, & si eam vna cõsonans simplex cõsequatur, vt caput. Vnum semis in cõmunib. syllabis, de quib. postea dicemus, vt, lacrimæ. In lõgis natura & positione duo sunt tempora, vt da, ast, duo semis, vt quando post vocalem natura longam sequitur vna consonans, vt, sol. Tria, quãdo post vocalem natura longã duæ consonãtes sequuntur, & vna duplex, vt, mons, rex, quatuor tẽpora sunt, vt pura, si quis simul ponat in versu *lex prima*, & *lux clara*,

* *al. verbis anomalis.*

clara, & *pax plena*, & his similia. Vocalis enim natura longa est, in *le* & *lu* & in *pa*, & duo tempora habet, hæc excipitur ab x duplici, quę vnum tempus habet, quā sequuntur muta & liquida, quæ item per se vnū tempus habent & complent. Hæ ergo oēs simul iunctæ quatuor tempora faciunt, tamē in metro necesse est, vnamquamq; syllabā & vnius & duorum accipi temporū. Cætera quoq; tempora, quæ accidunt, superflua à metricis iudicantur. Numerus literarū accidit syllabæ, quia, vt supra diximus, nō minus quā vnius, nec plus quā sex literarum apud latinos potest inueniri syllaba, illud q; commendandum est ꝙ omnis syllaba incipit habere ratione à vocali, vtrū longa sit, an breuis. Deinde & cōsiderari de consonantib. sequentib. non de præcedentibus. Præcedentes n. consonantes non ipsi prosunt, quæ sequitur, sed anteriori vocali, v.g. vt, si quis simul dicat, gens, stirps, n enim & duo s cū t priori vocali, id est, e suum tempus tribuunt; & item r, p, i, præcedentes se, i, consociant. Communes aūt syllabæ modis fiunt nouē, quibus aut naturaliter longæ poetali licētia in breues, aut naturaliter breues trāsferuntur in longas. Primus igitur modus est, cum correpta vocalis in eodem verbo à duobus excipitur consonantibus, quarū posterior sit liquida, est n. natura breuis in hoc, *mens tenebris obscura nimis*; est positione longa in hoc, *mersitq; tenebris*. Et sciendum, ꝙ non solum ante l vel r, sed etiā ante m vel n, positæ mutę, apud priscos poetas faciunt comunes syllabas, vt Ouid *piscosamq; Cnidon grauidamq; Amathunta metallis*. Secundus modus est, cum correpta vocalis in consonātem desinit, & excipitur ab h litera, est enim natura breuis in hoc, *porcinum tenuere gregem niger hispidus horrens*, lōga in hoc, *Vir humilis mæsto deiectus lumine terram*. Tertius modus est syllabæ cōmunis, cū verbū aliquod in vocale desinens correptam excipitur à duabus consonantibus, quarū prior sit s est enim natura breuis in hoc Fortunati: *Ordinibus variis alba Smaragdus inest*. Est positione longa in hoc Sedulij: *Adueniat regnum tam tamq; scilicet illud*. Hæc quoq; s litera, alijs duabus consonantib. id est, mutæ & liquidæ in principio syllabæ sequentis præposita, inueniuntur cōmunem syllabam facere, vt Horat. sermon. lib. 1. *Linquimus insani ridentes præmia scribæ*. Est aūt modus quartus syllabæ cōmunis, cum post pedem quemlibet vna syllaba breuis remāserit de verbo, quę vel in vocalē desinēs excipitur à cōsonante verbi sequentis, vel in consonantē desinēs excipitur altera vocali, est n natura breuis in hoc: *cuius onus leue est, cuius iuga ferre suaue est*. Est longa in hoc: *Frondea palmis erat, cuius in robore nullum*. Item modus quintus, cum pars orationis desinit in diphthongon, sequēte statim altera vocali, est n. longa in hoc, vt, *musæ Aonides*; breuis in hoc: *Insulæ Ionio in magno*. Virg. in 7. *Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis*. hoc ergo modo, sicur & priore, recētiores poetæ rarissime vtuntur, sed magis synalœphā in eo faciunt, vt Prosper:

Non nostra hoc opus est, sed ab illo sumitur hic res,
Qui siccam rupem fundere iussit aquas.

Sextusq; modus est, cum productam vocalem vocalis altera cōsequitur, est enim longa in hoc; *O vtinam in thalamos inuisi Cæsaris issem*, Breuis in hoc. *Te Corydon, ó Alexi, trahit sua quemq; voluptas*. & item Virg. in 5. *Insidunt pariter sulcos, totumq; dehiscit conuulsum*. Quem modum moderni versificatores in eadem potius parte orationis facere cōsuerūt, vt, *Eoi venere magi*, &, *Splendidus auctoris de vertice fulget eoo*. Septimus modus est, cum pronomen c litera terminatum vocalis statim sequitur, est n. longa in hoc Sedulij; *Non quia qui summus pater est, & filius hic est: Sed quia ꝙ summus pater est, & filius hoc est*. Breuis in hoc: *Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis*. Sed & aduerbium vnum c litera terminatum communem syllabam facit, est n. longa in hoc Paulini: *Donec aspirante Deo conatibus agris*. Breuis in hoc Prosperi, vt; *Morbo obsessis prosternanda est cura medendi: Donec in agroto corpore vita manet*. Octauus modus est, cū correptam vocalem in eadem parte orationis consequitur z consonans græca duplex. Est enim longa in hoc Iuuenci; *Defixit e est terris affixoi diuitis gaza*. Breuis in hoc eiusdem; *Et gaza ad ... abat rerū ... fulgens* Nonus modus est, quo ... in quocunq; metro, adia-

phoros, id est indifferens est, & ad voluntatem poetarum, & correpta producitur & producta corripitur, cuius exempla in omnibus metris sunt plurima. Sciendum aut, quod falso x literam dicunt communem syllabam facere posse in metro, quia cum in eadē parte orationis sequitur vocalē, siue natura longa sit, siue natura breuis, semper eā habet lōgam, vt pax, lux, vox, rex, lex; & item fax, nex, nix, nox, nux. Cum vero in primordio fuerit verbi, nō potest producere finalem vocalem prioris verbi, vt: *Pontibus instratis conduxit littora Xerxes*. Omnes quippe consonantes syllabæ, vt ait Varro, aliæ sunt asperæ, vt rex, crux; aliæ * leues, vt luna, lana; aliæ proceres, quæ vocalē longam extremam habent, aut penultimā, vt mansuetudo, facilitas; aliæ retorridæ, quæ mutam habent extremā; vt, hic, hoc; aliæ barbaræ, vt, gaza, mammon; aliæ græculæ, vt hymnos, zenon. aliæ duræ, vt ignotus, cognitus; aliæ molles, vt ædes, ludus, & ideo hoc omnino seruare debent, qui volunt lubricos & currentes versus facere, vt quicunq; in sonis aures grauet, vel obstupescere faciat, vitare cōtendant, & euphoniæ in carminibus summam tribuant. *for. lenes

De primis syllabis.

Primarum syllabarum in omnibus partibus difficilis inuestigatio est, quam videlicet ipse maxime dignoscere poterit, qui pedum rationem & versuum scansionem in metris sedulus discere curat, quia cum sint multæ dictiones, quæ secundum analogiæ qualitatem eadem terminatione finiuntur, tamen non multæ sunt, quæ in initiis cōcordent, sed cum hæc operosa expositione indigeant, ea solummodo nos, quæ à fidissimis artiū scriptorib. exquisita reperimus, breuiter cōmemorare satis sit. Nam syllaba, aut diphthongo lōga esse cognoscitur, (qui quinquetarie scribitur, id est, ae, oe, au, eu, ei: hi vbicunq; reperiuntur, semper syllabam longā natura esse ostēdunt) aut exemplo. Quæritur n. in scansione metri, & in cognitione pedum, vtrum syllaba longa sit, an breuis, verbi g. *Musa* nomē appellatiuum, si nescias, vtrum *mu* producta sit, an correpta, occurrat tibi illud Virgilij: *Musa mihi causas memora, quo numine læso*: & inuenies *mu* productā, quia omnis versus heroicus, necesse est, primam syllabam habeat longam, cum spondæus vel dactylus in capite versus huius metri semper conster. Item in Elegiaco carmine ad indagandas syllabas exempla prompta sunt: nam prior versus hexameter dactylum quinta regione pene semper tenet qui primam syllabam longam & posteriores duas breues habet. Similiter & sequens versus pentameter post duos primos pedes & colofon duos d. dactylis & vna supersyllaba, versum semper claudit, vt Virg. in Epitaphio, quod sibi ante mortem condidisse fertur:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, d. ces.

Quod sic scanditur, *Mantua* dactylus *me genu* dact. *it cala* dact. *bri rapu* dact. *ere te* dact. *net nunc* spondæus. *Partheno* dact. *pe: ceci.* dact. *ni* colofon *pascua* dact. *rura du* dact. *ces* colofon Ecce, vt diximus, in priore versu. quinta regione dactylus e longam & *re*, & *te*, breues ostendit. Atq; in sequenti versu *pa* longa & *scu* & *a* breues. & item *rū* longa, *ra* & *du* breues similiter idem pes ostēdit. Licet enim loca alia in versu vicissim spondæus & dactylus teneant, in illis tamen minime exempla fallunt Fortunatus in libello, quem de B. Mariæ laude cecinit, ita ponit:

Rorarunt cœli nubes, iustumq; pluerunt:
Quem Saluatorem germine Virgo dedit.

Quod sic scāditur: *Rora* spond. *runt cæ* spond. *li nu* spond. *bes iu* spd. *stumq; plu* dāct. *erunt* spond. *Quem Sal* spondæus, *uato* spd. *rem* colofon. *germine* dact. *Virgo de* dactylus, *dit* colofon. Ergo sicut in priore exemplo omnibus locis dactylum præter vnum spondæū, ambo versus habuerunt; ita nunc in sequenti omnibus locis spondęum præter supradicta tria loca habent. Item aliquando prima syllaba ex cōpositione figuræ, quibus sit deprehenditur, vt si nescias qualis sit, *pius* vel *probus*, ex cōpositione quæ est, *impius* vel *reprobus* cognoscitur; licet in syllabis aliquādo his hoc fallat. Nam cum dicimus *nubere*, *nu* longa est. Calpurnius in x. *Nubere vis Prisco, non miror, Paula sapisti*. Item cum dicimus *pronuba*, aut *innuba*, aut *connubium*, *nu* breuis in cōpositione. Virg. in 6. Æneid. *Et Bellona manet te pronuba nec face*

tan ...

tantum. I[illegible] e m[illegible] 4. *Connubio iungam stabili propriamque dicabo.* Item in *lux lucis* longa est *lu*, lucerna in deriuatione breuis, *lu*. Item *homo* breuis est, vbi *humanus* semper longa. *Itur in antiquam filuam*, *i.* longa *superumque ad lumen ituras*, *i.* breuis. Sed hoc inuenire raro contingit, verum si quælibet pars orationis præpositionibus componantur, primas syllabas ex his cognoscimus, nam talis manebit fere [illegible] compositas syllaba, qualis & ipsa præpositio fuerit, vt deceptus, eductus, abūdans, reluctans, *de* videlicet & *e* longa, *ab* & *re* breuis. Itē ex ipsis p̄positionibus *ad* & *ob* & *in* & *sub* diuerse in verbis ponuntur. Nam corripiūtur, cū crescendo dissyllabā reddunt, vt, ădit, ŏbit, ĭnit subit. Indifferent. sunt, cum trissyllabam faciunt, vt, adicit, obicit, inicit, subicit. Producūtur tamen cum tetrassyllabas ex se reddunt, vt ādicio, obicio, inicio, sūbicio Item producuntur, quæ per *præ* & per *quæ* in primis syllabis scribuntur, vt præmium, præsciuit, quærens, quæsiuit. Breuiantur vero pretium, precor, premo, prehendo, & queror, hoc est, querelam depono, & quæ ex his per deriuationem vel cōpositionem fieri possunt, vt, adprecor, preces, comprimo, apprehensus, conqueror, querela, & *que* coniunctio. Item breuiantur ex iisdem p̄positionibus in compositione, vt, dehinc, profectus, profulus, professus, profatus, proauus, pronepos, &c. Sunt itē aliquanta verba, quæ primas syllabas tēporum ratione permutant, q̄ subter collecta in omni preterito perfecto vel in omni p̄terito plusquamperfecto, vel in vno futuro tantū modi coniunctiui p̄ducuntur. In ceteris a. modis & temporib. breuiantur, vt sunt hęc primæ coniugationis, lăuo, lāui, lāueram, lāuissem, lāuerim, cum lāuero. Iuuo, iuui, iūueram, iūuissem, iūuerim, cum iūuero. Et secundæ hæc: Sĕdeo, sēdi, sēderam, sēdissem, sederim, cū sēdero. Făueo, faui, faueram, fāuissē, cum fāuerim, fāuero. Mŏueo, moui, mōueram, mouissem, mōuerim, cum mōuero. Fŏueo, foui, fōueram, fōuissem, fōuerim, cū fōuero. Voueo, vōui, vōueram, vōuissem, cū vōuerim, vōuero. Păueo, pāui, pāueram, pāuissem, pāuerim, cum pāuero. Căueo, cāui, caueram, cāuissem, cū cāuerim, cāuero Vĭdeo, vīdi, videram, vīdissem, cum vīderim, vīdero. Nĕo, nēui, neueram, nēuissem, cum nēuerim, nēuero. Flĕo, flēui, flēueram, flēuissem, cum flēuerim, flēuero. Cĭeo, cīui vel cīj, cīueram, cīuissem, cum cīuerim, cīuero. Tertiæ vero coniugationis verba, quæ eandem regulā sequuntur, sunt hæc fŭgio, fūgi, fūgeram, fūgissem, cum fūgerim, fūgero. Cŭdo, cūdi, cūderā, cūdissem, cum cūderim, cūdero. Căpio, cēpi, cēperam, cēpissem, cū cēperim, cēpero. Lĕgo, lēgi, lēgeram, legissem, cū lēgerim, lēgero. Făcio, fēci, fēceram, fēcissem, cū fēcerim, fēcero. Iăcio, iēci, iēceram, iēcissem, cū iēcerim, iēcero. Lĭno, lēui, lēueram, lēuissem, cū lēuerim, lēuero. ĕmo, ēmi, emeram, ēmissem, cum emerim, ēmero. Sĕro, sēui, sēueram, sēuissem, cum sēuerim, sēuero. Ex quibus sunt illa, quæ in præsenti tempore & in aliis quibusdam temporibus sua positione primam syllabam ostendunt se habere longam, sed quæ natura correptam vocalem habent, huic regulæ mancipantur. Rumpo, rūpi, rūperam, rūpissem, cum rūperim, rūpero. Cĕrno, crēui, crēueram, creuissem, cum crēuerim, crēuero. Spĕrno, spreui, sprēueram, sprēuissem, cum spreuerim, spreuero. Fundo, fudi, fūderam, fūdissem, cum fūderim, fūdero. Vinco, vīci, vīceram, vīcissem, cum vicerim, vīcero. Tĕro, trīui, trīueram, trīuissem, cum trīuerim, trīuero. Frăngo, frēgi, frēgeram, fregissem, cum frēgerim, frēgero. Fŏdio, fōdi, foderam, fōdissem, cum fōderim, fōdero. ŏdio, ōdi, ōderam, ōdissem, cum ōderim, ōdero. Quartæ coniugationis, vt, venio, vēni, vēneram, vēnissem, cum vēnerim, vēnero. [illegible]eo, iui vel ij, ieram, ijssem, cum ierim, iero. Queo, quiui, quiueram, quiuissem, cum quiuerim, quiuero Item contra inueniuntur, quæ in præsenti tempore producta sunt & in præterito breuiantur, vt sunt hæc pono, posui, cogo, coegi, do, dedi, sto, steti & ex eo composita: præsto, asto, persto, resto. Item omnia verba, quæ in præteritis ante crescunt, in primis syllabis breuiantur, vt sunt hæc: pendeo pependi, mordeo, momordi, spondeo spospondi, tondeo totondi secundæ coniugationis. Tertij quoque ordinis hæc sunt: posco, poposci; curro, cucurri; disco, didici; cano, cecini; tango, tetigi; tendo, tetendi; pendo, pependi, pello, pepuli, tundo, tutudi; pungo, pupugi vel punxi; parco, peperci; pedo, pepedi, fallo, fefelli; cado, cecidi; tollo, tetuli; pario, peperi; pango, pepigi, &c. Item in verbis, quæ in eisdem litteris scribuntur notandum, quod *liber* si librum significat aut corticem, breuem habet *li*, si liberum, longam. *Pila* si vas significat, longam habet *pi*, si sphæram, breuem. Securus longam *e*, securis breuem, domus breuem *do*, doma, i. tectum longam. *Plaga* cum clima significat, breuis est *pla*; cum vindictam, longa. Palus paludis, breuis *pa*, palus pali longa. Populus cum vulgus significat, breuis est *po*; cum arborem, longa. Nitens à nitore breuis est *ni*, à nisu longa. Item educo educis, longa *du*, educa educas, i. nutrio, breuis. Concido, decido, incido, occido, si ad casum pertinent, correptam habent *ci*; si ad concisionem, productam. Colo colis, breuis *co*, colo colas producta. Placeo places, correpta *pla*; placo placas, producta. Pateo pates, i. appareo, siue obtempero, producta *pa*, pato paras, i. præparo, & pario paris, correpta. Parentes, cum apparentes significat, producta *pa*; cum genitores, correpta, sicut & parientes. Incĭpio, incipi, incīperam, incīpissem, cum inciperim, incipero. Satăgo, satēgi, satēgeram, satēgissem, cum satēgerim, satēgero, & cuius simplex, vt, ăgo, ēgi, ēgeram, ēgissem, cum ēgerim, ēgero. Sĭno, sīui, sīueram, sīuissem, cum sīuerim, sīuero. Dico dicis, longa *di* hic & ex eo composita producuntur, vt: cōdico, prædico, contradico, interdico. Dicas à dico, breuis *di*, similiter & ex eo composita corripiuntur, vt p̄dico, vnde prædicator, dedico, abdico. *Idem* si neutri generis est, corripitur; si masculini, producitur in vtroq; numero. Leuitas, si instabilitatē mentis designat, aut pusillitatem pōderis, breuis est *le*; si leuitatem tactus, vnde ligna in ædificio leuigata dicuntur, longa est. Lego legis, correpta *le*; lego legas, producta. Citum à cio cis, quartę coniugationis, producta penultima; à cieo cies secundę coniugationis, correpta penultima. *Ico* penultimam breuē habet in præsenti, sed p̄ducit eam in præterito perfecto, vt ici: vnde ictus. *Ne* a. aduerbium prohibendi vel negandi longu est, quādo a. p̄ interrogatione vel increpatione ponitur, breuiatur. *Labor* cum nomen est, corripitur, cum verbum deponens, producitur, vt. *Labitur inualida deformis gloria formæ*. Liquor si nomen, corripitur, si verbū, producitur vt Virg. in Georg. *Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit.*

Medias syllabas tribus modis agnoscimus, positione & diphthongis & accentu; sed de positione & diphthongis satis, vt reor, supra tractauimus, nunc de accentibus tractemus Accentus vero est vt quidam recte putauerūt vigor ac anima vocis. Nam sicut nulla vox sine vocali est, ita sine accentu nulla est. Et accentus dictus est, quasi *adcantus*, quod iuxta cantum sit, sicut aduerbium dictum, quod iuxta verbum est. Hic autem græce prosodia dicitur, vnde latini ei nomen posuerunt; nam græce πρὸς, latine ad; ᾠδὴ græce, latine *cantus* est. Qui vocis accentus duo sunt, ad ea quæ tractamus necessarij: correptus & productus; quia metricis temporis *De mediis syllabis.*

quantitatem, quam in vnaquaq; syllaba habere debeāt, ostendunt. Cęteri quoq; magis pronuntiationi, siue scripturæ, vel scriptioni deseruiūt. Correptus accentus est in his syllabis, quas sine vlla mora vocis enuntiamus, vt, macula, tabula. Productus est in his, quas cum aliqua mora vocis exprimimus, vt, maiestas, libertas, quia vnaquæque longa syllaba tantum bis temporis occupat, quantum semel breuis. Medias tamen syllabas ita pronuntiationis accentus demonstrant, vt in trissyllabis partibus si penultima correpta est, & nec natura, nec positione longa, ad antepenultimam accentus transferatur, & penultima velocius pronuntietur, vt mœnia, vincula. Si vero penultima siue natura siue positione longa est, ipsa accētum tenebit, vel circumflexum vel acutum, vt natura, potestas. Sciendum est tamen, quæ in verbis r correpta proferuntur, cum in medium venerint, & ipsa r in e mutauerint, vt legis, lege, legere, vbiq; breuiantur, excepto cum à tribus consonantibus excipiuntur, b & m & t, vt: legebam, legemus, legetur. Ceterum eas dictiones, quæ polysyllabæ sunt, necesse est, vt exemplis & positione ac figuris, sicut & accentibus, inuestigemus, vt si quęramus, *truculentissimorum* quibus syllabis constet, edidicimus primam & secundam exemplo breues esse, vt. *Domini truculentos persequor hostes*: tertiam & quartam positione longas, quintam breuem accentu didicimus; quia cum dicimus, *truculentissimus*, penultimam breuem esse probamus: sextam cum circumflexo accentu pronuntiamus, longam eam demonstramus. Item *corrnigerorum*, si quęramus, quibus syllabis constet, inuenimus primam positione lōgam secundam accentu breuem, vt corniger penultima correpta; tertiam ex compositione figuræ depræhendimus esse correptam, quia *corniger*, nomen appellatiuum, figuræ est compositę ex *cornu* nomine & *g. ro* verbo. In gero quoq; geris breuis est *ge*, similiter & in compositione corripitur. Quartam accentu longam esse ostendimus, vltimæ vero qualitatem per singulas partes orationis monstrabimus in ratione subiecta.

Item de mediis syllabis. Medias syllabas 6 modis agnoscimus, diphthongis, positione consonantium, compositione partium, regula, auctorum exemplis, & accentu; Sed de diphthongis & positione litterarum supra disseruimus, cum de syllaba tractabamus; nunc de cæteris dicemus. Compositione ergo partium mediæ syllabæ dinoscuntur, quia fere partes omnes cōpositæ eiusdē potestatis habent syllabas in compositione, cuius habuere simplices, excepto, cum vel correptæ à priore statu fuerint, & demptis vocalibus conglutinatio consonantium fit, vt parricida, à parente nomine & verbo cedere, & quadrigæ pro quadriiugæ, bini pro bis vni, deni pro decies vni; vel cum concurrunt inter se duæ consonantes in compositione, id est, finalis prioris dictionis, & inchoatiua sequentis, & in hoc breuem syllabam prioris membri positione producunt, vt paterfamilias, eiusmodi, satisfactio, vterque quod sæpius accidit præpositionibus, quæ in consonantem terminant, & breues sunt natura, vt inter, subter, super: producuntur aut positione, vt interfector, superstes, subterfugit. Aliter enim pene semper supra dictum ius seruant, vt beneuolus, maleuolus, quæ quia simplicia fuerunt omnibus syllabis breuia, sunt & in compositione similiter. Nam quæcunque à *gero* verbo sunt composita, vel *fero*, vel *tereo*, vel *possum*, vel *facio*, vel *gigno*, omnia mediis syllabis breuiantur, quia ipsa verba supra dicta simplici figura primam partem corripiunt, vt corniger cornigeri, aliger aligeri, armiger armigeri, lauriger laurigeri, congero, degero, * congerans, degerans. Item astriter, astriferi, stellifer stelliferi, somnifer, somniferi, vocifero, vociferans, auferens ab aufero, confero, conferens. Item omnipotens, armipotens, almipotens, omnitenens, arcitenens, & contineo, continens, detineo detinens. Item pacificus, pacifico, pacificans; magnificus, magnifico, magnificans, mirifico, mirifice, mirificans, glorifico, glorifice, glorificans, & similia his. Item verbigena, terrigena, nubigena, troiugena, vnigenitus, primogenitus. Et sciendum, quod omnia hæc, quæ in priore membro vltimam i habent, eandem corripiunt. Regula quoque auctorum tam copiosa est relatu, tamq; multiplicibus distincta varietatibus, & tot idoneis suffulta testimoniis, vt vix eam aliquis memoriæ totam commendare possit, aut stricto sermone exponere. Sed quia penitus a nobis hanc silerі non oportet, licet totam edicere breui hoc opusculo nostro non possimus, in insignioribus tamen locis stylo colligere curemus.

** for. congerens, degerens.*

Nominis ergo rationem Priscianus scribens vbi de denominatiuis disputauit, vniuscuiusq; terminationis penultimas syllabas vel antepenultimas sagacissime inuestigauit. Cuius auctoritatem nos quoq; in hoc loco secuti sumus. Ita tamen vt & q̄ ille de aliis speciebus seorsum cōposuit, nos mixtim pro breuitate operis, & iuxta conuenientiam terminationis inseramus. Ergo in a desinentia *In a.* denominatiua, si i habent ante a, hanc semper breuiant, vt sapientia, acrimonia, nec non & secundæ declinationis nomina, quæ in cus desinūt, nisi sint regionum nomina, quæ ex his diriuātur, antepenultimā. i. sicut & penultimam corripiunt, vt ab amicus, amici, amicitia, inimicus, inimicitia, pudicus, pudicitia, sic & alia quędam eiusdem declinationis nomina dissyllaba, vt lætus læti lætitia, durus duri duritia, mæstus mæsti mæstitia, stultus stulti stultitia. Similiter & illa quæ in tertia declinatione similem habent nominatiuo genitiuum; nam istorum denominatiua à datiuo diriuantur, sicut priorum à genitiuo, vt segnis segni segnitia, tristis tristi tristitia. Consonante vero antecedente in a desinentia denominatiua seu verbalia formas habent tres: la, na, ra; *la*, est longa antecedente *In la.* e; cautus, cauti, cautela; tutus, tuti, tutela; custos, custodi, custodela; mandatum, mandati, mandatela; cliens, clienti, clientela. Et nota, quod omnia extremam vocalem genitiui, si secundæ sint, sint tertiæ datiui in e longam conuertentia, assumunt, la, quę vero à verbis fiunt secundæ coniugationis, à secunda persona abiiciunt s & assumunt, la, candeo candes candela, suadeo suades suadela. *Na* vero desinentia, omni modo longam habent penul- *In na.* timam, vel natura vel positione, officium officina, medicus medicina, rex regis regina, leo leæna, doctrix doctrina, piscis piscina, cocus cocina & culina, cantus cantilena, far farina, lux lucis lucina, luceo lucerna, lateo laterna. Fiscina corripit penultimam, quomodo fuscina, mutina, pagina, & hoc ideo, quia non diriuatiua sunt, sed primitiua, sic & sagana, sagana enim & saga idem significant; *Ra* autem terminantia omnia participiis femininis *In ra.* futuri temporis similem habent formam, vnde penultima quoque v sine dubio producitur, scriptura, censura, pictura, tonsura, vsura, litura, natura, armatura. Et notandum, quod supradictæ omnes formæ, id est, in a desinentes, proprie sunt feminini generis. Inueniuntur tamen pauca verbalia masculini generis, siue communia, vt hic scriba à scribo, à lego, i longa, le, collega, fugio, hic & hæc perfuga, assequor assecula, aduenio aduena, conuenio conuena, penultima in his correpta; in conuiua, longa. Nam Propheta, Poeta, proreta primitiua, e penultimam producunt. In *ne* autem desinen- *In ne.* tia patronymica feminini generis, quæ sunt iadis linguæ, i longam habent penultimam, si principale non habuerit eandem i vocalem, vt Adrestos adrestine, Nereus nerine: sin autem principale habuerit i, o producta ante, *ne*, inuenitur vt acrisios, acrisione. In *e* *In e.* desinentia diriuatiua neutra sunt, vt sedile, ciuile, monile, cubile, quæ penultimam longam habent, & quia pleraque à communibus nascuntur neutri generis, quæ in masculino & fæminino in ilis terminantur, ex eorum regulis horum penultimæ noscuntur. In *o* ma- *In o.* sculina quidem siue communia pauca inueniuntur, vt à cicere cicero, à capite capito, à labe labeo, à latendo latro, à leniendo vero natura longa leno, à catus cato, à comedendo comedo, ab epulando epulo, penultima naturaliter breui, à palpando palpo positione longa est; fæminina namque plurima sunt diriuatiua modo in io, modo in go, modo in do desinentia; In *io* igitur terminan- *In io.* tia plerunque à participiis præteriti temporis fiunt, quorum genitiuus assumpta, o, & correpta i facit huiuscemodi nomina, oratus, orati, oratio; accusatus, accusati,

accusatio; status stati, statio; datus dati, datio; nexus, nexi, nexio; abolitus, aboliti, abolitio, lectus, lecti, lectio; munitus, muniti, munitio. Internectus autem internecti internecio, fecit euphoniæ causa, abiecta t. Diminutiua quoq; omnia, quę i ante o habent hanc corripiunt vt dixi homuncio.

In go. In *go* vero desinentia siue sint deriuatiua, siue primitiua seu composita penultimam vel natura, vel positione longam habent, virago, compago, Carthago, sartago, caligo, vligo rubigo ferrugo ærugo virgo, margo; excipitur vnum ligo, cuius penultima corripitur; nec tritum, cum sit masculinum & solum dissyllabum vocalem ante, go, habens.

In do. In *do* desinentia diriuatiua tam à nominibus, quam à verbis, vel participiis veniunt. hæc quoq; modo e longam vel i, modo *tu*, habent ante *do*. vt acris acredo dulcis dulcedo, intercapio intercapedo torpeo torpedo. liber libido, cupio cupido, formido formidas, formidinis, quod ideo fecit simile nomen verbale primitiuo verbo, quia ipsa positio verbi talem habuit formam,

In tudo. In *tudo* quoque fortitudo, magnitudo, habitudo, amplitudo, firmitudo, celsitudo, suauitudo, i antepenultima vbiq; correpta, testa siue testu testudo, quod est corporale nec non omnia in *do* desinentia quamuis non sint diriuatiua penultimam u habentia producunt eam, natura vel positione, vt hirundo arundo, hirudo.

In al. In *al* desinētia denominatiua, si primitiua eorū penultimam natura vel positione habuerint productam, ea quoque longam habent penultimam, ceruix, ceruicis, ceruical, tribunus tribunal, vectus vectigal lupercus lupercal, sin illa breuem, ea quoq; correptam torus toral animus & anima animal.

In um. In *um* desinentia diriuatiua, siue etiam composita diuersas habent formas, quædam enim vocalem e habent longam vel i correptam ante um e, vt oliuetum, corilletum, rosetum, dumetum, quercetum ac scuretum, mirtetum i u, vt augurium solarium, pomarium, solaciū, suauium basium, odium, remedium, concubium, palladium, officium, connubium, conuiuium, exilium consilium, iudicium, meritorium municipium pręsidium domicilium. Consonantes quoque ante *um* habentia diriuatiua diuersas habent formas;

In bulum. Alia enim in *bulum* desinunt, quæ forma assimilis est diminutiuis, & veniunt à nominibus vel à verbis vt: cuna cunabulum; vesta vel vestis vestibulum, thus, thuris, thuribulum; voco, vocas, vocabulum; concilias, conciliabulum, stas, stabulum; pasco, pabulum; prosto, prostibulum; patior vel patio, patibulum. † Sin vero a. producitur, vt cunabulum pabulum, excipitur stabulum, quod corripit a; nec mirum, cum verbum quoque stabulo stabulas eandem corripiat syllabam, & stabilis. & status, & quæcunque a verbo sto stas diriuata fuerint, excepto vno verbo supino statum, & stamen nomine, & statura, quod tam nomen quam participium est staturus quoque & staturum producuntur, quamuis status, stata, statum corripiantur.

† Et attendendum, quod penultima in omnibus corripitur antepenultima vero si habeat i, corripitur, vt, vestibulum patibulum.

In culum. Inueniuntur etiam quædam in *culum* desinentia quæ à secunda deriuantur persona vt deuertis deuerticulum vertis verticulum vehis vehiculum, perior periris, vnde peritus & ab eo compositum imperitus periculum oras oraculum, propugnas propugnaculum, obstas obstaculum, miraris miraculum, perpendis perpendiculum specio specis speculum pro speciculum per syncopam fero fers ferculum.

In culus, cula, culū. Et sciendum quod omnia penultimam u corripiunt. similiter & diminutiua quæ in *culus, cula, culum*, & *vlus, vla, vlum* desinunt vt igniculus tantulus, regulus, panicula tantula, corpusculum, capitulum quorum & quæcunq; e vel i antepenultimam habent, eandem breuiant. vt dulciculus, dulcicula, dulciculum, monticula, fidicula, corniculum, versiculus, anicula, geniculum. Excipitur craticula, quod in antepenultima producit Iuuenalis: *Conbibet æstiuum contracta cuticula solem*, & apicula Quæ vero e ante *cula* habent producunt eam. vt vulpecula nubecula diecula.

In mentum. Alia vero verbalium in *mentum* desinunt, vt: vestio, vestis, vestimentum; hortor, hortaris, hortamentum; orno, ornas, ornamentum; sacro sacras, sacramentum; fundo fundas fundamentum; moneo monitus monimentum; alo, alitus, alimentum, munio munitus, munimentum Et sciendum, quod antepenultimam productam habent. vel correptam, prout sint penultimæ syllabæ præteriti temporis eorum verborum, ex quibus diriuantur.

In moniū. In *monium* etiam inueniuntur diriuata, correpta antecedente *mo*, siue sequente vt: patrimonium, matrimonium, testimonium.

In en. In *en* desinentia diriuatiua, in antecedente pene omnia verbalia sunt & neutra; & si sint à prima coniugatione a longam habent penultimam, vt: solor, solaris solamen, foro foras foramen; curuas, curuamen; oblectas, oblectamen; purgo purgas, purgamen, irrito, irritas irritamen; ligas, ligamen. Sin a secunda vel tertia, i habent correptam, vt: moneo, mones, monimen; rego, regis, regimen; tego tegis, tegimen, & per concisionem tegmen; à specis vel specie specimen; vel a productam, si in *uo* desinit verbum; acuo acumen; fluo flumen, nuo, numen; numen enim est Dei nutus vnde Virgil. *Meo sine numine venti*. id est. sine meo nutu; luo, lumen, quo omnia abluuntur, id est, purgantur à tenebris. A verbis, u. quartæ venientia, i productam habent; munio, munimen; lenio, lenimen; molior, molimen. Pauca inueniuntur in *en* diriuatiua gen. masc. à pectendo pecten à filo filamen, quod per syncopam i flamen dicimus, & à canēdo composita masculina, i correptam habent penultimam tubicen cornicen fidicen, excipitur vnum, *tibicen*, quod ideo solum i productam habuit penultimam, quod synæresis facta est duorum ii breuium in vnam longam.

In ar. In *ar* desinentia diriuatiua, si consonantem habeant ante *ar* penultima syllaba producitur vt: cæsius, Cæsar; lacus lacunar; lupa lupanar. sin vocalem corripitur vt: laqueus laquear.

In er. In *er* diriuatiua à nominibus pleraq; i & t habent ante r, vt: equester, pedester, sicut & diminutiua habent, vt antester, parasitaster, antoniaster catulaster. Pleraque verbalia, verborum consonantem correptam seruant, vt: rubeo, ruber; pigro piger; macero, macer,

In or, ur. In *or* & in *ur* à verbis inuenio fieri abiectione, o, vt: coloro, color; laboro, labor honoro, honor; decoro, decor; adoro, ador; murmuro, murmur; auguro augur; saturo, satur, cuius fæmininum, satura, & neutrum saturum. Alia assumunt verbo r, vt: amo, amor; furo, furor. Alia à participiis mutant *us* in *or*, & eius accentus seruant, vt: senatus, senator; monitus monitor Et sciendum, quod omnia comparatiua in *or* desinentia penultimam i semper correptam habent, vt: senior, doctior, fidelior, masculini & fæminini generis, sic & eorum neutra vt: doctius, fidelius

In as. In *as* desinentia denominatiua, sin i habent penultimam aut e, corripiunt vt: probus, probi probitas; bonus, boni, bonitas; timidus, timidi timiditas; pius pij, pietas; socius, socij, societas; capax, capaci, capacitas; felix felici felicitas; celer, celeri, celeritas: auctor, auctoritas, quædam enim producunt e, vt: pauper, paupertas; vber, vbertas; maior, maiestas. Sunt autem ex his quædam communia, vt: primas, optimas, vltima circumflexa.

In es. In *es* desinunt correptam denominatiua & verbalia. vt: eques, equitis; struo, strues; sepio, sepes. In *es* productam inueni verbalia, vt. luxu, vt: luxurio luxuries, illuuio, illuuies. Inueniuntur quoque patronymica huius formæ vt: anchisiades. De hac igitur forma qua vtuntur nostri, diligentius dicendum est, nam si nominatiuus Græcus in *as* desinat, Genitiuus vero in *u* diphthongon, a penultima breuis ante *des*, inuenitur in patronymico vt: Pelias, peliades; Æneas Æneades; Menœtius, menœtiades; Lerchios lerchiades. Nam Æniades magis contra regulam, autoritate poetica posuit, Virgilius in 9. e & a correptas, in i productam conuertens: *Sit satis in anide telis impune numanum oppetisse tuu*. Hippotes hippotades; butes butades; Corinetes, corinetides, i penultima breui. excipiuntur tamen hæc quæ contra regulam penultimas vocales producunt. æolides, demades codrides, licoorgides, lagides, belides, euerides licomedides hæc apud Gręcos contra regulam penultimam diphthongon habent pro qua nos i longam ponimus.

In is. In *is* denominatiua siue verbalia multas & diuersas habent formas. alia enim in *alis*, alia in *elis*, alia in *ilis*, *ulis* finiuntur vt: curialis, fidelis, docilis, virilis curulis: alia vero in ris a longa antecedente, vt apollinaris, scholaris, alia

in *ensis*, vt: atheniensis; alias duas consonantes habent ante *n*, vt agrestis, muliebris, samnis, insignis. *In alis.* Ergo in *alis* desinentia vel *ale*, si sint à nominibus primæ declinationis, assumunt nominatiuo primitiuorum, *lis* vel *le*, & producunt a penultimam, vt: curia, curialis; memoria, memorialis; mensa, mensale; via, vialis. Sin secundæ, extremam i genitiui, sin tertiæ, *is* mutant in a longam & assumunt *lis*, vt: martius, martij, martialis; fluuius, fluuij, fluuialis, liber, liberi, liberalis; theatrum, theatri, theatralis; caput, capitis, capitalis; virgo, virginis, virginalis; cardinis, cardinalis; hospitis, hospitalis; nauis, naualis, dotis, dotalis; floris, floralis; corporis, corporalis; celibis, celibalis; iuuenis, iuuenalis, vel iuuenilis; princeps, principis, principalis; vox, vocis, vocalis. Sin à quartæ declinationis nominibus deriuentur, abiecta s sin à quintæ, es ex nominatiuo, & assumunt *alis*, vt: manus, manualis; census, censualis; species, specialis. Verbalia quoque à prima coniugatione inueniuntur in *alis*, vt: penetro, penetralis. In *elis* pauca inuenio denominatiua; fidus, fidi, fidelis; crudus, crudi, crudelis, patruus, patrui, patruelis; frater, fratris, fratruelis. Et nota, quod omnia extremam syllabam genitiui in e productam mutantia assumpserunt *lis*: frater vero fratris, *is* in *u* conuersa assumpsit *elis*. Omnia in *ilis*, quæ à nominibus diriuantur, nec non in *ile* neutra, i longam habent vt: ædis, ædilis, senex, senilis; anus, anilis; puer, puerilis; vir, virilis; scurra, scurrilis; ciuis, ciuilis; seruus, seruilis; quintus, quintilis; sextus, sextilis; gens, gentilis; hostis, hostilis; subtel, subtilis, excipitur par, parilis. Exilis etiam * agrem .... factum, denominatiuorum seruabit regulam. Nam in *ilis* desinentia verbalia siue participialia corripiunt eandem i penultimam, feto fertilis, vtor vtilis, futtuo futtilis, volo volatilis, textus textilis, altus vel alitus altilis, fictus fictilis. Sic & in *bilis* desinentia omnia penultimam i corripiunt, & si sint à verbis primæ coniugationis, a longam habent antepenultimam, vt: amo amas amabilis, penetro penetras penetrabilis, paro paras parabilis, miror miraris mirabilis, excepto stabilis, Lucanus in V.

Quam non è stabili tremulo sed culmine cuncta
Despiceres.

Quæ vero à verbis secundæ vel tertiæ vel quartæ coniugationis nascuntur, si antepenultimam habeant i, eam quoque corripiunt, doceo docibilis, credo credibilis, vtor vtilis vtibilis, sentio sensi sensibilis, audio audibilis. Sciendum tamen, quod quædam à præsenti, quædam ex præterito, quædam ex futuro deriuantur; ex præsenti, vt: doceo docibilis; ex præterito, vt: plausi plausibilis; ex futuro, vt: flebo flebilis, vnde e productam ante b habuit. In *aris* desinentia diriuantur à nominibus, vltima parte genitiui in a longam conuersa, & sumunt *ris*, vt: populus, populi, popularis; singulus, singuli, singularis; apollo, apollinis, apollinaris; schola, scholæ, scholaris; peculium, peculij, pecularis; mola, molæ, molaris; velum, veli, velare neutrum. In *ensis* desinentia, si sint à nominibus primæ vel secundæ declinationis, mutant extremam partem nominatiui singularis, vel pluralis in *en*, & sumunt *sis*, vt. * circa, circensis; Sardinia, Sardiniensis; castrum, castriensis; Athenæ, Atheniensis, quod i habuit euphoniæ causa. Sin vero tertiæ sunt declinationis, abiciunt extremam s genitiui, & assumunt *ensis*, vt: pistoris, pistoriensis; Carthaginis, Carthaginensis. Quæ vero duos consonantes habent ante *n*, vel à nominatiuo fiunt primitiuorum, abiecta eius extrema littera, & assumpta *bris*, vt. salus, salubris; mulier, muliebris; vel à genitiuo, mutata eius extrema parte in e, & assumpta *stis* vel *stris*, vt: ager, agri, agrestis; terra, terræ, *In tis.* terrestris. In *tis* quoque desinentia, vel natura, vel positione longam habent penultimam, vt. samnitis pro samnis, sicut tiburtis pro tiburs, & ceretis vel ceritis pro ceres, quod tam corripit quam producit penultimam. *In us.* In *us* igitur terminantium diuersæ sunt formæ, & varij intellectus, quia in hac terminatione inueniuntur possessiua, ac superlatiua, diminutiua, diriuatiua, denominatiua quoque & verbalia, quorum species singillatim edisserere mutandæ nobis sunt. Possessiua namque dicimus non solum possessionem significantia, sed etiam quæ formam habent possessiuorum. Sunt enim quædam gentilia similem possessiuis habentia formam, vt Romanus ciuis vel ager: quædam autem propria & gentilia, atque possessiua, vt Latinus filius Fauni, & Latinus ciuis, vel ager. Alia tamen modo propria, vt Quintilianus, Iulianus: alio loco patronymicorum posita, vt Octauianus Cæsar, Emilianus Scipio: alia sunt agnomina, vt Affricanus, Persicus: alia diriuata à materia, vt ferreus à ferro factus, aureus, argenteus, marmoreus: alia ex morbis, vt: cardiacus; alia à professionibus, vt: mechanicus, grammaticus; alia a disciplinis, vt: Aristotelicus, Rhetoricus: alia similia primitiuis, vt Tracius pro Trax. Sunt igitur formæ possessiuorum, quas à græcis accepimus hæ, in *cos*, quam mutauimus in *cus*, antecedentibus a breui, vel i vel y, vt: hebraicus, Cipriacus, Italicus, Grammaticus, Rhetoricus, Libycus, quod solum y ante *cus* habet. In *us* quoque puram desinunt possessiua tam Græca quam Latina, antecedente e correpta & producta, vel i correpta, siue o producta, aut æ, vel œ diphthongo, e breui, vt Hectoreus, Agenoreus, Cæsareus, Romuleus, aureus, argenteus, ferreus, ligneus, marmoreus, & fere omnia ad materiam pertinentia, e breuem ante *us* habent. Inueniuntur tamen pauca sine e, vt: quernus, colurnus, abiegnus, e, vero longam spondeus, phebeus, & quando pro diphthongo ponitur, vt Achilleus pro Achilleios, alpheus pro alpheios, pythagoreus pro pythagoreios, quam tamen Virg in nomine *tiphoeus* corripit, in I. *Nate patris summi, qui tela tiphoea temnis*, sed dicitur tiphoeus & tiphos vel tiphon. Peregrina quoque maxime e habent ante *us* productam, Pharisæus, Matthæus, Iudæus, i autem breui, vt martius hereditarius, i tantum longam in paucis nominibus secundum Græcos producunt Romani, vt phtius dius, phtia dia conius cius argius, langius, lycius, sperchius. Inueniuntur autem, u. pro digamma functa i penultimam producere, vt argiuus, nominatiuus, genitiuus, &c. Imperatiuus, Optatiuus & his similia, o producta vt herous, eous, æ diphthongon, vt sabæus, cretæus, ptolomæus, timæus, œ vt eubœa. In *nus* autem desinentia, si a habent penultimam vel e, producuntur, vt: Romanus, Hispanus, fontanus, montanus. *In nus.* Dardanus quoque proprium est & primitiuum, ideoque a correptam habet; terrenus, egenus, alienus, amenus. i ante *nus* aliquando producitur, vt: camerinus, reginus, masculinus, vicinus, fæminimus, sollinus, marinus, taurinus, porcinus: aliquando vero corripitur, id est, in his, quæ ab arboribus diriuantur, vt oleaginus, faginus; & in his, quæ ab aduerbus nascuntur temporalibus, vt: cras crastinus, horno hornoctinus, diu diutinus; u quoque longa ante *nus*, vt tribunus; alia positionem habent & diriuantur, vt ab heri, hesternus, ab ætate æternus, a die diurnus, à semper sempiternus. *In mus.* In *mus* desinunt superlatiua & omnia penultimam i breuem habent, vt infimus, optimus, doctissimus, humillimus, minimus, celeberrimus, maximus; exceptis paucis, quæ longam ante *mus* habent, & ab aduerbio siue præpositione diriuantur, vt ab extra extremus, à supra supremus, à post posterior, postremus. Diminutiua quoque formas multas habent, & in tribus generibus, vt: *culus cula culum, vlus vla vlum, olus ola olum*, penultima semper breui, vt igniculus, anicula, corpusculum, tantulus, filiula, capitulum, sergiolus, vnciola, lauriolum, nec non & homuncio, & aculeus breues sunt penultima, reliqua vero aut positione tantum producuntur, vt agellus, capella, nouellum, pugillus, anguilla, aut natura simul & positione, vt: pauxillus pauxilla pauxillum, vllus vlla vllum. De antepenultimis quoque horum satis sit huic breuitati, quod supra diximus. Denominatiuorum ergo atque verbalium hac terminatione diuersæ reperiuntur formæ, in *ius*, in *uus* diuisas, in *bus*, in *cus*, in *quus*, in *dus*, in *lus*, in *rus*, in *sus*, in

Locus corruptus & simul mancus.

for. circus.

In ius. tus, in *stus*. In *ius* terminantia, vt nuntius, Virgilius, Siluius, saucius, ictus, nescius, fabricius, omnia i penultimam corripiunt; & si habent i antepenultimam, eandem corripiunt, vt tribunitius, aduectitius, patritius. Sin autem a, producunt, vt gallinacius, membranacius. *In uus.* In *uus* diuisas desinentia, u penultimam corripiunt, vt: annuus, patruus, ambiguus, vacuus, menstruus. *In quus.* In *quus* obliquus, penultima natura longa, & *In cus.* longinquus, positione. In *cus* vel *bus*, vt: parcus, superbus. *In dus.* Quæ in *dus* desinunt, vel penultimas corripiunt, vt: herbidus, turbidus, viridus, rabidus, timidus, haridus, squalidus, frigidus: vel positione producunt, vt: *In lus.* errabundus, moribundus, amandus. Quæ in *lus*, similiter penultimam corripiunt, vt: credulus, pendulus, *In rus.* bibulus. In *rus* autem denominatiua siue verbalia, pauca inueniuntur, quæ penultimam producunt; honor, honorus; odor, odorus; decor, decorus; canor, *In sus.* canorus. In *sus* desinentia, si o habent penultimam, eandem producunt, vt curiosus, herbosus, spumosus, *In tus.* saxosus, scelerosus, odiosus. In *tus* quoque terminantia verbalia, si i habent ante *tus* eam breuiant, vt: sonitus habitus; si autem sunt denominatiua, sciendum, quod si à primæ declinationis nominibus diriuantur, a habent penultimam productam, vt: barbatus, stellatus, trabeatus, purpuratus: sin à secundæ vel tertiæ, in quibusdam a, in aliis i productam, vt: pallium, palliatus; anulum, anulatus, gratus, auitus, maritus, ceritus, à grates, auo, mare, cerere. A quartæ declinationis nominibus diriuata, u productam habent ante *tus*, cornutus, verutus, astutus, versutus; excipitur à manu manuleatus, quod a longam habet penultimam. *In stus, xus, ptus, ctus.* Namque in *stus*, vel *xus*, vel *ptus*, vel *ctus* desinentia omnia penultimam positione producunt, vt honestus, mæstus, robustus, laxus, flexus, fluxus, acceptus, aptus, sanctus, amictus.

DE NOMINATIVO SINGVLARI.

NOminatiuus singularis hac regula per singulas terminationes, qualis sit, apertissime dinoscitur. *In a.* In a desinentia nomina correptam Græca sunt vel Latina, masculina vel fœminina vel * neutrum, vt: hic Poeta, scriba; hæc musa, Roma; hoc toreuma, emblema; hic & hæc auriga. *E cor.* In e correptam latina sunt neutra, vt: hoc monile, mare. *E prod.* In e productam græca sunt & fœminina, vt hæc Euterpe, Libye, scole, Andromache. *I prod.* In i productam Latina siue Græca inueniuntur & neutra sunt, vel omnis generis, & aptota, vt: hoc gummi, sinapi, hic & hæc & hoc frugi, nihili, mancipi, huiusmodi, illiusmodi, eiusmodi, istiusmodi, & cordi, nauci quoque, quod putamen nucis significat, & pro nihilo accipitur. *In o corrept.* In o correptam, quam tamen frequenter producunt Poetæ, Latina sunt vel notha, masculina vel fœminina vel communia; hic Cicero, Leo, hæc virgo, Carthago, hic & hæc homo, nemo neminis, quod est compositum ex non & homo. Quæ ergo ex his o in obliquis retinent, eandem productam habent, vt Cicero Ciceronis, quæ autem in i eam vertunt, correpta penultima pronunciantur, vt virgo virginis. *O produc.* In o productam desinentia Græca sunt fœminina, vt: Manto, Dido, Sapho, Erato, hæc vel græce declinantur, vt: Manto Mantus, quod est genitiuus, Virg. in x. *Vatidica Mantus & Tusci filius amnis:* vel addita *n* faciunt genitiuum secundum *In u.* latinos, o producta tamen, vt Dido Didonis. In u latina sunt generis neutri, vt cornu, gelu, genu, vel in quibus quamuis videatur quibusdam artium scriptoribus, temporum esse differentia, (dicunt enim nominatiuum quidem & accusatiuum, & vocatiuum corripi, reliquos vero produci) inueniuntur tamen in vsu pariter in omnibus produci casibus hæc nomina, nec irrationabiliter. Omnis enim in quacunque parte terminatio in u desinens producitur, vt: fluctu, Panthu, tu, diu. Ouidius in 8. Metamorphoseon.

> *Dextroq; a poplite læuum*
> *Pressa genu digitis inter se pectine iunctis.*

Ecce enim hic accusatiuus est sine dubio, & producitur Apud Virg. quoque in i.

> *Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.*

Quomodo enim *sinus collecta* accusatiuum iunxit nominatiuo, sic etiam *nuda genu*. *In c.* In c duo sunt generis neutri, vt, halec quod longum est, vt Martialis, *caueat in & putrire pas halecis atantes*: est autem halec genus piscis, & lac lactis, de cuius declinatione dubitatur. *D.* In d duo sunt neutra correpta, vt: aliud & quid, & ex eo composita, vt aliquid, siquid, nequid. *Al cor.* In *al* correptam latina & barbara, masculini generis vel neutri, vt hic Hannibal, hoc tribunal, ceruical; sed neutra a producunt in obliquis casibus. *Al prod.* In *al* productam vnum monosyllabum masculinum, hic sal, quod tamen in obliquis casibus corripitur. *El cor.* In *el* correptam neutra latina, vt: hoc mel, fel. *El prod.* In *el* productam barbara, vt: hic Daniel, Michael, Gabriel. *Il cor.* In *il* correptam masculina, vel communia, latina, vt: hic pugil, hic & hæc vigil, & nihil aptoton, quod est compositum à non & hilum, quod sine dubio nomen est id est, vllum. *Il prod.* In *il* productam vnum & tuscum fœmininum, vt hæc Tanaquil, id est, vxor Tarquinij Prisci. In *ol* masculinum latinum, vt: hic sol, quod longum est. *ul.* In *ul* breuem masc. vel com. latina, vt hic consul & hic & hæc exul. *am.* In *am* breuem vnum definit generis omnis indeclinabile, vt: hic & hæc & hoc nequam. *um.* In *um* correptam Latina seu Græca apud Græcos in *on* desinentia neutra sunt, vt: hoc templum, regnum, lignum, hoc pelium, hoc hostorium, quod est lignum quo modius æquatur. Inueniuntur autem apud Comicos multa huiuscemodi neutrorum formam habentia mulierum nomina quibus articulos fœminini generis necessario significationis gratia præponere solebant, vt hæc Dorcium, hæc Glycerium, hæc Sophronium: hoc autem solet adulationis causa siue diminutionis ætatis. *On. An. In.* In *on*, in *an*, in *in*, Græca sunt masculina, vel fœminina & producuntur omnia, vt hic titan, pean, Pan, hic delphin, hæc trachin, hic Memnon, hæc Sidon. Et sciendum quod omnia in *in*, desinentia etiam in *s* productam finiuntur vt delphis, trachis, eleusis. *In on.* In *on* quoque desinentia nomina genitiui Græci supra dictam seruant regulam penultima secundum Græcos manente producta vel correpta, vt Memnon, Memnonos, Simon Simonos, Lacoon Lacoontos id est Memnon Memnonis, Simon Simonis correpta, Lacoon Lacoontis producta, & Canon Canonis. *En cor.* In *en* desinentia correptam Latina sunt masc. vel neu. generis vt: hic flamen, cornicen, fidicen, tubicen, tibicen, hoc numen, carmen. *En prod.* In *en* productam Latina sunt generis masculini, vt: hic lien, rien, vel ren renis, splen & Græca, vt: hic Damen nomen proprium historici; & Seben nomen herois socij Vlyssis, qui habitauit Temesæ, & hæc Siren, hæc Trizen. *Ar cor.* In *ar* correptam latina, & Græca & barbara masc. vel neu. generis, vt: hic Cæsar, hic bostar, hoc nectar, hoc calcar, sed neutra si diriuatiua sunt, producunt a in obliquis casibus; à lupa lupanar, lupanaris, à lacu lacunar lacunaris, à laqueo laquear laquearis, à calce calcar calcaris. *Ar prod.* In *ar* productam latina masc. vel neu. vel com. generis, & sunt vel monosyllaba, vel ex monosyllabis composita vt: hic Nar Naris id est nomen fluuij quod & a productam seruat in obliquis casibus & hoc torcular, hoc puluinar, hoc far farris, quod positione producitur in obliquis. hic & hæc & hoc par, dispar, impar, quæ a corripiunt in obliquis. Virg. in Bucolico: *Numero Deus impare gaudet*. Lucanus in 8. *Ergo pari voto & paribus se sustulit armis*. Similiter lar laris. Plautus; *ego sum lar familiaris*. Virg. *Pergameumq; larem, & canæ penetralia Vestæ*. Notandum, quod in nar, si nasum velimus significare, melius nominatiuum similem genitiuo proferemus, vt: hæc naris huius naris. vt Ouidius in 6. Metamorphoseon.

> *Defluxere comæ cum quis & naris & aures.*

Lucanus in 11. Genitiuum * pertulit; ** protulit.*

> *Hic aures, alius spiramina naris adunca*
> *Amputat.*

Er cor. In *er* correptam, fœminin. masc. & neu, & com. Græca siue Latina vt: hic puer, hic pater, hic Alexander, Menander, hæc mater, hoc tuber, hic & hæc pauper. *Er prod.* In *er* productam Græca masc. & vnum latinum, vel magis nothum

neu. generis, hic Hiber Hiberi, pro Hispanus, & ab eo compositum, celtiber; Hiber tamen Hiberis dicimus, quando de illa gente loquimur, quæ est iuxta Armenios, hic aer aeris, hoc ver veris. Æther quoque Virgilius in 8. corripit;

Namq; in prouisu vibratus ab æthere fulgur
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente.

Quamuis vel aliqui alij Grammatici hoc productum esse dicunt. *Ir cor.* In *ir* correptam masculina sunt, vt hic vir, leuir, & ex *vir* composita, vt: duumuir, triumuir &c. Et vnum gentile masc. vt hic Treuir, & aliud fœmininum, vt: hæc Gaddir Gadditis, id est, Tarcessum, Hispaniæ ciuitas, quam nunc Tyrij mutato nomine Gaddit habent; vnum neutrum indeclinabile, vt: hoc ir, quod græci θέναρ dicunt, quidam addunt hic abaddir, ὁ βαίτυλος huius abadditis: id est nomen lapidis, quem pro Ioue deuorauit Saturnus, huncque Deum esse finxerunt. *In or cor.* In *or* correptam, masc fæm. & neu & commun. tam græca quam latina inueniuntur, vt: hic Nestor, hic orator, hæc vxor, hoc æquor, hic & hæc & hoc autor. Sed & hoc notandum est, quod in hac terminatione, si sint latina nomina mascul. generis vel fæmin. aut com. ò productam habent, in obliquis casibus, vt: hic doctor, salinator, hæc vxor, soror, hic & hæc auctor, pallor, pudor, macor, siue marcor, id est, macies, huius doctoris, vxoris, auctoris, marcoris. Quæ vero o in i vertunt in penultima, corripiuntur, vt: hic ordo ordinis, exceptis his, hic & hæc & hoc memor, immemor, huius memoris, immemoris: quæ à verbo memoro nata sunt, & penultimam eius syllabam seruant; & hic & hæc indecor indecoris. Virg. in xi. *Non tamen indecorem tua te regina relinquit*; cuius etiam simplex, i. decor decoris apud veteres corripitur quando pro decorus, decora, decorum accipitur, quia quia ab eo, quod est decus decoris, diriuata sunt, vel composita illius declinationem seruant; sicut à corpore quoque composita, eius declinationem seruant; vt: bicorpor, tricorpor, bicorporis, tricorporis. Virg. in vi. *Delphines aspriaque & forma tricorporis vmbra*; hæc arbor quoque arboris, quod à robore diriuatum, illius declinationem seruans, corripuit penultimam genitiui. Et à puero composita corripiuntur, vt: Puplipor, Marcipor Pupliporis, Marciporis. Ita enim Probo teste, dicebant antiqui. pro Puplij puer. & Marci puer. Neutra quoque & græca omnia correptam o habent in obliquis casibus vt hoc marmor, æquor marmoris, æquoris, hic Hector Hectoris, Actor Actoris, quando est nomen proprium græcum. Virg.

Actoris aurunci spolium quassatq; trementem.

Vt breuiter igitur supra dictam colligamus regulam: In *or* desinentia neu. & græca, & quæcunque diriuantur vel componuntur à primitiuis penultimam corripientibus, ea & in obliquis corripiunt penultimam. Cætera vero producunt exceptis *cor*, quod assumit d, ac sua se positione in genitiuo producit; & *ador*, cuius diriuatiuum Virg. in 7. producit;

Et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis.

Vr cor. In *ur* correptam latina masculina desinunt, & communia & neutra, vt: hic satur, hic turtur, hic & hæc augur, hoc tibur, nec non & illa quæ pro u o correptam habent per obliquos casus, vt: hoc robur roboris, ebur eboris, femur femoris, & iecur iecoris, vel iecinoris, qui genitiuus videtur à nominatiuo *iecinus* venire, qui in vsu non est. *Vr prod.* In *ur* productam vnum inuenitur commune duum generum, hic & hæc fur huius furis. *As cor.* In *as* correptam græca masculini vel fœminini generis, vel neutri vel communis; hic Arcas proprium, huius Arcadis; hæc Pallas, Palladis; hoc Ceras, proprium loci, huius Ceradis, hic & hæc arcas, gentile, huius arcadis. *As prod.* In *as* productam græca & latina masculini, vel fœminini, vel neutri generis, vel communis, vt: hic Æneas, hic Mæcenas, hæc ciuitas, hoc vas vasis hic vas vadis (quod in obliquis corripitur) hic mas maris, & hæc [illegible] netas, & hic & hæc & hoc nugas indeclinabilia, hic & hæc Capenas Capenatis, primas primatis, optimas optimatis, Arpinas, Crotonas, Ponitas, Larinas: quæ ideo circumflexum habent in vltima accentum, quia perfecta eorum apud antiquos fuerunt, hic & hæc Arpinatis, primatis. In *es* correptam latina masculina, vel fœminina, vel communia duum vel trium generum, hæc duobus modis breuia esse intelliguntur, cum aut e correptam in i mutauerint in Genitiuo, vt: hic miles militis, trames tramitis, hic & hæc sospes sospitis, pedes peditis, eques equitis, & hic & hæc superstes superstitis, aut e penultimam correptam in Genitiuo habuerint, vt hæc seges segetis, hæc teges tegetis, hic & hæc & hoc præpes præpetis, & quæ à verbis deriuantur, vt à tero teris, hic & hæc & hoc teres teretis; habeo habes, hic & hæc & hoc hebes hebetis; indigeo, hic & hæc & hoc indiges indigetis; impeto, impes impetis. Interpretor, interpres interpretis. *Es prod.* In *es* productam tam græca, quam latina, masculini generis, vel fœminini, vel communis; hic Anchises, hic Ermogenes, hic Chremes, hic Verres; sed latina quinque modis producta esse inueniuntur, id est, cum aut nomina fuerint quintæ declinationis, vt hic vel hæc dies diei; aut cum eandem syllabas genitiuus habuerit, quot & nominatiuus, vt hic & hæc proles prolis, cædes cædis, hæc strages; aut cum in genitiuo crescentes productam e in medio habuerint; vt hæc merces mercedis, hic & hæc hæres hæredis: aut cum monosyllaba nomina fuerint, vel de monosyllabis ducta, vt hic pes, semipes, bipes, quadrupes, cornipes: aut cum i ante es in fine habuerint, vt hic aries, hæc paries, abies, quies: quæ tamen omnia, præter quies quietis, & ex eo compositum, vt hic & hæc & hoc inquies inquietis, in obliquis corripiuntur similiter, sicut pes pedis, & ex eo composita. Virg. *Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit*. Iuuenalis in quarto: *Squalidus in magna fastidit compede fossor*. Item Virgilius in tertio Bucolicorum: *Creditur ipse aries, & iam nunc * vellere siccat*. Idem in secundo libro Æneidos: *Et custodes sufferre valent, labat ariete crebro*. Item Virgilius in Ecloga 7. *Populus in fluuiis, abies in montibus altis*. Idem in 2. Æneidos: *Ædificant, sectaque intexunt abiete costas*. *vellera.* *Is correp.* In *is* correptam tam græca, quam latina, masculini generis, vel fœminini, vel communis, vt: hic Paris Paridis, vel Paris, hic collis huius collis, hæc Thetis Thetidis, hæc cuspis cuspidis, hic & hæc vtilis, huius vtilis. *Is prod.* In *is* productam græca & latina, masculina, vel fœminina, vel communia; hic delphis delphinis, hic Arnis (proprium) huius Arnis, hæc soteris soterinis, hic Dis (id est proprium Plutonis) huius Ditis, & hic & hæc dis (appellatiuum) huius ditis, hæc vis huius vis, hic glis gliris, hic & hæc Samnis Samnitis, hæc lis litis. *Os cor.* In *os* correptam tam græca, quam latina, masculina, neutra, vel communia, hic delos delei: & omnia corripiuntur in *os* desinentia græca, quæ in genitiuo diphthongon habuerint, hoc os huius ossis quod etiam, *hoc ossum*, antiqui protulerant, hic & hæc compos compotis: Seneca in Phædra; *compote voto*; & est adonium. *Os prod.* In *os* productam græca & latina masculini, vel fœminini, vel communis, vel neutri generis; hic Heros huius herois, hic nepos nepotis, hæc dos dotis, hæc cos cotis, hic lepos leporis, mos moris, flos floris, ros roris, hic & hæc bos bouis (quod in genitiuo penultimam corripit) hoc os oris, hic & hæc custos custodis, hic & hæc sacerdos sacerdotis, impos impotis. *Vs cor.* In *us* correptam latina, masculini, vel fœminini, vel neutri, vel communis, duum vel trium generum: hic lepus, hic pius, sanctus, iustus dignus hęc venus, hęc manus, hoc tempus nemus, munus hic & hæc * Ligus Liguris, hic & hæc & hoc vetus veteris. ** Ligur.* *Vs prod.* In *us* productam græca masculina sunt, quæ apud græcos in *dos* finiunt genitiuum, apud latinos *dos* in *dis* conuertunt, vt ὁ Οἰδίπους τοῦ Οἰδίποδος, hic Oedipus huius Oedipodis, hic Melampus huius Melampodis.

podis. Latina vero, quæ in supradictam syllabam, id est, *us* productam desinunt, sine dubio fœminina sunt, & tertiæ declinationis, quæ & in obliquis penultimam u producunt, vt: hæc seruitus seruitutis, senectus senectutis, iuuentus iuuentutis, tellus telluris; nullum enim latinum masculinum, nec neutrum, nec commune in vs productam desinit, *exceptis his vnum epicœnon, quod à græco mutauit y in u longam, vt: hic mus muris (Græci enim μῦς scribunt) & neutris his, hoc rus ruris, crus cruris, ius iuris, plus pluris, thus thuris; & communibus his, hic & hæc grus, & hic & hæc sus, quæ tamen duo in obliquis corripiuntur, & huius gruis, huius suis. Virg. in x. Aeneidos:

Strymoniæ dant signa grues.

Et Horatius Sermonum lib. 2.

——*Discerpta ferentes*

Membra gruis sparsi sale multo non sine farre:

Palus quoque paludis corripitur, vt Virg.

——*Sterilisque diu palus, aptaque remis.* In *ys* Græca masculina vel fœminina. hic amphibrachys huius amphibrachys, hic capys huius capyis, hæc erinnys erinnyis. In *aes* diphthongon vnum masculinum latinum, hic præs huius prædis, hoc æs huius æris, cuius pluralium obliqui in raro sunt vsu, vt: æra, ærarum, æribus. In *aus* diphthongon latina duo fœminina, hæc laus laudis, hæc fraus fraudis. In *eus* diphthongon desinentia Græca sunt, *eus* in *i* mutantia in genitiuo, vt hic Tytheus Tythei, vel *eus* diphthongon in *es* longam mutatur apud Latinos, vt: Ἀχιλλεύς, Achilles, Περσεύς Perses, Ὀδυσσεύς, Vlixes, cuius genitiuum in ei profert Ouidius in 14. Metamorphoseon: *Neritius, Macareus comes experientis Vlixei:* ex quo apparet, latinos quoque tam in *eus* quam in *es* hæc nomina solitos esse proferre. In *ans* quoque vel in *ens*, vel in *ons*, vel in *vns* desinentia nomina, semper & in nominatiuo positione consonantium producuntur, atque inde in cæteris casib. siue penult. siue antep. positione semper longam habent, & omnia sunt latina, & masculini, vel fœminini, vel communis generis, vt hic dodrans, quadrans, hæc glans glandis, hic & hæc & hoc infans, hic vsens, hæc mens, hic & hæc patens, hic & hæc & hoc prudens, sapiens, hic mons, hæc frons, hic & hæc & hoc insons, & fons fontis, hic aruns. Similiter & in *ars*, vel in *ers*, vel *ors*, vel in *urs*, vel in *uls*, terminantia positione longa sunt, & sunt latina masculini, vel fœminini, vel communis generis, vt: hic Mars, hæc ars, hic & hæc & hoc iners inertis, hic Mauors, hæc cohors, hæc sors, hic & hæc & hoc concors, hic & hæc & hoc Tiburs Tiburtis, quod tamen & gentile est, hæc puls huius pultis. In *ems* correptam, vnum fœmininum, hæc hiems. Virgilius in 1. Georg *humida solstitia atque hiemes orate serenas.* In *abs* breuem Græca & Latina masc. & fœmin. hic Arabs Arabis, hæc trabs trabis. Virg. in 2. Georg. *Eoasque domos, Arabum pictosque gelonos.* In *ebs* correptam latina omnis generis, hic & hæc & hoc celebs huius celibis. In *ebs* productam vnum fœmininum Latinum, hæc plebs. In *obs* correptam fœminina latina hæc scobs scobis, & scrobs scrobis. Virg. in 2. Georgicorum, ite loca & scrobibus superauit terra repletis. In *ybs* breuem vnũ masculinum, hic calybs huius calybis. Virg. in 1. Georg. *at calybes nudi, virosaque pontus.* In *urbs* vnum fœmininum, quod positionem suam in obliquis seruat, hæc vrbs vrbis. In *aps* correptam vnum fœmininum, hæc daps huius dapis. In *eps* correptam mascul. & omnis generis, hic manceps mancipis, hic & hæc & hoc particeps participis, adeps vel adipes adipis, qui in vtroque genere inuenitur. Varro in 2. rerum rusticarum, *adipe illa.* In *ops* productum Latinum fœmininum vnum, hæc ops huius opis, i. mater Deum. Virgilius in Georg. 4. *atque Ephyri atque opis & Asia Dei* OPEA. Etiam *ops* breuem vnum commune, hic & hæc & hoc ops opis, quod significat copiam, ex eo componitur hic & hæc & hoc inops inopis. Inueniuntur & in hac terminatione græca masculina, vt hic Pelops, æthiops, hydrops, merops, huius Pelopis, æthiopis, hydropis, meropis. Lucanus in 6. *Aut Pelopis Latios ephyren abrumpere regnis.* Virg in 5. Georg. *Quid nemora æthiopum mollia canentia lana.* Idem in 3. *Pinguibus ab stabulis meropesque aliaeque volucres.* In *yps* productam græca, vt cynyps cynyphis. Virg in 3. Georg.

Nec minus interea barbas incanaque menta

Cinyphii tondent hirci setasque comantes.

In *irps* vnum latinum semper positione longum, hic & hæc stirps stirpis. In *t* vnum neutrum correptum, vt: hoc caput capitis In *ax* correptam latina & græca sunt masculina, vel fœminina, vel omnis, hic Pheax Pheacis, Aiax Aiacis, hæc pax pacis, hic & hæc & hoc audax audacis, capax, peruicax, rapax, fallax, pellax, vorax, tenax, emax, sagax. In *ex* correptam græca & latina, masculina & fœminina & communia trium generum, hæc lelex lelegis, hic grex gregis, apex apicis, hæc ilex ilicis, hic & hæc & hoc artifex artificis. In *ex* productã latina masculina & fœminina sunt vel communia trium generum, hic rex huius regis, hæc lex legis, hic & hæc & hoc exlex exlegis. In *ix* correptam latina mascul. vel fœmin. vt hic calix calicis, hic *fornix fornicis, varix varicis, hæc pix picis, nix niuis, salix salicis. In *ix* productam græca x & latina, masculina vel fœminina, vel communia trium generum. hic phœnix phœnicis, * hic cornix cornicis, hæc nutrix nutricis, hic & hæc & hoc pernix pernicis, felix felicis. Oportet autẽ scire quod græci, i & y ante x breuem esse volunt, etiamsi in obliquis producantur, vt phœnix phœnicos, bombyx bombycos. a vero secundum genitiuum etiam in nominatiuo produci vel corripi dicunt, vt κόλαξ κόλακος. Latini tamen omnes vocales, *bitempora*, id est, δίχρονους habentes, ad genitiuum respicientes, dicunt produci vel corripi vocales ante x positas in nominatiuo. In *ox* correptam fœmin. nox noctis, & ex hoc compositum cõmune, hic & hæc & hoc pernox: hæc licet positionem semper habeant, tamen quia à noceo verbo nox venisse dicitur, breuem inde hoc natura vocalem habere intelligitur. In *ox* productam fœminini vel omnis: hæc vox vocis, hic & hæc & hoc velox velocis, ferox ferocis, atrox atrocis. In *ux* correptã barbara vel latina masc. vel fœmin. vt: hic volux volucis, hæc nux nucis, crux crucis, hic & hæc dux ducis, trux trucis. In *ux* productam masculinum hic Pollux Pollucis; fœmininum, lux lucis. In *yx* correptam græca tã masculina, quam fœminina, hic sandyx sandycis, hæc styx sticis. In *aex* vel in *aux* vel in *alx* vel in *anx* desinẽtia, latina & fœminina sunt, & semper vel diphthõgo vel positione longa sunt, hæc fæx fæcis, hæc faux faucis, hæc falx falcis, hæc lanx lancis. In *vnx* vnum cõmune, hic & hæc coniũx: quod tñ in obliquis corripitur, vt: huius cõiugis, huic cõiugi, &c. In *arx* vnum fœmininum semper positione longum, hæc arx arcis. Has autem ideo dixi quasdã terminationes nominatiui partim esse correptas, partim ꝓductas, licet positione semper longæ sint, vt naturæ earum qualitas pateficret, & in obliquis, vbi sine positione sunt, manifestarentur.

DE OBLIQVIS CASIBVS.

Genitiuus singularis primæ vel secũdæ, vel quartæ vel quintæ declinationis in vltima producitur, vt: huius poetæ, docti, fructus, speciei. Tertiæ vero declinationis corripitur, vt huius fortis, excepto vno monosyllabo, vt: hæc vis, huius vis. Datiuus quoq; singularis vltimã syllabam semper lõgam habet, vt huic poetæ, docto, forti fructui, speciei: vbi notandũ est, quod nomina quintæ declinationis, si in nominatiuo habeant penultimam (vt hæc facies, dies) seruent e longã in genitiuo vel datiuo, vt huius vel huic diei, & huius vel huic faciei, Sin autem consonantem habeant ante es licet *ei* diuisas similiter faciant, corripiũt tamen penultimam & tam in genitiuo, quã in datiuo, vt fides fidei, spes spei, plebes plebei, res rei. accusatiuus ergo semper breuis est, vt: hunc poetam, doctum, fortem, fructum, speciem. Vocatiuus quidem singularis similis est vbiq; suo nominatiuo, excepto cum in secũda declinatione, us mutatur in e breuem, vt: doctus, docte; siue cum propria eiusdẽ declinationis, quæ i ante us habent, in nominatiuo abiecta us, faciunt vocatiuum, vltima producta, vt: hic Virgilius, o Virgili, hic Salustius, o Salusti; nec non & vno appellatiuo, quod tam in e correptam, quam in i productam facit, hic filius, o filie, vel, o fili; vbi & notãdum est, quod hæc propria nomina, quæ in i ter-

in i terminant vocatiuum, penultimam licet correptam habeant, tamen in eadem penultima accentum tenent, quia perfecti vocatiui, quem antiquissimi proferebant in e, vt Virgilie, Mercurie, acutum accentum, qui in antepenultima apud eos ponebatur. iun ores, gaudentes breuitate, per abscisione extremæ litteræ in penultima prætulerunt. Horatius in primo Carminum *Mercuri facunde nepos Athlantis.* Idem in eodem; *Multis ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior, quã tibi, Virgili.* ablatiuus enim singularis semper producitur, vt: ab hoc poeta, docto, fructu, specie, excepta tertia declinatione, in his videlicet nominibus, quæ in e terminant ablatiuum, hæc autem omnia corripiuntur. vt: ab hoc patre, ab hac matre, excepto vno, quod producitur; ab hac fame. Virgilius in sexto:

——Offam
Obiicit ille fame rabida tria guttura pandens.

Lucanus in x.

Non mandante fame multas volucresque ferasq; Aegypti posuere Deos——

Et hæc productio ideo ei accidit, quia veteres magis secundum quintam, quam secundum tertiam, hoc nomen declinabant, vt huius & huic famei, non huius famis, vel huic fami. Cæterum quotiescunque tertia declinatio ablatiuum in i mittit, eum semper longum habet. Iuuenalis in quinto:

Præterea lateris vigili cum febre dolorem.

Virg. Stans celsa in puppi.

Stat. in 1. Thebaidos,

Funditur & veteri spumauit lerna veneno.

Item nominatiuus & accusatiuus & vocatiuus pluralis in masculino, & fœminino, & communi genere semper producuntur, vt: hi & o poetæ, hos poetas, hi & o magistri, hos magistros. hi & hos & o sapientes, hi & hos & o magistratus, hæ & has & o res. In neutro corripiuntur vt hæc & o mandata, hæc & o capita, hæc & o dogmata hæc & o cornua. Præterea duo nomina dualis numeri, *ambo* & *duo*, quando sunt masculini videlicet generis, producuntur, vt Virgilius in ecloga 7. *Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo:*

quando neutri, corripiuntur. Genitiuus pluralis in *um* semper correptam terminat, ad eiusq; penultimam cognoscendam ita ratio perspicua est, vt intimemus, à quo casu singularium diriuetur, quia primæ declinationis, vel secundæ, vel quintæ genitiuus pluralis, cum ex ablatiuo singulari producto earundẽ declinationum nascitur, seruat eandem productionem etiam in penultima sua, vt: ab hoc poeta, horum poetarum; magistro, magistrorum; die dierum. A tertiæ declinationis ablatiuo breui genitiuus descendens, si penultimam i. habuerit, hanc semper corripit. In quarta autem declinatione cum idẽ casus non ex ablatiuo producto, vt quidã æstimant, sed ex nominatiuo singulari fiat, abiecta s, & assumpta *um*, vtramque u breuem habet. Virg.

Accipe & hæc, manuum tibi quæ monimenta mearum
Sint puer:——

Iuuenalis in primo:

Vestra magnarum domuum dominiq; futuri.

Datiuus igitur & ablatiuus pluralis si *s* terminantur, longi sunt vt: his & ab his poetis, magistris; si *bus*, breuiantur, vt: his & ab his patribus, fluctibus, rebus. Sed & hoc notandum q; si i vel u sit ante *bus* in his casibus penultima corripitur. Virg. in 7. ecloga: *Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.* Et * item *O virgo infelix, tu nunc in montibus erras* Ouidius in 3 Fastorum; *Præmia de lacub. proxima musta tuis.* Si autem a vel o ante bus erit producitur, vt: his & ab his natabus, filiabus, deabus, equabus, mulabus, libertabus, asinabus: &, his vel ab his ambobus, duobus. Præterea quinta declinatio e penultimam in his casibus semper longam habet, vt his & ab his diebus, faciebus. Virg. in primo Georgicorum:

Quippe etiam festis quadam exercere diebus,
Fas & iura sinunt.

In græcis vero nominibus græce declinatis genitiuus singularis breuis est, cu *dos* vel *ros* habuerit in fine, vt archados, poematos. datiuus cum i. vt Palladi, accusatiuus cũ a vel on, vt: Thesea, Delon. Virg in 3. Georg. *Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto:* alias longus est Vocatiuus, cum a terminatur: in masculinis tñ longus est, vt Ænea, nam in fœmininis corripitur, vt cathedra: e terminat⁹ producitur, vt scole, synagoge, pentecoste, parasceue, tydide, exceptis his, quorum nominatiuus *os* terminatur, vt petros petre, phœbos phœbe. I terminatus corripitur, vt. Nai, Alexi. Virgilius in Bucolicorũ 9. *Quo te Mœri pedes, an quo via ducit in vrbem?* O finitus longus est. vt: Dido, Sappho Nominatiuus & vocatiuus pluralis cum a vel s terminatur, breues sunt, vt: poemata, rhetores. Rufinus in libello de pedibus, *Quondam narrare solẽt tibi rhetores acta.* alias longi sunt, vt ecclesiaste: Genitiuus lõgus est, vt: philenon, laon, cedron; Datiuus in terminatus corripitur, vt: arcasin; alias longus est, vt: lays accusatiuus si as fuerit terminatus, & à genitiuo singulari venerit, os, finito corripitur, vt: arcados, arcadas, Lucretij; *Lampadas ignifer as manibus retinentia dextris*; alias autem productione lætatur, vt: ecclesias.

DE PRONOMINE.

IGitur pronomen in nominatiuo singulari, *o*, vel *e*, vel *is*, vel *er*, vel *us*, terminatum corripitur, vt: ego, ille, ipse, iste, is, meus, tu⁹, suus, noster, vester: *u* quoq; terminatum producitur. id est tu & circuflexo accentu pronunciatur. e litera finitum, poetis cõmune habetur, & modo in versu corripitur, modo producitur: quia apud plerosq; auctores ei per oẽs casus, ce, syllaba addebatur, vt: hicce, huncce, hocce, hisce, hosce, hasce. vnde vocali quoq, sequente per apocopam absumpta, duabus, ec, manentibus solebant illud producere vt Virg. in 11. Æneidos:

Hocce erat, alma parens, quod me per tela per ignes
Eripis——

Sed scriptorum negligentia prætermisit vnam, c. sic etiam vetustissimi romanorum libri adhuc testãtur, cum ipsi duo, cc in hoc pronomine vbiq; tenerẽt scripta. Sunt & alia duo pronomina cõmunis generis nostras, vestras: producta quorum perfecta, nostratis, vestratis, erant vnde quia, ti, syllabæ syncopa facta est; mansit in a accentus perfecti & vltima circumflectitur. Itaque neutrum eorum in e finitur nostrate vestrate ex quo ostenditur, illorum quoque nominatiuos in tis secundum analogiam à vetustissimis prolatos esse. Nouem autem mobilia nomina quæ quia pronominum sequuntur declinationem, quidam ea inter pronomina posuerunt; omnia in nominatiuo singulari & per omnia genera corripiuntur, excepto vno, quod in fœminino genere diphthongon habet, id est *quæ* & *qui*, q̃do pro infinito vel interrogatiuo, id est, pro *quis* ponitur: *quis* autem & *quid* breues sunt. Vnus, vna, vnum: solus, sola, solũ: totus, tota, totum: alius, alia, aliud: vllus, vlla, vllum: nullus, nulla, nullum: alter, altera alterum: vter, vtra, vtrum: & ex eo cõpositum: neuter, neutra, neutrum. Similiter correpta sunt omnium pronominum fœminina, quæ in a; & neutra, quæ in *um*, vel in *ud* finiunt nominatiuum. vt: illa, ipsa. ista, illud, istud, ipsum. Genitiuus singularis in pronominibus, i vel æ, terminatus. longus, vt: mei, tui, sui: meæ, tuæ, suæ. aliter quidem breuis, vt illius, nostratis: vbi notandum, quod genitiuus qui in *ius* desinit, siue in pronominibus, siue in nominibus, penultimam i. semper natura longam habet: licet eam poetæ sæpius pro licentia eis concessa corripiant, absq; vno *alterius*; quod quia solum duabus vicit syllabis, proprium nominatiuum, corripit semper penultimam i. *alius* quoq; semper i penultimam producit in omni casu. Datiuus singularis semper producitur, vt: nostro, illi, illæ: exceptis; mihi, tibi, sibi: quæ indifferenter ponuntur. *Cui* quoq;, & *huic*, & *ei*, monosyllaba esse Priscianus testis, & pleriq; poetarum metris comprobant: vt Virgilius in 4. Æneidos: *Cuiq; loci leges dedimus connubia nostra, Reppulit.* Idem in 1. Georgicon: *huic à stirpe pedes temo protentus in octo.* & vbiq: hoc seruat. Inueniuntur tamen, sed raro, per diæresin bissyllaba facta, & maxime, *ei*, differentiæ causa ne interiectio esse putetur. Sciendumque, quod quando diuisæ fuerint, penultimam corripiunt: *ei* autem, & *eu*, per diæresin diuisas esse, Iuuenalis ostendit in v.

Implet & ad mœchos dat eisdem ferre cinædis.

Statius, in 2. syllabarum, *huic* diuidit.

* Idem.

Falsus hunc pennas & cornua sumere tetra.

In eodem:

Latus hunc dono videas dare iura nepotes.

Cui quoq; in ambabus syllabis corripit Terrencianus de literis: *Verum vt cuiq; est proximus is locus erit.* Idem in eodem: *Ex ordine fulgens cui dat nomen synopes.* est enim sotadeum ex duobus ionicis, a maiore & tribus trochæis: quod sic scanditur: *verum vt cui.* ionicus. *qua est proximi,* ionic. *cui lo.* trochæus. *cus e.* troc. *rit.* * troc. (* Spond.) Item: *ex ordine,* ion. *fulgens cui,* ion. *dat no.* troc. *men sy.* troc. *nopes.* troc. Accusatiuus singularis semper corripitur, vt: illum, illa, illud: excepto, cum, e, litera terminatur, & positione producitur, vt: hunc, & hanc: vel cum, e longa finitur. vt: me, te, se. Vocatiuus quidem regulam sui sequitur nominatiui, vt: tu, o tu. Licet in *us* desinentium pronominum seu nominum vocatiuus in e finiatur: tamen eandem correptam habet. Notandum, quod, *meus*, cum secūdum regulam vocatiuum debuit facere: o mee: euphoniæ causa duas e breues in i longā conuertit. Terentii in Adelphis: *o mi Æschine, o mi germane.* nec ideo æstimandum est ô pronomen esse: quia nomini vel pronomini in vocatiuo casu vice articuli fungitur, cum sine dubio aduerbium est vocandi & optandi: est etiam & interiectio dolentis. nec aliquid interest inter ô hoc vocatiuum, & heus: quomodo enim dicimus, heus iuuenes: sic, ô iuuenes. Ablatiuus singularis semper producitur, vt: à me, ab illo: exceptis his duobus, quę tertiam sequuntur declinationem, vt: ab hoc vel hac vel hoc nostrate, vestrate. Nominatiuus, & accusatiuus, & vocatiuus pluralis tunc tantum corripiuntur, cum a fuerint terminati, vt: illa, nostra. Genitiuus pluralis semper corripitur, vt: nostrorum, vestrorum, illorum, nostrorum: nisi cum i sit terminatus, vt: nostri. Datiuus & ablatiuus, si *s* terminantur, longi sunt, vt: meis, tuis, illis, vobis. Sibus, breues sunt, vt: quibus, nostratib. vestratib. quæ etiam & penultimam corripiunt: vt Virg. in ecloga 6. *Quo cursu deserta petiuerit, & quib. ante.* Verborum itaq; cum multiplex in accidentibus & varia sit de verbo regula: ea tamen, quæ ad vtilitatem metricæ artis pertinent, sic à magistris nobis tradita sint. Vel quantum ipsi inuestigare pro modulo ingenioli nostri potuimus, Lucili, puerorum dulcissime, hoc in loco tibi nunc scribere dispono. Ita vt non solum vltimarum syllabarum, immo etiam penultimarum atq; antepenultimarum rationem, quæ non minus sciri poetis necessaria est, quam nominum (prout breuitas opusculi nos finit) stylo currente diligentius intimare curemus. Tu ergo si * (* Modo.) enim velocis es ingenij, reliqua omnia tunc facilius conijcere poteris, si ista mentius percipere modo studueris. In verbis igitur omnibus hæc in finalibus syllabis breuiantur. *o*, vt: amo, doceo, pono, nutrio, amabo, docebo. quod tamen auctoritas variet. *m*, vt: amabam, docueram, ponam. *r*, vt: amor, docebar, ponerer, nutriar. *t*, vt: amat, docebat, posuerat, nutriret. *us*, vt: amamus, docemus. *re*, vt: amare. *te*, vt: docete. *ru*, vt: ponitis. *stu*, vt: amauistis *ru*, vt: doceris, ponebaris. *se*, vt nutriuisse. Producuntur autem. *a*, vt: ama. *e*, cum in secundæ coniugationis imperatiuo fit. vt doce. *i*, vt: nutri, amaui, amauisti, doceri. *u*, vt amatu. *c*, vt: fac, dic. *as*, vt: amas, docebas, posueras. *es*, vt: doces, amares, posuisses. t autem cum in tertia persona plurali l, vel n, vel s, vel r ante se habet, syllabam facit positione longam, vt: amant, docebant, ponerent, nutrierint: & vult, fert, est. Denique penultimarum atque antepenultimarum notitia à 4. coniugationibus maxime percipitur: quia omnia verba, quæ secundum analogiam declinantur, quatuor coniugationes habent. Prima igitur est coniugatio, quæ in indicatiuo modo, numero singulari, tēpore præsenti, secunda persona, verbo actiuo & neutrali in *as* productam definit. Secundum quidem declinationem, quam ipsa habet in præsenti, omnium coniugationum præteritum imperfectum & plusquamperfectum in indicatiuo, nec non secundæ & tertiæ & quartæ coniugationis optatiuum futurum & præsens subiunctiuum declinantur, vt: amas, amat: amamus, amatis, amant: amabam, amabas, amabat: amabamus, amabatis, amabant: docebam, bas, bat: bamus, batis, bant: ponebam, bas, bat: bamus, batis, bant: nutriebam, bas, bat: bamus, batis, bant. amaueram, amaueras, amauerat: amaueramus, amaueratis, amauerant: docueram, ras, rat: ramus, ratis, rant: posueram, ras, rat: ramus, ratis, rant: nutriueram, ras, rat: ramus, ratis, rant. Doceam, doceas, doceat: doceamus, doceatis, doceant: ponam, nas, nat: namus, natis, nant. nutriam, as, at: amus, atis, ant. & ob id hæc omnia penultimam a in prima ac secunda plurali producunt. Similiter & in verbo passiuo hæc eadem tempora absque præterito plusquamperfecto præsentis temporis declinationem secuntur, vt: amaris, amatur: amamur, amamini, amantur: amabar, baris, batur: bamus, bamini, bantur: nutriebar, baris, batur: bamur, bamini, bantur: docebar, baris, batur: bamur, bamini, bantur: ponebar, baris, batur: bamur, bamini, bantur. Docear, aris, atur: amus, amini, antur: ponar, ris, atur: amus, amini, antur: nutriar, aris, atur: amur, amini, antur. & ob hoc ipsa quoq; penultimam secundæ personæ & tertiæ singularis, nec non & primæ ac tertiæ pluralis productam habent, & secundam personam pluralem in antepenultima producunt.

Secunda ergo est coniugatio, quæ in indicatiuo modo, numero singulari, in stanti tempore, secunda persona, genere actiuo & neutrali *es.* in fine productam habet, * (* Quam.) cui declinationem secuntur in omni coniugatione optatiui modi præsens & præteritum imperfectum atq; præteritum perfectum & præteritum plusquamperfectum, & subiunctiui præteritum imperfectum, & plusquamperfectum, nec non & optatiui futurum & subiunctiui præsens in prima coniugatione, vt: doces, docet, docemus, doceris, docent. amarem, amares, amaret, amaremus, amaretis amarent. docerem, res ret, remus, retis, rent. nutrirem, res ret, remus, retis, rent. amauissem amauisses, amauisset, amauissemus, amauissetis, amauissent. docuissem, ses, set, semus, setis, sent. posuissem, ses, set, semus, setis, sent. nutriuissem, ses, set, semus, setis, sent. amem, ames, amet, amemus, ametis, ament. Hæc quoq; similiter sicut superiora penultimam. e. primæ ac secundæ personæ pluralis ad formam præsentis temporis producunt. Similiter & in passiuo eadem tempora absque præterito perfecto & plusquamperfecto præsentis temporis declinationem imitantur. vt doceris, docetur, docemur, docemini, docentur. amarer, reris, retur, remur, remini, rentur. docerer, doceteris, retur, remur, remini, rentur. ponerer, retis, retur, remur, remini, rentur. nutrirer, reris, retur, remur, remini, rentur. amer, ameris, ametur, amemur, amemini, amentur. Et ista quidem in secunda & tertia persona singulari, & prima ac tertia plurali penultimam longam habent, & antepenultimam in secunda plurali.

Tertia coniugatio est, quæ in secunda persona indicatiui modi, temporis præsentis, singularis numeri, significatione actiua & neutrali *is.* finalem corripit. Ad huius similitudinem declinantur futurum indicatiui prima & secunda coniugatione, nec non & quarta in his verbis, quæ in prima persona præsentis temporis in. *eo.* desinunt. Item subiunctiui præteritum perfectum atque futurum, vt: pono, ponis, ponit, ponimus. ponitis, ponunt. amabo, bis, bit, bimus, bitis, bunt, docebo, bis, bit, bimus, bitis, bunt, ibo, ibis, ibit, ibimus, ibitis, ibunt. quibo, bis. bit, bimus, bitis, bunt. amauerim, ris, rit, rimus, ritis, rint, docuerim, ris, rit, rimus, ritis, rint. posuerim, ris, rit, rimus, ritis, rint. nutriuerim, ris, rit, rimus, ritis, rint, amauero, ris, rit, & rel. docuero, ris, rit & rel. posuero, ris, rit. & rel. nutriero, ris, rit, & rel. * (* Et.) Id ideo hæc in illis locis, vbi superiora producta esse diximus, corripiuntur. Sic & in passiuo, futurum indicatiui in prima vel secunda coniugatione, ad instar præsentis temporis declinantur, vt: ponor, poneris, ponitur, ponimur, ponimini, ponuntur. amabor, amaberis, amabitur, amabimur, amabimini, amabuntur. docebor, doceberis, docebitur, docebimur, docebimini, docebuntur. istaque omnia simili modo corripiuntur, siue i. breuis permanserit, siue se in. e. correptam mutauerit.

Quarta autem coniugatio in indicatiuo præsenti, secunda persona singulari, actiuo genere & neutrali, i productam ante. s. habet, passiuo communi, & deponenti

a[illegible] e nouissimam syllabam, vt nutrio, nutris, nutrit, nutrior, nutriris. hæc & in hoc differt a tertia, quod i longam, quam in præsenti tempore à secunda persona accepit, seruat eam vbique productam. vt in imperatiuo, nutri, nutrito, nutrire, nutritos & in infinitiuo audire vel audiri & in cæteris his similibus. Meminisse ergo debes, quod, sicut neutrum verbum actiui verbi regulam sequitur in omni coniugatione, sic passiuum, commune & deponens, & in hoc eorum potestatem inuestigare per syllabas potes. Notandum autem, quod primæ coniugationis verba non solum illam a. quam ad formam præsentis, in cæteris temporibus secundum prædictam rationem producunt quin etiam illam, quam a præsenti indicatiuo, secunda persona singulari acceperant, siue in penultimam siue in antepenultimam seu in quartã ante finem syllabam veniat, semper eam longam habent: in his videlicet temporibus & modis, quorum verba subter notantur vt a præsenti. donas, donamus, donatis: imperfecto. donabam: perfecto, donaui plusquamperfecto. donaueram. futuro, donabo. Imperatiuo modo præsenti, dona, donate: futuro, donato, donatote, donanto: optatiuo imperfecto & coniunctiuo, donarem: plusquamperfecto, donassem; coniunctiuo perfecto. donauerim: futuro, donauero. infinitiuo præsenti, donare: perfecto, donauisse; & in præsenti indicatiuo genere passiuo donaris, donatur, donamur, donamini donantur. Imperfecto donabar, donabaris: futuro, donabor, donaberis. Imperatiuo præsenti, donare: futuro, donator: optatiuo, præteritoimperfecto donarer, donareris, donaretur, donaremur, donaremini, donarentur. Infinitiuo præsenti. donari; sic & omnia huius coniugationis verba, excepto vno monasyllabo, do, das, quod contra * penultimam in plerisq; corripit. vt in præterito imperfecto, & futuro & infinito & in participio ac supino verbo nisi quando positione producitur, & nomine verbali, vt: damus, datis, datis, datur dabam, dabo, darem, dare. datus, daturus, datũ, datu. dator. & quæ ex his solent fieri, vt dabamini: vbique enim in his breuiatur, *da*, Virg in. i. Aeneid. *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum, vela dabant læti.* In eodem: *Adsit lætitiæ Bacchus dator & bona Iuno.* In eodem; *O passi grauiora, dabit Deus his quoq; finem.* Idem in eodem: *Si datur Italiam focus & rege recepto.* Idem in VI. *Cui datus hærebam custos, cursusq; regebam.* Idem in III. *Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.* Persius, *Quem damus id superis de magna quod dare lance, non possit magni messala* lippa pro pago, Virg. in IV. *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.* Lucanus in IV. *Maxima sed fati ducibus momenta daturum.*

*Regula.

Et secundæ coniugationis verba, similiter illa quæ. e. longam à præsenti indicatiuo, persona secunda singulari originaliter tulerant. vbicunq; eam in modis vel temporibus habent, semper eam producunt, vt: à doces, docemus, docetis. Imperfecto docebam, docebas, & rel. futuro docebo, docebis, & rel. Imperfecto præsen. doce, docete: futuro, doceto, docetote, docento. Optatiuo imperfecto. docerem, doceres & rel. Infiniti. præsen. docere. Item indicatiuo præsenti passiui generis. doceris docetur, docemur, docemini, docentur, Imperfecto, docebar, docebaris, & rel. futuro, docebor, doceberis, & rel. Imperatiuo præsenti, docere, docemini. futuro, docetor, docentor docemimor. Optatiuo vel coniunctiuo imperfecto, docerer, docereris, & rel. Infinitiuo præsenti, doceri. Hæc item. quæ à prima persona indicatiui correpta, e. nascuntur, vbique eam seruant correptam. vt à doceo, imper. præsen. doceat, doceant, & optat. futuro siue coniunct. præsens doceam doceas. & rel. & in passiuo. idem modi & tempora eadem, vt doceatur, doceamur, doceantur, & docear. docearis & rel Hocq; sciendum, quod non tantum hæc coniugatio in prima persona indicatiui. e. ante. o. corripit, immo etiam in cæteris coniugationibus aliæ vocales ante o similiterq; corripiuntur In prima coniugatione. e. vel. o. vt inchoo, meo, creo. In tertia i. vel u. vt facio, ruo induo. In quarta quoque similiter i. breuiatur. vel e. vt eo & audio. Fit hoc non in his solum, raro enim in latinis dictionibus vocalem penultimam ante alteram vocalem productam inuenies. Ideo autem diximus, *raro*, quia in fio verbo auctores producunt p[illegible] i[illegible] imam. vt Virg. in Bucolicis: *Omnia vel medium fiant mare, viuite siluæ.** Itimo terminantis genitiui penultima anceps, sicut iam ante commemorauimus. In græcis autem dictionibus sæpe hoc inuenitur, vt Menelaus, Spondæus, diacamilla. Tertia quoq; coniugatione persona singularis indicatiui præsentis, in. is. breuem finiatur. notandum, quod omnia verba huius cõiugationis, si. i. breuem in fine verbi vel in medio in. e. mutauerint, vbiq; eam corripiant. vt: legis, lege, legere. legeret, excepto cum a tribus in medio verbi excipitur consonantibus: b. m. vel. t. vt legebam, legebar, legemus, legemur, legetur. Cæterum. i. in medio verbi positam, vbique breuiant, vt legimus, legitis, legite, legito, legitur, legimur, legimini, & rel. Quæ autem in quarta coniugatione à secũda persona indicatiui præsentis nascuntur, sicut supra diximus, i. semper longam habent. vt in indicatiuo, ab audis, audimus, auditis. Imper. audi, audite, audito auditote. Optat. audirem, audires, & rel. Infinitiuo. audire. & in passiuo præsentis indica. audiris, auditur, audimur, audimini. Imp. audire, auditor. Opt. vel coniunc, audirer, audireris, & rel. Infinit. audiri Quæ. u. à prima persona generantur i. semper breuem habent, vt in præsenti indicat. tertia persona pluralis audio, audiunt, & in futuro eiusdem modi, audiam. audies, & rel. Imper. præsen. audiat, audiamus, audiatis audiant & fut. audiunto vel audiuntote. Optat. vel cõiunc. imper. audiam, audias, & rel. Et in passi. eisdẽ modis & temporibus, vt audiuntur, audiar, audieris, & rel. audiatur, audiamini. audiãtur, audiuntur, audiar, audiaris, & rel Quod maxime in his verbis quartæ coniugationis, quæ in eo in prima persona indicatiui desinunt. ostenditur; quia quæ à secunda persona nascuntur, i. longam habent, vt is, imus itis, ibam, ibas, iui, iueram, ibo. ite, & rel. Quæ à autem a prima e. correpta pronunciantur, vt eo, eunt, eam. eas. & rel. Notandum ergo est, quod præteritum imperfectum tertiæ vel quartæ coniugationis indicatiuomodo non a secunda persona, vt primæ vel secundæ coniugationis, venit, vt amabam, docebam, sed à prima, o. finali in. e. longam conuersa, & addita bam, vt faciebam, induebam, legebam, & audiebam, seruiebam, muniebam; vocali tamẽ, vbicunq; ante. e euenerit, correpta. Si autem in quarta coniugatione. e. per syncopam abstracta fuerit, i produ itur, vt audibam, venibam, ibam. Præteritũ ergo perfectum in actiui verbi declinatione, prima persona indicatiui, in. i longam terminat, quam & natura productam habet eodem tempore in penultima secundæ personæ singularis atque pluralis, vt amauisti, amauistis. In tertia quoq; persona singulari, vt in prima plurali eam corripit, vt amauit amauimus. In tertia vero plurali, eamdem. i. productam, in. e. longam in penultima conuertit, vt amauerunt vel amauere, docuerunt vel docuere. Et sciendum, quod præteritum plusquamperfectum indicatiui modi, & præteritum perfectum subiunctiui modi, atque futurum ex supradicto tempore nascitur, i. longa in. e. breuem conuersa per omnes coniugationes, & omnibus personis, atque vtroque numero vt amaui, amaueram, amauerim, amauero. Nec non & præteritum plusquamperfectum optatiui siue coniunctiui, & ex eis veniens præteritum infinitiui, ex eodem tempore nascuntur, vt: vtinam vel cum amauissem, amauisse, docuissem, docuisse; hæc & natura & positione. i. longam habent. Penultimas igitur syllabas supra memorati temporis, id est, præter. perfect. indicatiui modi primæ personæ singularis ante. i. finalem, quales sint, non parum iuuat cognoscere, maximecum ad originem eius cæterorum modorum omnia præter. perfecta siue plusquamperfecta respiciant, & eius qualitatem in his syllabis, quæ incorruptas ab eo acceperant, seruant. In ui. ergo syllabam terminantium omnis penultima longa est, vel natura, vel positione, vt amaui, laui, voui, moui. cupiui, muniui, audiui. Tertia vero & quarta coniugatione in. iui. desinentia verba, si. u. consonans intercipitur. corripiunt. i. penultimam, vt cupiui, cupij, arcessiui, siui, sij, muniui, munij, audiui, audij. In. u. i. diuisas omnium coniugationum ver-

*For. & in ius.

ba inueniuntur terminantia, primæ, vt tonui, secui; secundæ vt tenui, habui; tertiæ, vt annui, posui; quartæ, vt vt aperui, prosilui. Omnis autem penultima huius formæ, id est, in. u.i. diuisas desinentium corripitur. In si terminantium perfectorum penultimæ, vel natura, vel positione producuntur; natura, vt rideo, risi, suadeo, suasi, euado, euasi, haurio, hausi; positione, vt maneo mansi, repo, repsi. Et in xi. terminātia præterita, penultimā semper producūt, vt frigeo, frixi; pelliceo, pellexi; pergo perrexi; diligo, dilexi; sancio, sanxi, vincio, vinxi. Bibo quoq; bibi tertiæ coniugationis verbum & ex eo composita, vt ebibo, & in præsenti & in præterito corripiunt penultimam. Scindo enim & findo etiamsi in præsenti positione sint longa; in præterito tamen penultimam .i. corripiunt, vt scidi, fidi. Sic & contingo, contigi, attingo, attigi. Primæ quidem coniugationis duo monosyllaba, sto & do, corripiunt penultimas in præterito, vt steti, dedi. Sic & ex eis composita, vt resto, restiti, reddo, reddidi.

Tertiæ autem quædam in principio syllabas repetunt, quædam in fine. In principio repetentia si in præsenti penultimam breuem habuerint, in præterito quoque corripiunt eam, vt cado cecidi. cano, cecini, pario, peperi. Sin longa sit in præsenti penultima naturaliter, in præterito quoque producitur, vt cædo cæcidi, pedo. pepedi. Si positione sit penultima in præsenti longa, est, quando seruatur in præterito; quando abiecerit consonantem, corripitur. Seruatur in his: posco, poposci, parco, peperci, fallo, fefelli, tendo, tetendi, pendo, pependi, curro, cucurri. abiecta consonante corripitur in his, disco, didici, pello, pepuli tango, tetigi pango, pepigi, pungo, pupugi, tundo, tutudi. Quæ autem in fine repetunt. penultimam semper corripiunt, vt credo, credidi, vendo, vendidi, perdo, perdidi, prodo, prodidi, condo, condidi, addo, addidi, abdo, abdidi, abscondo, abscondidi. A pario vero composita tria quarti ordinis verba, vt, reperio, comperio, deperio, corripiunt penultimam in præterito, vt reperi, comperi, deperi, nec non & ista, & omnia, quæ ex eodem verbo videntur esse composita, natura semper. pe. syllabam breuē habent, in quocunq; sit loco, vt aperio, aperui, cooperio, cooperui, experior, operior. Lucanus in 4. *Tradimus hesperias gentes, aperimus eoas.*

DE ANOMALIS.

IN anomalis nempe rationem producendi vel corripiendi, prout possumus, nūc breuiter pandemus. Fero, verbum inæquale, generis actiui, primam syllabam semper breuem habet in omnibus modis & temporibus, excepto, quando positione producitur. In secunda n persona singulari præsentis indicatiui syncopam facit, id est, cōcisionē, vt fero, fers & ob hoc omnia, quæ à secunda persona nascūtur, seruant eius cōcisionem, vt fers, fert, fertis. fer, ferre, ferro, fertote. ferre. Et hæc cuncta, excepto vno, fer, præsentis imperatiui singularis, positione longa sunt. In aliis quoq; omnib. modis, temporib. & personis tertiæ coniugationis rationē seruat, videlicet quia quæ à prima persona accipiunt regulam, rectam declinationem secūtur, vt fero, ferebam, feram. Nam præteritum perfectum abusiuum habet, id est, tuli. quod alterius verbi perfectū est, id est, tollo, tollis, tuli, facit, hoc tamen præteritum & omnia, quæ à se nascuntur, primam syllabam corripiūt, vt tuli, tulisti, & tulerā, tuleras, tulissem, tulisses, tulerim, tuleris, vel tulero, tuleris. tulisse. In passiuo quoq; similiter corripitur, nisi quādo positione producitur & redit ad analogiam, declinaturq; secūdum regulam prædictæ cōiugationis, nisi quod in præterito & his, quę ex hoc nascūtur, literaturam mutat. Nam facit indicatiuo præsenti, feror, fereris fertur, ferimur, ferimini, ferūtur. præteritum imperfectum, ferebar, ferebaris, & rel. præteritum perfectum, latus sum, es, est. & rel. Sic omnia secundum analogiam declinantur; istud tamen pręteritum primis syllabis producendum esse, ostendit participiū pręteritum, à quo est compositum. Lucanus in IV. *orant cecropia pralata fronde Minerua.* Et in eodem, *Et post trāslatas exusta Phocidos arces.* Notandum vero, quod aufero, affero, infero, suffero, cōfero, profero. præfero, trāsfero, circumfero, antefero, & omnia, quæ ex hoc verbo videntur esse cōposita, eius declinationem in vtroq, genere seruant. Volo quoq, verbū neutrale, siue primas syllabas in. e. mutet, siue cum. o. seruet, easdem tn̄ semper corripit natura, vt volo, volumus, volui, volueram, voluerim, voluero, & cæt. velim, velis, velit, & rel. In quib. tamen. e. positione producitur vt vellem, velles, & rel. Secunda namq; indicatiui persona singularis in præsenti producitur natura. id est, vis. Et in optatiuo futuro. siue coniunctiuo præsenti finalem syllabā secundæ personæ singularis, & penultimam primæ & secundæ pluralis, simili modo natura producit. velis, velimus, velitis: in cæteris vero pluralis numeri, siue. u. sit penultima, vt volumus, siue. i. vt voluerimus, semper breues sunt vbi autem forma sit primæ coniugationis, vt volebā. volueram, vel secundæ, vt vellem, velles. voluissem, voluisses; illarum coniugationum regulam sequuntur. quarum formam habent. Ex hoc igitur verbo composita sunt alia duo verba, id est, nolo. & malo. Nolo vero ex non & volo, & ideo iuxta suum simplex. in prima parte semper producitur. Martialis in Epigrammatis; *Vt recitem tibi nostra epigrammata nolo, Non audire celer, sed recitare cupis.* Et Albanus in monasticis: *Omnia, quæ dicunt homines, tu credere noli.* Malo quoq; ex magis & volo compositum ē: ma, tamen producta. Virg. in Georg. III. *Et quos aut pecori malint summittere habendo.* Edo quidem * anomale gen[...]actiui secundam personā corrumpit, vt, es. e. tamē longa ante. s. & in omnibus personis vel temporibus, quæ solent ex hac secunda nasci persona, corruptam inuenies regulam coniugationis. es. tamen productam, quā à secunda acceperunt persona, seruatam vbique: es, est, este, esto, estote, essent, esse: tamē in plurali numero præsentis indicatiui seruat regulam tertiæ coniugationis & vbiq; correpta, vt edimus, editis, edunt. Similiter in præter. imperf. & futuro, edebā, edam, & in omnibus, quæ solent à prima nasci persona, hoc est. in tertia persona imperatiui, vt edat, & in futuro optatiui qui est ēt subiunctum præsens, edam, edas, edat, & rel. prima syllaba correpta, vt Martialis de palumbe.

Inguina torquentes tardant hebetantq; palumbi,

Non edas hanc volucrem, qui cupis esse palax.

* Anomalum.

Ex hoc vtiq; verbo deriuantur, comedo, ambedo, abedo, circumedo, & eius declinationem in vtroq; genere seruant. Sciendum tamen, quod veteres istud verbū non corrupte, sed integre secundum tertiam coniugationem declinabant, vt edo, edis, edit, correpta prima syllaba, & rel. Cato ad filium de oratore. *Lepus multum somni affert, qui illum edit.* Et Virg in IV. Georg.

Quis dubitet? nam sæpe fauos ignotus adedit

Stellio. Et Martialis: *Ipse suas nunquam barbarus edit aues:* e. vbiq; longa. Sum itaq; verbum substātiuum anomale per omnes modos numeros & personas, primas syllabas breues natura habet vt sum, es, & sumus. Imperfecto, eram, eras, & rel. perfecto, fui, fuisti, fuit, fuimus, & reli. Plusquamperfecto, fueram, fueras & rel. Futuro ero, eris erit, & rel. Optatiuo, fuissem, fuisses, & rel. Coniunctiui perfec. fuerim, plusquamperfec. fuissem; fut. fuero: excepto vno futuro tantum optatiui vel præsenti subiunctiui, vt sim, sis, sit, simus, sitis. sint: quod secunda persona singulari producit monosyllabum, & in prima atq; secunda plurali penultimam. Fit tamen & in hoc verbo aliquib. personis productio positionis, & in tertia persona præsentis indicatiui, vt, sunt: siue secunda persona pluralis, vt estis, & imperat. fut. secunda persona, esto, estote. & præsenti optat. essem, esses, esset, & rel. Infinitiuo præsent. esse. Similiter & quæ ab eo composita eius declinatione dinoscūtur vel producta vel correpta esse. vt possum, assum, præsum, desum, absum, intersum, prosum, supersum; quod plurimis exemplis probari potest. Martialis in epigram.

Et cantas belle, & saltas Attice belle:

Bellus es arte lyra, bellus es arte lyra.

Idem in eodem: *Nunquid securus non potes arrigere.* Virg. in Buco. *Huc ades ô Galatea, quis est nā ludus in vndis?* Et idem. *Huc ades: insani feriant, sine, litora fluctus.* Idem in eodem: *Non omnia possumus omnes.* Et idem: *Hæc tibi semper, & cum solemnia dona.* Item: *Hic tamen hac mecum poteras quiescere nocte* Item:

Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo. Memini quoq; & odi in indicatiuo tam præsentis téporis quam præteriti vim habet vltima producta. In cæteris autem temporibus & modis tertiam coniugationem sequuntur. Nam noui præsens nosco facit.

DE GERVNDIIS.

Gerundia vel participialia vel supina, quinque sunt in huiusmodi vocibus, vt amandi, amando, amandum, amatum, amatu. De vltimis eorum syllabis iam diximus, nunc vero de penultimis dicendum est, quia non minimum ad illuat eas sciri, cum participia præteriti & futuri temporis inde veniant, vt amatu, amatus vel amaturus, & nomina verbalia, vt auditor, auditio. Regula enim quædam aliarum partium hinc videtur oriri, quæ ad medias syllabas cognoscẽdas promptissima sit, & totius rationis perspicacissima norma, de quo manifestius in sequentibus dicemus. Tria igitur priora supina penultimas positione semper producunt, licet vocalis natura sit correpta vel producta, per omnes cóiugationes, vt amandi, amando, amandum; monendi, monendo, monendum; gemendi, gemendo, gemendum; nutriendi, nutriendo, nutriendum. Sequentia autem duo dehinc exponentur. Omnia primæ coniugationis verba, quæ in. ui. præteritum terminant. ui. in tum conuertentia faciunt supina penultima producta, amaui, amatum; donaui, donatum; oraui, oratum; flaui, flatum; iuui, iutum, & ex eo adiuui, adiutum, nec non & in cæteris coniugationibus quæcunque in præterito, in supra dictam syllabam terminant, id est, ui. vel ij omnia penultimam producunt in supino, vt moui, motum, neui, netum, faui, fautum, cupiui, cupitum, solui, solutum, volui, volutum, calui, calutum, audiui vel audij, auditum. muniui, munitum; exceptis his, liui, litum, siui situm, iui, itum, quiui, quitum, ciui, citum, seui, satum, cognoui, cognitum, agnoui, agnitum, & ex eis composita, obitum aditum, præteritum nequitum. Ab ambio quoq; supinum vel participium producit penultimam i. Ouidius in I. Metamorphoseon: *Iussit & ambita circundare litora terra*: quando nomen est, eandem corripit. Quæ vero in. ui. diuisas in præte. desinunt, si non positione producuntur in supino, vt secui, sectum, mico, micui, mictum, docui, doctum, tenui, tentum, rapui, raptum. aperui, apertum, vel. u. penultimam habent, vt acui, acutũ, indui, indutum; cætera omnia corripiuntur, vt vetui, vetitum, crepui, crepitum, candui, canditum, studui, studitũ, habui, habitum, monui, monitum, vomui, vomitum, gemui, gemitum, fremui, fremitum, tremui, tremitum, & vnum. u. penultimam habens breuem, rui, rutum, & ex eo composita, vt obrui, obrutum, dirui, dirutum, erui, erutum. In. si quoque vel in. xi. terminantia * præteritum penultimam supini aut natura aut positione semper producunt, vt risi, risum, indulsi, indultum, vel indulsum, lusi, lusum, læsi, læsum, vssi, vstum, luxi, luctum, auxi, auctum, duxi, ductum dixi, dictum, vinxi, vinctum, sanxi sanctũ, flexi, flexum, fluxi, fluxum. Steti vero statum supinum, penultima producta debet facere, vnde Lucanus in II. *constatura fides superum.* cum datum & datus, sicut superius ostendimus, corripiat a. penultimam. Est tamen in hoc quoq; notandum, quod nomina ab eo deriuata. a. penultimam vel antepenultimam corripiunt, vt status, stata, statum, stabilis. Lucanus in X. *Quorum stata tempora flatus.* Idem in V. *Quam non stabili tremulo sed culmine cuncta Despiceret.* Cõposita ab eo varie vetustissimi protulerunt, asto, astitum, & astatũ, præsto, præstitum, & præstatum: i. correpta, & a. producta. Et sciendum, quod in nullo alio supino siue participio seu nomine participiali. a. penultima corripitur, nisi in supra dictis duobus, id est, datus & status, ab vno verbo deponenti secundæ coniugationis, id est, reor, ratus, atq; vno tertiæ coniugationis, actiuo, sero, seui, satum, satus. Difficile enim inuenies, e. verbi in a. conuerti participium siue supinum, nisi in supra dictis. In compositione vero supra dictorum supinorum siue participiorum in. i. conuertitur correptam; satus, insitus, obsitus. Virg in II. Georgic. *Vertere in alterius mutatamq; insita mala ferre pirum.* In. di. desinentia præterita vel in sum terminant supinum, & positione penultimam producunt, vt fodi, fossum, prandi, pransum, pandi pansum, defendi, defensum, momordi, morsum, sedi, sessum scidi, scissum, fidi, fissum, vel in itũ, breui penultima, & maxime in his verbis, quæ iterationem nouissimæ syllabæ in præterito faciunt, vt reddidi, redditum, credidi, creditum, perdidi, perditum, condidi, conditum, vendidi, venditum. Vidi quoq; & eius composita prouidi & inuidi, penultimã in supino natura producunt, visum, prouisum, inuisum, fudi, fusum. u. longa. In. gi. quoq; finita verba in præterito. i. penultimam in supino breuiant, vt, fugi, & ex eo cõpositа, confugi, perfugi, refugi, faciũt, fugitum, confugitum, perfugitum, refugitum, legi quoq; lectum facit, egi, actũ, fregi, fractum, & ex eis composita, vt collegi, collectum. In. bi. desinens præteritum, corripit penultimam in supino, bibi, bibitum, ebibi, ebibitum, cõpesco & * depesco, & posco, & disco, à præsenti tempore faciunt supinum mutatione. o. in. i. correptã & additione tum, posco, poscitum, compesco, compescitum, & * depesco, depescitũ, disco, discitum. Peperci vero vel parsi, parsum facit. Feci & ieci, factum & iactum, ici, ictum, reperi vero & comperi, & cætera eiusdem originis positione in supino producunt penultimam, vt compertum. repertum, expertum, opertum. Deponentia quoque vel communia quædam sunt, quæ in supino penultimam natura producunt, quædam natura corripiunt, quædam positione tantum, quædam natura simul & positione eam longam habent, sed positio plana est. Cæterum quæ natura vel producit vel corripit, exponemus. Omnia autem deponẽtia vel communia, quæ penultimam. a. in supino habent, producunt eam, vt irascor, iratum, criminor, criminatum; excepto vno, quod supra commemorauimus, reor, ratum. Quæ vero habent. i. correptam in penultima, secundæ sunt vel tertiæ coniugationis, vt vereor, veritum, intueor, intuitũ, polliceor, pollicitum, adipiscor, adipiscitum, obliuiscor, quoq; debuit facere obliuiscitum, sed per synæresin facit oblitum. i. producta. Cætera enim, quę. i. producũt, quartæ sunt coniugationis, vt mentior, mentitum, metior, metitum, largior, largitum. Quæ autem dubia sunt inter tertiam & quartam coniugationem, aliquando auctores producunt, aliquando corripiunt, vt potior, orior, morior. Virg in III. Æneid. *Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat & auro Vi potitur.* Idem in II. *Telis nostrorum obruimur, oriturq; miserrima cædes.* Lucanus in IV *Non gratu moritur, iugulo qui prouocat hostem.* Neuius in Iliadis II. *Penetrat penitus, thalamoq; potitur.* Lucilius in III. *Conturbare animã potuest, quicunq; adoritur* Ennius in XIV. Annalium: *Nunc est illa dies, cum gloria maxima sese nobis ostẽdat si viuimus, siue morimur.* Supina eorum sunt, ortum, potitum, mortuum, i. penultima vel secundum tertiam coniugationem correpta, vel secundum quartam producta. Ergo quæ. u. penultimam habent in supino, eandem producunt, vt loquor, locutum, sequor, secutum, vtor, vsum, & ex eis composita, vt alloquor, allocutum, consequor, consecutum, abutor, abusum. Quæcunque enim de anomalis faciunt supina, aut ea positione producunt, vt tero, tersum, volo, vultum, aut natura. vt edo, esus, & ab eo composita, vt comedo, comesus, ambedo, ambesus, adedo, adesus. Virg. IX. *Et postibus hæsit adesis.* Idem in III. *Ambesas subigat malis consumere mensas.* Huius tamen verbi & aliud supinum inuenitur, hesitus i correpta, quod ab edo, edis, edit, venit integra declinatione. Sciendum autem, quod in um. desinens supinum accepto verbo infinito quod est, ire, facit infinitum futuri, vt, oratum ire, doctu ire, lectum ire, auditum ire, frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant esse, & infinitum futuri significabant, vt oraturum esse, pro oratum ire dicentes, & facturum esse pro factum ire.

DE ADVERBIIS.

Aduerbiorum ergo per singulas terminationes necesse est ita formas inspicere, vt quæ sint primitiua, quæue deriuatiua, diligenti cura intimemus, vt inde productionis regula vel correptionis manifestius eluceat. A. igitur terminãtia vel primitiua sunt, vt, ita. quæ solum à correptã habet, quamuis quidã *puta* quoq; aduerbiũ esse accipiant, ideoq; Persiũ id corripuisse, vt. *Hoc puta non iustũ est*, illud

* Præterita.

* Deposco.

* Deposco.

illud male, rectius illud. Vel composita, vt præterea, interea, postea, antea, quæ omnia producunt, a terminalem, vel ablatiui sunt nominum, qui pro aduerbiis accipiuntur, vt, vna, qua, nequa, Roma, quæ a longam nemo habere dubitat. In e correptam, vel primitiua sunt, vt pone, pene, prope, nempe, quippe, sæpe, inde, & ex eo composita, deinde, subinde, exinde, proinde, quæ omnia antepenultimam habent acutam, siue quia per adiectionem habent, de, vt quibusdam videtur, vnde frequenter inuenimus, exin & dein. Virg. in 7. *Exin gorgoneis allecto infecta venenis*: seu magis, quia præpositiones separatæ grauantur: vt autem coniunctæ esse ostendantur, acutum in his assumpserunt accentum, quomodo coniunctio. si & ne aduerbium, cum præponuntur quando, vt siquando, nequando. Nam aliquando differentiæ causa, ad aliquanto, quod consimilem sonum habere videntur, acuit antepenultimam. Vel deriuatiua sunt à verbis, vt peragro, peregre, punio, impune, abundo, abunde, rito, vnde irrito, rite. Nomina quoque pro aduerbiis in e correptam desinentia inuenimus, vt facile, forte, sublime, quamuis facile & sublime accusatiui sint, forte autem ablatiuus, sic etiam sponte sua, & mane primo nomina esse ostenduntur coniunctione aliorum casualium, vt domi suæ, pote enim ab eo, quod est potis nascitur, vt hic & hæc potis & hoc pote. Vnde Persius: *Qui pote vis dicam nugaris cum tibi calue*, id est, quomodo possibile? Ab eo autem quod est hic & hæc potis & hoc pote, fit comparatiuum, hic & hæc potior, & hoc potius, & superlatiuus, vt, potissimus, ex quibus etiam aduerbia, potius, & potissime, sunt, & à pote vtpote compositum aduerbium. In e productam primitiua non inueni, sed deriuatiua à nominibus secundæ declinationis, quorum datiuus in o desinens, in e longam vertitur, & facit aduerbium, vt huic claro, clare, pigro pigre, pulchro pulchre, à valido, valde per syncopam, affabro, affabre, sano, sane, fero, fere. Excipiuntur bene & male, à bono & malo, in e breuem desinentia, quæ inæqualiter comparantur, vt bene, melius, optime; & quæ in comparatione deficiunt, vt pie, piissime, vlterius, vltime, nouissime. Multa autem ex supra dictis nominibus ipsa terminatione datiui pro aduerbiis accipiuntur. vt falso, consulto, postremo, sedulo, auspicato, augurato, manifesto, priuato, precario, merito, & sæpe corripiunt o terminalem, quando in aduerbij significationem transeunt, vt cito, sero, modo. Iuuenalis in 3. *Et cito rapturus de nobilitate comesa Quod super est.* Virg. in 4 Æneidos: *Tu modo posce deos veniam sacrisque litatis.* Statius in Thebaidos 1. *Sero memor thalami mœstæ solatia mortis Phœbe paras.* Necessario dicitur. & necesse eget verbo substantiuo. A quintæ quoque declinationis nominibus composita, e producunt, pridie, hodie, postridie; meridie quoque pro aduerbio accipitur, cum sit nomen. In i quoque productam desinentia inueniuntur aduerbia, sed pauca primitiua, vt heri. Alia vero nomina sunt loco aduerbij posita per genitiuum pleraque, vt domi, Taurominij, Lampsaci, Tyri, Ephesi, belli: per datiuum, vt vesperi, forti; nec non etiam
* Pro. per ablatiuum, vt quî,* per quomodo vel inde. In i correptam duo inueniuntur: vbi, & ibi, & ex eis composita, vt sicubi, inibi. In o primitiua quidem, vt quando, temporale, & ex eo composita, siquando, nequando, aliquando, quæ antepenultimam habent acutam, ne duæ partes vt supra dictum est, esse putentur diuisæ, vel indifferentiæ causa. Deriuatiua vero à facto, fatuito, ab omni, omnino à fortuitus fortuito, à cis, citro, & citra, ab in, intro & intra, infra. Sunt etiam composita, præsto, perfecto. Alia vero nomina sunt vel pronomina aduerbialiter prolata, vt supra ostendimus, falso, merito, subito sedulo, cito, sero, vero. vtro, vtroque, aliquo, eo illo. Sed quando pro aduerbiis accipiuntur, inueniuntur interdum corripientia o, quia in verbo & in aduerbio o indifferens habetur. In u pauca inueniuntur denominatiua, vt diu, & ex eo compositum interdiu, & à nocte, noctu, nam astu, nomen est indeclinabile, quomodo cornu. In æ diphthongon nomina sunt genitiui casus, loco aduerbij posita, vt Romæ cosæ, capuæ. In c primitiua inueniuntur, sic, donec quod etiam *donicum* antiqui dicebant; & deriuatiua pronominum, illic, istic, huc, illuc, istuc hinc illinc, istinc, hac, istac, illac, & omnia vel natura vel positione producunt extremam syllabam, excepto donec, & in hinc circumflectuntur, si vocalem longam natura habuerint, composita quoq; inueniuntur vt adhuc, abhinc, dehinc. In l correptam pauca inueniuntur, vt semel pol, ædepol, & vel coniunctio, quando pro valde accipitur. Nam omnia, quæ in m desinunt aduerbia breuia sunt, quælibet vocali antecedente, vtinam primitiua clam, coram, deriuata vel composita, nequicquam nequaquam, penultima producta, præterea, quam, quando est similitudinis, vel comparationis, siue electionis aduerbium accipitur. Virg in 12. *Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto.* Salustius *Mare ponticum dulcius, quam cætera maria.* Bifariam etiam & trifariam, & omnifariam, composita sunt à ferendo & præpositis dictionibus. In em primitiua, item, tandem, composita, vt idem, ibidem, indidem, identidem. In im denominatiua inueniuntur & verbalia siue participialia, vt à parte, partim, à viro, viritim, à vice, vicissim, ab ostio, ostiatim, à statu, statim, à raptu, raptim, à saltu, saltuatim, à cursu, cursim, à stricto, strictim, à sensu sensim, à singulis singillatim, à fatu, affatim vel magis à græco, [illegible], id est, abunde, vnde & corripitur fa, à priuato, priuatim, à paulo, paulatim, à singulo, singultim, à tractu, tractim, à carpto, carptim, à ducto, ductim, præsertim, confestim. In um primitiua pauca sunt, iterum, sursum, rursum, & rursus, prorsus, & prorsum. Deriuatiua vel composita dextrorsum, sinistrorsum deorsum, orsum, Orientem versum, Occidentem versum, deorsum, hæc enim composita videntur esse, cum sub vno accentu proferantur; melius tamen dicimus quod inclinant sibi supra posita nomina. Similiter actutum deriuatum ab actu, id est, celeritate. Virg. in 8. *Tam cætera reddet Actutum pius Aeneas, atque integer Aeneas carius.* Nomina quoque neutri generis loco aduerbiorum in eadem terminatione inueniuntur. vt multum, primum, nimium, parum, pro paruum. In n duo inueniuntur productam, vt non, en; in n correptam cætera, vt forsan, forsitan. In r desinentia omnia corripiuntur primitiua, cur & per; quando pro valde accipitur. Deriuatiua à nominibus vel participiis tertiæ declinationis veniunt in ter exeuntia. sed si in ens desinat nominatiuus, is genitiui in r conuertunt vt sapiens, sapientis, sapienter, prudens, prudentis, prudenter. Alia vero assumunt datiuo ter penultima correpta, vt fortis, forti fortiter, vtilis, vtili, vtiliter, audax, audaci, audaciter, vel per syncopam audacter. Excipitur facilis, quod pro faciliter, facile aduerbii loco habuit in vsu e breui. Difficilis autem difficulter facit. Aliquando autem nomina neutra pro aduerbiis veteres vsurpabant, vt sublime volans, pro sublimiter, & vtile, acutile, pro vtiliter, acutiliter. Notandum autem, quod in hac terminatione ea aduerbia, quæ a secunda declinatione veniunt, extra hanc regulam in e productam sicut & in r correptam desinunt, vt a duro, dure, duriter, à largo, large, largiter, ab humano, humane, & humaniter, ab inhumano, inhumane, & inhumaniter, à firmo firme, firmiter. Sic & alia inueniuntur, vt insane, insaniter, seuere, seueriter, benigne, benigniter, aspere asperiter, proterue, proteruiter: quæ tamen vsus ita dicere modo respuit. Præterea à tribus & quatuor nascuntur aduerbia ter, & quater sunt & composita, vt obiter paulisper, tantisper, parumper. In as productam primitiuum cras, & denominatiua in hac terminatione inuenio extrema circumflexa, vt alias. In es productam, sodes, hercules. & numeri aduerbia, id est, quæ à numeris nascuntur, scilicet à quinque vsque ad mille, vt quinquies, sexies, decies, vicies, centies, quingenties, millies. In is correptam, bis & nimis, quod etiam nimium dicimus. Satis, quod etiam loco nominis positiui accipitur, & quod comparatiuum recipit, vt, satius pro melius. Iuuenalis in 3. *Hoc satius, quam si dicas sub iudice vidi.* In us vnum longum, primitiuum, plus. In us correptam primitiua, vt penitus, rursus, prorsus, secus: deriuatiua, vt à cœlo, cœlitus, à stirpe, stirpitus, à fundo, funditus, à radice, radicitus, ab humano, humanitus diuino, diuini-

tus; dicitur tamen & diuine, & humane, & humaniter. Eminus quoque & comminus localia sunt. Aduersus quoque, quod etiam nominatiuus est, quomodo nullus, pro minime, & omnia comparatiua, quę nominum comparatiuorum generis neutri similia sunt, vt doctius, clarius, prudentius, otius, satius, fœlicius, sapientius, nec non & illa, quæ quamuis à nominibus non deriuentur, tamen habent comparatiua vel diminutiua, vt sæpe, sæpius, sæpissime, vltra, vlterius, vltime, vlterior, vltimus. Non enim huiuscemodi aduerbia à nominibus, sed ab aduerbiis nomina nascuntur, supra, superius, supreme, superior, supremus, citra, citerius, citime, citerior, citimus, extra, exterius, extreme, exterior, extremus, infra, inferius, infime, inferior, infimus, diu, diutius, diutissime, diutior, diutissimus, nuper, nuperius, nuperrime. Positione longa inueniuntur aduerbia, in rs vt fors. Virg. in 11. *Fors & vota facit cumulatque altaria donis*. quod similiter sicut forsan, forsitan, forte, fortasse, fortassis, à forte nomine deriuatur, & fors quidem & forsan, & forsitan, dubitandi sunt, forte vero, euentus, pro fortuito, fortasse autem & fortassis pro temere. In ns, vt, toties quotiens, multotiens, aliquotiens. In x, vt vix, mox, pax, quod est græcum, quando significat, tantummodo. In nc, nunc, hinc, illinc, istinc. In ps, deinceps.

DE PARTICIPIO.

PArticipiorum igitur omnium nouissimæ syllabæ secundum regulam nominum per omnes casus, i.e. præteriti temporis & futuri secundum mobilia nomina, vt iustus, iusta, iustum, amatus, amata, amatum, amaturus, amatura, amaturum, amandus, amanda, amandum, præsentis vero secundum fixa declinantur, vt, infans, infantis, emens, ementis, amans, amantis, docens, docentis, legens, legentis, audiens, audientis, & ex eorum ratione participia per casus & genera, producendi & corripiendi regulam sumunt. Penultimarum namque & cæterarum syllabarum cognitio à verbis percipitur, vnde deriuantur. Fit autem participium præsentis temporis a præterito imperfecto indicatiui modi, mutatione extremæ syllabæ, id est, bam in ns, vt amabam, amans, docebam, docens, legebam, legens, faciebam, faciens, muniebam, muniens, exceptis in eo desinentibus quartæ coniugationis verbis, quæ contra aliorum regulam, i habent ante bam, productam, vt ibam, quibam, quod etiam in aliis verbis solet fieri, vt polibam pro poliebam, insignibam, pro insigniebam, nec tamen id prohibuit participia ad perfectorum regulam nasci, dicimus enim iens, audiens, quiens, poliens, insigniens. Hæc tamen eadem participia, quæ à verbis in eo desinentibus quartæ coniugationis nascuntur anomale per obliquos casus, pro ie, eu habuerunt, iens, euntis, quiens, queuntis. & ex eis composita, vt prodiens, prodeuntis, nequiens, nequeuntis. Futuri vero temporis participia, si sint à verbis actiuis vel neutris, vel deponentibus, fiunt ab extremo supinorum, addita rus, amatu, amaturus, doctu, docturus, lectu, lecturus, auditu, auditurus, statu, staturus, cursu, cursurus, molitu, moliturus, *vertitu, vertiturus. A communi quoque verbo, quod in futuro tempore duo habet participia, vnum quidem actiuum rus, alterum vero passiuum in dus: illud quod in tus desinit secundum prædictam fit regulam, criminatu, criminaturus, illud autem, quod in dus, passiui futurum sequitur. Passiua vero eiusdem temporis participia fiunt à præterito participij præsentis temporis, tis finali in dus conuersa, amans, amantis, amandus, docens, docentis, docendus, legens, legentis, legendus. audiens, audientis, audiendus, transiens, transeuntis, transeundus. præteriens, prætereuntis, prætereundus. Præteriti enim temporis participia, quæ in tus, vel sus, vel xus desinunt, similiter à supino extremo fiunt, additas & correpta u. Nascuntur autem à verbis passiuis & communibus & deponentibus & neutropassiuis, & quibusdam neutris. A passiuis, vt amatu, amatus, domitu, domitus, doctu, doctus, deletu, deletus, mersu, mersus, pexu, pexus, auditu, auditus. A communibus: criminatu, criminatus, osculatu, osculatus. A deponentibus: for, fatu, fatus, loquor, locutu, locutus. A neutropassiuis, gauisu, gauisus, factu, factus. A neutris vero paucis præteritum nascitur, cœnatu, cœnatus, pransu, pransus, placitu, placitus, nuptu, nuptus. Excipitur mortuus à morior, quod secundum analogiam moritu, moritus, & hinc moriturus debuit facere; sed præteritum mortuus non moritus facit, potum quoque per syncopam, pro potatum, & inde potus, participium. Virg. in Buc. *Et potum pastas age Tityre & inter agendum*. Et idem in Georg. *Quoque modo potis gauderent intiba fibris*. Lucanus in 5. *Strimona sic gelidum bruma pellente relinquunt Potura te, Nile,* *glues Lautus lauturus, pro lauatus, lauaturus, in vsu est ortu, ortus, & orturus facit. In anomalis quoque supra dictæ regulæ seruantur, latu, latus, laturus, ferens, ferentis, ferendus esu, esus, esurus, edens, edendus, sic & ex eis composita. A sum quoque veteres participium proferebant ens, vnde componitur potens nam futurus magis, a fio verbo videtur nasci, cuius præteritum est factus, & præsens, fiens: potest tamen à fui etiam esse existimari. Facio, factu, præteritum factus habet, & futurum facturus & faciens præsens. *Fido quoque *fidens, fissus, fissurus facit. Et sciendum, quod si deficiant supina, deficiunt etiam participia tam futuri temporis in rus desinentia, quam præteriti, quæ ex ipsis nascuntur: quod inuenis in omnibus meditatiuis & inchoatiuis, in quibus deficiunt supina duo extrema, quibus deficientibus, supra dictorum quoque temporum deficiunt participia. vt parturio, esurio, horresco. calesco; quod & plerunque in neutris verbis secundæ coniugationis vel tertiæ in uo desinentibus, vt tepeo, egeo, caleo, ferueo, stupeo, lateo, candeo, niteo, æstuo, luo. Inueniuntur tamen rarissime in quibusdam huiuscemodi supina, vel futuri temporis participia, vt doleo, doliturus, careo, cariturus: nec non & alia multa inueniuntur deficientia. In aliis quoque significationibus vel generibus verborum, tam supina quam ex eis nascentia, vt vigeo, spuo, metuo, timeo, medior, ambigo, scindo, vergo, arceo, mando, mandis: & quocunque tempore defectiua sunt verba, deficiunt etiam participia. Ferior quoque & vescor præteritum tempus non habent, nec eiusdem temporis participia. Cœpi non habet præsens & futurum, nec participium, sed tantum præteriti temporis, cœptus. Similiter, odi, noui, osus, ex quo perosu, & exosus, notus, & memini, meminiens, quia memini tam præsentis, quam præteriti vim habet, quomodo odi, vt ante iam diximus, nosco, noscens facit. Similiter impersonalia deficiunt in supinis & participiis, quæ ex supinis nascuntur, vt piget, pudet, tædet, pœnitet, liquet, licet, libet, oportet; sed compositum pertæsum inuenitur, & pœnitens, vnde pœnitentia: & libens & licens, vnde licentia, licitus. Sciendumque, quod si composita sint verba, ab eis composita deriuentur participia, vt efficio, efficiens. Si enim ipsa per se componantur, non prius compositis verbis transeunt in nominum vim & significationem: sicut etiam si comparentur, vt nocens, innocens, sapiens, insipiens. Hæc igitur licet extraordinarie videar componere, cum de syllabarum potestate scribere mihi propositum sit; tamen non inutiliter ista interposui, quia manifestior erit qualitas dictionum, si origo earum antea diligentius inuestigetur. Notandum quoque. quod omnia participia præteriti temporis siue futuri in penultimis vel antepenultimis suis regulam supinorum vnde deriuata sunt, sequuntur, exceptis paucis, vt statum, statu, quod penultimam, a, supini producit. In participio quoque seu nomine verbali corripit, vt status, stata, stabilis, nisi in futuro tantum participio, vt staturus, statura, staturum, quod & nomen est. Sicut de gerundiis vel mediis syllabis scribentes supra ostendimus, nec etiam id repetere necesse est, maxime cum ad alia festinemus.

for. grus (margin note)

Findo. *findens.* (margin notes)

for. vertitu, verriturus. (margin note)

DE CONIVNCTIONE.

COniunctionum quoque vltimas syllabas licet breuiter explanare possimus, tamen vt potestas earum manifestius eluceat, simul cum speciebus illarum productionem seu correptionem indicari credimus oportere.

rere. Species enim coniunctionum sunt 14. id est, copulatiua, continuatiua, subcontinuatiua, adiunctiua, causalis, effectiua, approbatiua, disiunctiua, subdisiunctiua, differtiua, vel electiua, vel præsumptiua, aduersatiua, abnegatiua, collectiua, vel rationalis, completiua. Copulatiua species est, quæ copulat tam verba, quam sensum, vt, &, que, at, atque, quidem, quoque quando pro quod ponitur, at, ast, sed, autem, vero, quando pro autem accipitur, hæc enim copulant cum confirmatione intellectum & omnes corripiuntur, excepta vna ast, quam positio producit. Continuatiuæ sunt, quæ significant ordinem præcedentis rei ad sequentem, vt si stertit dormit: similiter siue sin, seu, quarum tres producuntur, si sin seu; vna corripitur, siue. Subcontinuatiuæ vero causam continuationis ostendunt consequentem cum essentia rerum, vt, quo, quia, que, & breues sunt. Adiunctiuæ sunt, quæ verbis subiunctiuis adiunguntur, vt cum, vt dum, quatenus, omnes breues. Et hoc interest inter adiunctiuas & proprie causales, quod hæ cum affirmatione, illæ cum dubitatione proferuntur. Causales sunt, quæ causam rem antecedentē significant vt: si etsi, etiamsi, siquidem, quando, quandoquidem, quin, quinetiam, nam, namque, ni, nisi nisisi sienim, etenim, sed interea, quamobrem, præsertim, item, itemque, cæterum alioquin, præterea: quæ omnes corripiuntur, exceptis, si interea, & præterea, & quę i ante n in vltima syllaba habent, vt quin & alioquin. Effectiuæ sunt pene eædem, quæ & causales, sed effectiuæ tamen quendam effectum plenius in se ostendunt vt si dicam: mouetur, ambulat enim: quiescit, sedet * etiam. Notandum etiam, quod causales coniunctiones, quas alij in vna specie posuerunt, Apollonius, pater Herodiani, in quinque species diuidit, quas supra ostendimus, id est, continuatiuas, subcontinuatiuas, adiunctiuas, causales effectiuas, propter quandam distantiam, quam inter se habere videntur. Inueniuntur tamen & nomina, vel pronomina, vel etiam aduerbia, vel præpositiones, quæ loco causalium accipiuntur coniunctionum: nomina, qua causa, qua gratia, qua propter, quamobrem & quasobres: pronomina, vt ideo eo: aduerbia, vt quando, etiam: præpositiones cum pronominibus, vt præterea, interea, quæ potestatem originis suæ secuntur in temporibus. Approbatiuæ sunt, quæ approbant rem. Virg. in 12. *Et quidem merui, nec deprecor, inquit.* Terentius in Phormione: *Ita cognatam quidem, at nos.* Et causales pro approbatiuis. Virg. in 11. Æneidos: *Dii, si qua est cœlo pietas, quæ talia curat.* Idem in 1. *Si quid vsquam iustitia est.* Et sciendum, quod, quando approbatiuæ sunt, indicatiuo modo iunguntur. Disiunctiuæ sunt, quæ quamuis dictiones coniungant sensum tamen disiungunt, & alteram quidem rem esse alteram vero non esse significant, vt, ve, vel, aut: in qua specie quædam dubitatiuæ, vel interrogatiuæ coniunctiones inueniuntur, vt: aut, an, ne, correpta nec ne, & est, quando indicatiue dicuntur; est, quando dubitatiue. Indicatiue, vt aut lux est, vel nox. Dubitatiue, vt: aut prodest, aut non prodest diuitias quærere. Subiunctiuæ sunt quæ voce disiunctiuarum vtrumq; tamen esse significant, vel simul vt copulatiuæ, vt est Alexander vel Paris, pro Alexander, qui & Paris dicitur. Similiter Mars, siue Mauors gradiuus vel Maspiter, vel discrete simul, vt: toto die vel legit iste, vel cogitat; significat enim & legere & cogitare, sed non simul vtrunque facere, sed aliis horis legere, aliis cogitare. Omnes ergo coniunctiones disiunctiuorū corripiuntur, exceptis his quæ diphthongis constant, vt: aut seu. Disertiuæ vel electiuæ sunt, quando diuersis propositis aliquid ex eis nos eligere ostēdimus, vt: diues esse volo quam pauper. Est autem quam & accusatiuum quæ infiniti nominis, & aduerbiū similitudinis, vt Terentius in Phormione; *Quam inique comparatum est!* & duplicatiuū pro coniunctione aduersatiua accipitur, vt quamquam. Aduersatiuæ sunt, quæ aduersum cōuenienti significant, vt: tamen, quanquā, quamuis, etsi, etiamsi, saltem; & breues sunt, exceptis his, quæ vocalibus terminantur. Abnegatiuæ sunt, vt: ne, & neq; breues. Collectiuæ vel rationales sunt, ergo, igitur, itaque, quando penultima acuitur, quapropter quin, alioquin, imo, vtiq;, ita, quippe, atquin, scil. hæc per illationem colligunt supra dictum, hoc est ratione confirmant, & coniunctiones sunt, licet quædam aduerbia ibi esse videantur, correptis vltimis absque his, quæ i ante n habent, quod supra ostendimus. Completiuæ sunt, vero, autem, quidem, equidem, quoque, enim, nam, namque porro, porro autem, & fere quæcunq; coniunctiones ornatus causa, vel metri, nulla significationis necessitate ponuntur. hoc nomine nuncupantur omnes, tamen hæ inter alias species inueniuntur, vt si dicam, *Æneas vero & pius & fortis fuit*, completiua est, quia si tollatur, *vero*, significatio integra manet.

*enim.

DE PRAEPOSITIONIBVS.

PRæpositiones autem accusatiui casus sunt hæ, ad, apud ante, aduersus, cis, citra, erga contra, extra inter, intra, infra, iuxta, per, prope, propter, ob, pone, secūdum, post, trans vltra, præter, supra, vsque, penes, numero 28. Ablatiui vero hæ, à, ab, abs, e, ex, de, pro, præ, cum, clam, coram palam, sine, absque, tenus, num. 15. Sed accusatiuæ hoc modo in temporibus syllabarum dinoscūtur; *ad* breuis est, *aduersus* primas duas positione longas habet, vltimam breuem, *apud*, ambæ breues, *ante* primam syllabam positione producit, sequens breuis est; *cis* longa; *citra*, *ci* breuis, *tra*, longa; *supra*, *su* breuis, *pra* longa; *circum*, prior position longa, posterior breuis est; *circa*, *erga*, *contra*, *extra*, *intra*, *infra*, *iuxta*, *pone*, omnes syllabas longas habent; *inter* primam positione producit, secunda breuis est, *per* breuis; *prope* ambæ breues, *propter*, prior longa, secūda breuis; *ob* breuis; *præter*, prior lōga, sequens breuis; *vsque*, prior longa, posterior breuis; *penes* ambæ breues. Ablatiui quoque præpositiones fiunt hæ a ab, abs, cum, coram, clam, de, è, ex, pro, præ, palam, sine, absq;, tenus; sed *à*, & *abs*, & *de*, & *e*, & *ex*, & *præ* semper longæ sunt, siue sint in appositione seu in compositione, excepto q. *de*, in compositione dehinc corripitur, *ab* & *cum*, & *clam* semper breues, nisi positio sequentis eas partis producat; *pro*, aliquādo corripitur in compositione, aliquando producitur. Corripitur, vt, proauus, pronepos, sed hoc quidam ab aduerbio procul compositū confirmant, vnde & corripitur & omnia similiter pro correptam habentia, vt profatur, proteruus, &c. Alij vero ad imitationē græcorū apud quos pro corripitur præpositio, nostros quoq; in quorundā compositione hoc fecisse dicunt. *Coram* & *palam* & *absq*, primas syllabas lōgas & posteriores breues habent; *sine* & *tenus*, ambas breues. Sed licet de temporibus præpositionum satis dictum esse arbitremur; libet tamen, quia vsus raro eorum apud auctores perfecte describitur, manifestiorem de ipsis facere sermonem.

DE PRODVCTIONE SEV CORREPTIONE *casuum.*

IN prima declinatione, nominatiuus, & accusatiuus, & vocatiuus singularis breues sunt. Genitiuus, datiuus, ablatiuus, longi sunt, & omnes in plurali numero longi sunt nisi genitiuus, datiuus & ablatiuus, si in *bus* exeunt, propter differentiam breues sunt. In secunda declinatione, nominatiuus singularis & vocatiuus, & accusatiuus breues sunt. Genitiuus datiuus & ablatiuus, longi sunt, & omnes casus plurales in masculino & fœminino genere longi sunt, nisi genit. In neutro genere, nomin. accus. & vocat. singulares, breues, alij tres, longi, & cæteri omnes in plurali numero breues, nisi datiuus & ablatiuus. In tertia declinatione nominat. & vocat aliquando breues, aliquando longi, genit. semper breuis est, & ablat. nisi in i & accus. datiu. singularis longus est. Plurales, nomin. accus. & vocat. longi, in masculino & fœminino genere, dat. & ablat. breues. Nomin. & accus. & vocat. plurales in neutro genere breues sunt. In quarta declinatione, nominatiuus & vocatiuus singul. & accusat. in masculino & fœminino genere breues sunt. Genit. datiu. & ablat. longi sunt. Plural. nomin. accus. vocat. longi sunt, genit. datiu. ablat. breues. In neutris, nomin. accusat vocat. breues sunt, alij tres longi sunt. In plurali numero omnes breues. In quinta declinatione singulares omnes longi sunt, nisi accusatiuus. Plural. nomin. accus. & vocat. longi sunt. Alij tres breues. *

DE VI AC VARIA POTESTATE metrorum.

SAne quia in superiore libello de potestate literarum & syllabarum atque variis omnium partium sonis, nec non & pedum regulis, quantum ad primam institutionem metricæ artis sufficere credidi, pro qualitate ingenij, sati me tibi, dulcissime, exposuisse æstimo: superest, vt ipsius metri vim, & subtilissimam positionem, atque ob quam causam, quibusque auctoribus inuentum vel institutum sit, & a quibus mutatum vel variatum reperiatur, prout possim, in hoc etiam sequenti libello exp licem. Primumque notandum, quod sicut a disertissimis & veracissimis historiarum scrutatoribus exquisitum est, antiquiorem apud Hebræos, quam apud Gentiles fuisse carminum curam; nam Moyses, qui Exodi & Deuteronomij cantica ex ametro (sicut Iosephus & Origenes scribunt) composuit, ab omnibus, quos græci antiquissimos putant, senior deprehenditur: Homero scilicet & Hesiodo Troianoque bello, ac multo superius Hercule, Musæo, Lino, Chirone, Zeto, Amphione, Perseo, Orpheo, Castore, Polluce, Æsculapio, Libero, Mercurio, Apolline, & cæteris diis gentium, sacrisque vel vatibus, ipsius quoque Iouis gestis, quem Græcia in arce diuinitatis collocauit. Siquidem & Iob, quem multi Moysi adæquant temporibus, hisdem supra memoratis scriptoribus testantibus, totus ex ametro versu dactylo, spondæoque decurrit; sed de his plenius in sequentibus, cum de speciebus metrorum scripserimus, dicemus. Tranquillus igitur, vetustæ scriptor historicæ, sic de poetis gentilium, & de poematibus refert: *Cum primum homines, exuta feritate, rationem vitæ habere cœpissent, seque ac deos suos nosse cultum modicum ac sermonem necessarium, commenti sentientibus sibi vtriusque magnificentiam & religionem deorum suorum excogitauerunt. Igitur templa illis domibus pulchriora, & simulacra corporibus ampliora faciebant. Ita eloquio etiam quasi augustiore *honorando putauerunt, laudesque eorum & verbis illustrioribus, & iucundioribus numeris extulerunt. Id genus, quia forma quadam efficitur, quæ* poetes dicitur, poema vocitatum est, eiusque fictores poetæ.* Poetica itaque est fictæ veræue narrationis, congruenti rhythmo ac pede composita, metrica structura, ad vtilitatem voluptatemque accommodata: *Metrum* ideo vocata, quia certis pedum mensuris ac spatiis terminatur. Mensura enim græce metrum dicitur. Ergo vnus pes metrum nō est, nec vnus & semi pes, quia metrum pedibus conficitur; nec vtique pedes, ostiunt dici, vbi nusquam duo sunt. Igitur metrum plus est, quam vnus pes. Distat poetica, à poemate, & poesi, quod *Poetica* ars ipsa intelligitur; *Poema* autem pars operis, vt tragœdia; *Poesis* intextus, & corpus totius operis effecti, vt Ilias, Odyssea Æneis.

*for. honorandos.

*for. possit.

Poematos genera sunt tria, aut enim actiuum vel imitatiuum, quod græci *dramaticon* vel mimeticon, aut enarratiuum vel enuntiatiuum, quod græci *exegeticon* vel *apangelticon* dicunt, aut commune vel mixtum quod græci *kœnon* vel *micton* appellant. Dramaticon vel actiuum, in quo personæ solæ agunt, sine vllius poetæ interlocutione, vt se habent tragicæ & comicæ fabulæ, quo genere scriptum est prima Bucolicōn, & ea cuius initium est: *Quo te Mœri pedes.* Exegeticon vel enarratiuum est, in quo poeta ipse loquitur sine vllius personæ interlocutione vt se habent tres Georgici libri, & prima pars quarti. Item Lucretii carmina & cætera his similia. Kœnon vel commune est, in quo poeta ipse loquitur, & personæ loquentes introducuntur, vt, scripta Ilias, & Odyssea tota, Homeri, & Æneis Virgilij, & cætera his similia.

Dramatici vel actiui poematis species sunt 4. apud græcos, Tragica, Comica, Satyrica, Mimica; hæ apud Romanos vocantur Prætextata, Tabernaria, Atellana, Planipes. Igitur in tragica græcorum est heroicæ fortunæ in aduersis comprehensio. Tragœdia, vt quidam volunt, à trago & ode, dicta est, quod olim auctoribus tragicis, tragos, id est, hircus, præmium cantus proponebatur, quia *liberalibus in die festo ob hoc ipsum immolabatur quia (vt Varro ait) depascunt vitem. Et Horatius in arte poetica: *Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.* Mox & satyros agrestes nouauit. Virg. in Georg. II *Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris caditur.* Alij autem putant, a fece, quam græcorum quidam trygam appellant, tragœdiam nominatam per mutationem literarum ysin a versam: quod olim, nondum personis a Thespide repertis, tales fabulas peruncta ora fecibus agebant, vt rursus est Horatius testis, sic ignotum genus tragicæ inuenisse carmina;

Dicitur & Plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque infecti fecibus ora.

*liberalibus.

Alij a vino arbitrabantur, propterea quod olim *tryx* dictitabatur, à quo *trygetos* hodieque vindemia est, quia *liberalibus apud Atticos die festo Liberi patris vinum cantoribus dabatur, cuius rei testis est Lucilius.

*liberalibus.

Comœdia est priuatæ ciuilisque fortunæ sine periculo vitæ comprehensio. Comœdia dicta ἀπὸ τῶν κωμῶν. Comæ enim appellantur pagi, id est, conuenticula rusticorum. Itaque iuuentus Attica, vt ait Varro, circum vicos ire solita fuerit & quæstus sui causa hoc genus carminis pronuntiabat, aut certe a ludis vicinalibus. Nam postea quam e pagis Athenas commigratum est, & *Hiladi instituti sunt, sicut Romæ Compitalici, ad canendum prodibant, & ab vrbana comicæ odæ. Item comœdia dicta est, vel quod in ea vicolorum, id est humiliū domuum fortunæ comprehendantur, non vt in tragœdia publicarum regiarumque; vel ἀπὸ τῶ κωμου, id est, a comessatione, quia olim in eiusmodi fabulis amantium iuuenum comæ canebantur. Igitur comœdia à tragœdia differt, quod in tragœdia introducuntur heroes, duces, reges. In comœdia humiles atque priuatæ. In illa luctus exilia, cædes: in hac amores, virginum raptus; dein quod in illa frequenter, & pene semper lætis rebus exitus tristes, & liberorum fortunarumque *pitor in peius *adgnitio. Quare hac varia diffinitione discretæ sunt apud græcos. Altera enim *ἀκινδύνευτος, altera *τύχης περίστασις dictæ sunt. Tristitia namque tragœdiæ proprium, ideoque Euripides, petente Archelao Rege, vt de se tragœdiam scriberet, abnuit, ac precatus est, ne accideret Archelao aliquid tragœdiæ, ostendens, nihil aliud esse tragœdiam, quam miseriarum comprehensionem. Poetæ primi comici Susarion, Bullus & Magnes, hi veteris disciplinæ iocularia quædam minus scite ac venuste pronuntiabant. Secunda ætate fuerunt Aristofanes Eupolis, & Horatius qui & principum vitia *retexerunt, acerrimas comœdias composuerunt. Tertia ætas fuit Menandri Phili, & Philemonis, qui omnem acerruitatem comœdiæ mitigauerunt, atque argumenta multiplicia græcis erroribus secuti sunt, ab his Romani fabulas transtulerunt, & constat apud illos primo latino sermone comœdiam Liboeum, Andronicum scripsisse. Sunt qui volunt Epicharmum in Choo insula exulantē primum hoc carmen frequentasse, & sic a Choo comœdiam dici. Antea itaque galeribus non personis vtebantur, vt qualitas coloris indicium faceret ætatis, cum essent aut albi, aut nigri, aut rufi. Personis vero vti primus cœpit Roscius Gallus, præcipuus histrio, quod oculis euersis erat nec satis decorus in personis parasitum pronuntiabat. Satyra dicitur carmen, nec quidem apud Romanos maledicum, & ad carpenda hominum vitia *arche comœdiæ charactere compositum: quale scripserunt, Lucilius & Horatius & Persius, & olim Carmen; ideoque quod ex variis poematibus constabat satyra vocabatur quale scripserunt, Pacuuius & Ennius. Satyra autem dicta, vt alij volunt, siue à satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut à satyris proferuntur & fiunt. Siue satyra dicitur à lance, quæ referta variis multisque primitiis in sacris apud priscos deferebatur, & à copia ac saturitate rei satyra vocabatur, cuius generis lancium & Virg. in Georgicis meminit, cum hoc modo dicit; *Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.* Et idem: *Lancesque & liba feremus*: siue à quodam genere farciminis *refertum & polenta & nucleis pini, & à mulso conspersi. Ad hæc alij addunt, & de malo punico grana. Alij autem dictam putant à lege satyra, quæ vno rogatu

*for. hi ludi.

*for. priorum.

*for. transitio.

*for. ἀκίνδυνος.

*for. τύχης περίστασις.

*for. insectat.

*for. acre.

*referti.

multa

multa comprehendit, quod ſcilicet & ſatyrico carmine multa ſimul poemata comprӕhenduntur, cuius ſatyrӕ legis Lucilius meminit in primo per ſatyram ӕdilem factum, qui legibus ſoluat. Quarta ſpecies eſt dramatis apud grӕcos, quӕ mimica dicitur, quod rerum humanarum imitatrix ſit, eſt ergo ſermonis cuiuslibet ſine reuerentia, vel factorum turpium cum laſciuia imitatio, quia quӕdam fabulӕ à poetis grӕcorum ita componebantur, vt aptiſſimӕ eſſent motui corporis. Fabula enim à grӕcis dicitur ἀπὸ τοῦ δρᾶν, id eſt, agere, quod per actus & per motus aliquos magis oſtenderetur. Nam & agi fabula non referri ab actoribus dicitur, ſed tamen in latinis fabulis plura ſunt cantica, quӕ canuntur. Ideoque Horatius vtraſque has ſignificationes interpretatur, cum ita de fabula dicit:

Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.

Igitur latini has quatuor ſupra dictas ſpecies ſuis propriis appellauere nominibus, ſicut ſuperius iam commemorauimus, id eſt, tragicam dixere prӕtextatam, comicamque tabernariam, ſatyricam quoque, atellanam, & mimicam planipedem. Sed ſicut grӕcas appellationes, quid valerent ſecundum antiquorũ ſenſum, ediſſerere curauimus; ſic etiam latinas, quӕ magis noſtrates ſunt, exponere non prӕtermittamus. Tragœdiӕ ſcilicet & comœdiӕ initio apud latinos togatӕ dicebantur, quod omnia in publico honore confuſa cernebantur, quӕ togatӕ poſtea in prӕtextatas, & tabernarias diuidebantur. Togatӕ fabulӕ dicuntur, quӕ ſcriptӕ ſunt ſecundum ritus & habitus hominum togatorum. i. e. Romanorum. Toga namque Romana eſt; ſicut grӕcas fabulas ab habitu ӕque Palliatas Varro ait nominari. Sed & hoc notandum, quod togas, cum ſit generale nomen, ſpecialiter tamen pro tabernariis non modo communis error vſurpat, quia ſaunt togatas appellat: ſed & poetӕ, vt Horatius, quia ait;

*Vel qui * prӕtextatas, vel qui docuere togatas.* *ſor, prӕtextas.

Togatarum fabularum ſpecies tot fere ſunt, quot & palliatarum. Nam primӕ ſpecies ſunt togatarum, quӕ prӕtextatӕ dicuntur, in quibus imperatorum negotia agebantur & publice reges Romani vel duces inducuntur, perſonarum dignitate, & perſonarum ſublimitate tragœdiis ſimiles. Prӕtextatӕ autem dicuntur, quia fere regum vel magiſtratuum, qui prӕtextata vtuntur, in eiuſmodi fabulis acta comprehenduntur. Secunda ſpecies eſt togatarum, quӕ tabernariӕ dicuntur, & humilitate perſonarum, & argumentorum ſimilitudine comœdiis pares. In quibus non magiſtratus regesue, ſed humiles homines & priuatӕ domus introducuntur, quӕ cum olim tabulis regerentur, tabernariӕ vocabantur. Tertia ſpecies eſt fabularum latinarum, quӕ à ciuitate Oſcorum Atella à qua primum cœptӕ, appellatӕ ſunt, atellanӕ, argumentis dictiſque iocularibus ſimiles ſatyricis fabulis grӕcis. Quarta ſpecies eſt planipedis, qui grӕce dicitur mimus; ideo autem latine planipes dictus, quod actores pedibus planis, id eſt nudis proſceniũ introirent: non vt tragici actores, cum coturnis; neq; vt comici, cum ſoccis. ſiue quod olim non in ſuggeſtu ſcenӕ, ſed in plano orcheſtrӕ poſitis inſtrumentis mimicis actitabant. Cuius planipedis acta togatarum ſcriptor ita in ӕdilicia fabula meminit; datur ineſt Scautus exultat planipes, ſi quas tamen ex ſoccis fabulas fecerant, palliati pronuntiabant. Togata à prӕtextata tragœdia differt, quod in tragœdia heroes introducuntur, vt Pacuuius tragœdias nominibus heroicis ſcripſit, Oreſtem, Chriſem, & his ſimilia. In prӕtextata autem quӕ inſcribũtur nomina latina, vt Brutus vel Decius. Item Marcellus vel Africanus, & his ſimilia. Togata tabernaria à comœdia differt, quod in comœdia grӕci ritus inducuntur, perſonӕq; grӕcӕ, vt Laches, Soſtrata, Geta, Demipho. In illa vero latinӕ. Togatas tabernarias in ſcenam datauerunt prӕcipue duo, Affranius, & G. Quintius. Nam Terentius & Cœlius comœdias ſcripſerunt. Latina attellana à grӕca ſatyrica differt, quod in ſatyrica fere ſatyrorum perſonӕ inducuntur, aut ſi quӕ ſunt ridiculӕ ſimiles ſatyris, vt olicus, Boſiridis. In attellana autem oſcӕ perſonӕ, vt Maccus.

Exegematici, id eſt, enarratiui, poematis ſpecies ſunt tres, Angeliticӕ, hiſtoricӕ, didaſcalicӕ. Angelitica eſt, qua ſententiӕ ſcribuntur, vt eſt Theognidis liber, & monaſtica Albini, quӕ ſpecies in plurimis poematibus ſparſim poſita reperitur. Item chriӕ eidem deputantur. Hiſtorica eſt, qua narrationis genealogiӕ componuntur, vt eſt metrum de generatione mundi, & ſitu, & qualitate diuerſarum gentium, & liber Alcimi, & his ſimilia. Didaſcalia eſt, qua comprehenditur philoſophia Empedoclis, & Lucretij. Item Aſtrologia, & phœnomena Arati & Ciceronis, & Georg. Virg. & his ſimilia C.

Cœni vel communis poematos ſpecies ſunt duӕ. Quarum prior Heroica, vt eſt Iliadis, & Æneidos. Altera eſt Eliaca, quӕ & Lyrica dicitur, vt eſt Archilochus & Horatius.

Incipiunt gloſſӕ verborum in Donatum maiorem.

Quot diffinitiones ſunt apud grammaticos? 6. Prima eſt ſubſtantialis. Nomen eſt pars orationis cum caſu. Secunda eſt ſoni, nomen dictum eſt, quaſi notamen. Tertia eſt numeralis, partes orationis ſunt 8. Quarta accidentalis, nomini accidunt ſex. Quinta ſpecialis, corpus aut rem propriӕ. Sexta eſt etymologia, homo dictus eſt ab humo, humus ab humore, verum, i p ſed. Corpus aut rem. Res propria eſt, vt Priſcianus dicit, ars, ad quemlibet auctorem ſpecialiter pertinens, vt eſt Arithmetica Nicomachi. Grammatica Ariſtarchi. Res vero communis vt diſciplina, ars. Alij dicunt rem eſſe propriam, vt ſunt nomina Angelorum. Michael, Gabriel &c. Communem autem nomina virtutum, vt pietas, prudentia, & rel. Nonnulli hoc modo affirmare non dubitant res propria Deus eſt, communis autem angelus. Quatuor ſpecies ſunt, Publius, prӕnomen eſt. Cornelius proprium, Scipio cognomen, Africanus agnomen, Hӕ 4. ſpecies nominum ad vnum virum pertinent. Alia ſunt primӕ p t non aliunde ſumunt originem, creſcit ſӕpe n ſi. e. quia nõ ſemper, tamen aliquando, vt paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum. Sunt nomina tota q. d. iſta ſunt propria nomina apud grӕcos, & apud nos ſunt poſita inter appellatiuorum ſpecies, quia interpretationes eorum appellatiuӕ ſunt. Themiſto interprӕſenſibilis. Caliſo rationabilis. Pan omne vel totum, quӕ ſunt tota grӕcӕ declinationis, i. quia latine flecti non debent ab illo, qui vtramque nouerit linguam. Quӕ appellantur notha, id eſt, ex parte nobilia. Nam grӕci Achilleios, latini Achilles, grӕci Agamemnon latini Agamemno dicunt veluti ſermo & reliqua homonyma, i. vninomia vel vniuuoca. Nepos, filius filij, luxurioſus vel prodigus dicitur. Synonyma & polyonyma, i. plurinomia vel multiuoca. Aries eſt animal, Aries eſt ſignum in cœlo, Aries machinamentum ad deſtruendum munitiones murorum. Acies dicitur oculorum, acies ferri, acies exercitus In his, quӕ grӕca ſunt, m g ſ r ſubauditur quam latinam, quia qualis eſt terminatio eorum apud grӕcos, eadem ſeruatur & apud latinos.

Agamemnonicӕ, micenӕ, i. quia Agamemno ibi regnabat. Aliӕ mediӕ ſignificationis, i. quia quando dico, magnus, adhuc pendet; vel ideo mediӕ ſignificationis, quia ad bonum vel malum referuntur, vt magnus magiſter, & magnus latro. Alia patriӕ, i. patria eſt ciuitas, in qua quis naſcitur, vel terra adiacens ciuitati. Primus de multis. i. quia ſpeciem habet ſuperlatiui. Prior de duobus, i. & iſte ſpeciem comparatiui, quia de duobus facit comparationem. Comedo, i. vorax ſiue tinea. Palpo, i. auicula papilio, vel cecus vel latro. Comparationis g i comparatio dicitur collatio ſimilium, quӕ ex alterius collatione alterum prӕfert. Aliquando comparatiuus, & ſ t vlterior & ſuperior atque inferior comparatiui deriuantur ab aduerbiis, vltra, ſupra & infra. Nam poſitiuus p & a i perfectus eſt ſenſu, & abſolutus à caſu. Mare ponticum d q c m i maior enim eſſet comparatio, ſi abſolute diceret dulce; minus ideo ſignificat, quia amarum amaritudini comparatur. Iam ſenior ſ c d u ſ ecce comparatiuus pro poſitiuo accipitur, ad nullum enim alium caron fit comparatio.

DE GENERE.

HÆc musa. Musa interpretatur quærens, à sono enim deriuatur, & est dea carminum. Nouem nomina musarum sunt, hæ: Melpomene, Euterpe, Polyhymnia, Terpsichore, Vrania, Clio, Calliope. Est ep cœnon, i. supercommune, quia vtriusque generis animalia vno articulo comprehendimus. Alij dicunt supercommixtum, non quod ipsa natura sexus commixta sit, sed noster intellectus, nonnulla enim animalia videntes, vtrum masculus sit an fœmina, ignoramus. Eunuchus comœdia, i. liber Terentij, & est nomen illud generis fœminini. Similiter Orestes, & Centaurus. *Poema*, i. opus poetæ. *Emblema*, i. abundantia. *Porrum*, i. holus. *Cepe*, neutri generis est, in singulari numero, & est nomen holeris. *Forum*, i met. atum seu tabulata nauium. *Stirps*, i. virgulta, quæ iuxta arborem nascuntur, vel progenies. *Pampinus*, i. folium vitis. Sunt incerti generis, i. m & n. Duplex enim nominatiuus inuenitur, i. frenus & frenū, clipeus, & clipeum. Vulgus autem & ipe us in vna terminatione masculini & neutri generis sunt. Fœminino, i a, f, d sæpe dicit, quia aliqua ido masculini generis inuenitur vt oleaster. Scutum à rotunditate dicitur. Fœmina quæ panes conficit, pistrilla dicitur, seu vas, in quo miscetur aqua farinæ, siue ipsius domus nomen diminutiuum. *Toreuma*, i. tornatura, vel bulla, quæ fit in aqua, vel (vt quidam dicunt) sonus thoracis. *Euterpe*, i. nomen musæ. *Gummi*, i genus ... næ aptum medicinæ. *Frugi*, i. parcus vel modestus. Nihili idem est, quod nihil. Pumilio, paruus humuncio.

DE NVMERO.

NVmerus dicitur à numis numerandis, vel à quadam dea Numeria. Singularis, i. certitas quantitatis. Pluralis, i incertus, hoc est multiplicatio vnitatum. Est dualis n. Dualis numerus dicitur, quia nec singularis numeri est, nec pluralis in tantum. Illicitum enim est dicere, *omnis duo*. Similiter est inconueniens, vt dicatur, *omnes duo* vel *ambo*, vt solet de cæteris numerorum nominibus dici. Dicimus enim, *omnes tres*, *omnes quatuor*, &c. Pompeius hoc modo dicit. Dualis est, qui duos tantum significat, quando dico, *duo*, neque vnum possum significare, neque multos. Hanc tamen rationē Priscianus penitus destruit. Sunt etiam n, n, c, eo, quod aliquos casus in vtroq; numero in vna litera habent. Semper pluralia; *manes*, inde dicūtur spiritus, quia semper manent, vel quia per aera manant, i influunt ad noua corpora. *Quirites*, nomen est plebis in Creta insula, velut alij quirites Romani dicti sunt, à quadam ciuitate Sabinorum, i curribus. *Cancelli* ideo pluralis numeri est, quia non potest ista res de vna re fieri, sed de multis. Similiter scopæ, scalæ, quadrigæ, &c. Kalendæ, in accensione primæ lunæ sacerdos idolorum iterata voce dicere solebat, *calo*, *calo* i. voco. Inde *Kalendæ*, vocationes dicuntur. *Nundinæ*, hoc est, emptiones. In solemnitatibus enim sacrificiorum mercationes fieri solent, vel aliter, nundinæ, i. nouem dies ab Idibus retro vsque Nonas. *Feriæ*, i. vacationes, dictæ à fando, quia in conuentionibus diuersa pronuntiantur. *Quadriga*, i. quasi quadriiugæ à quatuor equis trahentibus. Nuptiæ matrimonium, non nisi per duo efficitur. *Pus*, i. aliquando corruptionem sanguinis, aliquando stagnum aquæ, aliquando tumorem in corpore, aliquando custodiam significat. Inde dicitur corpus vt quidam volunt, quasi cordis custodia, sed melius est, vt corpus inde dicatur, quia corrumpi potest *Ad mensuram*, i. in liquidis. *Vel pondus*, i. in aridis *Mœnia*, i. ædificia ad munimē ciuitatis facta. *Floralia*, i. festa deæ Floræ, quæ fuit verno tempore, quando terræ imolabant. *Saturnalia*, festa Saturni. *Compitalia*, i. Cereris festa, dicta à compitis, i. multis vijs. *Populus*, i. quod ex vno constare non potest. *Concio* i conuocatio, vel ipse sermo. Athenæ, & cætera, ciuitates sunt Græciæ.

DE FIGVRA.

FIgura est tertias quantitatis. *Potens*, i. deriuatur à verbo possum, sine magis nomine *potis*, vt Priscianus dicit. *Suburbanum*; suburbanum est, quicquid specialiter ad vrbis pertinet. Multi dicunt suburbanum esse, qui sub vrbe habitat, i iuxta murum forinsecus: vel, vt alij, qui subtus vrbem, i ædificijs subtus terram constructis moratur. *Efficax*, i. acutus, quasi effectuum capax. *Municeps*, i. munera capiens. *Ineptus*, i. qui non est aptus. *Insulsus*, qui non est salsus, hoc est, stultus. *Pinnipotens*, i. pennis potens, vt aquila. *Nugigerulus*, i. nequam portitor. Inexpugnabilis, *pugnabilis* locus est, qui potest expugnari; *expugnabilis*, i. valde pugnabilis; *inexpugnabilis*, qui nullo modo valet expugnari. Alij dicunt: pugnabilis & expugnabilis vnum est, quod probat Pompeius. *Pretor*, i. iudex. *Senatusconsultum*, senatus, genitiuus quartæ declinationis est; *consultum* vero nominatiuus, i consilium.

DE CASIBVS.

SEx quidem sunt casus. Nominatiuus à nominando. Genitiuus à generando. Datiuus à dando. Accusatiuus ab accusando. Vocatiuus à vocando. Ablatiuus ab auferendo, dictus, ex quibus duo, recti nominantur, sed hoc tamen non fit in omnibus nominibus secundæ declinationis, qualitatem aut quantitatem significantibus. Reliqui vero obliqui, i. retorti. Insuper etiam vnum latinum, i. quia à latinis est inuentus, nonnulli septimum nominant, quia septimum obtineat locum. *Monoptota*, i. qui vna terminatione per omnes casus funguntur, sicut nomina numerorum & literarum. *Aptota* vero sunt, quæ non habent, nisi vnum casum, vt sponte. *Diptota*, id est, bina casualia, vt pascha. *Triptota*, i. trina casualia, vt musa. *Tetraptota*, i. quaterna, vt, magister. *Pentaptota*, i. quina casualia vt doctus. *Hexaptota*, i. sena, quæ sex mutationes casuum habent, vt vnus. *Frugi*, i. abstinens, vel parcus, quia parcit frugibus. *Nihili*, i. inutilis, qui nihil valet. *Nequam*, i. iniustus vel iniquus. *Fas*, i. quod dignum est fari. *Nefas*, i. quod dici nefarium est. Numeri declinantur, i. nomina numerorum. *Hinc lateris*, i omnes casus illius nominis inueniuntur, exceptis nominatiuo & vocatiuo. *Ditione*, i. potestate. *Sponte*, i. voluntate. *Tabo*, id est, peste. *Natu*, i. natiuitate. *Ignarus belli*, i. qui nunquam bellum expertus est. *Securus amorum*, i. qui neminem amat. *Inimicus malis*, rectius dicitur, inimicus mihi est, quam inimicus meus est. *Congruum paribus*, i. conueniens similibus. *Exosus*, b p, f illud est figurate, hoc est, non propter, nam quando dico, *exosus bella*, *præscius futura* genitiuum naturaliter tenent, i *præscius futurorum*; vel aliter figurate est, quia quasi loco participiorum ponuntur, vt, odiens vel odio habens bella. Sed ea subauditur, tantum sunt, quæ non sunt aptota. Si vero e producta fuerit, e litera tunc producitur, cum sit nomen quintæ declinationis. Sed hæc regula p, f, g, p, i. quia omnia nomina quintæ declinationis fœminini sunt generis, excepto *dies*, quod tamen vtrinque inuenitur, & *meridies*, quod semper est masculinum. *Propter differentiam*, i. vt sit differentia accusatiuo plurali ad nominatiuum & vocatiuum pluralem, quia si esset illis similis, error dubietatis nasceretur, siue vt differentia fieret inter ablatiuum nominum illorum & eorum, quæ in e terminant illum ablatiuum, vt ab hoc patre. Nam nominatiui singulares terminati is syllaba, qui ablatiuum singularem in i finiunt, accusatiuum pluralem rectius per is quam per es proferunt; *vel aliter*, i vt huiuscemodi accusatiuus differentiam faceret inter illa nomina, quæ genitiuum pluralem non ... um, sed in um faciunt. Ergo quæ in ium mittunt genitiuum pluralem, melius accusatiuum pluralem in is efferunt. *Ab hac domo*. Nos tamen habemus in vsu tres casus iuxta secundam declinationem, ablatiuum singularem, genitiuum & accusatiuum pluralem. *Ab hoc iugere*. Iuger, in longitudine, 240. pedes, & in latitudinem 120. habet. *Verum meminerimus*, verum pro sed ponitur. *Euphoniam*, i bonam sonoritatem. *Quam analogiam*, i collationem similium, vt doctus, aptus, humus, domus. Quæ fit 8. modis 6. accidentiis nominis, extremitate & ratione temporum. Si igitur horum minus aliquid fuerit nomini, ad quod collatio fuerit, iam non stabit ratio analogiæ, vt est lupus & lepus, lupus facit lupa, lepus fixum est *Nequam*, *nihili*, hæc nomina secundum Priscianum

monopto-

monoptoʈa sunt. *Emblema*, i. abundantia vel figura naturalis in marmore. *Stemma*, i. ornamentum. *Poema*, i. opus poetæ. *In his autem regulis*, i. ablatiui. *Analogia*, i. proportio. *Trieterida*, i. trium annorum sacrificia.

DE VERBIS ANOMALIBVS.

INterrogatio quid sit inter anomala, & inæqualia, & defectiua. Anomalia dicuntur, quæ ab eisdem literis incipiunt, sed non in eadem forma, vt volo, vis. Inæqualia dicuntur, quæ non ab eisdem incipiunt, vt sum, es, & reliqua. Defectiua sunt, aliquando in modis, aliquando in temporibus, aliquando in personis, [illegible]edo, cedite, & reliqua.

DE PEDIBVS.

SYzygiæ sunt pedes pentasyllabi, & dicti apud græcos syzygiæ, quasi quædam declinationes. Sed hi non sunt pedes sed appellantur pentasyllabi, hexasyllabi, quia vltra quinque & sex syllabas non procedunt, vnde non oportet in carmine has syllabas quodlibet excedere nomen, vt Karthaginensium, Hierosolymitanorum, & Constantinopolitanorum.

Accidunt vnicuique pedi arsis & thesis, id est, eleuatio & positio vocis, neque enim inter vocis pedes dirigere poterunt, nisi alternatione leuentur, vt arma *ar* eleuatio est, *ma* positio. In his duobus per diuisionem pedes legitimi colliguntur. Æqua diuisio est quotiens arsis & thesis æquali temporum diuisione ceduntur; dupla, quotiens ex his vnum alterum duplo vincit. Sexcupla vero est, quotiens vnum alterum sexcuplo superat. In simpla enim eius parte vnus plus inuenitur. In dupla vnus minus habetur. Sexcuplum enim dimidium dicitur. Triplum est, quando maior pars ter continet totum minus, id est, tria & vnum. Epitritum est, quando minus continetur à maiore, & eius tertia pars. Ceduntur vero pedum membra vel per æqualitatem, vel per duplum, vel per sexcuplum, vel per triplum, vel per epitritum. Partimus ergo in æqua hos: spondæum, ēstās. Pyrrichium, fŭgă, ex æqua diuisione. Iambum, părēns, ex dupla. Trochæum, mētă, ex dupla.

Partimus ergo in æquam hos:

SPondeum, vt *astas* .-.-
Pyrrichium, *fuga* v.v
Dactylnm, *carmina* -.vv
Anapestum, *erato* [illegible]-
Dispondeum, *oratoris* --.--
Proceleusmaticum, *auicula* vv.vv
Dyambum, *propinquitas* v-.v-
Dittochæum, *cantilena* -v.-v
Antisbastum, *solonius* v-.-v
Coriambum, *armipotens* -v.v-

Item per duplam diuisionem partimus hos pedes:

TRochæum, vt *meta* -.v
Iambum, *parens* v.-
Molossum, *Aeneas* -.--
Tribrachum, *macula* v.vv
Ionicum minorem, *Diomedes* vv.--
Ionicum maiorem, *Iunonius* --.vv

Tripla diuisione diuidimus solum amphibrachum.

Amphibrachum, vt *carina* v.-v

Sexcupla autem diuisionis sunt hi:

AMphimacrus, vt *insula* -.v-
Bachius, *achates* v.-v
Antibachius, *natura* --.v
Peon primus, *legitimus* -v.vv
Peon secundus, *colonia* v-.vv
Peon tertius, *Menedemus* vv.-v
Peon quartus, *celeritas* vv.v-

Restant, quos epitrita partitione diuidimus, hi:

EPitritus primus, *sacerdotes* v-.--
Epitritus secundus, *conditores* -v.--
Epitritus tertius, *Demosthenes* --.v-
Epitritus quartus, *Fescennius* --.vv

Hi pedes quatuor geminati, hos sedecim reddunt.

Pyrrichius cum pyrrichiio	Iunctus, proceleusmaticus est,	vt *auicula*.
Pyrrichius cum spondeo,	Ionicus est minor,	vt *Diomedes* vv--
Pyrrichius cum iambo,	Peon quartus est,	vt *celeritas* vvv-
Pyrrichius cum trochæo,	Peon tertius,	vt *Menedemus* vv-v
Spondeus cum pyrrichio,	Ionicus maior,	vt *Iunonius* --vv
Spondeus cum spondeo,	Dispondeus,	vt *oratores* ----
Spondeus cum iambo,	Epitritus tertius,	vt *Demosthenes* --v-
Spondeus cum trochæo,	Epitritus quartus,	vt *Fescennius* ---v
Iambus cum pyrrichio,	Peon secundus,	vt *colonia* v-vv
Iambus cum spondeo,	Epitritus primus	vt *sacerdotes* v---
Iambus cum Iambo,	Diiambus,	vt *propinquitas* v-v-
Iambus cum trochæo,	Antispastus,	vt *salonius* v--v

Trochæus cum pyrrichio,	Peon primus,	vt *legitimus* - u u u
Trochæus cum spondeo,	Epitritus secundus,	vt *conditores* u
Trochæus cum iambo,	Coriambus,	vt *armipotens* - u u -
Trochæus cum trochæo,	Ditrochæus,	vt *cantilena* - u - u

Bissyllabi cum trissyllabis iuncti 32. proferunt.

Pyrrichius cum tribracho u u u u u
Pyrrichius cum molosso u u - - -
Pyrrichius cum anapesto u u u u -
Pyrrichius cum dactylo u u - u u
Pyrrichius cum amphibracho u u u - u
Pyrrichius cum amphimacro u u - u -
Pyrrichius cum bachio u u u - -
Pyrrichius cum antibachio u u - - u
Spondeus cum tribracho - - u u u
Spondeus cum molosso - - - -
Spondeus cum anapesto - - u u -
Spondeus cum dactylo - - u u
Spondeus cum amphibracho - - u - u
Spondeus cum amphimacro - - - u -
Trochæus cum amphibracho - u u - u
Trochæus cum amphimacro - u - u -
Spondeus cum bachio - - u - -
Spondeus cum antibachio u - u u u
Iambus cum tribracho u - u u u
Iambus cum molosso u - - -
Iambus cum anapesto u - u u -
Iambus cum dactylo u - - u u
Iambus cum amphibracho u - u - u
Iambus cum amphimacro u - - u -
Iambus cum bachio u - u - -
Iambus cum antibachio u - - - u
Trochæus cum tribracho - u u u u
Trochæus cum molosso u - -
Trochæus cum anapesto - u u u -
Trochæus cum dactylo - u u u
Trochæus cum bachio - u u - -
Trochæus cum antibachio - u - - u

Trissyllabi cum trissyllabis positi, 54. inde colliguntur.

Tribus cum tribracho u u u u u u
Tribus cum molosso u u u - - -
Tribus cum anapesto u u u u u -
Tribus cum dactylo u u u - u u
Tribus cum amphibracho u u u u - u
Tribus cum amphimacro u u u - u -
Tribus cum bachio u u u u - -
Tribus cum antibachio u u u - - u
Molossus cum tribracho - - - u u u
Molossus cum molosso - - - - - -
Molossus cum anapesto - - - u u -
Molossus cum dactylo - - - - u u
Molossus cum amphibracho - - - u - u
Molossus cum amphimacro - - - - u -
Molossus cum bachio - - u - -
Molossus cum antibachio - - - - - u
Anapestus cum tribus u u u u u
Anapestus cum molosso u u - - -
Anapestus cum anapesto u u - u u -
Anapestus cum dactylo u u - u u
Anapestus cum amphibracho u u u - u
Anapestus cum amphimacro u u - - u -
Anapestus cum bachio u u - u - -
Anapestus cum antibachio u u - - u
Dactylus cum tribracho u u u u u
Dactylus cum molosso - u u - -
Dactylus cum anapesto - u u u u -
Dactylus cum dactylo - u u - u u
Dactylus cum amphibracho - u u u u
Antibachius cum anapesto - - u u u u
Antibachius cum dactylo - - u u u -
Antibachius cum amphibracho - - u u - u
Dactylus cum amphimacro u u - u -
Dactylus cum bachio - u u - -
Dactylus cum antibachio u u - u
Amphibrachus cum tribus u u u u u
Amphibrachus cum molosso u u - u -
Amphibrachus cum anapesto u - u u u -
Amphybrachus cum dactylo u - u u u
Amphibrachus cum amphibracho u u u u
Amphibrachus cum amphimacro u - u - u -
Amphibrachus cum bachio u - u u - -
Amphibrachus cum antibachio u u - - u
Amphimacrus cum tribus - u u u u
Amphimacrus cum molosso - u - - -
Amphimacrus cum anapesto u - u u -
Amphimacrus cum dactylo - u u u u
Amphimacrus cum amphibrachio u - u u
Amphimacrus cum amphimacro u - u -
Amphimacrus cum bachio u u - -
Amphimacrus cum antibachio - u - - - u
Bachius cum tribracho u - u u u
Bachius cum molo u - - - -
Bachius cum anapesto u - u u -
Bachius cum dactylo u - - u u
Bachius cum amphibracho u - - u u
Bachius cum amphimacro u - - u -
Bachius cum bachio u - u - -
Bachius cum antibachio u - - - -
Antibachius cum tribus - - u u u u
Antibachius cum molosso - u - - -
Antibachius cum amphimacro - - u - u -
Antibachius cum bachio - - u u - -
Antibachius cum antibachio - u - - u

Isti namque pedes, qui hic secuntur, cum superius denominatis coniuncti faciunt 124. Pyrrichius Spondeus, Iambus, Trocheus, Tribrachus, Molossus, Anapestus, Dactylus, Amphibrachus, Amphimacrus, Bachius, Antibachius horum sunt duodecim. Duodecim igitur, & sedecim, & triginta duo, atque sexaginta quatuor supra scriptam summam complebunt 12. 16. 32. 64. faciunt.

Mens tenebrosa tumet mortis obscura tenebris.
Vir humilis, mœstus, cælum conscendit ab humo.
Cuius amor maneat, cuius in corde per æuum,
Scientia est, ô iuuenis, tibi sit sapientia ardor.
Sophia laus animi est. semper homo disce sophiam.
Est decus hoc anima virtus hoc & inclitus ordo.
Condite gaza polo saccos vacuate gazarum
Aula tenet Christum Christi spectoris aula.

HRABANI MAVRI, ABBATIS FVLDENSIS, ET ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, DE VNIVERSO Libri XXII.

EPISTOLA RABANI AD LVDOVICVM Regem inuictissimum, &c. incipit fœliciter.

DOMINO EXCELLENTISSIMO, ET OMNI HONORE DIGNISsimo, Ludouico Regi, Rabanus vilissimus seruorum Dei seruus, æternæ beatitudinis in Christo optat salutem.

AVDITA bona opinione vestra, quæ prædicatur per totas prouincias Germaniæ atque Galliæ, & pene in cunctis partibus Europæ crebris laudibus intonat, satis exulto, & Domini misericordiam imploro; quatinus hoc cum bono augmento ad salubrem finem peruenire concedat. Ob hoc quippe laboris mei opuscula, quæ in seruitium Christi, ipsius largiente gratia, sacras scripturas exponendo; prout potui, expendi, non sine vestra communione habere volui: sed aliquos tractatus, atque commentarios, in diuinos libros conscriptos, vestræ venerationi direxi. Nuper quoq; quia vos, quando in præsentia vestra fui, compertũ vos habere dixistis, aliquod opusculum me nouiter confecisse de sermonum proprietate, & mystica rerum significatione; quod etiam à mea paruitate postulastis vobis dirigi: feci libenter, quod petistis, & ipsum opus vobis in vigintiduobus libris terminatum transmisi: vt, si Serenitati vestræ placuerit, coram vobis relegi illud faciatis; & si aliquid in eo dignum emendatione repertum fuerit, cum vestris sagacissimis lectoribus, prout ratio dictat, illud emendare curetis. Sunt enim in eo plura exposita de rerum naturis, & verborum proprietatibus, nec non etiam de mystica rerum significatione. Quod idcirco ita ordinandum æstimaui, vt lector prudens continuatim positam inueniret historicam & mysticam singularum rerum explanationem: & sic satisfacere quodammodo posset suo desiderio, in quo & historiæ & allegoriæ inueniret manifestationem. Vnde mihi non melius aliud videbatur huius operis sumere initium, quam ab ipso conditore nostro, qui omnium rerũ est caput & principium: quia quicquid naturaliter subsistit, aut auctor & creator omnium est, aut ab eo condita creatura.
Rom. 11. Psal. 110. *Quia ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Sic ergo primum de ipso summo bono & vero conditore nostro: hoc est, Patre & Filio & Spiritusancto, vno & solo omnipotente Deo, iuxta paruitatem ingenii mei, quantum diuina gratia me posse concessit, scribendo aliqua disserui. Postea vero de cœlestibus & terrestribus creaturis non solum de natura: sed etiam de vi & effectibus earum, sermonem habere institui: vt lector diligens in hoc opere & naturæ proprietatem iuxta historiam, & spiritualem significationem iuxta mysticum sensum simul posita inueniret. Et quia de sanctis hominibus, qui in veteri & nouo Testamento commemorantur, eorumque actionibus mysticis, nec non & de locis, in quibus habitabant, silere me non conuenit: nomina ipsorum, simul & locorum ex Hebraica lingua in Latinam transferre placuit: vt inde facilius mysticam significationem explanare possem. Addidi quoq; in præsenti opusculo nõ pauca de fide Ca-

tholica & religione christiana: & econtrario de gentilium superstitione, & hæreticorum errore, de philosophis & magis atque falsis diis, de linguis gentium, de regnis militum, ciuiumque vocabulis atque affinitatibus; de homine & partibus eius, & reliquis animantibus: de lapidibus, lignis & herbis, quæ in terra gignuntur: de variis artibus atque artificiis & aliis multis: quæ omnia in proœmio enumerari longum est. Proinde quod de his posui, nunc sufficiat: cæterum autem in capitulis singulorum librorum diligentius ea enumerari curaui. Decreui enim hoc totum opus (vt supra dixi) in viginti duos libros dispertiri: sub quo numero vetus testamentum legis diuinæ interpres beatus Hieronymus complexum se asseruit: ex cuius interpretatione & expositione quædam obscura in hoc opere elucidaui. Tu autem, electe Domine & Regum carissime, acceptis his, quæ tibi transmisi, vtere eis, vt decet: & tam tibi, quam illis, qui sub tuo regimine sunt constituti, ea vtilia esse permitte: quatenus tuum bonum studium multis proueniat ad spiritalem profectum: & fiat tam tibi, quam illis, spiritale exercitium atque cœlestis gaudij incrementum. Imitare illius sapientis viri exemplum, qui de sapientiæ laude protulit tale præconium, dicens: *Inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem preciosum. quoniam omne aurum in comparatione illius harena est exigua: & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam: & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico: & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus. Quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei: quomodo ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator. In manu enim illius sunt & nos & sermones nostri & omnis sapientia, & operum scientia & disciplina. Ipse enim mihi dedit horum, quæ sunt, scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutem elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes & consummationes temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, cogitationes hominum, differentias arborum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improuisa didici. Omnium enim artifex docuit me sapientia.* (Sap. 7.) Vnde etiam in libro gentium & regum legitur Dominus prob.sse petitionem Salomonis: qui petiit ab ipso sibi dari cor docibile, vt iudicare poss t populum suum, & discernere inter bonum & malum. Vbi ita scriptum est: *Placuit sermo coram Domino: quod Salomon rem huiuscemodi postulasset. & dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti dies multos, nec diuitias animasque inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, intantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit: sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam: vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit Dauid pater tuus: longos faciam dies tuos.* (3. Reg. 3.) Vnde manifestum est: quod quicunque verus est amator sapientiæ, & diligens custos mandatorum Dei, & fidelis executor voluntatis ipsius vsque in finem: hic habet eum protectorem, in futura vero vita fidelissimum boni studii remuneratorem, & gaudii æterni largitorem. Idcirco, Domine mi Rex, ante omnia semper studium sit tibi ad discendam sapientiam diuinam, subiectosque tibi idipsum agere præcipias: quatenus merito rex nominari possis: qui temetipsum & omnes tibi obedientes secundum voluntatem Dei regere, & in viam veritatis ducere conaris. sicque fiet vt cum apparuerit Rex regum, & Dominus dominorum sederit in sede maiestatis suæ, & congregatæ fuerint ante eum omnes gentes: vt recipiant omnes iuxta meritorum qualitatem: aut præmium, aut pœnam. tunc tu cum tuis à dextris eius stans, audias illam amabilem sententiam Domini, quam ad omnes electos suos prolaturus est, dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum ab origine mundi.* (Matth. 25.) sicq; insertus sanctorum cætibus ibis cum eo in vitam æternam, vbi simul cum sanctis angelis lætaberis in conspectu gloriæ

ipsius fœliciter vsque in finem. Maiestas omnipotentis Dei diu vos hic seruet incolumes, & postea in cœlesti regni gaudio beatificet sempiterno.

INCIPIT EPISTOLA RABANI AD HEMMONEM Episcopum.

DOMINO REVERENDISSIMO, ET CVM OMNI CARITATIS OFFICIO MERITO VENERANDO ATQVE COLENDO PATRI, HEMMONI Episcopo, Rabanus inutilis seruorum Dei seruus in Christo æternam optat salutem.

MEMOR boni studii tui, sancte Pater, quod habuisti in puerili atque iuuenili ætate in litterarum exercitio, & sacrarum scripturarum meditatione, quando mecum legebas non solum diuinos libros, & sanctorum patrum super eos expositiones: sed etiam huius mundi sapientiam, de rerum naturis sollertes inquisitiones, quas in liberalium artium descriptione, & ceterarum rerum inuestigatione composuerunt. Postquam me diuina prouidentia ab exteriorum negotiorum cura absoluit, teque in pastoralis curæ officium sublimauit: cogitabam, quid tuæ Sanctitati gratum & vtile in scribendo conficere possem: quo haberes ob commemorationem in paucis breuiter annotatum: quod ante in multorum codicum amplitudine, & facunda oratorum locutione disertum copiose legisti. Neque enim mihi ignotum est, qualem infestationem habeas, non solum à paganis, qui tibi confines sunt, sed etiam à populorum turbis, quæ per insolentiam & improbitatem morum tuæ paternitati non paruam molestiam ingerunt, & ob hoc frequenti orationi atque assiduæ lectioni te vacare non permittunt. Hæc enim omnia mihi sollicite tractanti venit in mentem, vt iuxta morem antiquorum, qui de rerum naturis & nominum atque verborum etymologiis plura conscripsere, ipse tibi aliquod opusculum conderem, in quo haberes scriptum, non solum de rerum naturis, & verborum proprietatibus: sed etiam de mystica earundem rerum significatione: vt continuatim positam inuenires historicam & mysticam singularum expositionem. Tu autem, electe Domine & Episcoporum carissime, acceptis his quæ tibi transmisi, vtere eis, vt decet: & tam tibi, quam illis, qui sub tuo regimine sunt constituti, vtile esse permitte; quatenus tuum bonum studium multis proueniat ad spiritalem profectum, & fiat tam tibi, quam illis, spiritale exercitium, atque cœlestis gaudii incrementum. Imitare illius sapientis viri exemplum, qui de sapientiæ laude tale protulit præconium,

Sap. 7. *dicens*: Inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniã omne aurum in comparatione illius arena est exigua; & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. *Nam & Apostolus Paulus scribens ad Timotheum de doctrina sapientiæ diuinæ, ad hoc ipsum exhortatus est eum, dicens*:

1. Tim 4. Hæc proponens fratribus, bonus minister eris Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Præcipe hæc & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate. Hæc meditare, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt. *Vnde decet te nihil aliud præponere meditationi diuinæ legis, & doctrinæ verbi Dei: nec vllo modo debes ea deserere propter mundanam curam, & secularia negocia: quia hæc maximum impedimentum faciunt operi diuino apud eos, qui his abutuntur. Nam (proh dolor) multi inueniuntur huius temporis viri ecclesiasticis personis, qui relicto prædicandi officio, & spiritali conuersatione, in eo se magnos æstimant, si terrenis negociis præponantur, & disceptationibus secularium sæpe intersint: ita vt in eorum conuentibus quasi arbitres præsideant, & eorum conflictuum iudices fiant. Quod tamen nullo modo Apostolus consentit, qui ait*: Nemo mili-

2. Tim. 2. tans Deo implicet se negociis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nam qui certat in agone

1. Cor. 6. non coronatur, nisi legitime certauerit. *Item alibi ait*: Si quos contemptibiles habetis: hos constituite ad iudicandum secularia negotia. *Multo melius est enim laborare Episcopum in doctrina verbi Dei ob salutem animarum sibi commissarum: quam in disponendis & definiendis ciuilibus quæstionibus, & variis hominum contentionibus vacare, qui propter terrenam cupiditatem lites & rixas incessanter mouent, & vnusquisque in his alterum superare contendit. Nusquam enim in scripturis sacris legitur ipse Saluator, aut discipuli eius hoc egisse siue docuisse. Inuenitur tamen in Euangelio scriptum: quod quidam homo rogauerit ipsum Mediatorem no-*

Luc. 12. *strum, quod fratri suo iuberet, vt diuideret secum hereditatem suam. Cui ille respondit*: O homo, quis constituit me iudicem aut diuisorem inter vos & reliquos? *In quo probauit se nolle, doctores Euangelii curis & rixis secularium occupari vel interesse. Non enim idem officium est, Euangelium Christi in pulpito Ecclesiæ populo prædicare, & in placito secularium lites Forenses inter rixantes decernere. Hæc ergo cum scribantur, mi Domine, nolo, vt æstimes, me nouam legem viuendi tibi constituere: sed olim à sanctis viris prolatam ob commemorationem breuiter commemorare. Credo enim te magis velle interno conspectui conditoris tui salubriter placere: quam fauoribus humanis forinsecus inaniter extolli. Ideo quod bene in seruitio Dei agere cœpisti, hoc melius ac melius semper operando vsque in finem perficere satagas: vt in primis & in vltimis conuersationis tuæ temporibus, Dei seruitium perfecte agens, ad cœlestis præmii plenitudinem feliciter peruenire valeas; quatenus tibi in extremo iudicio ipse sum-*

Matth. 25. *mus paterfamilias cum ceteris electis dicat*: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.

INCIPIVNT CAPITVLA libri primi.

CAPITVLA SECVNDI LIBRI incipiunt.

CAPITVLA TERTII LIBRI incipiunt.

CAPITVLA LIBRI QVARTI incipiunt.

INCIPIVNT CAPITVLA QVINTI libri.

CAPITVLA LIBRI SEXTI.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SEPTIMI.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI octaui.

CAPITVLA LIBRI NONI.

CAPITVLA LIBRI DECIMI.

CAPITVLA VNDECIMI LIBRI incipiunt.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI duodecimi.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI tredecimi.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI decimiquarti.

CAPITVLA LIBRI QVINDECImi incipiunt.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI sedecimi.

CAPITVLA LIBRI DECIMISEptimi.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI decimioctaui.

CAPITVLA LIBRI DECIMINONI incipiunt.

CAPITVLA LIBRI VICESIMI INcipiunt.

CAPITVLA LIBRI VICESIMI PRImi incipiunt.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI vicesimisecundi.

PRimum apud Hebræos Dei nomen *Heli* dicitur: quod alij Deum, alij etymologiam eius exponentes, *scyros*, id est, *fortem* interpretati sunt: ideo quod nulla infirmitate opprimitur: sed fortis est & sufficiens ad omnia perpetranda. Secundum nomen, *Eloim*. Tertium *Eloe*: quod vtrumque in latinum *Deus* dicitur. Quod nomen in latinum est ex Græca appellatione translatum. Nam Deus

Græcæ * theos febor dicitur, id est, timor. Vnde tractum *For. deus
est nomen Dei: quod eum colentibus sit timor. Deus au-
tem proprie nomen est Trinitatis pertinens ad Patrem,
& Filium, & Spiritum sanctum. Ad quam Trinitatem et-
iam reliqua, quæ in Deo infra sunt posita, vocabula refe-
runtur.
Quartum nomen est *Sabaoth*: quod vertitur in lati-
num, *exercituum* siue *virtutum*. de quo in Psalmo ab Ange- Psal. 23.
lis dicitur: *Quis est iste Rex gloriæ, Dominus virtutum?* Sunt
autem in huiusmodi ordinatione virtutes multæ: vt An-
geli, Archangeli, principatus, & potestates, cunctique
cœlestis militiæ ordines: quorum tamen ille Dominus
est. Omnes enim sub ipso sunt, eiusque Dominatui sub-
iacent.
Quintum nomen est *elion*, quod interpretatur in lati-
num *excelsus*: qui super cœlos est: sicut scriptum est de eo: Psal. 112.
Excelsus Dominus, & super cælos gloria eius. Excelsus autem di-
ctus pro valde celsus. Ex enim pro *valde* ponitur: sicut *exi-
mius*, quasi *valde eminens*.
Sextum, *eie*, id est *qui est*. Deus enim solus, quia æter-
nus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ no-
men tenet. Hoc enim nomen ad sanctum Moysen per
Angelum est delatum. Quærenti enim, quod esset no-
men eius, qui eum pergere præcipiebat ad populum ex Exod. 3.
Aegypto liberandum, respondit: *Ego sum, qui sum. & di-
ces filiis Israhel: Qui est, misit me ad vos.* tanquam in eius com-
paratione, qui vere est, quia incommutabilis est, ea, quæ
commutabilia sunt, quasi non sint. Quod enim dicitur,
fuit non est: & quod dicitur, *erit*, nondum est. Deus au-
tem tantum *esse* nouit: *fuisse & futurum esse* non nouit. So-
lus autem Pater cum Filio & Spiritu sancto veraciter est:
cuius essentiæ comparatum esse nostrum, non esse est.
Vnde & in colloquio dicimus: *Viuit Deus*. qui essentia vi-
uit, quam mors non habet. Septimum *adonai*, quod ge-
neraliter interpretatur, *Dominus*: quo dominetur creaturæ
cunctæ: vel quod creatura omnis dominatui eius deser-
uiat. Dominus ergo & Deus, vel quod dominetur o-
omnibus, vel quod timeatur à cunctis. Octauum *ia*, quod
in Deo tantum ponitur: quod etiam in *alleluia* in nouissi-
ma syllaba sonat. Nonum, *tetragrammaton*, hoc est *quatuor
literarum*: quod proprie apud Hebræos in Deo ponitur:
iod, he, vau, he: id est duabus ia: quæ duplicata ineffabile il-
lud & gloriosum nomen Dei efficiunt. Dicitur autem *in-
effabilis*: non quia dici non potest: sed quia finiri sensu &
intellectu humano nullatenus potest. & ideo quia de eo
nihil digne dici potest, ineffabilis est. Decimum, *saddai*, id
est, *omnipotens*. Vocatur autem omnipotens, eo quod o-
mnia potest: sed & à faciendo, quod vult; non à patiendo,
quod non vult. Quod si ei accederet, nequaquam omni-
potens esset. Facit enim quod vult: & inde omnipotens. For. vbiq;
Item omnipotens, quod ipsius sunt omnia, quæ * vbi
sunt. Solus enim totius mundi habet imperium. Dicun-
tur autem & alia quædam in Deum substantialiter nomi-
na: vt immortalis, incorruptibilis, incommutabilis, &
æternus. Vnde & merito cunctæ præponitur creaturæ. 1. Tim. 6.
Immortalis sicut de eo scriptum est: *Qui solus habet immor-
talitatem*: quia in eius natura nulla est commutatio. Nam
omnis mutabilitas non inconuenienter mortalitas di-
citur: secundum quod & anima dicitur mori; non quia in
corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur &
vertitur: sed in ipsa sua substantia. quicquid alio modo
nunc est, aut fuit secundum id, quod destitit esse; quod e-
rat mortalis, vtique deprehenditur. ac per hoc Deus so-
lus dicitur immortalis: quia solus incommutabilis, incor-
ruptibilisque appellatur: quia corrumpi & dissolui non
potest, nec diuidi. Quicquid enim capit diuisionem, &
interitum capit. Ille nec diuidi potest, nec interire: in-
de incorruptibilis est. Incommutabilis est: quia semper
manet, & mutari nescit: nec perficit, quia perfectus
est: nec deficit, quia æternus est. Æternus est, quia si-
ne tempore est: non enim habet initium, neque finem.
Hinc & sempiternus, eo quod sit semper æternus. A
quibusdam autem æternus ab æthere creditur dictus:
quomodo cœlum sedes eius habetur. Vnde est il-
lud: *Cœlum cœli Domino.* Et hæc ista quatuor vnum signi- Ps. 113.
ficant.

ficant. Nam vna eademq; res dicitur, siue dicatur æternus Deus, siue immortalis, siue incorruptibilis, siue immutabilis. Nam inuisibilis Deus dicitur, quia nunquam per substantiam suam apparuit oculis mortalium Trinitas, nisi per speciem subiectæ creaturæ, eiusdemque corporeæ. Nam nemo potest ipsam manifestationem essentiæ Dei videre & viuere, sicut & dictum est Moysi.
Ioan. 1. Vnde & Dominus in Euangelio ait: *Deum nemo vidit vnquam.* Inuisibilis enim res est; ideoque non oculo, sed corde quærendus est. Impassibilis: quod nullis perturbationibus afficitur, quibus fragilitas humana succumbit. Non enim attingunt eum vllæ passiones: vt libido, iracundia, cupiditas, timor, mœror, inuidia, &c. quibus mens humana turbatur. Sed cum dicitur Deus irasci, aut zelare, aut dolere: nostro vsu dicitur. Apud Deum enim est perturbatio nulla: apud quē tranquillitas summa est. Simplex autem dicitur, siue non amittendo, quod habet: seu quia non aliud est ipse, & aliud, quod in ipso est: sicut in homine, cuius aliud est *esse*, & aliud *sapere*: nam & esse potest, & sapiens non esse. Deus habet essentiam: habet & sapientiam: sed quod habet, hoc est: & omnia vnus, ac proinde simplex est: quia non in eo aliquid accedere potest. Sed & quod est, & quod in ipso est, essentialiter est; excepto, quod relatiue ad quamcumque personam est. Summe bonus, quia incommutabilis est: creatura vero bonum, sed non summum est, quia mutabilis est: & dum sit quidem bonum, non tamen esse potest & summum. Incorporeus autem vel incorporalis ideo dicitur Deus, vt spiritus credatur vel intelligatur esse, non corpus. Nam dum dicitur spiritus, eius significatur substantia. Immensus, quod cuncta concludat, & ipse à nullo concludatur: sed omnia intra eius omnipotentiam coarctentur. Perfectus dicitur, quia nihil ei potest adici & tamen de consummatione alicuius facti perfectio dicitur. Deus autem qui non est factus, quomodo est perfectus. Sed hoc vocabulum de vsu nostro sumpsit humana inopia, sicut & reliqua verba, quatenus id, quod ineffabile est, vtcumque dici possit; quomodo Deo nihil digne humanus sermo dicit, sicut sunt & alia. Creator dictus pro totius mundi rebus ab ipso creatis. Nihil enim est, quod non originem a Deo traxerit. Ipse & vnus, quia diuidi non potest: vel quia nihil aliud esse potest, quod tantundem capiat potestatis. Hæc igitur, quæ de Deo dicta sunt, ad totam pertinent Trinitatem, propter vnam & coæternam substantiam, siue in Patre, siue in Filio eius vnigenito: in forma autem Dei, siue in Spiritu sancto, qui vnus est Spiritus Dei Patris, & Filij eius vnigeniti. Sunt & quædam vocabula ex vsu nostro ad Deum sumpta de membris nostris, siue de inferioribus: qui in propria natura inuisibilis & incorporeus est: pro efficientibus tamen causarum in ipso, rerum species asscribuntur: vt more locutionis nostræ facilius seipsum insinuet: vt quia omnia videt, dicatur oculus; & propter quod audit omnia: dicatur auris: pro eo quod auertitur, ambulat: pro eo quod exspectat, stat. Sic in cæteris horum similibus ab humanis mentibus trahitur similitudo ad Deum: sicut est obliuiscens & memorans. Hinc
Esai. 14. est, quod Propheta dicit: *Iurauit Dominus exercituum per animam suam*: non quod Deus animam habeat: sed quod nostro narrat affectu. Nam & facies Dei in scripturis sanctis, non caro, sed diuina cognitio intelligitur, eadem ratione, qua per faciem conspectam quisque co-
Psal. 68. gnoscitur. Hoc enim in oratione dicitur Deo: *Ostende nobis faciem tuam.* Ac si diceretur: *Da nobis cognitionem tuam.* Sic & vestigia Dei dicuntur, quod nunc Deus per speculum cognoscitur. Ad perfectum vero omnipotens reperietur, dum in futuro facie ad faciem quibusque electis præsentabitur: vt ipsam speciem contemplemur, cuius nunc vestigia comprehendere conantur, hoc est, quem videre per speculum dicuntur. Nam & situs, & habitus, & locus, & tempus in Deo non proprie: sed per similitudinem translate dicuntur. Sedere quippe super cherubim dicitur, quod est ad situm & abysso tanquam vestimento amictus, quod est ad habitum: *& anni tui non deficient*: quod ad tempus pertinet. Psal. 101.
Et si ascendero in cælum, tu illic es: quod ad locum manet. Psal. 138.
Nam & in Prophetia plaustri portantes fœnum species ad Deum ducitur. Et hæc omnia per figuram dicuntur Deus: quod nihil horum ad proprietatem substantiæ eius pertinet.

Et quia (sicut diximus) membra humana & habitus atque affectus humani per figuram Deo adscribuntur: breuiter ea, quæ de his scripta recolimus, annotamus. Caput Domini ipsa diuinitas: eo quod principium & creator sit omnium rerum. Capilli autem Domini candidi in propheta Daniele scribūtur: eo quod antiquus sit dierum. Dan. 7.
Oculi * Deum inspectio diuina: * Domini.
eo quod omnia videat. vt est illud in Apostolo: *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Heb. 4.
Palpebræ * Deum occulta & spiritualia in diuinis præceptis mysteria: * Domini.
vt est in Psalmo: *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, hoc est, *probans filios hominum.* Psal. 10.
Odoratus Domini, delectatio eius in moribus siue operibus sanctorum: vt in Genesi: *Odoratus que est Dominus odorem suauitatis.* Gen. 8.
Os Domini filius eius vel sermo ad homines: vt in Psalmo: *Os Domini locutum est.* Et alibi: *Os Domini ad iracundiam prouocauerunt.* Esai. 1.
Lingua Domini, Spiritus eius sanctus: vt Thr. 1.
in Psalmo: *Lingua mea calamus.* Facies Domini, ostensio eius per Filium eius ad homines: vt in Exodo: *Facies mea præcedet te.* Psal. 44.
& in Psalmo: *Facies Domini dimisit eos.* Exod. 33.
Verbum Domini, Filius: vt in Psalmo: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Ps. 44.
Brachium Domini, Filius, per quem omnia operatus est: vt in Propheta Esaia: *Et brachium Domini cui reuelatum est.* Esai. 53.
Dextra Dei, id est, Filius: vt in Psalmo: *Dextera Domini fecit virtutem.* Psal. 117.
Item dextera Domini, gloria, siue beatitudo perpetua: sicut in Euangelio de Filio dicitur: *Sedet ad Dexteram Dei.* Marc. 16.
Rursum dextera Dei, electi omnes: vt in Deuteronomio: *In dextera eius ignea lex.* Deut. 33.
Alæ Domini, protectio diuina: vt in Psalmo: *In vmbra alarum tuarum sperabo.* Ps. 56.
Scapulæ Domini, diuina patientia: qua portare dignatur infirmos: vt in Deuteronomio: *Suscepit eos, & supposuit scapulis suis.* Deut. 32.
Manus Domini, diuina operatio. vt in prophetia: *Nonne manus mea fecerunt hæc omnia?* Esai. 66.
Digitus Domini, Spiritus sanctus, cuius operatione tabulæ legis in Exodo scriptæ referuntur: & in Euangelio: *Si in digito Dei eiicio dæmonia.* Digiti Domini, legislator, Moyses, siue Prophetæ. vt in Psalmo: *Videbo cælos*, hoc est, legis libros, & Prophetarum, *opera digitorum tuorum.* Ps. 8.
Sapientia, Dei Filius. In Apostolo: *Christus Dei virtus, & Dei sapientia.* 1. Cor. 1.
Et in Salomone: *Sapientia Domini attingit à fine vsque ad finem fortiter.* Sap. 8.
Vterus Domini, secretum diuinitatis: ex quo filium protulit: vt in Psalmo: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Ps. 109.
Pedes Domini, stabilitas æternitatis: vt in Psalmo: *Et caligo sub pedibus eius.* Psal. 17.
Thronus, Domini, Angeli, siue sancti, vel ipsa regnandi potestas: vt in Psalmo: *Thronus tuus Deus in seculum seculi.* Psal. 118.
Sedes Domini, id est, quod supra, Angeli vel sancti: quod in his Dominus sedeat: vt in Psalmo: *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Ps. 46.
Descensus Domini, visitatio eius ad homines: sicut in Michea: *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet conculcans extrema terræ.* Mich. 1.
Item in malam partem: vt in Genesi: *Descendit Dominus, vt videret turrim.* Gen. 11.
Ascensus Domini, eleuatio hominis assumpti à terra ad cœlos: vt est in Psalmo: *Qui ascendit super cælos cælorum ad orientem.* Psal. 34.
Stare Domini, patientia diuinitatis, per quam peccatores ad pœnitentiam sustinet: sicut in Abacuc: *Stetit & mensus est terram.* & in Euangelio: Abac. 3.
Stetit Iesus, & iussit eum vocare ad se, hoc est, cæcum. Marc. 10.
Transitus Domini, carnis assumptio: per quam nascendo, moriendo, resurgendo, in cœlos ascendendo, quendam transitum fecit. In cantico canticorum: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cant. 2.
Gressus Domini, aduentus vel visitatio eius. Viæ Domini, operatio diuinitatis: sicut in Iob pro diabolo: *Ipse est principium viarum Dei.* Iob. 40.
Item viæ Domini, præcepta Domini vt in Osee: *Quomodo rectæ viæ Domini, & iusti ambulant in eis.* Ose. 14.
Vestigia Domini, operum secretorum signa: vt in Psalmo: *Et vestigia* Psal. 76.

stigia tua non cognoscentur. Cognitio Domini: quod cognoscentes nos faciat. Vnde dicit ad Abraham: *Gen. 22.* *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, hoc est, cognoscere te feci. Nescire Deum, reprobare est: vt in Euangelio: *Matth. 7.* *Nescio vos.* Recordatio Domini, misericordia eius, per quam respicit & miseretur, cui vult: sicut in Genesi *Gen. 8.* *Recordatus est Dominus Noe.* Et alibi: *Psal. 77.* *Recordatus est Dominus populi sui.* Pœnitentia Domini rerum mutatio: sicut in libro regum: *1. Reg. 15.* *Pœnitet me, quod constituerim Saul regem.* Ita & furor Domini, vltio diuinitatis in peccatores secundum vindictam patientis: non secundum æquitatem iudicantis: vt in Psalmo: *Psal. 2.* *In ira sua & in furore suo conturbabit eos.* Dormire Domini est, dum in quorundam hominum cordibus fides eius minime vigilat: vt in Psalmo: *Ps. 43.* *Exurge, quare obdormis Domine?* Vigilia Domini, in electorum suorum custodia per præscientiam diuinitatis semper adesse: vt in Psalmo: *Ps. 120.* *Ecce non dormitabit neque obdormiet.* Sedere Dominum, regnare est: vt in Psalmo: *Ps. 46.* *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Scabellum Domini, homo assumptus à Verbo, vel sancti eius a quibusdam putantur: vt in Psalmo: *Psal. 98.* *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Item scabellum est humiliatorum subiectio: vt in Psalmo: *Ps. 109.* *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ambulatio Domini, declaratio diuinitatis in operibus electorum suorum: vt in Propheta: *Leu. 26.* *Et inambulabo in illis, & ero illorum Dominus.* Tuba Dei, vox manifesta: vt in Apostolo: *1. Thess. 4.* *In iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.*

Capit. II.

De Filio Dei.

MVltis etiam modis Christus in scripturis inuenitur diuitis. Nam ipse Dei Patris vnigenitus est filius, qui dum esset æqualis Patri, propter salutem nostram, formam serui accepit. Proinde quædam nomina in illo ex diuinitatis substantia, quædam ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta sunt. Christus namque Græce à Chrismate appellatus est: hoc est, *vnctus*. Sacerdotes ergo & reges apud Iudæos sacra vnctione in veteri testamento vngebantur. & ideo Christus vnctus appellatur: qui rex & sacerdos est: qui non oleo materiali: sed oleo lætitiæ, hoc est, Spiritu sancto est vnctus præ omnibus participibus suis. Christus vero Hebraice Messias dicitur. Ihesus Hebræum, Græce soter, latine salutaris, vel saluator interpretatur: pro eo quod cunctis gentibus salutifer venit. Emanuel ex Hebræo in latinum significat nobiscum Deus: scilicet quod per virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit. Deus dicitur propter vnitam cum Patre substantiam: Dominus propter seruientem sibi creaturam. Deus autem & homo, quia verbum & caro. Vnigenitus autem vocatur per diuinitatis excellentiam: quia sine fratribus. Primogenitus per susceptionẽ hominis: in qua per adoptionem gratiæ habere fratres dignatus est: quib. esset primogenitus. Homousios patri ab vnitate substantiæ appellatur. Substantia enim vel essentia Græce vsia dicitur: homôs, vnum. Vtrumq; n. coniunctum sonat vna substantia. Principiũ eo, quod ab ipso sunt omnia, & quia ante eum nihil est. Finis, vel quia dignatus est in fine seculorum humiliter in carne nasci & mori: vel quia quicquid agimus, ad illum referimus: & cum ad illum peruenerimus; vltra, quod quæramus, non habemus. Os Dei est, quia verbum est eius. Nam sicut proverbis, quæ per linguam fiunt, sæpe dicimus illa vel illa lingua: ita pro Dei verbo ponitur os: quia mos est, vt ore verba formentur. Verbum autem ideo dicitur, quia per eum omnia Pater condidit siue iussit. Veritas, quia non fallit: sed tribuit, quod promisit. Vita, quia omnia viuificat. Imago dicitur propter parem similitudinem Patris. Figura: quod suscipiens formam serui per operum virtutumque similitudinem Patris in se imaginem atque immensam magnitudinem designauit. Manus Dei est quod omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata est. Brachium quod ab ipso omnia continentur. Virtus: quod omnem Patris potestatem in semetipso habeat, & omnia potest. Sapientia: quod ipse reuelet mysteria scientiæ, & arcana sapientiæ. Splendor, propter quod manifestat. Lumen, quia illuminat. Lux, quia ad veritatem contemplandam cordis oculos reserat. Sol, quia illustrator. Oriens, quia luminis fons, & quod oriri nos faciat ad vitã æternam. Fons: quia rerum origo est, vel quod faciat sitientes. Ipse quoque a, & o: quia initium & finis. Paraclitus, id est, aduocatus: quia pro nobis intercedit apud Patrem: & ad culpas nostras remouendas curam gerit. Sponsus, quia de cœlo descendens adhæsit ecclesiæ, vt essent duo in carne vna. Angelus dicitur propter annunciationẽ paternæ ac suæ voluntatis. Vnde & apud Prophetam magni consilij angelus legitur: dum sit Deus & Dominus angelorum. Missus dicitur: quia Verbum caro factum est. Homo dicitur: quia incarnatus est. Mediator: quia de morte ad vitam nos perduxit. Propheta quod futura reuelauit. Sacerdos: quod pro nobis hostiam se obtulit. Pastor: quia custos est. Magister: quia ostensor. Nazaræus vero à loco Nazaret. A merito, id est, sanctus, siue mundus, quia peccatum non fecit. Siquidem & de aliis inferioribus rebus nominum species ad se trahit Christus, vt facilius intelligatur. Dicitur autem panis, quia caro. Vitis: quia ex sanguine ipsius redempti sumus. Flos: quia electus. Via: quia per ipsum ad Deum imus. Ostium: quia per ipsum ad Deum ingredimur. Mons: quia fortis. Petra: quia firmitas est credentium. Lapis angularis: vel quia duos parietes ediuerso, id est, de circumcisione & præputio, in vnam fabricam ecclesiæ iungit: vel quod pacem Angelis & hominibus in se facit. Lapis offensionis: quia veniens humilis, offenderunt in eum increduli homines, & factus est petra scandali. Fundamentum autem ideo vocatur: quia fides in eo fundata est: vel quia super eum Catholica Ecclesia constructa est. Agnus dicitur propter innocentiam. Ouis propter mansuetudinem. Aries propter principatum. Hædus propter similitudinem carnis peccati. Et vitulus pro eo quod pro nobis est immolatus. Leo pro regno & fortitudine. Serpens pro morte & sapientia. Idem & vermis: quia resurrexit. Aquila pro eo quod post resurrectionem ad astra remeauit. Nec mirum si vilibus significationibus figuretur: qui vsque ad nostrarum passionum seu carnis contumelias descendisse cognoscitur, qui dum sit Dei Patris coæternus ante secula filius, postquam venit plenitudo temporis, propter salutem nostram formã serui accepit, & factus est filius Dei filius hominis. Vnde quædam de illo in scripturis secundum formam Dei: quædam secundum formam serui dicuntur. Quorum exempli gratia duo: quædam commemorantur, vt singula ad singula referantur. Secundum formam enim Dei de seipso dicit: *Ego & Pater vnum sumus.* *Ioan. 10.* Secundum formam hominis dicit: *Pater maior me est.* *Ioan. 13.* Homines autem minus intelligentes: quid & ad quid dicantur: ea quæ propter formam serui dicta sunt, volunt transferre ad formam Dei: & rursus ea, quæ dicta sunt ad formam Dei, vt ad se inuicem personæ referantur, volunt nomina esse naturæ atque substantiæ: & faciunt errorem in fide. Sic enim Dei filio coniuncta est humana natura: vt ex duabus substantiis fieret vna persona. Solus igitur homo pertulit crucem: sed propter vnanitatem personæ & Deus dicitur pertulisse. Hinc est, quod scribitur: *Si enim cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent.* *1. Cor. 2.* Filium enim Dei crucifixum fatemur, non ex virtute diuinitatis, sed ex infirmitate humanitatis: non ex suæ naturæ permansione: sed ex nostræ susceptione.

Inueniuntur ergo membra corporalia ipso Filio Dei asscribi: necnon & habitus corporis, de quo iam supra aliqua posuimus, & adhuc alia subiiciemus. Nam caput Christi Deus esse in Apostolo legitur, & caput ecclesiæ Christus: vt est illud: *Nam caput mulieris est vir: caput autem viri Christus, caput vero Christi est Deus.* *1. Cor. 11.* Corpus quidem Christi sancta est Ecclesia: sicut etiam idem Apostolus ostendit. Capilli namque Christi candidi multitudinem sanctorum dealbatorum in Apocalypsi exprimunt, vbi

Apoc. 1. scriptum est: *Caput autem eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix.* Antiquitas & immortalitas maiestatis in capitis candore ostenditur. Cui præcipue isti quique velut capilli adhærentes, propter oues ad dexteram futuras instar lanæ, & propter dealbatorum innumerabilem turbam & electorum e cœlo datorum, instar niuis effulgent. Oculi Christi præcepta sunt Euangelica. *Gen. 49.* Vnde in Genesi legitur: *Pulchriores sunt oculi eius vino*, hoc est, veteris legis doctrinis. Item oculi Christi Doctores sunt: per quos Ecclesia videt, quæ recta sunt, *Cant. 5.* vt est illud in Cantico Canticorum: *Oculi eius, sicut columbæ super riuulos aquarum.* Qui bene, columbæ, propter simplicitatem, & riuulis aquarum, propter charismata diuina comparantur. Dentes Christi Apostoli sunt, & prædicatores noui testamenti. Vnde scri- *Gen. 49.* ptum est: *Dentes eius lacte candidiores.* Qui præcidunt ab erroribus homines, & eos quasi comedendo in Christi corpus transferunt. Nomine autem lactis doctrina legis significatur. Lingua Christi Euangelicus sermo *Psal. 21.* est. *Lingua mea adhæsit faucibus meis.* Fauces Christi prædicatores sunt Euangelij. Nam de gutture illius ita legi- *Cant. 5.* tur in Cantico Canticorum: *Guttur illius suauissimum est.* In gutture interna dulcedo verborum illius memoratur: quam qui sapit, non esurit. Labia Christi, an- *Cant. 5.* nunciatores verbi: vt in Cantico Canticorum: *Labia illius distillantia myrrham primam.* Barba CHRISTI homo assumptus à Verbo, vel perfecti omnes: vt est in Psal- *Psal. 132.* mo: *Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam Aaron.* Manus CHRISTI, operarij iustitiæ, ad omne opus bonum parati. vt est illud in Cantico Canticorum: *Cant. 5.* *Manus eius tornatiles aureæ. Digiti mei pleni sunt myrrha.* In manibus enim opera, in digitis discretio designatur. in myrrha continentia & passiones, quæ tunc probatissima est: cum solummodo pro charitate Dei & proximi, vel continentia vel passiones fiunt. Dextera Domini, testamentum nouum: sinistra, vetus. Item dextera, beatitudo perpetua: sinistra, vita præsens: sicut in Canti- *Cant. 2. 8.* co Canticorum Ecclesia dicit: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Item dextera, electi: sinistra, *Matth. 25.* reprobi omnes. vt in Euangelio: *Statuet oues à dextris, hædos autem à sinistris.* Vbera CHRISTI, Euangelica *Cant. 1.* doctrina: vt in Cantico Canticorum: *Meliora sunt vbera tua vino.* Mamillæ Domini, duo testamenta. Vnde *Apoc. 1.* legitur in Apocalypsi: *Et zona aurea circa mamillas.* Venter CHRISTI, lauacrum regenerationis, ex quo electos suos per adoptionis gratiam in filios generat. Hinc *Cant. 5.* in Cantico Canticorum dicitur: *Venter tuus eburneus.* Intestina Domini, secretum diuinitatis, siue in sacra scriptura occulta Sacramenta. Hinc in Exodo scriptum est: *Exod. 12.* *Caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* Crura eius, Apostoli vel cæteri prædicatores totum Ecclesiæ corpus *Cant. 5.* sustinentes: de quo in Cantico Canticorum dicitur: *Crura eius sicut columnæ marmoreæ.* Pedes Domini, assumptus homo à Verbo, vel Sancti Apostoli. De quo in *Deut. 33.* Deuteronomio scriptum est: *Qui appropinquant pedibus* *Ps. 131.* *eius, accipient de doctrina illius.* Et in Psalmo: *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Ossa CHRISTI, fortes in Ecclesia, quæ est corpus eius. De quo in Psalmo scri- *Ps. 21.* ptum est. *Dispersa sunt omnia ossa mea.* Carnes CHRI- *Ps. 26.* STI infirmi in Ecclesia: de quo dicit in Psalmo: *Dum appropinquant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Vestimenta Domini, caro assumpta. Vnde in Ezechie- *Ezech. 9.* le Propheta scriptum est: *Ecce vir vestitus lineis*, id est, carne munda. Item vestimenta CHRISTI, electi omnes: *Iob 40.* vt in Iob: *Circunda tibi decorem tuum, & speciosis induere vestibus.* Tunica CHRISTI, eius Ecclesia, cuius figuram tunica illa habuit: de qua in Euangelio scribitur: *Ioan. 19.* *Non scindamus illam: sortiamur de illa, cuius sit.* Stola CHRISTI, caro assumpta, passionis vino mundata. Hinc in *Gen. 49.* Genesi scriptum est: *Lauabit vino stolam suam.* Vnde pallium CHRISTI, sancta Ecclesia, eius aspersa cruore. *Ibid.* Vnde & supra: *In sanguine vuæ pallium suum.* Lumbare Domini, populus Iudæorum, superbiæ vicio putrefa- *Ierem. 7.* ctum. De quo in Iheremia scriptum est: *Sicut lumbare adhæret corpori, sic appellaui populum istum ad me, dicit Dominus.* Cingulum CHRISTI, iustitia siue fides eius. Hinc in Esaia legitur: *Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* *Esa. 11.* Calciamenta Domini mysterium incarnationis, de quo Iohannes Baptista in Euangelio ait: *Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamenti eius.* *Luc. 3.*

CAPIT. III.

De Spiritu sancto.

SPIRITVS sanctus ideo prædicatur Deus, quia ex Patre Filioque procedit. & substantiam eius habet. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quam quod ipse est Pater. Spiritus sanctus autem dictus est secundum id, quod ad aliquid refertur. Sicut enim relatiue Pater & Filius dicuntur: ita & Spiritus sanctus ad Patrem & Filium quodammodo relatiue dicitur, quia Patris & Filij Spiritus est: sed ipsa relatio Spiritus sancti non ita reciprocatione conuerti poterit, sicut Pater & Filius. Nam Pater Filij Pater dicitur, & Filius Patris * dicitur: Spiritus sanctus vero vniformiter dicitur ad *Filius.* Patrem & Filium: quia Patris & Filij Spiritus est. Dicimus enim Spiritum sanctum, spiritum Patris: sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius eius intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum, Spiritum Filij: sed non dicimus Filium Spiritus sancti: ne Pater eius intelligatur Spiritus sanctus. Dicitur & idem Spiritus donum Dei: quia Deus donator doni sui est. In quibus nominibus circumferri potest vicissim relationis regula: vt sic dicatur donator doni, & donum donatoris. quia in his vocabulis potuit inueniri vsitata huic categoriæ, quæ dicitur ad aliquid, circumlatio. Ergo hoc donum Dei, id est, Spiritus sanctus, qui de Patre & Filio æqualiter procedit ineffabilis, quædam Patris Filiique communio est: & ideo fortasse sic appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter dicuntur: quia & Pater Spiritus & Filius Spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus recte dicitur. Ergo vt nominibus iunctisque separatim vtriusque personæ conueniunt, vtriusque communio proprie significetur, vocatur Spiritus sanctus: quia est tertia in sancta Trinitate persona, Patri & Filio per omnia æqualis, qua coæternus, & consubstantialis. Et hæc Trinitas, vnus est Deus, solus bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipse sibi vnitas, diuinitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad se substantialiter dicitur. Non ita in relatiuis vocabulis intelligendum est, vel dicendum: quia dici non potest, Pater sibi Pater, vel Filius sibi Filius, vel Spiritus sanctus sibi Spiritus sanctus: sed hæc relatiua vocabula ad aliam personam referuntur. Nam & hoc nomen, quod Spiritus dicitur, non semper secundum id, quod refertur ad aliquid: sed secundum id, quod ad aliquam naturam significat, intelligitur. Omnis enim incorporea natura Spiritus in scripturis sacris appellatur. Vnde non tantum Patri & Filio & Spiritui sancto, sed omni rationali creaturæ & animæ hoc vocabulum congruit. Spiritus sanctus ideo non dicitur genitus, ne duo in Trinitate filij suspicarentur. Ideo non prædicatur ingenitus, ne duo Patres in ipsa Trinitate credantur. Procedens autem dicitur, testimonio *Ioan. 15.* Domini dicentis: *Cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et rursum. *ille*, inquit, *clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Hic autem non solum natura procedit: sed semper ad peragenda opera Trinitatis indesinenter procedit. Hoc interest inter nascentem Filium, & procedentem Spiritum sanctum: quod Filius ex vno nascitur, Spiritus sanctus ex vtroque procedit. Et ideo dicit Apostolus: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Nam Pater nunquam legitur *Rom. 8.*

[Ioan. 14] miſſus, Spiritus vero miſſus: vt eſt illud Dominicum: *Paraclitum, inquit, Spiritum ſanctum, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. & ſuggeret vobis omnia.* Paraclitus enim græce, latine interpretatur conſolator, à conſolatione. Paraclisis enim conſolatio interpretatur. Chriſtus enim eum lugentibus miſit, poſtquam ab eorum oculis ipſe in cœlum aſcendit. Conſolator enim triſtib. mittitur ſecundum illam eiuſdem Domini [Matth. 5.] ſententiam: *Beati lugentes: quoniam ipſi conſolabuntur.* Ipſe [Matt. 9.] etiam dicit: *Tunc lugebunt filij ſponſi: cum ab eis ablatus fuerit ſponſus.* Item paraclitus pro eo quod conſolationem præſtat animis, qui gaudium temporale amittunt. Alij paraclitum latine oratorem vel aduocatum interpretantur. Ipſe enim Spiritus ſanctus dicit ipſe docet: per ipſum datur ſermo ſapientiæ: ab ipſo ſancta ſcriptura inſpirata eſt. Ideo Spiritus ſanctus ſeptiformis nuncupatur propter dona, quæ de diuinitatis eius plenitudine particulatim quique, vt digni ſunt, conſequi promerentur. Ipſe enim Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiri- [Eſa. 11.] tus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, Spiritus timoris Domini dicitur. Spiritus autem principalis in Pſalmo quinquageſimo legitur. Vbi quia tertio Spiritus repetitur, non nulli Trinitatem intelle- [Ioan. 4.] xerunt: ideo quia ſcriptum eſt: *Deus ſpiritus eſt.* Quod enim non eſt corpus, & tamen eſt: videtur reſtare, vt Spiritus ſit. Intelligunt enim ibi nonnulli Trinitatem ſignificari: in Spiritu principali Patrem, in Spiritu recto Filium, in Spiritu ſancto Spiritum ſanctum. Spiritus ſanctus ideo donum Dei dicitur, eo quod datur. A dando enim donum eſt nuncupatum. Notiſſimum eſt enim Dominum Ieſum Chriſtum, cum poſt eius reſurrectionem à mortuis aſcendit in cœlum, dediſſe Spiritum ſanctum: quo credentes impleti, linguis omnium gentium loquebantur. Intantum donum Dei eſt, inquantum datur eis, qui per eum diligunt Deum. Apud ſe autem Deus eſt. apud nos donum eſt: ſed ſempiter- [1. Cor. 12.] ne Spiritus ſanctus donum eſt, diſtribuens ſingulis, prout vult, gratiarum dona. Nam & prophetis, quibus vult, impartit: & peccata, quibus vult, dimittit. Nam peccata noſtra ſine Spiritu ſancto non donantur. Spiritus ſanctus inde charitas proprie nuncupatur: vel quia naturaliter eos, à quibus procedit, coniungit, & ſe vnum cum eis eſſe oſtendit: vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipſe in nobis. Vnde & in donis Dei nihil maius eſt caritate. & nullum eſt maius donum Dei, quam Spiritus ſanctus. Ipſe eſt & gratia. Quæ quia non pro meritis noſtris: ſed voluntate diuina gratis datur, inde gratia nuncupatur. Sicut vnicum Dei verbum proprie vocamus nomine ſapientiæ, cum ſit Pater. & Filius, & Spiritus ſanctus vniuerſaliter ſapientia: ita Spiritus ſanctus proprie nuncupatur vocabulo charitatis, cum ſit Pater & Filius vniuerſaliter charitas. Spiritus ſanctus digitus Dei eſſe, in libris Euangelij apertiſſime declaratur. Cum enim vnus Euangeliſta dixiſſet: *In digito Dei eiicio dæmonia*: a- [Luc 11.] lius hoc idem ita dixit: *In Spiritu Dei eiicio dæmonia.* Vn- [Matt. 12.] de & digito Dei ſcripta lex eſt, data die quinquageſima ab occiſione agni: & die quinquageſima venit Spiritus ſanctus à paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ideo autem Digitus Dei dicitur, vt eius operatoria virtus cum Patre & Filio ſignificetur. Vnde & Paulus ait. *Hæc* [1. Cor. 12.] *autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult.* Sicut autem per baptiſmum in Chriſto morimur & renaſcimur: ita Spiritu ſignamur, qui eſt digitus Dei, & ſpiritale ſignaculum. Spiritus ſanctus idcirco in columbæ ſpecie veniſſe ſcribitur, vt natura eius per auem ſimplicitatis & innocentiæ decla- [Matt. 10.] retur. Vnde & Dominus, *eſtote*, inquit, *ſimplices, ſicut columbæ.* Hæc enim auis corporaliter ipſo felle caret, habens tantum innocentiam & amorem. Spiritus ſan- [Actor. 2.] ctus inde nomine ignis appellatur pro eo quod in Apoſtolorum actibus per diuiſionem linguarum, vt ignis, apparuit: *qui & inſedit ſuper vnumquemque eorum.* Propterea autem diuerſarum linguarum gratiam Apoſtolis dedit, vt idonei efficerentur fidelium eruditione populorum. Quod vero ſupra ſingulos ſediſſe memoratur, id cauſæ eſt, vt intelligatur per partes non fuiſſe diuiſus: ſed manſiſſe in ſingulis totus, ſicut fere ignibus mos eſt. Hanc enim habet naturam ignis accenſus: vt quanti ad eum, quanti ad crinem purpurei ſplendoris aſpexerint: tantis viſum ſuæ lucis impertiat, tantis myſteriorum ſui muneris tribuat & ipſe in ſua nihilominus integritate permaneat. Spiritus ſanctus nomine aquæ appellatur in Euangelio, Domino clamante & dicente: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.* [Ioan. 7.] Euangeliſta autem expoſuit, vnde diceret: ſecutus enim ait: *Hoc enim dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* [Ibid.] Sed aliud eſt aqua ſacramenti; aliud aqua, quæ ſignificat Spiritum Dei. Aqua enim Sacramenti viſibilis eſt, aqua Spiritus inuiſibilis eſt. Iſta abluit corpus, & ſignificat, quod fit in anima: per illum autem Spiritum ſanctum ipſa anima mundatur & ſaginatur. Spiritus ſanctus ideo vnctio dicitur, Iohanne Apoſtolo teſtante: quia ſicut o- [1. Ioan. 2.] leum naturali pondere ſuperfertur omni liquore: ita in principio ſuperferebatur Spiritus ſanctus aquis. Vnde & Dominus oleo exultationis, hoc eſt, Spiritu ſancto legitur fuiſſe vnctus. Et Iohannes Apoſtolus Spiritum ſanctum vnctionem vocat, dicens. * *Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, permaneat in vobis. Et neceſſe non habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omni re.* [Ibid.] [* Et vnctio.] Ipſe eſt enim Spiritus ſanctus vnctio inuiſibilis.

Capit. IV.

De eadem Trinitate.

TRINITAS appellata, quod fiat totum vnum ex quibuſdam tribus, quaſi Triniras: vt memoria, intelligentia & voluntas: in quibus mens habet in ſe quandam imaginem diuinæ Trinitatis. Nam dum tria ſunt, vnum ſunt: quia & ſingula in ſe manent, & omnia in omnibus.

Omnis itaque ſcriptura veteris ac noui teſtamenti diuinitus inſpirata, ſi Catholice intelligitur, hoc inſinuat, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnus ſit Deus, eiuſdemque ſubſtantiæ, vniuſque eſſentiæ atque inſeparabilis * indiuinitatis vnitate ideoque non [* Diuinitatis.] ſunt tres dij, ſed vnus: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: quamuis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt, filiuſque à Patre ſit genitus: & ideo Pater non ſit, qui Filius eſt: Spiritus ſanctus nec Pater ſit, nec Filius: ſed tantum Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis & ad Trinitatis pertinens vnitatem. Et hæc Trinitas vnus eſt Deus, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, bea- [Rom. 11.] to Paulo atteſtante vbi ait. * *Quomodo ex ipſo. & per ipſum,* [* Quoniã.] *& in ipſo ſunt omnia ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* Igitur firmiſſime credimus, Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum vnum eſſe naturaliter Deum: neque tamen ipſum Patrem eſſe, qui Filius eſt: nec Filium ipſum eſſe, qui Pater eſt: nec Spiritum ſanctum ipſum eſſe, qui Pater aut Filius eſt. Vna eſt enim Patris & Filij & Spiritus ſancti eſſentia: in qua non eſt aliud Pater aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus: quamuis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filins, alius Spiritus ſanctus. Quod nobis maxime in ipſo ſanctarum ſcripturarum demonſtratur initio, vbi Deus dicit: *Faciamus ho-* [Gen. 1.] *minem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Cum enim ſingulari numero dixit, *imaginem*: oſtendit, vnam naturam eſſe, ad cuius imaginem homo fiebat. Cum vero dicit plurali iter, *noſtram*; oſtendit, Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam eſſe perſonam. Si enim illa vna eſſentia Patris & Filij & Spiritus ſancti vna eſſet perſona, nõ diceretur, *ad imaginẽ noſtrã*: ſed, *ad imaginẽ meã*. nec dixiſſet, *faciamus*, ſed *faciã*. Si vero in illis trib. perſonis

tres essent intelligendæ vel credendæ substantiæ; non diceretur, *ad imaginem nostram*: sed, *ad imagines nostras*. Sed ad vnam imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vt vna sanctæ Trinitatis essentialiter diuinitas intimetur. Hanc quoque Trinitatem personarum atque vnitatem naturæ Propheta Isaias reuelatam sibi
Esa. 6. non tacuit, cum se dicit audisse Seraphin clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Vbi prorsus in eo quod dicitur tertio, *sanctus*, personarum Trinitatem: in eo vero, quod semel dicitur, *Dominus Deus Sabaoth*, diuinæ naturæ cognoscimus vnitatem. Plane absque omni dubitatione credendum est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum esse Deum patrem omnipotentem, æternum, incommutabilem: & singuli horum Deus, & simul omnes vnus Deus: & singulis quisque horum, plena & perfecta & æterna substantia: & simul omnes, vna substantia: quia quicquid est Pater, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est: hoc Filius, hoc Spiritus sanctus est. Ita etiam & Filius, eo, quo est Deus, quo substantia est, quo æternitas est: hoc Pater est & Filius. Vna in tribus diuinitas, vna essentia, vna omnipotentia. Et quicquid substantialiter de Deo dici potest, si forte de Patre solo interrogatus fueris, quid sit Pater: responde, Deus est. Interrogatus de Filio, responde, Deus. Interrogatus de Spiritu sancto, responde, Deus. Si interrogatus fueris simul de Patre & Filio & Spiritu sancto, non Deos: sed Deum responde vnum, omnipotentem, incommutabilem. Sciendum est, quod quædam de Deo substantialiter dicuntur: vt est, Deus, magnus, omnipotens: & quicquid ad se dicitur, id est, sub-
* vero. stantiam diuinitatis significans: quædam * itaque relatiue dicuntur. vt Pater ad Filium, Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus relatiue ad Patrem & Filium: ad se autem siue Pater, siue Filius, siue Spiritus sanctus, Deus dicitur. Itaque Pater eo, quo est Deus, hoc ipso substantia est: quia eiusdem substantiæ Filius, proculdubio & Filius Deus. & Spiritus sanctus Deus. At vero Deus eo, quo Pater est, relatiue dicitur, quia non substantiæ nomen est: sed refertur ad Filium. Non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse: nec ita dicimus Patrem Filium esse, sicut dicimus Deum esse: quia Deus substantialiter dicitur, Pater & Filius & Spiritus sanctus relatiue dicuntur.

CAPVT V.

De Angelis.

ANgeli Græce vocantur, hebraice *malaoth*, latine vero *nuncij* interpretantur, ab eo, quod Domini voluntatem populis nuncient. Angelorum autem vocabulum officij nomen est, non naturæ. Semper enim sunt Spiritus: sed cum mittuntur, vocantur Angeli. Quibus ideo pictorum licentia pennas facit, vt celerem eorum in cuncta discursum significent: sicut & iuxta fabulas poetarum venti pennas habere dicuntur propter velocitatem scilicet. Vnde & sacra Scri-
Psal. 103. ptura dicit: *Qui ambulat super pennas ventorum*. Nouem autem esse ordines Angelorum sacræ Scripturæ testantur, id est, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Cherubin, & Seraphim. Quorum officiorum vocabula cur ita sint dicta, interpretando exequimur. *Angeli* vocantur propter quod de cœlis ad annunciandum hominibus mittuntur. Angelus enim græce, latine nuncius dicitur. *Archangeli* græca lingua summi nuncij interpretantur. Qui enim parua vel minima annunciant, Angeli: qui vero summa, Archangeli nuncupantur Archangeli dicti eo, quod primatum teneant inter Angelos. Archos enim græce, latine princeps interpretatur. Sunt enim & duces principes: sub quorum ordine vnicuique Angelorum officia deputata sunt. Nam quia Archangeli Angelis præsunt, Zacharias Propheta testatur dicens: *Ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur: & alius Angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit* Zach. 2. *ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem*. Si enim in ipsis officiis Angelorum nequaquam potestates superiores inferiores disponerent: nullo modo hoc, quod homini diceret Angelus, ab Angelo cognouisset. Quidam autem Archangelorum priuatis nominibus appellantur: vt per vocabula ipsa, in opere quid valeant, designetur. Gabriel hebraice, in lingua nostra vertitur, *fortitudo Dei*. Vbi enim potentia vel fortitudo manifestatur, Gabriel mittitur. Vnde & eo tempore, quo erat Dominus nasciturus & triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Mariam, vt illum annunciaret, qui ad debellandas aerias potestates humilis venire dignatus est. Michael interpretatur: *quis, sicut Deus*. Quando enim aliquid in mundo miræ virtutis fit, hic Archangelus mittitur: & ex ipso opere nomen est eius, quia nemo valet facere, quod facere potest Deus. Raphael interpretatur, *curatio vel medicina Dei*. Vbicunque enim curandi opus necessarium est, hic Archangelus à Deo mittitur, & inde medicina Dei vocatur. Vnde & ad Tobiam idem Archangelus missus oculis eius curationem adhibuit, & cæcitate detersa visum restituit. Nominis enim interpretatione & Angeli officium designatur. Vriel interpretatur, *ignis Dei*: sicut legimus apparuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignem missum desuper: & implesse, quod præceptum est. Throni autem, & dominationes, & principatus, & potestates, & virtutes, quibus cunctam cælestem societatem Apostolus complectitur, ordines Angelorum, & dignitates intelliguntur. Et pro hac ipsa distributione officiorum, alij throni, alij dominationes, alij principatus, alij potestates dicuntur: pro certis dignitatibus, quibus inuicem distinguuntur. *Virtutes* angelica quædam ministeria perhibentur: per quas signa & miracula in mundo fiunt, propter quod & virtutes dicuntur. *Potestates* sunt, quibus virtutes aduersæ subiectæ sunt, & inde potestatum nomine nuncupantur: quia maligni Spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt. *Principatus* sunt hi, qui Angelorum agminibus præsunt: qui pro eo, quod subditos Angelos ad explendum mysterium diuinum disponunt, principatus vocabulum acceperunt. Nam alij sunt, qui administrant; alij, qui assistunt; sicut & per Danielem dicitur; *Millia millium ministrabant ei, &* Dan. 7. *decies centena millia assistebant illi*. *Dominationes* sunt hi, qui etiam virtutibus & principatibus præminent; qui pro eo quod cæteris Angelorum agminibus dominantur, dominationes vocantur. *Throni* sunt agmina Angelorum qui latino eloquio *sedes* dicuntur; & vocati throni, quia illis præsidet conditor, & per eos iudicia sua disponit. *Cherubim* autem & ipsi sublimes cælorum potestates & angelica ministeria esse perhibentur, qui ex hebraico in linguam nostram interpretantur, *scientia multitudo*. Sunt enim sublimiora agmina Angelorum; qui pro eo, quod vicinius positi, diuina scientia cæteris amplius plena sunt. *Cherubim*, id est, *plenitudo scientiæ* appellantur. Ipsa sunt illa duo animalia super propiciatorium arcæ facta ex metallo, propter significandam Angelorum præsentiam, in quorum medio ostenditur Deus. *Seraphim* quoque similiter multitudo est Angelorum, qui ex hebræo in latinum *ardentes* vel *incendentes* interpretantur. Qui idcirco ardentes vocantur, quod inter eos & Deum nulli alij Angeli consistunt; & ideo quantum vicinius coram eo consistunt, tanto magis claritate diuini luminis inflammantur. Hæc igitur vocabula agminum Angelorum ita sunt specialia ordini singulorum, vt tamen sint ex parte communia omnium. Nam * throni, * licet. Dei sedes, in quorundam Angelorum ordine specialiter designentur; tamen dicitur per Psalmistam; *Qui sedes super Cherubim*. Sed ideo illi ordines Angelo- Psal. 79.

sunt priuatis nominibus appellantur, quia hoc ipsum officium in proprio ordine plenius acceperunt: & cum sint omnibus officia communia, proprie tamen & nomina suis ordinibus deputantur. Vnicuique enim, sicut prædictum est, propria officia sunt iniuncta: quæ promeruisse eos in mundi constat exordio. Nam quia Angeli & locis & hominibus præsunt, Prophetæ testatur Angelus dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi*. Vnde apparet nullum esse locum, cui angeli non præsunt. Hic est ordo vel distinctio angelorum, qui post lapsum malorum in cælesti * rigore perstiterunt. Nam postquam apostatæ angeli ceciderunt: hi perseuerantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Vnde & post cæli creationem in principio repetitur: *Fiat firmamentum*, nimirum ostendens, quod post ruinam angelorum malorum hi, qui permanserunt, firmitatem æternæ perseuerantiæ consecuti sunt, nullo iam lapsu auersi, nulla superbia cadentes: sed firmiter in Dei amore & contemplatione manentes nihil aliud dulce habent, nisi eum, à quo creati sunt. Quod autem duo Seraphim in Isaia leguntur, figuraliter veteris & noui testamenti significationem ostendunt. Ideo vero faciem & pedes Dei operiunt, quia præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus: sed media tantum eorum testimonio contemplamur. Singuli senas alas habent: quia de fabrica tantum mundi quę in sex diebus facta sunt, in præsenti seculo nouimus. Quod clamant ter, *sanctus*, alter ad alterum, Trinitatis in vna diuinitate demonstrat mysterium. Sed quid prodest nos de angelicis spiritibus ista perstringere: si non studeamus hæc etiam ad nostros profectus congrua consideratione deriuare? Quia enim superna illa ciuitas ex angelis & hominibus constat: ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse: sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei*: debemus & nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum ciuium ad vsum nostræ conuersationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studiis inflammare. Quia enim illuc ascensura creditur tanta multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum: superest, vt ipsi quoque homines, qui ad cælestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc reuertentes * imitentes. Distincte namque conuersationes hominum singulorum agminum ordinibus congruunt, & in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputantur. Nam sunt plerique, qui parua capiunt: sed tamen hæc eadem parua pie annunciare fratribus non desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui diuinæ largitatis munere refecti, secretorum cælestium summa & capere præualent & nunciare. * Quo ergo isti non inter archangelorum numerum deputantur? Et sunt, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo igitur isti, nisi ad supernarum virtutum sortem & numerum, congruunt? Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos Spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptę potestatis eiiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter * potestates cælestium numerum, sortiuntur? Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt. Cumque & bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo isti sortem suam, nisi inter principatuum numerum, acceperunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis omnibusque desideriis dominantur, vt ipso iure mundiciæ dij inter homines vocentur. Vnde & ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. Quo ergo isti, nisi inter numeros dominationum, currunt? Et sunt nonnulli, qui dum sibimet ipsis vigilanti cura dominantur, dum sollicita intentione discernunt, diuino timori semper inhærentes: hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare recte & alios possint. Quorum profecto mentibus dum diuina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo, Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Qui ergo isti, nisi conditoris sui throni, sunt? Vel quo nisi ad supernarum sedium numeros ascribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi iudicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, vt iure Cherubim nominentur. Quia enim, vt præfati sumus, Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus: *Quia plenitudo legis charitatis*: omnes, qui Dei & proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubin numero perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis amore accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant & ardent: atque in suo ipso ardore requiescunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt: & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos, nisi Seraphim, dixerim, quorum cor in ignem conuersum lucet & vrit: quia & mentium oculos ad superna illuminant: & compungendo in fletibus vitiorum rubiginem purgant. Qui ergo ita ad amorem sui Conditoris inflammati sunt, quo isti, nisi inter Seraphin numerum, sortem suæ vocationis acceperunt? Væ autem animæ, quæ in se de his bonis, quæ enumerauimus, minime aliquid recognoscit: eique adhuc væ deterius imminet, sed priuatam se donis intelligit & nequaquam gemit. Quisquis ergo talis est, fratres mei, gemendus est valde: quia non gemit. Pensemus igitur accepta electorum munera: & virtute, qua possumus, ad amorem tantæ sortis anhelemus. Qui in se donorum gratiam minime recognoscit, gemat: qui vero minora in se cognoscit, maiora aliis non inuideat. Angelorum enim nomine potestates supernæ, vt supra ostendimus, designantur: vt in psalmo: *Qui facit Angelos suos Spiritus*. Angelus autem typice Dominus Iesus Christus nuncupatur, id est, nuncius paternæ voluntatis. Vnde Propheta ait: *Veniet ad templum suum dominatorem, quem vos vultis & Angelus testamenti, quem vos desideratis*. Angelus Ioannes præcursor in Malachia vocatur: vt est illud: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam*. Simili quoque modo & in Apocalypsi, vbi prælia describuntur, ita legitur: *Vidi angelum Dei fortem volantem per medium cælum*. Angeli sancti prædicatores vocantur: de quibus Dominus ad Iob pro Diabolo loquens ait: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur*. Et alibi: *Angeli pacis amare flebunt*. Et in Apostolo: *Apparuit angelis*. Quod nomen non per naturam: sed per officium ministrationis sortiti sunt. Angelus Diabolus in Apostolo nuncupatur, vbi ait: *Etiam si angelus de celo euangelizauerit vobis præter quod euangelizauimus, anathema sit*. Similiter & angeli immundi Spiritus nuncupantur, vbi idem Apostolus ait: *Nescitis quia angelos iudicabimus: quanto magis secularia*: His vero exempla similia, qui scripturas legit, inuenire poterit.

Margin notes: Dan. 10. — * for. vigore. — Gen. 1. — * for. immittentur. — * for. Quomodo. — * for. potestatum. — Exod. 7. — Rom. 13. — Psal. 103. — Mal. 3. — Apoc. 14. — Iob. 41. — Esa. 33. — 1.Tim. 3. — 1.Cor. 6.

FINIS LIBRI PRIMI.

INC[illegible]

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE HOMINIBVS: QVI QVODAM PRÆSAGIO NOMINA RECEPERVNT. DE PATRIARCHIS ET CÆteris eiusdem ætatis.

Capvt I.

De Adam.

ADAM, sicut beatus Hieronymus tradidit, *homo* seu *terrenus*, siue *terra rubra* interpretatur: ex terra enim facta est caro: & humus hominis faciendi materies fuit, hic figuram Christi gestauit. Nam sicut sexta die formatus est ad imaginem Dei: ita sexta mundi ætate Filius Dei formam carnis induit, vt reformaret hominem ad similitudinem Dei.

Eua interpretatur *vita* siue *calamitas*, siue *væ*. Vita, quia origo fuit nascendi: calamitas & væ, quia per præuaricationem causa extitit moriendi. A cadendo enim nomen assumpsit calamitas. Alij autem dicunt, quod ob hoc Eua, vita & calamitas sit appellata: quia sæpe mulier viro causa salutis est: sæpe calamitatis & mortis, quod est væ. Designat autem Ecclesiam sponsam Christi factam per lauacri ministerium, quod de latere morientis Christi profluxit.

Cain interpretatur, *possessio*. Vnde etymologiam ipsius pater exprimens ait; *Cain, id est, possedi hominem per Deum.* Idem & *lamentatio*, eo quod pro interfecto Abel interfectus sit, & pœnam sui sceleris dederit. Hic autem frater, qui ætate maior eundem Abel occidit in campo, populum priorem significat; qui interficit Christum in caluariæ loco. Gen. 4.

Abel enim interpretatur, *luctus*: quo nomine præfigurabatur occidendus. Idem & *vanitas*, quia cito solutus est atque subtractus. Hic pastor ouium Christi tenuit typum; qui est verus pastor & rector fidelium populorum. Vnde & animam suam posuit pro ouibus suis.

Seth, qui interpretatur *resurrectio* vel *positio*: eo quod per interfectionem fratris natus quasi resurrectio illius appositus sit. Hic demonstrat Christum Iesum; in quo est vera resurrectio & vita fidelium.

Enos iuxta propriæ linguæ varietatem *homo* vel *vir* dicitur, & congrue hoc vocabulum habuit. De eo enim scriptum est; *Tunc initium fuit inuocandi nomen Domini*: licet plerique hebræorum arbitrentur; quod tunc primum in nomine Domini & in similitudine eius fabricata sunt idola. Declarat Ecclesiam in spe viuentem; quamdiu ad beatitudinem promissæ fœlicitatis perueniat. Gen. 4.

Enoch filius Cain *dedicatio* interpretatur. In ipsius enim nomine ciuitatem postea ædificauit Cain. Significat autem, impios in hac vita tantum esse fundatos.

Cainan *lamentatio* vel *possessio eorum* interpretatur. Sicut enim Cain *possessio*; ita deriuatum nomen, quod est Cainan, facit, *possessio eorum*. Significat autem appetitores carnalium voluptatum; qui tantum de præsentis vitæ delicijs sollicitudinem gerunt.

Chus hebraice *Æthiops* interpretatur, * posteritate sui generis nomen sortitus. Ab ipso enim sunt primogeniti Æthiopes. In cuius terra dicitur beatus Iob habitasse cum in capite libri illius ita scriptum est; *Vir erat in terra Chus nomine Iob.* Idcirco sanctus vir vbi habitauerit dicitur, vt eius meritum virtutis exprimatur. Chus namque quis nesciat, quod sit terra gentilium? gentilitas autem obligata vitijs extitit; quoniam cognitionem sui Conditoris ignorauit. Dicatur itaque vbi habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat; quod bonus inter malos fuit. Neque valde est laudabile; bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. * ex Iob. 1.

Enoch autem filius Iareth interpretatur, *dedicatio*: sicut & superior. *Ipse genuit Mathusalam, ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit illum Deus.* Hic septimus ab Adam translatus est, & significat septimam requiem futuræ resurrectionis, quando transferentur sancti in vitam perpetuæ immortalitatis, & dedicabuntur habitaculum Dei in Spiritu sancto. Gen. 4.

Mathusalam interpretatur, *mortuus*. Est euidens etymologia nominis. Quidam enim eum cum patre translatum fuisse, & diluuium præterisse putauerunt. Ob hoc signanter transfertur, *mortuus est*: vt ostenderetur non vixisse eum post diluuium; sed in eodem cataclysmo fuisse defunctum. Soli enim octo homines in arca diluuium euaserunt. Significat autem idem Mathusalam eos, qui huic mundo tantum dediti sunt, & futuram vitam non quærunt. Hi enim licet longæui fuerint super terram, tamen veraciter moriuntur; quia æternæ vitæ participes existere non merentur.

Lamech autem *percutiens* interpretatur. Iste enim percutiens interfecit Cain. Quod etiam ipse postea se perpetrasse vxoribus confitetur. Hic seculi huius figuram tenet; cuius peccatum Christus per sanguinis sui effusionem post lxxvii. mundi generationes absoluit, iuxta quod eas Euangelista Lucas scribit.

Noe vero *requies* interpretatur. Ab eo igitur, quod sub illo omnia retro quieuerint per diluuium, appellatus est *requies*. Significat autem Noe per omnes actus suos Christum. Noe enim, vt diximus, *requies* interpretatur, & Dominus dicit; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Solus iustus inuenitur Noe in illa gente; cui septem homines donantur propter iustitiam suam. Solus iustus est, atque perfectus, cui septem Ecclesiæ, propter septemplicem Spiritum illuminantem, in vnam Ecclesiam condonantur. Noe ergo arcam construxit de lignis imputribilibus; sic Christus fabricauit Ecclesiam ex hominibus victuris in æternum. Ligna arcæ conglutinata erant bitumine; sic & Ecclesiæ membra iuncta sunt compagine vnitatis & tolerantia charitatis. Sicut Noe cum suis per aquam & lignum saluatus est; sic familia Christi per baptismum & crucis passionem est sanata. Arca enim ista Ecclesiam demonstrabat, quæ natat in fluctibus mundi huius, & Christo gubernante ad litus æternæ quietis tendit. Iam vero illud, quod post diluuium de vinea, quam plantauit, inebriatus Noe, & nudatus est in domo sua; cui non appareat, Christi esse figuram; qui inebriatus est, dum passus est; nudatus est, dum crucifixus est. In domo sua, id est, in gente sua, & in domesticis sanguinis sui vtique Iudæis. Tunc enim nudata est mortalitas carnis eius. Quam nuditatem, id est, passionem Christi videns Cham derisit; & Iudæi Christi mortem videntes subsannauerunt. Sem vero & Iafeth, tanquam duo populi ex circumcisione & præputio credentes, cognita nuditate Matth. 11.

diuate patris, qua significabatur passio Saluatoris, sumentes vestimentum posuerunt super dorsa sua, & intrantes auersi operuerunt nuditatem patris: nec viderunt, quod verenda patris texerunt. Quodam enim modo passionem Christi velamento tegimus, id est, sacramento honoramus, eiusq; mysterij rationem reddentes, Iudæorum detractionem operimus. Vestimentum enim significat Sacramentum, dorsa memoriam præteritorum: quia passionem Christi transactam celebrat Ecclesia, non adhuc prospectat futuram.

Sem dicitur *nominatus*: quod nomen ex præsagio posteritatis accepit. Ex ipso enim Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli, & populus Dei: ex ipsius quoq; stirpe & Christus, cuius ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen in gentibus.

Cham, *calidus* interpretatur. Et ipse ex præsagio futuri cognominatus. Posteritas enim eius eam terræ partem possedit, quæ vicino sole calentior est. Vnde & Ægyptus vsque hodie Ægyptiorum lingua Cham dicitur. Hic Iudæorum designat imaginem: qui Christi carnem atque mortem derident.

Iafeth, *latitudo*, interpretatur. Ex eo enim populus gentium nascitur. Et quia lata est ex gentibus multitudo credentium, ab eadem latitudine Iafeth dictus est: qui conuersatur in Ecclesiis Israelitarum. In his ergo tribus filiis Noe, secunda origo seculi surrexit: vt tres partes mundi à trium generatione implerentur. Porro Sem in filiis suis Asiam, & Cham Libyam, & Iafeth Europam possederunt. In quibus etiam Ecclesia Christi, sanctę Trinitatis fide plantanda, præmonstrabatur.

Chanaan filius Cham interpretatur, *motus eorum*. Quod quid est aliud: nisi opus eorum? Pro motu enim patris, id est, pro opere eius maledictus est. Vnde de sedibus suis eiectus filius fratrum suorum terram possessionis suæ reliquit, posteritatem indicans Iudæorum: qui in passione Domini damnationis sententiam exceperunt,
Matt. 27. clamantes. *Sanguis eius sup r nos & super filios nostros.* Ob quod à patria quasi ingrati per Romanos in vltionem sanguinis Christi expulsi, locum sanctæ Ecclesiæ dederunt: in qua verus cultus vnius Dei perseuerat in æternum.

Nemroch interpretatur, *tyrannus*. Iste enim prior arripuit insuetam in populos tyrannidem, & ipse aggressus est aduersus Deum impietatis ædificare turrim. Vnde Diabolum expressit, qui superbiæ appetitu culmen diui-
Es. 14. næ celsitudinis appetiuit, dicens: *Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo.*

Heber interpretatur, *transitus*. Etymologia eius mystica est: quod ab eius stirpe transiret Deus, ne perseueraret in eis translata in gentibus gratia. Ex ipso exorti sunt hebræi. Vnde Heber, in cuius domo propria loquela remansit, cæteris linguis dispersis, redemptorem nostrum insinuat: in cuius Ecclesia vnitas fidei sine schismate perseuerat.

Falech interpretatur, *diuisio*. Cui pater propterea tale nomen imposuit: quod tunc natus est, quando per linguas terra diuisa est. Propter superbiam enim filiorum Adam, quæ semper inimica est simplicitati atque vnitati, diuisio linguarum facta est: & propter humilitatem & mansuetudinem Christi & Apostolorum eius, linguarum diuersitas coadunata est.

Melchisedech interpretatur, *rex iustus*. Rex, quia postea imperauit Salem: iustus pro eo, quod discernens Sacramenta legis & euangelij, non pecudum victimas: sed oblationem panis & calicis in sacrificium obtulit. Hic ergo in oblatione sua regnum Christi vel sacerdotium figurauit: cuius corporis & sanguinis Sacramentum, id est, oblatio panis ac vini in toto orbe offertur.

CAPVT II.

De patriarchis & cæteris eiusdem ætatis hominibus.

ABraham primo vocatus *pater videns populum*, propter Israel scilicet tantum, postea appellatus est Abraham, quod transfertur, *pater multarum gentium*: quod erat adhuc per fidem futurum. *Gentium* autem non habetur in
nomine: sed subauditur iuxta illud: *Erit nomen tuum Abraham, quia patrem multarum gentium posui te.* Gen. 17.
Abraham quippe habet triplicem significationem in semetipso. Primam saluatoris: quando relicta cognatione sua venit in hunc mundum. Alteram patris: quando immolauit vnicum filium. Tertiam vero, quod figuram gestat sanctorum, qui aduentum Christi cum gaudio susceperunt. Tabernaculum etenim illud Abrahæ ipsam Ierusalem habuit: vbi pro tempore Prophetæ & Apostoli habitauerunt: vbi & Dominus primum adueniens à credentibus susceptus, ab incredulis in ligno suspensus est. In tribus autem viris, qui venerunt ad illum, Domini nostri Iesu Christi pronunciatur aduentus. Cum quo duo Angeli comitabantur: quos plerique Moysen & Heliam accipiunt: vnum priscæ legislatorem, qui per eandem legem aduentum Domini indicauit: alium, qui in fine mundi venturus esse denunciatur: & secundum aduentum Christi atque eius Euangelium Iudæis prædicaturus. Vnde & in monte, dum Dominus fuisset transfiguratus, hi duo Moyses & Helias cum eo ab apostolis visi sunt. Quod vero Abraham tres videns, vnum adorauit, Dominum scilicet saluatorem ostendit, cuius iam aduentus est præstolatus: iuxta quod & iam Dominus in euange-
lio ait: *Abraham quæsiuit videre diem meum: vidit & gauisus est.* Ioan. 8.
Duas autem vxores, quas habuit Abraham, id est, liberam & ancillam, Apostolo docente, duo esse testamenta didicimus: ex quibus duo populi, hoc est, Iudæorum & Ecclesiæ nati sunt. Loth interpretatur, *declinans*. Factis enim Sodomorum non consensit: sed eorum illicita carnis incendia declinauit. Ipse igitur Loth frater Abraham, & iustus & hospitalis in Sodomis, qui ex illo incendio, quod erat similitudo futuri iudicij meruit saluus euadere, typum figurabat corporis Christi: quod in omnibus sanctis & nunc inter iniquos atque impios gemit, quorum factis non consentit, & à quorum permixtione in seculi fine liberabitur: illis damnatis supplicio ignis æterni.

Vxor autem Loth eorum tenuit typum, qui per gratiam Dei vocati, postmodum retro respiciunt, & ad ea, quæ reliquerant, redire contendunt. De quibus ipse Do-
minus: *Nemo*, inquit, *ponens manum suam super aratrum, &* Luc. 9.
respiciens retro, aptus est regno Dei. Consequenter ipse legis gestauit personam, de qua infidelitatis opera pariunt: qui etiam carnali intellectu vtuntur.

Filiæ eius duæ Samariam significant Ierusalemque: quæ fornicantur in lege per adulterium illicitæ doctrinæ.

Moab interpretatur, *ex patre* & totum nomen Etymologiam habet. Concepit enim eum primogenita filia de patre. Significat autem Moab sapientiam secularem: de
qua Dominus loquitur per Prophetam: *Perdam sapien-* Esa. 29.
tiam sapientium & prudentiam prudentium reprobabo. Quæ auctorem sui sensum habet: qui ex Dei conditione generatur. Videtur quidem nasci de patre: quod interpretatur *Moab*: sed quia adulter est & aduersarius populi Dei, de incestu & spelunca ac nocte generatur.

Ammon, cuius causa nomen redditur filius populi mei, sic deriuatur, vt ex patre ipse sit sermo. Ammon enim à quo dicti sunt Ammonitæ, vocatur, *populus meus*. Possumus iuxta tropologiam filios Ammon intelligere, qui de Loth in spelunca generati sunt semine, & generati in ebrietate & incestu, omnes
hæreticos: de quibus dicit & Apostolus Ioannes: Ex 1. Ioan. 2

nobis exierunt: sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis: permansissent vtique nobiscum. Isti in declinatione orti sunt: Ps. 13. hoc enim Loth in linguam nostram vertitur: quia *omnes simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum: non est vsque ad vnum.*

Sarai interpretatur, *princeps mea*: eo quod esset vnius tantummodo domus materfamilias: postea, causa nominis immutati, ablata, i, litera, dicitur Sara, id est, *princeps*. Omnium quippe gentium futura princeps erat: sicut & Dominus pollicitus fuerat Gen. 17. ad Abraham: *Dabo tibi ex Sara filium: & benedicam ei, & erit in gentem magnam: sed & reges populorum erunt ex eo.*

Agar interpretatur, *aduena* vel *conuersa*. Fuit enim Ægyptia complexui Abrahæ aduena: causa generandi data, quæ post contemptum, angelo increpante, conuersa est ad Saram. Vxores autem Abraham, Sarai & Agar, secundum Apostolum, duorum testamentorum (vt supra diximus) gestant figuram. Quarum vna, hoc est, Sarai libera, Ecclesiam significans, genuit populum christianum, qui secundum carnem non est: sed in libertatem vocatus est: qua libertate liberauit eum Christus. Altera autem, hoc est, Agar ancilla mater Ismahelis, qui interpretatur, *auditio Dei*, synagogam exprimit, quæ populum Iudæorum in seruitutem generans, non meruit hæreditatem accipere cum filio liberæ: sed proiectus cum matre in deserto istius seculi oberrat.

Isaac ex risu nomen accepit. Riserat enim pater, quando ei promissus est: admirans in gaudio. Risit & mater: quoniam per illos tres viros promissus est: dubitans in gaudio. Ex hac ergo causa nomen accepit. Isaac enim interpretatur, *risus*. Quis ergo in Abraham (vt prædictum est) per immolationem filij sui figurabatur, nisi pater excelsus? Quis in Isaac, nisi Christus? Nam sicut Abraham vnicum filium & dilectum Deo victimam obtulit: ita Dominus vnigenitum suum pro nobis omnibus tradidit. & sicut Isaac ipse sibi ligna portauit, quibus erat imponendus: ita & Christus in humeris lignum crucis suæ: in quo erat crucifigendus.

Duo autem serui illi dimissi, & non perducti ad locum sacrificij, Iudæos significabant: qui cum seruiliter viuerent, & carnaliter saperent: non intelligebant humilitatem vel passionem Christi. Ideo quia non intelligebant passionem Christi: non peruenerunt ad locũ sacrificij: sed illud, ꝙ figuratum est in Isaac, transgestum est ad arietem: quia Christus ouis. Ipse enim filius: ipse aries, agnus: filius, quia natus: aries, quia immolatus. Sed quid est, quod vepribus hærebat aries ille cornibus: nisi quod Christus à Iudæis spinis est coronatus: & ad extremum in ligno crucis est confixus? De quo scriptum Hab. 3. est: *Cornua sunt in manibus eius.* Huic per seruum Abrahæ desponsata est Rebecca, quæ interpretatur, *patientia*: siue *quæ multum acceperit*: quia per priscam legem, quam ipse seruus designat, prophetarum oraculis Domino nostro Iesu Christo sponsa Ecclesia præparata est: quæ copiosam Spiritus sancti gratiam accipiens, patienter promissa futuræ Ecclesiæ expectat. Huius filij fuerunt Esau & Iacob.

Esau autem trinomius est: & ex propriis causis varie nuncupatur. Dicitur enim Esau, id est, rufus, ob coctionem scilicet rufæ lentis ita appellatus, cuius edulio primogenita perdidit.

Edom autem ob ruborem corporis dictus est: quod latine sanguineus dicitur.

Seir vero quod fuerit hispidus & pilosus. Quando enim natus est: totus, sicut pellis, pilosus erat: atque ideo tribus nominibus appellatur. Esau, id est, rufus. Edom, id est, sanguineus. Seir, id est, pilosus: quia non habuit lenitatem. Hic significat populum Iudæorum in Christum & prophetas impia persecutione sanguineum & rufum & pilosum, tegmine peccatorum horribilem.

Iacob autem, qui interpretatur, *supplantator*: siue quod in ortu * plantatur nascentis fratris apprehenderit: siue *plantam. quod postea fratrem arte deceperit. Vnde & Esau dixit: Gen. 27. *Iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice.* Iste quidem Israel, vir videns Deum, dicitur. Tunc enim hoc nomen accepit: quando tota nocte luctatus vicit in certamine angelum, & oriente lucifero benedictus est. Inde propter visionem Dei Israel appellatus est: sicut Gen. 32. & ipse ait: *Vidi Dominum, & salua facta est anima mea.* Hic autem Christum demonstrat: siue populum gentium, qui Dei patris benedictione prælatus est priori populo Iudæorum. Isti autem duo filij Rebeccæ duos populos (vt diximus) significant, Synagogæ & Ecclesiæ. Et quomodo populus Iudæorum tempore maior seruit minori populo Christianorum: sic quidem & in singulis nobis dici potest: quod duę gentes & duo populi intra nos sint: vitiorum scilicet atque virtutum. Sed iste minor est: ille maior. Semper enim plures sunt mali, quam boni: & vitia numerosiora sunt virtutibus: sed tamen & in nobis gratia Dei populus populum superat: & maior seruit minori. Seruit etenim caro Spiritui: & vitia virtutibus cedunt. Isaac ergo portat imaginem Dei patris, Rebecca Spiritus sancti, Esau populi prioris & Diaboli, Iacob Ecclesiæ & Christi. Senuisse Isaac consummationem orbis ostendit: oculi illius caliginasse, fidem perisse de mundo, & religionis lumen ante eum neglectum esse significat. Quod filius maior vocatur: acceptatio legis est Iudæorum. Quod escas eius atque capturam diligit pater: homines sunt ab errore saluati, quos per doctrinam iustus quisque venatur. Quod Isaac de maioris filij sui venatione vesci concupiscit: significat, quod omnipotens Deus Iudaici populi bona operatione pasci desiderauit. Sed illo tardante minorem Rebecca supposuit: quia dum Iudaicus populus bona opera foris quærit, gentilem populum mater gratia introduxit: vt omnipotens pater cibum boni operis offerret, & benedictionem maioris fratris acciperet. Qui eosdem cibos ex domesticis animalibus præbuit quia gentilis populus placere Deo exterioribus sacrificiis non quærens per vocem Prophetæ dicit: *In me* Ps. 55. *sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Quod isdem Iacob manus ac brachia & collum hædinis pellibus texit: hoc est, gentilis populus dum se peccatorem confiteri non erubescit, carnis in se peccata mactauit. Quod vestimentis maioris fratris induitur, hoc est, quod sacræ Scripturæ præceptis, quæ maiori populo data fuerat in bona operatione vestitus est, & eis minor in domo vtitur: quæ maior foras exiens intus reliquit: quæ ille Iudaicus populus habere non potuit: dum solam in eis literam attendit. Quod Isaac eundem filium nescit, quem benedicit: hoc est, quod de gentili populo Dominus per Psalmistam dicit: *Populus, quem non cognoui, seruiet mihi.* Ps. 17. Quod præsentem non vidit, & tamen quæ ei in futuro euenient, vidit: significat, quod omnipotens Deus per prophetas suos prædicaret gentilitati gratiam prærogandam: quam ei in præsenti per speciem non ostendit: quia tunc eam in errore reliquit: & tamen quia hanc quandoque collecturus erat, per benedictionem gratiam præuidit. Igitur Esau post benedictionem patris inuidiæ stimulis concitatus necem fratri suo Iacob fraudulenter excogitat. Hoc nimirum & Iudaicus populus in Christo præmeditatus, non solum Dominum patibulo crucis tradidit: verum etiam credentes in illo vsque ad effusionem sanguinis persecutus est. Iacob autem dolos fugiens fratris, relicta domo patria vel parentibus, vadit in regionem longinquam, vt acciperet sibi vxorem. Non aliter Christus relictis parentibus secundum carnem, id est, populo Israel & patria, id est, Ierosolyma, & omnibus regionibus Iudææ, abiit in gentes: accipiens inde sibi ecclesiam: vt impleretur, quod dictum est: *Vocabo non plebem* Ose. 2. *meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam: & erit in loco, vbi dictum est: non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.* Pergente autem Iacob in Mesopotamiam: venit in locum, vbi nunc Bethel vocatur: & posuit sub capite suo lapidem magnum, & dormiens vidit scalam subnixam innitentem cælo, & Angelos Dei ascendentes & descendentes. Hoc viso euigilauit vnxitque lapidem, dicens: *Vere hic* Gen. 28.

domus Dei est & porta cæli: & his dictis discessit. Somnus iste Iacob mors siue passio est Christi. Lapis ad caput eius qui nominatim quodammodo lapis dictus est, etiam
1. Cor. 11. vnctus Christus significatur: *Caput enim viri Christus est.* Quis enim nescit Christum ab vnctione appellatum? Domus autem Dei, quia ibi natus est Christus in Bethleem. Porta vero cæli: quia ibi in terram descendit: ibi iterum ad cœlum conscendit. Erectio autem lapidis, resurrectio Christi est. Porro scala Christus est
Ioan. 14. qui dixit: *Ego sum via.* Per hunc ascendebant & descendebant Angeli: in quibus significati sunt Euangelici prædicatores Christi, ascendentes vtique cum ad intelligendam eius supereminentissimam diuinitatem excedunt vniuersam creaturam: vt eum inueniant in principio Verbum Domini, per quem facta sunt omnia: de-
Gal. 4. scendentes autem, vt eum inueniant *factum ex muliere: factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* In illa enim scala à terra vsque ad cælum erecta, id est, à carne vsque ad Spiritum: quia in illo carnales proficiendo, velut ascendendo, spiritales fiunt: ad quos lacte nutriendos etiam ipsi spiritales descendunt quodammodo: cum eis non possunt loqui quasi spiritualibus: sed quasi carnalibus. Ipse est sursum in capite suo: ipse Deorum in corpore suo, id est, Ecclesia. I-
Ioan. 14. psum ergo scalam intelligimus: quia ipse dixit: *Ego sum via.* Ad ipsum ergo ascenditur, vt in excelsis intelligatur: & ad ipsum descenditur, vt imbribus suis paruulus nutriatur: & per illum se erigunt, vt eum sublimiter expectent: per ipsum se etiam humiliant, vt eum sublimiter ac temperanter annuntient. Nunc autem quid iterum significauerint quatuor vxores Iacob, quarum duæ liberæ, duæ ancillæ fuerunt: est dicendum. Vidimus enim, Apostolum in libera & in ancilla, quas habebat Abraham, duo testamenta intelligere: sed ibi in vna & vna facilius appareret, quod dicitur: hic autem duæ sunt & duæ: deinde ibi ancillæ filius exheredatur: hic vero ancillarum filij simul cum filiis liberarum terram promissionis accipiunt. Vnde hic proculdubio aliquid significatur: quanquam enim duæ liberæ vxores Iacob ad nouum testamentum, quod in libertate vocati sumus, existimentur pertinere; non tamen frustra duæ sunt; nisi quia duæ vitæ nobis in Christi corpore prædicantur; vna temporalis, in qua laboramus; alia æterna, in qua dilectionem Dei contemplabimur. Lia namque interpretatur, *laborans*: Rachel autem *visus*, siue *principium*, siue *verbum*. Actio ergo huius vitæ, in qua viuimus ex fide, laboriosa est in operibus, & incerta; quo exitu perueniat ad vtilitatem eorum, quibus consulere volumus. Ipsa est Lia, prior vxor Iacob; ac per hoc & infirmis oculis
Sap. 9. fuisse commemoratur. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Spes vero æternæ contemplationis Dei, habens certam intelligentiam
Gen. 29. veritatis, ipsa est Rachel. Vnde etiam dicitur; *bona facie & pulchra specie.* Hanc enim amat omnis pie stu-
Esa. 1. diosus. & propter hanc seruit gratiæ Dei; quia *peccata nostra & si fuerint sicut fenicium, tanquam nix dealbabuntur.* Laban quoque interpretatur, *dealbatio*: cui seruiuit Iacob propter Rachel. Neque enim se quisque conuertit sub gratia remissionis peccatorum seruire iustitiæ; nisi vt quiete viuat in verbo; ex quo videtur principium quod est Deus.

Bala ancilla Rachel interpretatur, *inueterata.* De veteri quippe vita, carnalibus sensibus dedita, corporeæ cogitantur imagines, etiam cum aliquid de spiritali & incommutabili substantia diuinitatis auditur.

Suscipit & Lia de ancilla sua filios amore habendi numerosioris prolis accensa. Inuenimus autem Zelpham ancillam eius interpretari, *os ducens.* Quapropter hæc ancilla illos figurat, quorum in prædicatione fidei Euangelicæ os erat, & cor non erat. De
Esa. 29. quibus scriptum est; *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me.* De quibus Apostolus di-
Rom. 2. cit; *Qui prædicas non furandum, furaris.* Verumtamen vt etiam per hanc conditionem libera illa vxor Iacob laborans filios hæredes regni susciperet; ideo Dominus dicit; *Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* Matth. 23.
Vnde & Apostolus: *siue*, inquit, *occasione: siue veritate* Ibid. 1.
Christus annuntietur: & in hoc gaudeo: sed & gaudebo: tanquam & ancilla pariente de prole numerosiore lætatur.

Seruitus itaque ipsa Iacob septem annorum pro duabus vxoribus, huius vitæ præsentis tempus significat; quia per septem euoluitur; in qua Dominus formam serui accepit; factus obediens paternæ voluntati vsque ad mortem. Ille enim pro ouibus seruiuit;
& Dominus noster ait; *Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare.* Ille pauit oues. & Dominus in Eu- Matt. 20.
angelio dicit; *Ego sum pastor bonus.* Ille mercedis lu- Ioan. 10.
cro varium sibi pecus abstulit; Christus diuersarum gentium varietatem sibimet congregauit. Ille tres virgas amputatis corticibus in alueis aquarum opposuit, vt in earum contemplatione multiplicarentur eius oues; & Dominus noster in aqua baptismatis tria personarum nomina, Patris & Filij & Spiritus sancti, populo fideli proposuit; vt quisquis hoc pleno corde perspexerit, efficiatur ouis Dei.

Post longam igitur seruitutem, quam Iacob apud socerum suum pro vxoribus vel pro mercede sustinuit, præcepit ei Deus, vt reuerteretur ad patriam suam. Tunc ignorante socero suo cum vxoribus suis properauit. Laban autem consecutus est eum in monte Galaad cum furore, atque idola, quæ Rachel furauerat, apud eum requisiuit, nec reperit. Quid ergo sibi hoc ipsum figuraliter velit, videndum. Dum enim Laban superius aliam gerat personam; nunc tamen Diaboli typum figurat.

Laban quippe interpretatur, *dealbatio* dealbatio autem Diabolus non inconuenienter accipitur; quia cum
sit tenebrosus ex merito, *transfigurat se velut angelum lucis.* Huic seruiunt Iacob, id est, ex parte reproborum 2. Cor. 11.
Iudaicus populus; ex cuius carne incarnatus Dominus venit. Potest etiam per Laban mundus hic exprimi. Qui cum furore Iacob sequitur, quia electos quosque, qui redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur.

Huius filiam, id est, seu mundi, siue Diaboli Iacob abstulit, cum Christus sibi Ecclesiam coniunxit. Quam & de domo patris abstulit; quia ei per prophetam di-
citur; *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Psal. 44.
Quid vero in idolis, nisi auaritia, designatur? Vnde &
per Paulum dicitur *Et auaritia quæ est idolorum seruitus.* Coloss. 3.
Laban ergo veniens, apud Iacob idolum non inuenit; quia ostensis mundi thesauris Diabolus in Redemptore nostro vestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit; sed quæ Iacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit.

Per Rachel quippe, quæ ouis Dei dicitur, Ecclesia figuratur. sedere autem est humilitatem pœnitentiæ appetere; sicut scriptum est; *Surgite, postquam sederitis.* Rachel ergo idola sedendo operuit; quia sancta Psal. 126.
Ecclesia Christum sequens, vitium terrenæ concupiscentiæ per humilitatem pœnitentiæ cooperuit. De hac cooperatione vitiorum per prophetam dicitur;
Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Sumpsit autem Iacob lapidem; & constituit eum Psal. 31.
titulum, &c.

Mystice autem inter fideles tam Iudæos quam gentes testis est lapis eminens in similitudinem Christi, & aceruus lapidum, qui est multitudo credentium. Vir enim, qui cum Iacob luctatus est, typum Christi euidentissime gesserat.

Cui tamen ideo præualuit Iacob, vtique volenti, vt mysterium figuraret passionis Domini.

Vbi visus est Iacob in Iudæorum typo, hoc est, in corporis sui sobole præualuisse Deo, & quasi cum infirmo, ita cum carne eius luctamen inire, & inua-

lescere

lescere in passione eius: sicut scriptum est cum dicerent: *crucifige*. Et tamen Iacob ab eodem angelo benedictionem, quem victor superauerat, impetrauit. Cuius nominis impositio vtique benedictio fuit. Interpretatur autem Israhel, *videns Deum*: quod erit in fine præmium sanctorum omnium. Tetigit illi porro idem angelus latitudinem femoris, & claudum reddidit: sicque erat vnus atque idem Iacob benedictus & claudus: benedictus in hiis, qui in Christum ex eodem populo crediderunt; atque in infidelibus claudus. Nam in femoris neruo valetudo generis, & multitudo est. Plures quippe sunt in stirpe, qui degenerantes à fide Patrum, & à præceptis sui auctoris deuiantes, in errore sui seminis claudicant; de quibus prophetice prædictum est: *Et claudicauerunt a semitis suis.* Qui tamen populus post tactus sibi viribus non solum claudicat: sed & torpescit; ne vltra iam generare filios possit. Denique quod adiecit idem Patriarcha vidisse se Deum facie ad faciem; cum superius virum secum narrat fuisse luctatum: id significat; quia idem Deus homo erat futurus, qui cum Iacob populo luctaretur. Psal. 17.

Dina, quæ transfertur, *in causam* iurgij enim in Sichimis causa extitit: hæc quippe, vt mulieres videret extraneæ regionis, egreditur, quando vnaquæque mens, sua studia negligens, actiones alienas curans, extra habitum, atque extra ordinem proprium euagatur. Quam Sichem princeps terræ opprimit: quia videlicet intentam curis exterioribus diabolus corrumpit. *Et agglutinata est anima eius cum ea*, quia vnitam sibi per iniquitatem respuit; & quia cum mens à culpa resipiscit, affligitur, atque admissum flere conatur: tristem blanditiis falsæ spei delinit. Zelus, quem habuerunt filij Iacob in vlciscendo stupro sororis suæ, moraliter commonet pastores fidelium, quatenus habeant curam animarum sibi commissarum: ne violenter aut corporali delicto, aut fornicatione spiritali polluantur, paratique sint ipsi semper, secundum Apostolum, vlcisci omnem inobedientiam resistentem veritati: atq; excommunicationis gladio feriant stupratorem, ne pro tanto commisso impunitus euadat. Gen. 34.

Ruben, primogenitus Israhelis, qui interpretatur, *visionis filius*: sic enim quando eum peperit Lia, vocauit nomen eius Ruben, dicens: *quia vidit Deus humilitatem meam*, populum significat Iudæorum; qui Deum quodammodo vidit, hoc est, agnouit per acceptionem legis: sed violauit cubile Dei patris: quando carnem, quam sibi Christus asciuerat, confixit in patibulo crucis. Aliter significat electum populum ex Iudæis, cui diuina miseratio contulit; vt qui Deum negando & crucifigendo æternæ morti seipsum addixerat, compunctus ad prædicationem sanctorum Apostolorum, erroris sui pœnitentiam ageret & ex fide viueret. Gen. 29.

Simeon interpretatur, *auditio*, sic enim dixit Lia, quando peperit eum: *quia exaudiuit me Deus*, hic scribas designat Iudæorum, qui acceperunt quidem vocem Dei, præcepta legis sibi tradentem: sed in furore suo occiderunt Prophetas; & in dolore suo suffoderunt fixuris clauorum Christum firmissimum murum: in quo credentes stabili robore communiuntur. Gen. 29.

Leui, qui interpretatur, *additus*, auctor & figura est principum sacerdotum, qui Dominum crucifixerunt. Aliter Leui significat chorum Apostolicum & vniuersum martyrum exercitum; necnon & martyrum caput: omnique ordini perfectorum ista dicuntur, qui perfectionem charitatis, morientes pro Domino, impleuerunt: & abrenunciantes omnibus culmen doctrinæ Euangelicæ assecuti sunt: tanquam veri Leuitæ non habentes partem in terra: sed cum Propheta dicentes: *Dominus pars hereditatis meæ.* Vnde Moyses in benedictione Leui ad Dominum ait: *Perfectio tua & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione: & iudicasti ad aquas contradictionis. Tentatus* est enim vir iste sanctus, vt Apostolus ait, *per omnia* * *similitudine, excepto peccato.* Sed maximam ei tunc diabolus tentationem intulit, cum in eius necem Iudæorum animos tanta obstinatione excitauit, vt omnes vna voce dicerent: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Aquæ enim contradictionis, populi sunt Iudæorum, qui inundatione persecutionum contra Christum & sanctos eius surrexerunt. Psal. 15. Deut. 33. Heb. 4. * pro Matth. 27

Iuda, *confessio*, dicitur; quia quando eum peperit Lia, laudem Domino retulit, dicens: *Nunc super hoc confitebor Domino*; id est, gratias ago. Hic significat Christum; qui in cubili sepulchri, quasi leo securus, quodam corporis somno quieuit; deuictoque mortis imperio, post triduum surrexit. Qui contra aduersarias potestates in cruce confligens, sanctam Ecclesiam, quam de gentibus vniuersis ad se vitem veram colligens, vino sanguinis sui lauauit, cunctis hostibus superiorem fecit. Gen. 29.

Isaschar, qui interpretatur, *merces*: hoc autem ideo, quia mandragoris filij sui Ruben introitum viri, qui Racheli debebatur, ad se emerat Lia. Vnde & dum natus esset, dixit Lia: *Dedit Deus mercedem meam.* Hunc pater Iacob in benedictione sua *asinum fortem* nuncupauit, supponentem humerum suum ad portandum; quia in labore terræ, & vehendis ad mare, quæ in finibus suis nascebantur, plurimum laborauit. Significat autem ecclesiam de gentibus: quæ subiecit humerum suum ad crucis onus portandum, & ad implendum mandata Christi, qui dixit; *Iugum n. meum suaue, & onus meum leue est.* Gen. 30. Gen. 49. Matth. 11.

Zabulon, qui interpretatur, *habitaculum*: propterea, quia Lia iam secura de cohabitatione Iacob dixit: *Habitabit vir meus mecum.* Hic eandem Ecclesiam significat, quæ secus fluctus huius vitæ inhabitans, omnes tentationes & turbines seculi sustinet: & in doctoribus suis ad montes virtutum* laudes Domino referendas conuocat populos omnium gentium. Gen. 30. * &

Nepthalim quoque interpretatur, *conuertit me*, vel *dilatauit me*, vel *certe implicuit me.* De conuersione, siue comparatione causa nominis eius est. Vnde & dicit Rachel, cum eum peperisset ancilla eius * Lia: *Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui.* Cui dixit pater in benedictione sua: *Nepthalim ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis*: siue, *Nepthalim ager irriguus.* Vtrumque enim significat Hebræum verbum, *aila.* Significat autem, quod aquæ calidæ in ipsa nascuntur tribu; siue quod super lacum Genesar fluento Iordanis esset irriguus. Hebræi autem volunt propter Tyberiadem, quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum & eloquia pulchritudinis prophetari. Ceruus autem emissus temporaneas fruges, & velocitatem terræ vberioris ostendit; sed melius, si ad doctrinam Saluatoris cuncta referimus; quod ibi vel maxime docuerit Saluator; quod in Euangelio quoque scriptum est. Aliter autem exprimit omnes sanctos prædicatores: qui instar ceruorum transilientes, ad superna se erigunt, cunctisq; credentib. doctrinæ eloquia conferunt. * Bilha. Gen. 30. Gen. 49.

Dan interpretatur, *iudicium.* Bala enim eum cum peperisset, dixit Rachel domina eius: *Iudicauit me Dominus, & exaudiens dedit mihi filium*: causam nominis expressit. Hic iuxta prophetiam Iacob *coluber in via, cerastes in semita* esse dicitur. Dicunt quidam, Antichristum per hæc verba prædici de ista tribu futurum, pro eo, quod hoc loco Dan & coluber asseritur & mordens: & vnde inter tribus Israel primus Dan ad Aquilonem castrametatus est; significans illum, qui se in lateribus Aquilonis sedere dicit; & de quo figuraliter Propheta dicit; *A Dan auditus est fremitus equorum.* Qui non solum *coluber*: sed etiam *cerastes* vocatur. Cerata n. Græce cornua dicuntur. Serpens ille cornutus esse perhibetur: per quẽ digne Antichristus asseritur; qui contra vitã fidelium cum morsu pestiferę prędicationis armabitur etiã cornib. potestatis. Quis aũt nesciat semitam angustiorem esse, quam viam? Fit ergo coluber in via, q; in præsentis vitæ latitudine eos ambulare prouocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed mordet, quod eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit itaque iterum cerastes in semita: quia quos fideles reperit, & sese inter angusta itinera præcepti cœlestis constringere videt, non solum nequitia callida persuasionis impetit; verum etiam ter- Gen. 49. Ierem. 8.

rore potestatis perimit in persecutionis angore. Post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. In quo loco equi nomine hunc mundum insinuat: quod per elationem suam in cursu labentium temporum spumat: & quod Antichristus extrema mundi apprehendere nititur. Cerastes iste equi vngulas mordere perhibetur. Vngulam quippe equi mordere, est extrema seculi feriendo contingere, vt cadat ascensor eius retro: quia quisquis in iniquitatibus dignitate mundi extollitur, retro cadere dicitur. Dicit enim Moyses in benedictione: *Deut.33.* *Dan catulus leonis fluit largiter de Basan.* Leo enim per fortitudinem Christi figuram gerit: econtrario vero per ferocitatem significat diabolum. Antichristus ergo filius est ferocis diaboli. Hic largiter fluit de Basan: quia plenus est confusione. Basan enim interpretatur, *confusio* siue *pinguedo*, vel *bruchus*. Pinguedo enim nimietatem significat suæ auaritiæ atque luxuriæ. Bruchi autem similitudinem habet in hoc, quod sicut bruchus herbę: ita ipse virtutum deuastat formositatem.

Gad ab *euentu* seu *procinctu* vocatus est: quando enim peperit eum Zelfa: dixit domina eius Lia: *Infortunata*, idem, quod dicitur, *in procinctu* vel *euentu*. Dicit enim de illo in benedictione pater Iacob: *Gen.49.* *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.* Totum autem illud est, quod ante Ruben & dimidiam tribum Manasse ad filios quos trans Iordanem in possessione diuiserat, post quatuordecim annos reuertens, prælium aduersum eos gentium vicinarum grande reperit, & victis hostibus fortiter *dimicaret. **dimicauit.* Lege librum Ihesu Naue & Paralipomenon. de quo Moyses ait: *Deut.33.* *Benedictus in latitudine Gad: quasi Leo requieuit. cepitque brachium & verticem: & vidit principatum suum quod in parte sua repositus doctor esset qui fuit cum principibus populi. & fecit iustitias Domini, & iudicium suum Israhel.* In benedictione Gad videtur Moyses prædicere secundum historiam, potentiam virorum fortium vel iudicum, qui de illa tribu fuerunt. sicut fuit Iepthe inter cæteros iudices valde clarus & nobilis actu. Secundum allegorias vero Gad interpretatur *accinctus* figuram Domini Iesu Christi, qui aduersus nequitias spirituales pugnaturus in infirmitate carnis nostræ, virtute diuinitatis suæ præcinctus apparuit. Qui in latitudine benedictus est cum non solum ex Iudæis, sed ex omnibus etiam nationib. amplissimum à patre toto orbe regnum accepit, *Malach.1.* impleto, quod Propheta prædixerat: *Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum. & horribile in gentibus.* Quia vero per humilitatem passionis ad tantam excreuit gloriam celsitudinis, apte de eius morte subiungitur: *Deut.33.* *Quasi leo requieuit: cepitq; brachium & verticem*, &c. In requietione enim leonis, potestas exprimitur ipsius Saluatoris: qui brachio fortitudinis suæ potestates mundanas religioni suæ inclinauit. Subiectis quippe sibi regnis & gentibus vniuersis principatus eius potentia claruit. Ipse enim Apostolis, principibus scilicet populi Dei, toto orbe Euangelium prædicantibus adiutor & cooperator vbiq; fuit, dicente Euangelista: *Marc.16.* *Illi autem profecti prædicauerunt vbiq;, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Aser, qui interpretatur *beatus*: quia dum eum peperisset Zelfa, dixit Lia: *Gen.30.* *Beata ego, & beatificant me mulieres.* Hic demonstrat Dominum Iesum Christum: cuius panis pinguis est in ore credentium: quia & delicias præbet regibus, hoc est, corporis sui & sanguinis sacramenta dat sanctis, qui rite reges dicuntur: quoniam bene semetipsos vel sibi subditos regunt. Hic secundum prophetiam Moysi est benedictus in filiis, & placens fratribus suis: cum credentes in eum, & per eius gratiam renascentes, vniuersum orbem in similitudine repleuerunt: & fratribus, hoc est, Apostolis & sanctis gratiam suæ dilectionis ita tribuit, vt legis ceremonias spernerent, & suscepta euangelica veritate gauderent & exultarent: quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contumeliam pati, cunctisque fidelibus prædicarent, dicentes: *Iac.1.* *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis.* Vnde autem tanta in eis sit abundantia charitatis Christi, exponitur figurate, dum subditur: *Deut.33.* *Tinguit in oleo pedem suum.* Ascendens quippe in cœlum caput nostrum Dominus Christus chorum Apostolicum, cuius consona prædicatione vniuersum mundum erat peragraturus, quasi pedem in terra adhuc consistentem, oleo Spiritus sancti copiosissime vnxit. Ex quo concepta virtute nullo labore deficeret: sed immarcescibilis semper gaudij alacritate polleret: cui etiam incorruptibilis calciamenti præstitit munimentum. de quo sequitur: *Ferrum & æs calciamentum eius.* Cuius dies iuuentutis ita fiunt, vt senectutis; quia corpus eius, quod est ecclesia, in primordio fidei floruit virtutibus, sapientia viguit, miraculis coruscauit. Sic & in fine seculi in electis perseuerat vigor fidei: & ardor charitatis vsque in finem. Hic rectissimus est ascensor cœli, quia super omnes virtutes cœlestes & potestates angelicas post resurrectionem suam ascendit *Eph.1.* & sedet ad dexteram Patris. *Magnificentia eius discurrunt nubes*, *Deut.33.* doctores videlicet & prædicatores Euangelij in toto orbe disseminant verbum Dei. *Cuius sunt brachia sempiterna:* *Ibid.* quia cunctis hostibus victoria eius fit perpetua. Qui eiiciet à facie sua inimicum diabolum: & dicit contere: quando nouissima inimica destruetur mors, & electi omnes immortalitate & incorruptione vestiti triumphantes in regnum intrabunt æternum.

Ioseph ab eo, quod sibi aliud additamentum optauerat mater vocauit augmentum. Hunc Pharao *Sephaneth* appellauit: quod Hebraice *absconditorum repertorem* sonat: pro eo, quod obscura somnia reuelauit, eique sterilitatem prædixit. Tamen quia hoc nomen ab Ægyptio ponitur: ipsius linguæ debet habere rationē. Interpretatur ergo Sephaneth Ægyptio Sermone *Saluator mundi*: eo, quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberaret. Quod autem Ioseph à fratribus venditus in Ægypto sublimatur, Redemptorem nostrum significat à populo Iudæorum in manibus persequentium traditum, & nunc in gentibus exaltatum, Cui pater in benedictione sua ait: *Fil[illegible] accrescens & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super mur[illegible]: sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt inuideruntq; illi, habentes iacula*, &c. *Gen.49.* Hæc prophetia post passionem Domini paternæ vocis imaginem prætulit: quia redeuntem in cœlum post victoriam Christi pater alloquitur, dicens: *Filius accrescens Ioseph*: *Ibid.* filius accrescens vtique in gentibus: quia cum ob incredulitatem synagogæ populum reliquisset, innumeram sibi plebem ecclesiæ ex omnibus gentibus ampliauit. Quod & Dauid cecinit, dicens: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ.* *Psal.21.* *Filius accrescens & decorus aspectu.* *Gen.49.* Omnes enim superat illius pulchritudo: iuxta quod de ipso in Psalmis canitur: *Speciosus forma præ filiis hominum.* *Psal.44.* *Filiæ discurrerunt super murum*, *Gen.49.* id est, ecclesiæ, quæ crediderunt in Christum. Hæ super soliditatem fidei, quasi super murum, amore pulchritudinis Christi accensæ discurrerunt, vt verum sponsum per contemplationem aspiciant, & osculo charitatis illi copulentur atque adhæreant. Sed obiurgati sunt eum, quando falsis testimoniis calumniantes sanctum Deum opprimere synagogæ populi cogitauerunt. *Inuiderunt illi habentes iacula.* *Ibid.* Neque enim quisquam in Ioseph coniecit sagittas: vel aliquod vulneris telum: sed hoc specialiter euenit in Christum. *Sedet in forti arcus eius.* *Ibid.* Christus enim arcum suum & arma posuit in Deo, qui fortis est propugnator. Cuius virtute concidetur omnis nequitia perfidorum. *Et dissoluta sunt vincula brachiorum eius:* *Ibid.* quibus fratres eum vinctum ad Pilatum duxerunt, vel quibus eum suspensum in ligno crucifixerunt. *Rescissa sunt enim per manum omnipotentis Iacob*, *Ibid.* hoc est, per manum omnipotentis Dei Iacob: ex cuius *Ibid.* femore ipse Dominus bonus pastor egressus est, lapis & firmitas credentium in Israhel. *Deus patris tui erit adiutor tuus.* *Ibid.* Quis adiuuit filium: nisi solus Deus Pater, qui di[illegible]: *Iacob puer meus, suscipiat eum anima mea: & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum.* Vniuersa enim subiecit ei, cœlestia per benedictionē cœli, & terrena per benedictionem abyssi iacentis deorsum: vt omnib. angelis & hominib. dominaretur. *Benedictionibus vberum*, *Ibid.* id est, sinc duorum testamentorum, quorum altero nunc [illegible]tus est, [illegible]ltero demon-

stratur:

stratur: siue benedictionibus vberum Mariæ, quæ vere benedicta erant, quia husdem sancta virga de se potum lactis Domino inmulsit. Vnde & illa mulier in Euangelio ait. Luc. 11. *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Benedictionibus vberum & vuluæ;* Gen. 49. etiam hic benedicitur & vulua eiusdem matris; illa vtiq; virginalis, quæ nobis Christum Dominum edidit. De qua per Prophetam Hieremiam dicitur: Ierem. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Gen. 49. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt in te benedictionibus patrum tuorum.* Benedictiones (inquit) Patris tui cœlestis, quæ datæ sunt tibi, à summo cœli & abyssi confortatæ sunt, id est, præualuerũt benedictionib. patrum tuorum. Vltra omne enim sanctorum meritum Patriarcharum conualuit benedictio omnipotentis Patris in Filio: ita, vt ei nullus Sanctorum æquetur: Ibid. *donec veniret desiderium collium æternorum.* Colles isti sancti sunt, qui Christi aduentum prophetantes magno desiderio incarnationem eius expectauerunt. De quibus Dominus dicit: Luc. 10. *Quia multi iusti & prophetæ cupierunt videre, quæ videtis.* Hi ergo sancti dicti sunt colles propter excellentiam sanctitatis; qui etiam æterni vocantur: quia vitam consequuntur æternam: nec intereunt cum mundo: sed esse creduntur æterni. Fiant in capite Ioseph omnes benedictiones istæ super caput Christi ponuntur, quas incarnatus accepit. Gen 49. *Et super verticem Nazaræi:* de quo scriptum est; Malach. 2. *Quoniam Nazaræus vocabitur,* id est, sanctus Dei. Gen. 49. *Inter fratres suos,* quia ipse est caput omnium eminens, vniuersorum videlicet sanctorum; quos etiam & fratres vocat in Psalmis.

Beniamin, qui interpretatur, *filius dexteræ:* quod est virtutis. Nam mater eius moriens vocauerat nomen eius Benoni, id est, *filius doloris mei:* pater autem hoc mutauit, *filium dexteræ* nominans. Beniamin autem Pauli Apostoli imaginem prætulit: quia & minimus Apostolorum fuit, & de tribu eius ascendit. Iste est lupus rapax, mane persecutor diripiens, vespere doctor pascens. Quod aũt dixit Deut. 33. Moyses in benedictione Beniamin: *Amantissimus Domini habitabit confidenter: in eo quasi in thalamo tota die morabitur: & inter humeros illius requiescet:* videtur quidem secundum historiam tangere, quod Beniamin à Patriarcha simul & Propheta spiritu Dei pleno videl. patre suo Iacob amaretur; & quod per dispensationem Dei locus ille, in quo cultus maxime futurus erat, tribui eidem decerneretur, hoc est, Ierusalem, vbi templum & altare Dei construebatur; atq; ideo subiungitur: *Quasi in thalamo tota die morabitur;* quia Ierusalem fuit eo tempore locus, quem elegit Dominus, vt esset nomen eius ibi. Allegorice autem Dominus noster Iesus Christus ipse amãtissimus est Dei Matth. 3. 17. Patris, de quo dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hic in virtute patris permanet; quia in dextera virtutis sedet: & *regnauit in excelsis. *regnat. Sed & de humilitate eius intelligi potest; quia in ea diuinitas habitet cõfidenter, quam sibi cõiunxit in vnitate personę. Quod autem in thalamo morabitur, & inter humeros illius requiescet; significat, quod in vtero Virginis cœlesti Sponso coniuncta est ecclesia: quæ in fortitudine potentiæ Christi, & in operib. eius maximam fiduciam ac requiem mentis habet.

Manasses dictus est ab eo, quod sit pater eius oblitus laborum suorum. Ita Hebraice vocatur *obliuio*, gestat autem figuram prioris populi.

Effraim, qui interpretatur, *frugifer* siue *augmentum*: eo, quod auxerit eum Deus. Hic autem gentium significat populum, qui per benedictionem Patriarchę prępositus est maiori populo Iudæorum.

Thamar interpretatur, *amaritudo pro viris mortuis*, eadẽ & *commutans*, mutauit enim se in habitum meretricis, quando cum socero suo concubuit.

Phares interpretatur, *diuisio*: ab eo, ꝙ diuiserit membranula secundarum: diuisoris inde, id est, Phares sortitus est nomen. Vnde & Pharisæi, qui se, quasi iustos, à populo separabant, diuisi appellabantur.

Zara frater eius, in cuius manu coccinum, interpretatur, *oriens*. siue quia primus apparuit: siue quod plurimi ex eo iusti nati sunt, vt in libro Paralipomenon continetur. Thamar habitum mutat, mutat & nomen: & fit de Synagoga ecclesia: sed in ea prorsus nomen amaritudinis manet; non illius amaritudinis, in qua Domino ministrauit: sed illius, in qua Petrus amare fleuit. Nam & Iudas latine *confessio* est. Confessioni ergo amaritudo misceatur: vt vera pœnitentia præsignetur hac pœnitentia fœcundatur ecclesia in omnibus gentibus constituta. *Oportebat enim Christum pati & resurgere tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem.* Luc. 24. Nam & ipse habitus meretricis confessio peccatorum est. Typum quippe ecclesiæ gerit Thamar ex gentibus euocatæ, sedens cum hoc habitu ad portam Enan vel Enachin, quod interpretatur, *fons*. Cucurrit enim velut ceruus ad fontes aquarum peruenire ad semen Abrahæ. Illo enim nõ cognoscente feratur; quia de illo prædictum est; *Populus, quem non cognoui seruiet mihi.* Psal. 44. Accepit in occulto annulũ Gen. 38. & monile & virgam; quia vocatione signatur, iustificatione decoratur, glorificatione exaltatur. *Quos enim prædestinauit illos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit illos & glorificauit.* Rom. 8. Sed hæc (vt dixi) in occulto, vbi fit & conceptio sanctæ vbertatis. Mittitur Gen. 38. autem hœdus promissus, tanquam meretrici. Hœdus exprobratio peccati per eundẽ Odollamitem, tanquam increpantem & dicentem: *Generatio viperarum.* Matth. 3. Sed non eam inuenit peccati exprobratio, quam mutauit confessionis amaritudo: post vero iam publicis signis annuli & monilis, & virgæ vicit temere iudicantes Iudæos: quorum iam personam ipse Iudas gestabat; qui hodieque dicunt, non hunc populum esse Christi, nec habere nos semen Abrahæ. Sed prolatis certissimis documentis nostræ vocationis, iustificationisq;, & glorificationis erubescunt sine dubio, & confunduntur, & nos magis quam se iustificatos esse fatebuntur. Pignora enim refert habere secum ecclesia. Accusatur enim à Iudæis, quasi adulteratrix legis: sed ostendit virgam signũ passionis, & monile legis legitimæ, & annulũ pignus immortalitatis. Quod autem Scriptura dicit parientem Thamar & duos in vtero geminos habentem: quorum scilicet primus, qui dicitur Zara, misit manum suam, & obstetrix ligauit coccinum: & dehinc illo manum intrinsecus retrahente posterior, qui Phares vocatur, porrexit manum, & nascendo processit: figuraliter congruit, quod extenderit Israel in legis opera manũ suam & eam Prophetarum & ipsius Saluatoris pollutam cruore cõtraxerit: postea vero prior aperit populus gentium scilicet, vt futuri essent nouissimi, qui erant primi: & primi futuri essent, qui erant nouissimi.

Iob autem, vt quidam suspicantur, in libro Geneseos Iohab nominatur, & de stirpe Esau generatione quarta natus creditur. Econtra Hebræi asserunt eum de Nachor stirpe esse generatum. Nam Eliphaz, qui vnus de tribus amicis Iob esse legitur, in libro Hebraicarum quęstionum scriptum reperi, quod ipse fuerit filius Esau ex Ada vxore sua. In latinum quoque vertitur Iob, *dolens*. Et recte, dolens, propter percussionem carnis, & passiones dolorum. Calamitates enim suas nominis etymologia figurauit. Hic ergo in factis dictisq; suis personam exprimit redemptoris, de quo scriptum est: *Ipse dolores nostros tulit: & ægrotationes portauit.* Esa. 53.

Vxor quippe ipsius Iob, quæ eum ad maledicendum prouocauit, prauitatem carnalium designat.

Tres vero amici illius typum tenent hæreticorum: qui sub specie consulendi studium gerunt seducendi.

Heliud vero, qui contra eum superbe locutus est, doctorem superbum & arrogantem demonstrat: qui durius increpatione sua: fidelium intra sanctam ecclesiam arguit & increpat turbam,

CAPITVLA LIBRI TERTII INCIPIVNT.

CAPVT I.

De aliis quibusdam viris siue feminis, quorum nomina in veteri testamento scripta leguntur.

CAPVT II.

De Prophetis.

Pharao nomen est non hominis, sed honoris, sicut apud nos *Augusti* appellantur Reges, cum propriis nominibus censeantur. Exprimitur autem in latinū Pharao, *denegans eum*, vtique Deum, siue *dissipans*, seu *discooperiens*, scil. populum Dei: cuius fuit afflictor. Hic ergo figuram diaboli habuit: qui in huius seculi captiuitate populum Dei perdere & terrenis vitiorum operibus prægrauare tentauit. Cuius eunuchus Phutifar, qui interpretatur, *os inclinans ad discendum*, emit Ioseph, vendentibus fratribus suis. Sic & castus in disciplinis euangelicus populus precio fidei emit Christum, vendentibus eum Iudæis, proximis sanguinis sui. Qui merito *os inclinans ad discendum* dicitur: quia subdit se doctoribus ad discēdam sapientiam diuinam. Pharao ergo somnium vidit, quod interpretatus est Ioseph; quia mysterium incarnationis dominicæ, quod ignorabat diabolus, Christus gentibus manifestauit. Nam septem anni vbertatis, qui in septem spicis plenis, seu in septem vaccis pinguib. ostendebantur, septem charismatum spiritalium dona, quibus vbertas fidei larga pietate redundat, significabant. At contra septem steriles & tenues famē veritatis & iustitiæ nouissimis temporibus figurabant. Ioseph autem, qui typum induerat Christi, currum meruit & præconiauit ante eum: & constituit illum Pharao super vniuersam terram Ægypti: & Dominus noster postquā est distractus à Iuda (vt Ioseph à fratribus) & de infernorum carcere resurrexit: ascendit currum regni cœlestis: de quo scriptum est: *Currus Dei decem mil.* &c.
Psal. 97. accepit potestatem à Patre prædicandi & iu-
Phil. 2. dicandi, sicut Apostolus Paulus ait: *Et dedit ei nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur: cœlestium, terrestrium & infernorum*. Accepit quoq; & annulum, pontificatum scil. fidei, quo credentium animæ salutis signo signantur frontibus & cordibus. Per signum crucis figura æterni regis exprimitur. Induiturq; stola byssina, id est, sancta carne bysso candidiore, & stola immortalitatis. Accepit quoque torquem auream, id est, intellectum bonum. Præco ante eū præcedit, id est, aut Iohannes Baptista, qui iter eius præcedēs præconiabat dicens:
Matth. 3. *parate viam Domino*, habebit & alium præconem, rubam
1. Thess. 4. angeli: quia *ipse veniet in tuba angeli*. Dixit quoque rex ad
Gen. 41. Ioseph: *Ego sum Pharao, absq; tuo imperio nō mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitq; nomen illius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca saluatorem mundi* Quid manifestius de Christo, quando sub figura Ioseph Saluator ostēditur, non tantum vnius terræ Ægypti: sed etiam totius mundi?

Exod. 2. Filia Pharaonis, quę expositum Moysen ad ripam fluminis collegit, ecclesia gētium est: quæ Christum ad flumen salutaris lauacri reperit.

Iamnes interpretatur, *marinus* siue *vbi est signum*. Corā enim signis Moysi cessit, & defecit signum eius. Vnde &
Exod. 8. dixerunt magi: *Hic digitus Dei est*.

Mambres interpretatur, *mare pellicēū*, siue *mare in capite*. Moyses interpretatur, *assumptus ex aqua*. Inuenit eum ad ripam fluminis expositum filia Pharaonis, quem colligens adoptauit sibi, vocauitq; nomen eius Moyses, eoque de aqua sumpsit eum. Hic typum Christi gestauit: qui populum Dei à iugo diabolicæ seruitutis eripuit, & ipsum diabolum in æterna pœna damnauit. Qui decem plagis percussit Ægyptum: & decem præceptis erudiuit populum Dei in deserto; quia Christus in mādatis Euangelij, quibus in deserto istius mundi nutrit credentes, atque ac damnat incredulos. Hic virga percutiens petram fontem viuentis aquam produxit: sic & Christus per passionem crucis mortem degustans, sanguinem & aquam de latere suo produxit. Quibus duobus sacramentis sancta induitur ecclesia. Moyses populum per desertum duxit: sed tamen vltra Iordanem in terram repromissionis non introduxit: quia vetus testamentum licet futuram in cœlis patriam in scriptis suis promiserit: tamen non, nisi per Iesu Christi ducatum, aditū regni cœlestis vllus adeptus est. Hic quoq; per fluenta baptismatis populum suum in terram ecclesiæ introducens, vitæ æternę electis suis dedit promissionē: & terrigenas fecit esse cœlicolas. Accepit ergo Moyses vnam de septem filiabus Raguel, qui interpretatur *pastio Dei*, siue *amicus eius Deus*, nomine Sephoram, quæ interpretatur, *pulchritudo* siue *placens*. Quæ genuit ei filium, quem vocauit Gersan, quod interpretatur, *aduena*. Peperit & alterum, qui vocatus est Eliezer, & interpretatur, *Deus meus adiutor*. Cum Redemptor de gentili populo ecclesiam septiformem spiritali coniugio sibi copulauit, quæ licet munere sancti Spiritus septiformis sit: tamen vna est in fide Catholica: de qua in Canti- Cant. 6.
co canticorum dicit: *Vna est columba mea electa genitrici suæ*. Hæc vnum genuit filium, qui vocatur aduena: & alterum qui vocatur Dei adiutorium. Quę nomina bene conueniunt populo Christiano ex circumcisione & præputio conuocato. Aduenæ enim sunt: quia in incolatu istius mundi à cœlesti patria modo peregrinantur: sed tamen Dei adiutorio nunquam carebunt.

Aaron, *mons fortitudinis* interpretatur: propter quod turibulum accipiens in medio superstitum & interemptorum obuiam stetit: & ruinam mortis, quasi quidam mons fortis, exclusit. Hic sacerdotio suo Christi exprimit sacerdotium: quia sicut ille cruore victimarū populum expiabat: ita & Christus sacrificio sanguinis sui peccata diluit mundi. Nam virga Aaron abscissa refloruit ac fructus protulit: sic & arbor crucis Christi æternæ viriditatis & fructum vitæ perpetuæ per passionem Christi vniuerso protulit mundo, demonstrauitque Christi sacerdotium perpetuo esse mansurum, & credentibus in eum esse proficuum.

Maria soror Aaron synagogæ speciem prætulit.

Vxor Moysi Æthiopissa figurauit Ecclesiam ex gentibus Christo coniunctam: cuius ob causam zelo Synagoga obtrectans aduersus Christum ilico contagione lepræ perfunditur.

Eleazar interpretatur, *Deus meus adiutor* siue *Dei adiutorium*. Hic typum tenet sanctorum doctorum: qui verbo & exemplo sanctam adiuuant ecclesiam: quorum v- 1. Cor. 3.
nus ait: *Dei sumus adiutores: Dei agricultura estis: Dei ædificatio estis*.

Amalech, qui interpretatur, *populus lambens*, siue *lingens cum exercitu suo*: qui humanam semper desiderat perditionem, & per doli machinationem populum Dei decipere gestit, diabolum significat. Hic obuius Dei populo resistens, ad signum crucis euincitur.

Seon quoq; rex Amorræorum: qui in latinum *tentatio* vertitur *oculorum*, eundem diabolum significat, qui mendacio fallendi se velut angelum transfigurauit.

Og rex Basan qui interpretatur, *conclusio*, hic intercludere molitur difficultate vitiorum viam fidei nostræ: ne pateat nobis transitus ad regnum promissum vitæ æternæ.

Septuaginta viri seniores, super quos cecedit spiritus Dei, septuaginta generationum linguas in hoc mundo diffusas ostendit, ex quibus multi credentes gratiam Spiritus sancti acceperunt.

Dathan & Abiron, & cæteri, qui se à Moyse & Aaron segregantes, sacrificium vsurpare conati sunt, hæreticorum prauitatem designant, perniciemq; eorum, qui se à sacerdotibus Christi & societate Ecclesię diuidunt, & sacrificia profana accipiunt.

Balaam qui interpretatur, *vanus populus*, & cadens apertos habuit oculos, typum eorum tenuit, qui per fidem cognitionem Dei habent: sed obscurati operibus corruũt.

Finees, *ori parcens*, interpretatur, transfixit cum pugione Zambri cum scorto Madianitide: id est, Domini furorẽ placauit, vt parceret. Nam iste Phinees, qui Zambri & scortum in adulterio conuersantes taliter interemit, figuram tenuit sanctorum doctorum; qui Iudæos & hæreticos spiritali mucrone verbi Dei in amplexu falsæ doctrinæ & concubitu interfecerunt.

Zambri interpretatur, *stella lacescens* vel *amaricans*. Proprie enim nomen ab amaritudine figuratum: quod peccando amaricauerit populum.

Ille quoque, qui sabbatho ligna collegit, significat eũ, quem cum peccato iudicij dies inuenerit, vnde æterni sabbathi requiem non meretur accipere.

Duodecim exploratores scribarum ac Pharisæorum imaginem tenuerunt: qui Israeliticum populum auerterunt: ne considerent gratiam diuinæ repromissionis adipisci posse per Christum.

Duo portitores, qui de terra repromissionis botrum in ligno humeris gestauerunt, duorum populorum significationem expresserunt. Quorum prior Iudaicus gradiens aduersus Christũ dat terga; posterior Christianus eum, post quem vehit, inspicit & sequitur Christum.

Iosuæ enim, qui interpretatur, *saluator*, ipse in figuram Christi populum à deserto saluauit, & in terram repromissionis induxit. Iste Iesus mittit duos exploratores ad Hiericho vrbem: qui suscipiuntur à meretrice Raab. Iesus ille dux populi in semetipso Dominum Christum & vocabulo ostendit & facto. Hiericho autem ciuitas mundus est, ad quem Dominus Christus ad perscrutandos mores hominum duo testamenta direxit. Nam in eo vt credentium fidem aut rebellium peruicaciam plenius comprobaret: ante aduentum iudicij sui, quasi exploratores duos, Legem & Euangelium destinauit. Raab vero, quæ interpretatur, *latitudo*, vel *fames*, siue *impetus*, typum tenet ecclesiæ, quæ de extraneis atque alenis gentibus congregata est: quæ antea viuens in desideriis carnis fornicabatur in idolis. De qualibus ait Dominus ad Iudæos. quod præcederent in regno cœlorum. Hæc igitur testamenta Domini sola suscipit: & ea fideliter conseruat; inimicis omnino non tradit, ipsa periclitari optans, dummodo illæsa ac salua seruaret. Hæc casurum mundum, sicut illa ciuitatem firmiter credidit. Hæc pro se ac suorum salute omnium pactum cum testamentis Domini fecit. Hæc in domo sua coccum, id est, signum sanguinis posuit: extra hanc si quis fuerit inuentus, ruinam seculi atque incendium mundi nulla ratione vitabit.

Acham, qui de Hiericho anathemate concupiuit, significat nequam Christianum: qui post perceptã fidem seculares mores vel mundi illecebras appetit.

Chaleph vero, qui interpretatur, quasi *cor* aut *canis*, significat doctorem Catholicum sapientem corde & fortem ac strenuum in exercitio virtutum. Iste deposcit sibi à Iosue permitti facultatem, vt congrediatur cum dialecticis seculi: cum his, qui pro veris falsa confirmant, vt eos confutet & superet. & subuertet omnia, quæ illis falsis assertionibus construxerunt. Ideo denique videns alacritatem eius Iesus benedixit: inquit, cum scilicet, quod talia deposcat & audiat. Sed & tu si vis dare operam studiis, & legem prudenter meditari & effici cordatus in lege Dei: potes istas magnificas & munitas vrbes, id est, assertiones subuertere falsitatis: vt & tu merearis benedici ab Iesu, & accipere Ebron. Interpretatur, autem Ebron, *coniunctio* vel *coniugium*. Per quod fortasse potest illud ostendi, quod spelunca duplex comparata ab Abraham Patriarcha in ea est, in qua Patrum reliquiæ iacent id est, Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Iacob cum Lia. Ipse ergo in memoriis Patrum hæreditatem capit prudens & sapiens Caleph: ipsi Iesus Enachitarum gentiũ metropolim tribuit Ebron, & efficitur ei sors vsq; in hodiernum diem.

Othoniel, qui interpretatur, *tempus eius Deus*: vel *responsio Dei*. Iste significat rectores ecclesiarum ac iudices: quibus per Spiritus sancti gratiam iudicium non solum rerum gestarum datum est: sed & animarum. Nam scriptum est de ipso Othoniel, & factus est Spiritus Domini super eum, & iudicauit Israyel, & exiit ad bellum, & tradidit Dominus in manus eius Chusar Sathon regem. Quare hoc? quia Spiritus Domini in eo: & confortata est manus eius super Chusar Sathon. Et hæc dicit: *quia quieuit terra sub eo iudice 40. annis*. Iud.5. Vides, quam larga est diuina clementia. Octo annis filij Israhel seruierunt pro multorum delictis: quadraginta annis pro vnius iustitia in pace perdurant.

Adonibezech, qui interpretatur, *dominus fulminis*, significat diabolum: de quo Apostolus ait: *Ipse enim sathanas transfigurat se in angelum lucis*. 2.Cor.11. Tota autem eius potentia atque potestas vanitas est. Quem filij Iuda, hoc est, filij confessionis, ac filij Simeon, id est, filij exauditionis debellant: cum fideles quique scuto fidei atque armis virtutum contra eum dimicant. comprehendentesque eum, cædunt summitates manuum ac pedum eius, cum primordia male operationis atque praui exempli abscidere viriliter contendunt, quatenus malignæ fraudis efficaciam repentinæ deceptionis non inueniant: cum vigor illi nocendi spiritali dimicatione aufertur.

Eglon ergo rex Moabitarum, qui interpretatur, *rotatus* vel *orbitas* typum tenet diaboli, qui fatigat populum Dei; & propter peccata sua sub seruitute constituit. Hunc Aoch iudex, qui interpretatur, *gloriosus*, & est ambidexter habens gladium ancipitem, interfecit. Sic doctor Catholicus rotantem diabolum in argumentis Philosophorum sermone euangelico atque prophetico concludit, & extinguit omnem praui dogmatis & crassæ intelligentiæ sensum: qui se extollit & erigit aduersum spiritalem scientiam Christi. Possunt & angeli salutares in Othonielis vel Iacob specie designari: quia (sicut sæpe ostendimus) non solum à contrariis virtutibus impugnamur: sed & diuinæ bonæque virtutes ad auxilium nostrum mittuntur à Domino. Mittit etiam nobis Dominus virtutem suam cœlestem, per quam liberemur à iugo seruitutis diabolicæ: quæ virtus omnia pro nobis agat, dextera & prospera: quæ ducit in perditionem, & reuocet nos ad illam veram viam: qui dicit: *Ego sum via, veritas & vita*, Iesum Christum, Dominum nostrum. Ioan.14.

Samgar, qui interpretatur nomen *aduena*, siue *ibi colonus*, & qui sexcentos viros de Philistim vomere percussit: & descendit Israhel: ipse significat doctores ex gentibus: qui colunt agrum Dominicum: & non semper gladio districti examinis contra aduersarios vtuntur: sed aliquando agresti & simplici commonitione de animis auditorum vitia & peccata propellunt. Namque senarius numerus, qui multiplicatus peruenit in sexcentos, mundi huius figuram tenet: qui in sex diebus dicitur consummatus. Sexcentos ergo in aratro dicitur percussisse ille, cui per crucem Christi crucifixus est mundus.

Debbora, quæ intepretatur, *apis*, significat prophetiæ suauitatem, & cœlestis doctrinæ dulcedinem. Hæc habitabat sub palma inter Rama & Bethel. Rama interpretatur, *excelsa*: Bethel, *domus Dei*. Sub palma sedem habet prophetia: quia *iustus, vt palma florebit*, inter excelsa Psal.91. videlicet & domum Dei: quia nihil vile habet prophetia, nec docet nos quæ sunt super terram quærere, sed quæ in cœlis sunt & in excelsis. Hæc ergo

primo vocauit ad ſe Baruth, qui interpretatur, *coruſcatio*. Coruſcatio vero, quæ habet quidem lucem, ſed non permanentem; ad modicum enim temporis reſplendet, & deſinit. Vnde Barach mihi videtur formā gerere prioris populi; qui primo omnium per prophetiam vocatus eſt, & legis ſplendore coruſcauit; ſed non permanſit. Cū ergo dixiſſet Debbora & Barach, id eſt, prophetia ad priorem populum:

Iudic.4. *Tibi præcepit Dominus Deus Iſrael: & tu aſcende in montem Thabor, & accipe decem milia virorum*: & reliqua quæ ſcripta ſunt; quid reſpondit Barach ex perſona populi ad prophetiam, audiamus. Non, inquit,

Ibid. *aſcendam: niſi & tu aſcenderis mecum quia neſcio diem, in qua miſit Dominus angelum ſuum mecum*. De excuſatione quidem verum eſt; ſed de repromiſſione falſum eſt. Quod enim aſcenderint in montem Dei, certum eſt, quod autem pollicentur ſe aſcenſuros eſſe cum prophetia, falſum eſt. Non enim ſecuti ſunt prophetiam, vt crederent ei, de quo omnis prophetia præſcripta eſt Chriſto. Propterea ergo dicit

Ibid. ad eum Debbora *Ibo tecum: veruntamen ſcito, quia non erit primatus tuus in via hac, qua incedis: ſed in manu mulieris tradet Dominus Siſaram*. Euidenter oſtendit: quia non erit apud illum populum primatus, nec permanebit apud eum victoriæ palma: ſed in manus mulieris cui nomen Iael, traderetur Siſara. Iael quoque interpretatur *aſcenſio*, & ſignificat eccleſiam, qua aſcenditur in cœlum; cui traditur Siſara, qui interpretatur, *viſio equi*, hoc eſt, diabolus ſuperbus & incentor carnalium vitiorum. Quod autem Iahel ligno tempora Siſaræ transfodit, eccleſiæ triumphum expreſſit; quæ vexillo crucis diaboli imperium interfecit.

Gedeon interpretatur, *experimentum iniquitatis eorum*, frequentibus enim documentis informatus eſt, quaſi præſagio contra hoſtes futuram victoriam expediret: ex quo futuro experimento etymologiam nominis ſumpſit. Gedeon ergo iſte, qui cum trecentis perrexit ad prælium, typum Chriſti geſtauit: qui in ſigno crucis de mundo victoriam reportauit. Trecentorum enim numerus Tau litera continetur, quæ ſpeciem crucis oſtendit.

Abimelech interpretatur, *pater meus rex*. Videtur ergo Gedeon Chriſti imaginem habuiſſe; ſeptuaginta vero filij ſeptuaginta linguæ vel nationes; qui credentes per ſecundam regenerationem filij Dei eſſe meruerunt. Abimelech vero filius ancillæ typum Antichriſti portaſſe intelligitur; qui congregatis perditis nationibus regnum ſibi improbe vſurpabit, omneſque ſanctos vi & perſecutione, omnique crudelitate trucidabit. Ionathan vero iunior figura ſanctorum fuit. Sicut enim Ionathan per fugam receſſit, & reliqui interfecti ſunt fratres; ſic nemo euadere poterit perſecutionem Antichriſti; niſi qui per fugam receſſerit, & in montem benedictionis aſcenderit. Hic eſt mons, quem ſancti circumdabunt: quē & ſanctus Moyſes in benedictionibus (ſicut iam ſuperius dictum eſt in Deuteronomio poſuit.

Tola, qui interpretatur, *vermiculum* vel *coccinum*, ſignificat eos, qui geminæ charitatis ardore accenſi bene ducatum populi Chriſtiani gerunt.

Iair, qui interpretatur, *illuminans*, hic ſignificat redemptorem noſtrum, qui dux & rex eſt populi Chriſtiani. Quod bene ipſa demonſtrant nomina. Iair enim interpretatur, *illuminans*, & Galaad, *aceruus teſtimonij*, illuminans bene dicitur Dominus noſter, de quo ſcriptum eſt

Ioan.1. in Euangelio: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & ad quem in Pſalmis Prophe-

Pſal.75. ta ait: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*. Hic ergo ex Galaad eſt: quia ex ſcripturis ſacris eius notitia percipitur. Quem qui ibi corde credulo quærit, ſine dubio inuenit.

Gepthe qui interpretatur, *aperiens*, vel *apertum eſt*. Hic poſt victoriam filiam immolauit, redemptoris oſtendē figuram: qui à facie fratrum ſuorū, id eſt, Iudæorum abſcedens, in gentibus principatum accepit; qui omnia humanæ ſalutis ſacramenta tanquam iuratus expleuit: & quaſi filiam: ita carnem propriam pro ſalute Iſrahel Domino obtulit. Iuraſſe patri vnigenitum legimus Pſalmo dicente: *ſicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob*: ſcilicet Pſal.131. vt ſacramentum religionis in carnis ſuæ paſſione pro ſalute generis humani expleret.

Samſon interpretatur, *ſol eorum*, vel *ſolis fortitudo*, fuit enim virtute clarus, & liberauit Iſrahel de hoſtibus: ſic Saluatoris noſtri mortem & victoriam figurauit; ſiue quia de faucibus diaboli gentes quaſi fauum ab ore præcepti leonis abſtraxit: ſiue quia poſt mortem plures lucratur; plurimoſq; moriens quam viuus extinxit.

Dalila, quæ interpretatur, *paupercula* vel *ſitula*, & Samſon verticem decaluauit, ſynagogā ſignificat, quæ Chriſtum in loco Caluariæ crucifixit.

Boos, qui interpretatur, *in fortitudine*, ſiue *in quo robur*, Chriſtum verum eccleſiæ ſponſum expreſſit.

Ruth interpretatur, *feſtinans*. Alienigena enim erat ex gentili populo: quæ, relicta patria, feſtinauit tranſilire in terram Iſrael, dicens ſocrui ſuæ: *quocunq; perrexeris pergam*. Ruth.1. Hæc alienigena, quæ Iſraelitico viro nupſit, eccleſiam ad Chriſtum venientem oſtendit.

Anna, *gratia eius*, interpretatur. Quæ dum prius eſſet ſterilis natura, poſtremo Dei gratia fœcundata eſt. Hæc, quæ fuit ſterilis, & poſtmodum fœcunda effecta eſt eccleſiæ Chriſti typum tenet; quæ prius in gentibus erat ſterilis, nunc largiter pollet per vniuerſam terram prole innumeroſæ fœcunditatis.

Heli interpretatur, *Deus meus*. Hic ſacerdos reprobatus abiectionem ſacerdotij veteris teſtamenti præfigurauit; quia licet illud à Deo per Moyſen ſecundum tempus ordinatum fuiſſet, tamen non permanſit: quia aliud melius futurū erat vt in æternum permaneret: Domini videlicet noſtri Ieſu Chriſti; de quo ſcriptum eſt: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Pſal.109.

Ofni, *diſcalciatus*: filius enim Heli fuit electus in miniſterium ſacerdotij. Cuius amiſſionem ſuo expreſſit vocabulo. Apoſtolus enim ait: *Calciati pedes in præparatione Euangelij pacis*. Et Propheta: *quam ſpecioſi pedes, qui annunciant pacem*. Iſte ergo diſcalceatus interpretatur: vt eius nomine veteris teſtamēti ſacerdotium à veteri populo ſignificaretur ablatum. Eph.1. Eſai.52

Finees ſuper ofni: *os mutum* interpretatur, quo ſignificatur ſacerdotij veteris & doctrinæ ſilentium. Hij ergo ſacerdotes, qui capta ex gentibus arca perempti ſunt, ſignant, poſteritatem ſacerdotij prioris fuiſſe extinctam, & legis teſtamentum eſſe translatum ad cultum gentium.

Samuel interpretatur, *nomen eius Deus*. Hic reprobato Heli in miniſterio ſacerdotali ſucceſſit: noui ſacerdotij ſucceſſionem abiecto veteri ſacerdotio prænunciauit.

Yſai, qui interpretatur, *inſulæ ſacrificium*, vel *incenſum*, populum ſignificat priorem; qui per mare rubrum per Moyſen translatus, ſacrificium ſecundum legem Deo exhibuit in deſerto, de quo ſecundum carnem natus eſt Dauid noſter, Dominus videlicet Ieſus Chriſtus, qui eſt rex regum, & Dominus dominantium.

Saul, *petitio*, interpretatur. Notum eſt enim, quod Hebræorum populus eum ſibi regem peteret & accepit: non ſecundum Deum, ſed ſecundum ſuam voluntatem. Hic rex Iudaici populi inſinuat reprobationē: ſiue eiuſdem populi æmulationem: qui Dauid, id eſt, Chriſtum iniuſto iudicio conatus eſt perdere.

Dauid interpretatur, *fortis manu vtiq;*: quia fortiſſimus in prælijs fuit: ipſe & deſiderabilis in ſtirpe ſcilicet ſua: de qua prædixerat Propheta: *veniet deſideratus cunctis gentibus*. Agg.2. Hic Saluatoris noſtri expreſſit imaginem; ſiue quod in ſectatione Iudæorum iniuſtam perſecutionem ſuſtinuit: ſiue quod manu fortis fortem vicit diabolum atq; alligauit, eiuſq; ſpolia in toto orbe diſtribuit.

Goliath deſignat diabolum: cuius ſuperbiam Chriſti proſtrauit humilitas.

Ionathan interpretatur, *columbæ donum*, ſignificat eos, qui per gratiam Spiritusſancti veræ fidei donum & deuotionem erga Dauid noſtrum percipiunt.

Vrias intepretatur, *lux mea Dei eſt*, ſignificat diabolum, qui ſe per fictionem in angelum lucis tranſtulit: cuius

coniugio prius erat copulata ecclesia: quá Christus concupiuit lauantem, id est, semetipsam à sordibus seculi per lauacri vndam purificantem.

Absalon, *patris pax*, interpretatur per antiphrasin: eo quod bellum aduersus patrem gessisset: siue quod in ipso bello Dauid pacatum fuisse legitur filio; adeo vt etiam magno cum dolore extinctum plangeret. Hic typum tenet Iudæorum vel Iudæ proditoris: qui seditionem leuauerunt cõtra verum Dauid, inuidentes ei, & principatui eius insidias molientes.

Salomon tribus nominib. fuisse perhibetur. Primum vocabulum eius *Salomon*, id est, *pacificus*, eo quod in regno eius pax fuerit. Secundum nomen est *Idida*, eo quod fuerit dilectus & amabilis Domino. Tertium, *Coeleth*, quod Græce appellatur, *ecclesiastes*: Latine, *concionator*: quod ad populum loqueretur. Hæc ergo Christi prænuntiant figuram: qui ædificauit domum Domino in cœlesti Hierusalem, non de lignis & lapidibus, sed de sanctis hominibus. Ad cuius sapientiam audiendam regina venit Æthiopiæ, hoc est, ecclesia de gentibus. Hæc ergo ad pacificum nostrum & amabilem Domino (de quo Pater ait:
Matt.3.17 *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*) vt audiret sapientiam eius, venit de vltimis terræ finibus: & audito eo, visisq; ministeriis eius, in laudem ipsius prorupit, di-
3.Reg.10. cens: *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui placuisti, & posuit te super thronum Israel: eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, & constituit te regem, vt faceres iudicium & iustitiam* &c.

Roboam interpretatur, *latitudo populi*: & ipsum per antiphrasin; eo, quod decem tribubus ab eo separatis, duæ tantum ei relictæ sint. Hic ergo Roboam filius Salomonis & Iheroboam seruus, sub quibus Israel in duas partes diuisus est, designant dissensionem illam in Domini aduentu factam: in qua pars credentium ex Iudæis regnat cum Christo, qui ex Dauid genere ortus: pars vero secuta est Antichristum; cuius cultui nefandæ seruitutis errore constricti sunt. Aliter autem Roboam significat malos rectores in ecclesia; qui terrenis cupiditatibus dediti negligunt curam habere subditorũ, & delectantur in multitudine sibi obsequentium: nec tamen condignam habent sollicitudinem sibi commissorum.

Iheroboam interpretatur, *iudicatio* siue *causa populi*, vel vt quidam aiunt, *diuisio*, eo quod in regno eius diuisus sit populus Israel, & præcisus à regno stirpis Dauid: diuisionis enim populi causa iste extitit. Significat hæreticos, qui dissensionem amant, & vnitatem fidei Catholicæ hære-
*se sibus scindunt; ac sic cultui malignorum spirituum * sibi obsequentes tradunt. Interpretatur aũt Iheroboam, *diiudicans populum*. Nam hæretici diiudicare populum videntur: cum erroris sui sequacem faciunt.

Abia, qui interpretatur, *pater dominus* vel, *pater fuit*, typum tenet Scribarum & Pharisæorum: qui videbantur regere Iudaicum populum: sed paternitatem ac dignitatem nominis sui perdiderunt: cum traditionib. suis violauerunt legem: sic Abia capta Bethel idola Israheli in scandalum reseruauit, vt Hebræi asserunt: & ideo percussus à Domino mortuus est.

Asa, qui interpretatur, *tollens* siue *sustollens*, hic in prin-
3.Reg.15. cipio regni sui restaurauit cultum diuinum: *& fecit quod bonum & beneplacitum erat in conspectu Domini, subuertitq; altaria idolorum, & confregit simulacra*. Vnde gratiam Domini promeruit: ita vt pugnans contra Æthiopes victoriam caperet, & eos vsq; ad internitionem cæderet: quia Domino pro eo pugnãte & exercitum eius adiuuante contriti sunt: sed postea in deterius* relabens cum auxilium Assyriorum contra Basa regem Israel quæsisset: & Anani Prophetam ad se à Domino missum, vt eum inde corriperet, & in vincula misisset: grauiter inde Dominum offendit. Vnde iuste sibi Deo retribuente incidit
*in in languorem grauissimum, & pedum dolorem vehementissimum: in quo & obiit. Nec * & infirmitate sua quæsiuit Dominum; sed magis in Medicorum artem cõfidens delusus est. Is itaque eos figurat typice, qui bono inchoant initio: sed malo finiunt termino: qui post abdicationem idololatriæ, & spretam seruitutẽ dæmoniorum, percepta gratia Baptismatis, & chrismatis sacri vnctione, statim in primordio suæ vitæ pietatis arripiunt opera; sed fortiore ætate, ac iuxta præsentis vitæ terminum, quando virtutibus operam dare debuerant, ad vitia * rebellabuntur: & in prauis delectantur actibus. *relabuntur

Iosaphat, qui interpretatur, *Deus iudicium*, hic ergo rex typum præfert populi credentium de gentibus, qui ad redemptorem nostrum, relicto parentum errore conuenit; sacro Baptismate ablutus, & sancti chrismatis vnctione linitus, à Christo Christianum nomen & regiam dignitatem accepit. Cui Petrus Apostolus in epistola sua ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium: gens sancta. populus acquisitionis*. Quod nominis ipsius interpretatio 1.Pet.2. bene confirmat. Interpretatur autem iuxta quosdam Iosaphat, *Domini dei*, siue *qui est doctus*. Ecclesia gentium ergo pretio sanguinis Christi comparata, & Spiritus sancti pignore dotata, consortium sponsi cœlestis, & societatem regni promeruit. Cui factæ sunt infinitæ diuitiæ, siue in conuentu diuersarum nationum ad fidem, seu in adquisitione variarum virtutum, & multa gloria spiritalis sapientiæ.

Achab autem impius, qui in Samaria regnabat, hæresiarchas exprimit, qui perditorũ turbam per errorem deuia ducunt, & in perpetuum mortis præcipitium mergũt. Quod autem Iosaphat affinitate coniunctus est Achab, descenditq; ad eum in Samariam, contra hostes, præbẽs ei auxilium: illos figuraliter demonstrat, qui de Catholicis ad hæreticorum amicitiam se inclinant; qui licet à rectæ fidei tramite non recedant; tamen errantium societatem atque communionẽ perfecte non deuitant. Quod nullo modo sine culpa esse poterit: maxime cum Paulus ait Apostolus, hæreticum hominem post vnam & secun- Tit.3. dam correptionem deuitandum.

Ioram, qui interpretatur, *qui est excelsus*. & de religioso patre Iosaphat genitus ad perfidiam declinauit, & fornicari fecit filios Iuda, imitatus fornicationem domus Achab, eos potest significare; qui Catholica fide imbuti, ac Christiano Baptismate regenerati, ecclesiæ instituebantur sacramentis: sed relinquẽtes fidei veritatem, errores sequuntur hæreticorum, & non solum ipsi à tramite sani dogmatis exorbitant; imo alios secum per errorum deuia ducere certant. Vnde illos Helias, hoc est, sermo propheticus redarguit; quia omnis diuinorum librorum sanctio tales reprehendit, ac merito suæ peruersitatis grauissimis testationibus increpat.

Achazias, qui interpretatur, *apprehendens Dominum*, significat Scribas & Pharisæos doctores legis veteris; qui tenentes scripturã, legem Domini non tñ seruauerunt. Idcirco Iehu quem Dominus per Helisæum Prophetam ad exstirpandam domum Achab & sacerdotes Baal interficiendos misit, percussit Ioram regem Israhel, & Achaziam regem Iuda, & Ihezabel impiissimam reginam de palatio in Iezrahel præcipitare fecit. Iehu enim typice designare potest gentium principatum: quem Dominus ac Redemptor noster destinauit, vt in sacrilega ciuitate, quæ Prophetas & ipsum Dominum prophetarum occidit, & Apostolos eius persecuta est iudicia exerceret: & eam vltione iusta perimeret, atq; sacerdotiũ vanum, quod post Christi aduentum inaniter habuerat, destrueret: templumq; subuerteret: necnon & impiã synagogã; quæ sanguinem sanctorum semper sitiebat, de regni culmine præcipitaret, ac rectores ipsius interficeret.

Athalia igitur hæc, quæ semen Dauid extinguere moliebatur, & regiam stirpem delere, bene impietatem exprimit synagogę; quę per nequitiam mentis, seminis Dauid, hoc est, Christi insidiatrix erat, & odium contra eum semper in corde gerebat, quia aliquando regnare videbatur, cum legis ceremonias temporaliter obseruabat. Interpretatur Athalia, *temporalis Domini*, sed Iosabet strenuitate, quę interpretatur, *saturitas Domini*. id est, ecclesię, in qua vere sunt delitię, seruatur Ioas, qui interpretatur, *memoria Domini*, Christus videl. in quo memoria est nominis Domini; ne per crudelitatem sæuiẽtis hostis interimatur in cordib. electorum; magisq; nutriatur in domo

Ioiadæ Pontificis, qui *dilectus Domini*, interpretatur. De Matt. 3.17 quo Patris vox ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui.* Cuius domus S. Ecclesia est. Vbi in fide electorū manens quotidie facit augmentum corporis sui, donec tempore iudicij sceptrum regni & potentiā aduersus eos extollat, qui deprimere cogitabant, & interfectricē sanctorum æternis deputauerit pœnis.

Amasias qui interpretatur, *populū tollens*, significat malos rectores: qui populum Dei noxio errore siue prauis exemplis suis tollunt à vera religione, & inducunt in errorem atq; prauam conuersationem; qui videl. sicut Amasias, simulant in aliquibus bonos se esse; sed tamen nō sunt, quia perfectum cor nō habent in cultu Dei: sed nutantes atq; vacillantes semper instabiles fiunt: & magis diabolo quam Deo seruire probantur.

Ozias, qui interpretatur, *fortitudo Domini* dionimus erat; quia qui in Paralipomenon Ozias, idem in libro Regum Azarias nominatur. Ozias interpretatur, *virtus Domini* & Azarias, *auxilium Domini*. & recte virtus Domini vel auxilium Domini vocatur: quia quamdiu recta egit, diuina ope adiutus, plurima commisit feliciter bella: & vbiq; de hostibus triumphauit. Sed postquam per superbiam illicita tentabat, lepra percussus, & nominis & honoris simul fuscauit dignitatem. Hic rex, qui ob meritū scelerum suorum in fronte contagio lepræ perfunditur, regnum indicat Iudæorum, qui dedecus & maculas perfidiæ in fronte gerunt, vbi signum crucis portare noluerunt.

Ioathan, qui interpretatur, *consummatus* vel *perfectus* secutus est pulchram etymologiam nominis. Fecit enim rectum in conspectu Domini, & portam templi ædificauit excelsam. Iuxta mysticum sensum, quem melius rex iste Ioathan, cuius vita & opera laudantur, quam redemptorem nostrum? de quo Psalmista ait: *Quoniam magnus* Psal. 95. *Dominus & laudabilis nimis: & terribilis est super omnes deos.* Cuius perfectionem nomen ipsum Ioathan exprimit. Interpretatur enim *consummatus* siue *perfectus*. Et de Domino Saluatore Paulus ad Hebræos scribens ait: *Et quidem* Heb. 5. *dem cum esset filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Ipse ædificauit portam domus Domini excelsam: quia per ipsum introitus patet fidelibus regni cœle- Ioan. 10. stis: *Ego sum* inquit, *hostium: per me si quis ingredietur, saluabitur.* Et recte hæc excelsa porta vocatur; quia de hac eadē Psal. 112. Psalmista ait: *Excelsus super omnes gentes est Dominus, super cœlos gloria eius.* Dicuntur & sancti Doctores portæ: quia per eorum prædicationem vitæ discimus introitum; sicut & portæ inferi dicuntur hæretici, qui contra Ecclesiam super petram ædificatam, ipsius Domini attestatione præualere non possunt.

Achas interpretatur, *apprehendens*. Denique Achas, qui ex iusto patre editus, in perfidiam & scelus idololatriæ delapsus est, significat hęreticos, qui ex Catholicis patribus sacramento fidei imbuti sunt: sed ad apostasiam declinantes, cultum diuinum simulacris errorum suorum præbere non timent; qui fructum vteri sui, hoc est, effectum prauæ meditationis in igne zeli dæmoniis immolant; quia sicut Achas spoliata domo Domini, & domo regum & principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit: ita isti aurum sagacis ingenij, & argentum eloquentiæ conflant in cultum idolorum, vt intereant. Ægyptum inuocant, & Assyrios adeunt: cū à potestatib. istius mundi protegi quærunt: sed in transitu eo- Ierem. 17. rum capti atq; occisi sunt: quia *maledictus est homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.*

Ezechias interpretatur, *apprehendens Dominum*, vel *fortitudo Domini* & nō tam per se suosq; opus Dei strenue ges- Col. 2. sit: imo per nuncios ad simile studium alios prouocauit, typū gerit Dñi Saluatoris: *in quo habitat omnis plenitudo di-* Psal. 23. *uinitatis corporaliter: & est caput omnis principatus & potestatis. dominus fortis & potens in prælio.* Hic transgressiones Patrū & oēs preuaricationes, quæ fuerūt sub lege, sanguine suo diluit. & cultū pietatis in ecclesia plene instaurauit. Ipse legatos suos ad cōuocandas gentes ad fidem, h.e. primū Prophetas, deinde Apostolos misit, non solum de Iudęa: sed & de aliis nationib. plurimos ad Catholicam fidem; & ad veram religionē post prædicationem Euangelij sui conduxit. Quod aūt Ezechiæ pro bono opere adiciūtur 15. anni, significat oēs sanctos quibus ob sequendā vitam æternam quinq; libri legis Moysi cum decem verbis Decalogi dati sunt; vt per cōplementum legis & præceptorum regni cœlestis plenitudinem consequantur.

Manasses autem, qui interpretatur, *obliuiosus* per multa n. scelera & sacrilegia reliquerat & oblitus fuerat Deū exemplar est veraciter pœnitentium & in Domini misericordiam confitentium. Docet n. nos, quod post commissa scelera nullus debet de Dei misericordia desperare; sed magis per pœnitentiam congruam spem habere veniæ, si eam rite perfecerit.

Ammon interpretatur, *fidelis* vel *honestus*, quod magis de eo per antiphrasin dictum intelligi potest, quam secundum veritatem: quia cū idololatra esset, quomodo fidelis esse potuit? Typum n. ipse tenet hęreticorū; qui licet fingant, se esse bonos & Dei cultores; tñ errātes, & in errorē mittentes, magis diabolo quam Dęo seruire comprobantur.

Iosias rex, qui interpretatur, (*vbi est incensum Domini*, hęc n. est propria etymologia nominis eius) eoq; Deo incensum sacræ orationis & bonorū operum sacrificium offerens, simulachra, quæ fecerunt anteriores reges, cōbussit & celebrauit Pascha legitimum, & de templo Dñi idola multa depulit. Significat enim in hoc Christum, qui passionem suscepit atq; omnia execrabilia gentium de templis corporis nostri deiiciens igne virtutis suæ exusta cominuit, atq; in huius seculi torrentem proiecit.

Ioachas, qui interpretatur, *retentus*, significat prauos rectores, quos populus terræ, carnales videl. terrenæ cupiditati dediti, secundum mores suos cōsentientes vitiis suis personas eligūt; quos Pharao in Reblata vinxit, & in Ægyptū duxit; cum diabolus per multitudinē adulatorum enerуans decipit corda prælatorum. Reblata enim, *multitudo*, interpretatur: sicq; in spiritali Ægypto vinctos catenis in peccatorum tenebrosum mergit abyssum.

Ioachim idem est, qui & Eliachin. Nam Ioachim interpretatur, *vbi est præparatio*. & Eliachin, *Dei resurrectus* significat deuiātes pastores fideliū, qui sunt scientia apparati atq; ornati, & potestate sublimati, sed magis per hęc dona diabolo seruire probantur, quam Deo: & variis vitiis subduntur. Sciendum autem, quod cum semel quis cuilibet se mancipauit vitio; nō vno sed multis dominis obnoxius erit. Vnde Ioachim, quem Pharao ante censum sibi dare coegit, nunc Nabuchodonosor, rex Babylonis, sibi trib. annis seruire compellit. Quid est ergo aliud regis Babylonis seruum esse: quā persuasionis delectatione, atq; consensu, antiquo hosti subditum fore, & in cogitando, loquendo atq; in agendo totum vitiis deditum quasi libere ab eo possideri.

Ioachim siue Iechonias, qui cum matre ductus est in Babylonem, simul & thesauro templi Domini, significat lapsum atq; ruinam pastorū atq; rectorum ecclesiæ, qui veri Nabuchodonosor, hoc est, diaboli arte delusi, in cōfusionē abducuntur errorū atq; vitiorum: & qui per Dñi gratiam ac studium bonū alios sermone doctrinæ, & bonis exemplis ad veram religionem suscitare debuerant: ipsi variis vitiis trucidati, morte absorpti sunt peccatorū. Hoc enim nomen Ioachim, qui, *resuscitans*, vel *qui est consurgens* interpretatur, significat. Cū quo simul preciosissima vasa Dñi in captiuitatem asportabantur; quia illi, qui in regni culmine excellebant, vel morum honestate fulgebant, malorum deprauati exemplis simul cum ipsis in prædam cessere diaboli.

Sedechias, qui interpretatur *iustus Domini*. Huius oculos in Reblatha rex Babylonis euulsit. Reblatha vertitur in latinum, *multa hæc* ideoq; significabat eos, qui in huius mundi malitia actione inuoluuntur, atq; à diabolo captiuati, intelligentiæ oculos perdunt.

Hieroboam, qui interpretatur, *diiudicans populum*, & decem tribus à domo Dauid, & à templo Dei separans, ad idolatriā perduxit, significat hæreticos, qui dissensionem amant, & vnitatē fidei catholicæ hæresib. scindunt.

ac sic cultui malignorum spirituum ibi obsequêtes tradut.

Achab, qui interpretatur, *frater patru*, & rex fuit iniustus, & iniquam habuit vxorem: significat persecutores Christianorum, & maxime Iudæorum populum synagogæ cohabitatorem, qui persecutus est Prophetas & sanctos Dei, qui ad eum missi sunt indicare voluntaté Dei, & docere præcepta ipsius legis: de quo etiam Christus carnem assumere dignatus est. Concupiuit ergo Achab vineam Naboth: qui interpretatur, *perspicuus* siue *confessio*. Hiezrahelitæ: hoc est, honestatis Dei siue seminis Dei, Domini videlicet nostri Iesu Christi, veri filij Dei. Cuius vinea plebs est Israelitica. De qua Esaias ait: *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est. Vt fecisset in ea ortū olerū*: hoc est, vt vbi vinū gratiæ spiritalis germinare debuit, ibi fragilia quæq; dogmata per Pharisaicā superstitionem trāsplantaret. Sed Naboth hanc vineam dare nolenti, id est, ChristoPharisæorū superstitionib. non consentienti impia vxor Iezabel, hoc est, synagoga Iudæorum, machinata est mortem. Interpretatur n. Iezabel, *cohabitatrix*, siue *fluxus vanus*: quod bene conuenit synagogæ: quę habitare videbatur in domo Domini: sed per varia desideria vanitatis defluebat. Misit ergo Iezabel literas ad maiores natu & ad optimates, qui erant in ciuitate; vt, subintroductis falsis testibus, testimonium falsum cótra Naboth ponerent: quod benedixisset Deum & regem: & sic eductū de ciuitate lapidarent, vt moreretur: cum synagoga per Pontifices, Scribas & Pharisæos meditata est mortem Christi. Hic ergo Achab veros prophetas Dei spernens, falsos prophetas audiuit, & sic delusus à diabolo, gladio hostis interijt. Sic & populus Iudæorum spernendo doctores Euangelij, & sequendo præcursores Antichristi, necnon & ipsum caput iniquorum, in mortem corruet sempiternam.

Esa. 5.
3. Reg. 21.

Ochozias, qui interpretatur, *apprehendens Deum*, filius erat Achab: & persequebatur prophetas Dei, & maxime Heliam: significat populum Iudæorum, & maxime principes synagogæ; qui peccatis & vitijs dedit, & veritatem à se repellebāt, imo persequebantur. Vnde legitur in Euangelio: quod miserūt Principes & Pharisęi ministros, vt apprehenderent Iesum. Domus ergo Ochoziæ, synagoga est Iudæorum, quæ legalib. præceptis quasi cancellis cœnaculi vndiq; circumdata erat: sed sicut Ochozias per cancellos, quibus tueri debuit, ruens, ægritudinem nimiam incurrit: ita & populus Iudęorum, legis custodiam excedens, in languorem desperabilem peccatorum cecidit: vbi quia diuina præsid... d... liquit, salutis remedia inuenire non meruit.

Nabuchodonosor, qui interpretatur, *prophetia lagunculæ angusta*: siue *prophetans istius modi signum* pro somnio scil. futurorū, quod vidisse narratur & Daniel interpretatus est: siue *sessio in agnitione angustia* pro his, qui in captiuitatem ab eo ducti sunt: typum tenet diaboli, qui hæreticorum plebem erroris captiuitate deuictā ab Hierusalem, hoc est, ab Ecclesia in Babyloniam, id est, ignorātiæ confusionem abduxit.

Princeps cocorum, qui muros Hierusalem subuertit, hoc significat, quia omnes, qui ventris desiderio seruiūt, virtutes animæ destruunt.

Iesus, sacerdos magnus, figuram gerebat Christi, per quem ex peregrinatione seculi huius ad cœlestem Hierusalem nobis fuisse regressus ostenditur.

Zorobabel apud Hebræos ex tribus integris nominibus traditur esse compositus. *Zo*, iste: *ro*, magister: *babel* proprie Babylonem consonat; & efficitur nomen *Zorobabel*, hoc est, *iste magister de Babylone*. In Babylone enim ortus est: vbi princeps gentis Iudææ extitit.

Iudith interpretatur, *laudans* vel *confitens*.

Hester interpretatur, *abscons a*. Hæ quoq; mulieres, quæ typum gestant ecclesiæ, hostes fidei puniunt: ac populum ab interitu eruunt.

Susanna interpretatur, *lilia* vel *gratia eius*. Hęc figurauit ecclesiam, q̄ falsitate Iudęi, quasi adulteram, accusant.

Tobias priscæ legis imaginem tenet: cuius oculos Iudaici passeres obcæcant: dum eos luminis sacramentum male intelligentes obcæcant.

Tobias filius eius Domini nostri Iesu Christi imaginem habuit, qui velut absconditam & obcæcatam figuram caligine legis, claritate suæ virtutis illuminat.

Machabęi septem, qui sub Antiocho acerbissima perpessi tormenta, gloriosissime coronati sunt, significant ecclesiam septiformem, quæ ab inimicis Christi multam martyrum stragem pertulit, & gloriæ cœlestis coronam accepit.

Capitulum de Prophetis.

QVos gentilitas *Vates* appellat, hos nostri *Prophetas* vocant: quasi *præfatores*, quod porro fantur, & de futuris vera prædicunt. Qui autem à nobis *Prophetæ*, in veteri testamento *Videntes* appellabātur: quia videbant ea, q̄ cæteri non videbant: & præspiciebant ea, quæ in *mysterio abscondita erant. Hinc est, quod scriptum est in Samuele: *Eamus ad Videntem*: Hinc Esaias: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum*. Ezechieli aperti sunt cœli, & vidit visiones Dei. Quorundam autē Prophetarum etymologiæ nominum annotādæ sunt. Vocabula enim eorum satis ostendunt, quid in futuris factis, dictisq; sitis pronunciassent.

*mysterio.
1. Reg. 9.
Esai. 6.

Helias interpretatur, *Dominus Deus*; ex futuro igitur pręsagio sic vocatus. Nam cū altercaretur in sacrificio cum quadringentis sacerdotibus Baal, inuocato nomine Domini: *descendit ignis de cœlo super holocaustum. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam & ait. Dominus ipse est Deus*. Ex hac igitur causa tale prius nomen accepit: pro eo, quod per eum postea cognouerit populus dominum Deum. Idem &, *fortis Dominus*, interpretatur; vel propter quod interfecit eosdem sacerdotes, vel propter quod Achab aduersitatem tollerauit. Hic Christum demōstrat: quia sicut hic igneo curru ad superna sublatus est: ita Christus carnem suam, in qua natus est & passus & resurrexit, assumpsit in cœlum.

3. Reg. 18.

Vidua, ad quam mittitur Helias pascendus, ecclesia est, ad quam per fidem venisse Christus legitur. Cuius farina vel farina & oleum benedicitur & non defecit: id est, gratia Christi corporis, & vnctio chrismatis; quæ toto mundo quotidie impenditur & nunquam minuitur.

Septem millia virorum, de quibus dictum est Heliæ, qui non curuauerunt genu ante Baal, significant numerum sanctorum, qui spiritu septiformis gratiæ impleti, diabolo renunciauerunt.

Helisæus, *Domini salus*, interpretatur. Vocabulum autem & idem ex futuri pręsagio suscepit. Deniq; & multas virtutes fecit, & famem pellens, populum à morte saluauit. Hic eundem Redemptorem Dominum figurauit, qui de montis altitudine, id est, cœlorū descendens sublimitate, humiliauit seipsum à forma Dei vsque ad formam hominis, ac mortuis mēbris sua membra cōposuit, & nostræ mortalitati sui corporis medicinam aptauit.

Pueri, q insultátes Helisęo, clamabant: *ascende calue, ascende calue*: & lniati à bestijs perierunt, indicant populū Iudaicū, qui puerili stultitia irriserunt Christum in loco caluariæ crucifixum; & capti à duobus vrsis, hoc est, Tito & Vespasiano interierunt.

4. Reg. 2.

Puer Helisæi, qui cum baculo ad resuscitandum mulieris est filium missus, typum priscæ legis ostendit; quæ generi humano transmissa nihil pręstitit; nisi quod in virga solam austeritatem seruitutis monstrauit.

Sunamitis filius mortuus humani generis figuram tenet: super quem Christus oscitans Spiritum Septiformis gratiæ spiritaliter aspirat: per quem à morte peccator reuiuiscat.

Naeman Syrus significat ex gentibus populum congregatum, maculis delictorum pollutum, atq; à Christo per sacramenta baptismatis purificatum.

Esaias interpretatur, *salus Domini*, & merito: Saluatorē n. vniuersarum gentium, eiusq; sacramēta amplius, quam cæteri, prædicat. Hic quoq; formā Euangelistarum & Apostolorum expressit; qui vniuersa sacramenta Christi non quasi per figuram, sed velut præsentia, prædicauit.

Hieremias interpretatur, *excelsus Domini*, pro eo quod

(*Ierem. 1.*) dictum est ei: *Constitui te super gentes & regna*. Hic autem in verbo & passionibus suis mortem & passionem figurauit Domini Saluatoris.

Ezechiel interpretatur, *fortitudo Dei*. Hic quoq; imaginem Christi gestauit; qui positum in hac terrena peregrinatione populum salutaribus præceptis instigat.

Daniel interpretatur, *iudicium Dei*: siue quod in presbyterorum iudicio sententiam diuinæ examinationis exhibuit: dum reperta eorum falsitate Susannam ab interitu liberauit; siue quod visiones & somnia, quibus per singula quædam ænigmata futura mõstrabantur, sagaci mente discertiens aperuit. (*Dan. 9.*) Hic *desideriorum vir* appellatus est: quia panem desiderij non manducauit, & vinum cócupiscentiæ non bibit. (** tenendo,*) Idem vitam cœlibem * tenuit similitudinem habuit continentiæ eorum, qui sunt in otio tuticto, & non terrenis rerum copiis abutuntur.

Osee interpretatur, *saluator* aut *saluans*. Dum enim iram Dei in populũ Israel ob crimen idololatriæ prophetasset, domui Iudæ salutem prænunciauit. Propter quod Ezechias rex Iuda, sublatis idolis, * quos præcedentes (** qua*) reges consecrauerant, templum Domini purgasse ac purificasse demonstratur. Hic Christi demonstrauit figuram, qui ex fornicatione gentium assumpsit in corpore suo ecclesiam.

Iohel interpretatur, *dominus Deus*, siue *incipiens Deo*, vel *fuit Dei*. Hoc n. eius vocabulum resonat etymologia incerta. Hic indicat typice eos, qui per fidei ostium diuinæ scientiæ incipiunt cognoscere sacramentum.

Amos interpretatur, *populus auulsus*. Prophetia enim eius ad populum fuit Israel, qui iam auulsus erat à Domino, & aureis vitulis seruiuit, siue auulsus à regno stirpis Dauid. Hic ergo pastor & rusticus, Christi est typus, qui ab officio pastorali pecorum, id est, ab Hebræorum regimine translatus, nunc alios greges pascit in gentibus.

Abdias interpretatur, *seruus Domini*. Sicut n. Moyses famulus Domini, & Apostolus seruus Christi: ita iste Legatus ad gentes missus videt & prædicat, quæ prophetali digna sunt ministerio & seruitute: inde seruus Domini vocatur. Hic quidem in Samaria centum pauit Prophetas; & significat omnes fideles prædicatores, qui in hoc mundo alimentis sanctarum scripturarum omnes credentes reficiunt.

Ionas, qui interpretatur *columba* siue *dolens*. Columba pro gemitu: quoniam in ventre ceti triduo fuit: dolens autem vel propter tristitiam, quam habuit de salute Niniuitarum: vel propter ederam subito arescentem; cuius vmbraculo tegebatur contra solis ardorem. Ipse est filius Amathi, idem cum hoc Sarebthane viduæ filius, vt Iudæi affirmant, quem resuscitauit Helias, matre postea ad eum dicente: *Nunc cognoui quod vir Dei es tu, & verbum*
(*3. Reg. 17.*) *veritatis in ore tuo est*. Ob hanc causam ipsum puerum Amathi vocitatum. Amathi enim ex Hebræo in Latinam linguam *veritas* dicitur; & ex eo, quod verum Helias locutus est, ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis. Ionas quoque tam sermone quam naufragio suo passionem Christi, mortemque & resurrectionem figurat: siue quod de naui ad mare, tanquam de cruce ad terrã proiectus est; siue quod in ventre ceti exceptus est, tanquam in sepultura terræ, tribus diebus & tribus noctib. reconditus est: & quod per figuram Niniuen pœnitentiã mundi prædixit. In sequentibus typum gerit Iudæorum, qui salutem gentium non tãtum aduenire noluerunt: sed cũ venit, inuisi fuere. Niniue quoq; gentium significat speciem: Ionas vero in loco Iudæorum. Nam quemadmodum Niniuitarum salus ad æmulationem prouocauit Ionam; ita redemptio gentiũ scandalum extitit Iudæorũ. Merito & contra orienté ciuitatis sedisse legitur sub vm-
(*Ion. 4.*) bra hederæ: ita eadem plebs separans se à salute ecclesiæ dolore tabida contra Christum, id est, orientem linguam suam mouere nititur sedens sub vmbra legis. Quæ vmbra vermę arefacta est, quia adueniente Christo *vetera*
(*2. Cor. 5.*) *transierunt & ecce facta sunt omnia noua*. Prophetauit autem sub Ozia rege Iuda, quando & Osee & Amos & Esaias prophetauerunt.

Micheas, qui interpretatur, *quis hic*, vel *quis iste*, aut *humilitas*, significat illum, qui in Euangelio ait: *Discite a me,* (*Matth. 11.*) *quia mitis sum, & humilis corde*: & de quo Propheta dixit: *generationem autem eius quis enarrabit*: ad quem verbum Dei (*Isai. 53.*) factum est: *quia Verbum caro factum est: & habitauit in nobis*, (*Ioan. 1.*) per cuius dispensationem primum Prophetæ & postea Apostoli ad prædicandum verbum Dei missi sunt. Quantum ergo ad historiam pertinet secundum ordinem captiuitatis, quia primum est capta Samaria metropolis Israhel, postea Hierusalem vrbs Iudæ: prophetiæ titulus ponitur primum de Samaria, secundo de Hierusalem. Quantum vero ad mysticos intellectus; quia Samaria semper in hæresibus accipitur, Hierusalem in typo Ecclesiæ: dicimus, verbum Domini fieri ad humilem & cohęredem Christi de diuersis dogmatibus ecclesiæ: quia forte peccatum commiserat, & totius ordinis volumen contexerat.

Naum interpretatur, *germen* siue *consolator*. Increpat enim ciuitatem sanguinum: & post euersionẽ illius consolatur Syon, dicens: *Ecce super montes pedes euangelizantis* (*Nah. 1.*) *& annunciantis pacem*. Hic quoque sanctorum prædicatorum typum tenet, qui ciuitatem sanguinum, hoc est, Babylonem spiritalem increpantes arguunt, germen Fidei & bonorum operum ab eis expetentes; si pœnitentiam egerint de peccatis suis, consolationem veniæ illis promittunt.

Abacuc interpretatur, *amplexans*: quia vel ex eo quod amabilis Domini fuit, vocatur amplexatio: vel quod in certamine cum Deo congreditur amplexantis, id est, luctãtis sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationẽ iustitiæ prouocare: cur in rebus humanis & mundi istius tanta rerum versetur iniquitas. Significat enim fidelem populum, qui super excelsa eleuatus, in cruce Dominum contemplatur, dicens: *cornua in manibus eius, illic confirmata est virtus gloriæ* (*Hab. 3.*) *eius*.

Sophonias, *speculum* vel *arcanum Domini*, interpretatur; quod vtrumq; ad Prophetas conuenit. Ipsi n. sciunt mysteria Dei. Vnde & Ezechieli dicitur: *Speculatorem te posui*. (*Ezech. 3.*) & alibi: *Non faciet Dominus quicquam, nisi reuelauerit seruis suis* (*Amos 3.*) *Prophetis*. Iste enim significat eos, qui per contemplationis arcanum ad profectum veniunt meritorum.

Aggeus interpretatur in latinum, *festiuus & lætus resonat*. Destructum enim templum ædificandum prophetat, & post luctum captiuitatis regressionis lætitiam prædicat.

Zacharias interpretatur, *memoria Domini*. Septuagesimo enim anno desolationis templi cõpleto, Zacharia prædicante, memoratus est Dominus populi sui; iussuq; Darij reuersus est Dei populus, & reædificatum est vrbs & templum. Isti enim duo prophetæ figuram gestauerũt sanctorum: qui in nobis huius peregrinationis vita futurum tempus liberationis decantant.

Malachias interpretatur, *angelus Domini*, id est, *nuntius*. Quicquid n. loquebatur, quasi à Domino essent mãdata, ita credebãtur: & inde ita nomen eius septuaginta interpretes transtulerunt, dicentes: *Assumptio verbi Domini super Israel in manu angeli eius*. Iste enim typum Saluatoris nostri tenuit: qui angelus magni consilij dicitur.

Esdras interpretatur, *adiutor*.

Neemias interpretatur, *consolator à Domino*. Quodam enim præsagio futurorum nomina ista sortita sunt. Fuerunt enim in adiutoriũ & consolationem omni illi populo redeunti ad patriam. Nam & templum Domini iidem reædificauerunt, & murorum & turrium opus ipsi restaurauerunt. Typum ergo isti habent & Apostolorum & prædicatorũ Euangelij Christi; qui spiritale ædificium Dei post exitum fidelium de Babylone istius mundi, atq; regressum in terram repromissionis verbis & exemplis quotidie instaurando reædificãt: vt quæ prius per negligentiam vel desidiam pristinorum habitatorum corruerant, ipsi instanti nisu & studio perfecto cum cooperatoribus deuotis recuperent.

Ananias interpretatur, *gratia Dei*: idem & Sydrach lingua Chaldaica, quod interpretatur, *decorus meus*.

Azarias interpretatur, *auxilium Domini*: idem & Abdenago, quod in latinum vertitur, *seruiens taceo*.

Misahel quia populus Domini: ipse & Misaac, qui interpretatur, *risus* vel *gaudium*. Hi tres pueri figuram prætulerunt sanctorum: qui corpus suum in persecutione obrulerunt.

Asaph interpretatur, *Synagoga*: significans congregationem, quæ credidit: non quæ obstinata permansit. Nam post resurrectionem Domini cõfessa legimus multa millia Iudæorum, sicut inter alia testantur Acta Apostolorum.

Ethan interpretatur, *robustus*. Ethan autem iste sicut & Eman de cantoribus Dauid regis est, quos verba dictū narrant, filius videlicet Chusi filij Abdi de cõgregatione Merari filij Leui: vel de illis sapientibus, quibus in libro
3.Reg.4. regum Salomonis sapientia præfertur: *sapientior*, inquit, *Ethan Ezrahelita & Eman*. Tantæ igitur sciétiæ hoc carmen est, vt sapientissimi illius nomine mereantur asscribi.

Eman filius fuit Iohel filij Samuel de familia Caath filij Leui, vnus de cantoribus, quos Dauid in collatione archæ præfecit reliquis ad canendum. Eman interpretatur, *frat. r eius*. Quo vocabulo Dominus Christus appellat eos, qui eius præceptis operibusque deuoti sunt:
Matth.12. sicut ait in Euangelio: *Ite dicite fratribus meis*. Israhelitæ, id est, Deum videntes; quod vtique illis accidere manifestum est, qui per obedientiæ ministerii sancta Domini luce radiantur.

Idithun interpretatur, *transiliens eos*: significans eum, qui mente terrena transcendit, transilitq; eos qui inhærentes humo, & incuruati in terra, ea, quæ ima sunt, cogitant atque in excelso mentis habitant, de virtute Dei libero carmine philosophatur.

Filij Chore, sicut & Eman Echan, Asaph & Idithun non Psalmographi, sed cantores fuere à Dauid quidem ob psalmodiam electi; sed ob significantiam nominum titulis Psalmorum congruenter affixi.

Chore ergo dicitur *Caluaria*. In cuius nominis loco Dominus est crucifixus: & ideo filij Chore merito dicuntur, qui passionis illius sacramento tota deuotione famulantur.

Zacharias interpretatur, *memoria Domini*: ob hoc, quod canit memorari testamentū sancti sui.

Iohannes Baptista interpretatur, *Domini gratiā*: eo q͂ sit limes prophetiæ, prænuncius gratiæ, siue initium baptismatis, per quod gratia ministratur. Hi sunt Prophetę veteris testamenti nouiq;, quorum finis Christus, cui di-
Esai.60. citur à Patre: *Et Prophetam in gentibus posui te*.

Quot sunt genera prophetiæ?

Prophetię autem genera septem sunt. Primum genus,
Act.10. *extasis*, quod est mentis excessus; sicut videtur Petrus vas illud summissum in stupore mentis.

Esa.6. Secundum genus, *visio*: sicut apud Esaiam legitur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum cum varius animalibus*.

Gen.28. Tertium genus, *somnium*: sicut Iacob subnixam in cœlo scalam dormiens vidit.

Quartum genus, *per nubes*: sicut ad Moysen, & ad Iob post plagam loquitur Deus.

Quintum genus, *vox de cœlo*: sicut ad Abram sonuit, di-
Gen.22. cens: *Ne inijcias manum tuum in puerum*, & ad Saulum in
Act.9. via: *Saule Saule, quid me persequeris?*

Sextum genus, *accepta parabola*, sicut apud Salomonem in Prouerbiis: & apud Balaam cū euocaretur ad Balach.
Num.22. Septimum genus, *repletio Spiritussancti*: sicut pene apud omnes Prophetas.

Alij tria genera visionum esse dixerunt.

Vnum, secundum oculos corporis; sicut vidit Abraham tres viros sub ilice mambre: & Moyses ignem in rubo: & discipuli transfiguratum Dominum in monte inter Moysen & Heliam: & cætera huiusmodi.

Alterum, secūdum spiritum, quo imaginamur ea, quę per corpus sentimus; sicut vidit Petrus discum illum submitti de cœlo cum variis animalibus: & sicut Esaias Dominum in sede altissima non corporaliter, sed spiritaliter vidit. Non enim Deum forma corporea circumterminat: sed quemadmodum figurate non proprie dicuntur multa: ita etiam figurate multa monstrantur.

Tertium autem genus est visionis: quod neq; corporeis sensibus neque vlla parte animæ: qua corporalium rerum imagines capiuntur: sed per intuitum mentis, quo intellecta cõspicitur veritas: sicut Daniel prędirus mente vidit, q͂ Balthasar viderat corpore sine quo genere illa duo vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt.

Omnia tamen hæc genera Spiritussanctus moderatur. Habere autem prophetiam non solum bonus, sed etiam malus potest. Nam inuenimus Saulem regem prophetasse. Persequebatur enim sanctum Dauid, & impletus spiritu, prophetare incepit.

QVARTVS LIBER INCIPIT.

DE HIIS PERSONIS, QVÆ AD NOVVM TESTAMENTVM PERTINENT- HOC est, Euangelistis & Apostolis. Cap.1.

IN primis igitur notandum est, quod quatuor Euangelistæ Dn̄m nostrum Iesum Christum sub quatuor animalium vultib⁹ figuraliter exprimunt. Matthæus n. eundem Redemptorem natum & passum annuncians in similitudinē hominis comparat. Marcus à solitudine exorsus leonis figuram induit, & Christi regnum inuictum, potentiamq; proclamat. Lucas quoq; per vituli mysticū vultum Christum pro nobis prædicat immolandum. Iohannes aūt per figuram Aquilæ eundem Christum post resurrectionē carnis demōstrat reuolasse in cœlos. Hos ergo quatuor Euangelistas, siue quatuor, quę cōscripsere Euāgelia per figuram expresserunt quatuor Paradisi flumina de vno fonte prodeuntia, quæ irrigant oēm superficiem terræ. Similet & quatuor animalia, quæ Ezechiel Propheta in libro suo commemorat, dicens: *Quatuor facies erant vni, & quatuor pennæ vni, & manus hominis sub pennis eorum*, in quatuor partibus per significationem eosdem Ezech.1.
demonstrabat. Sic quoq; & quatuor rotæ, de quibus idem Propheta narrat, quod essent iuxta animalia, & per quatuor partes irent, & non reuerterentur, cū ambularent, eandē significationem habent. Necnō & quatuor facies, de quibus scriptū est, q͂ esset vna facies Cherub, & alia facies hominis, & tertia facies leonis, & quarta facies aquilæ, idem demonstrat. Quatuor aūt sunt plagæ orbis, & quatuor vicissitudines temporū annuos fructus hominib. præbent: sic & S. Ecclesia Christi in quatuor partibus mundi dilata per totū tempus huius seculi doctrina Euangelica nutritur & roboratur. Vnde S. Doctores, qui per quatuor Euangelia totum orbē illuminant, quatuor pręcipue virtutes, h. e. prudentiā, iustitiam, fortitudinē, temperantiā nobis cōmendant: vt in hiis conuersantes, Deo placitam exhibeamus seruitutem. Item quatuor millia satiata ex vij. panib. leguntur in Euangelio à Domino: & paralyticus à quatuor viris ad sanandū Christo offertur. Præter hęc quoq; in aliis plurimis locis S. Scripturę quaternarius numerus horum figuram nobis insinuat: & superfluum est de his omnibus hic narrare.

Apostoli quoq; omnes totius ecclesiæ portāt typum: quia & idem in dimittēdis peccatis similem acceperunt potesta-

potestatem. Habent quidem formā patriarcharum, quia per verbum prædicationis in toto orbe terrarum populū Dei spiritaliter genuerunt. Proinde considerandum est ipse mysticus numerus duodecim Apostolorum: quibus figuris in scriptura sacra insignis constet. Nam sicut Deus Pater per vnigenitū Filium suum in virtute Spiritus sancti primam mūdi creationem sex dierum operatione compleuit: ita etiam duplicato eodem senario numero, vnde 12. efficiuntur, mundum perditum etiam prope deletum Dominus Iesus Christus per suos 12. renouauit Apostolos. Et sicut 12. mensibus in circulo anni diuersis temperamētis mundi fructus ad vsum humani generis per Dei largitatem omnipotentis renouatur; ita per 12. Apostolorum doctrinam fructum bonorū operum Deo afferre humanum genus fideliter inchoauit. Hic est verus Mazaroth, id est, signifer; per quē sol iustitiæ Christus omni tempore totum illuminat orbem. Et sicut dies 12. horis ab ortu solis vsq; ad occasum voluitur; ita dies verus Christus per 12. Apostolos suos ad inchoationem rectæ conuersationis, quod per ortum solis intelligitur, suos illustrat fideles; in qua qui vsq; ad occasum, id est, vsq; ad finem vitæ perseuerauerit, in æternum saluus erit. Et sicut Iacob, qui *supplantator* dicitur, 12. filios genuit ad possidendam repromissionis terram; ita Christus, qui supplātauit diabolum, 12. elegit Apostolos, quibus terrā repromissionis, id est, regni cœlestis benedictionem tradidit: & potestatem eis tribuit calcādi super scorpiones & serpentes, & super omnē virtutem inimici. Item sicut Moyses vndiq; ex omni parte, id est, ab oriente & occidente, ab aquilone & austro per 12. tribus metatur castra circa tabernaculum Dei: ita Christus per 12. Apostolos quaternum Euangeliū per quatuor orbis partes annuncians, ad æterna tabernacula omnes sibi credētes inuitauit, dicens:
Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos*, & recipiam in æternæ vitæ tabernacula.

Et sicut 12. fontes in Celim, vnde lassatus valde valida siti populus potatus est; ita per 12. Apostolos omnis turba fidelium sacræ fidei doctrina potatur, & ad æternę vitæ gaudia sancta prædicatione vocatur.

Iosue quoque, qui figuram Christi & nomine & actu expressit, 12. exploratores misit ad explorandum terram repromissionis; quam Deus Abrahæ dilecto suo & semini eius daturum promisit; sic & Christus 12. misit Apostolos inter numerositatem omnium gentium euangelizare regnum Dei: vt de illis Psalmista ait:
Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.*

Viri quoq; 12. ex 12. tribubus Israel siccis pedibus Iordanem transeuntes, 12. lapides eleuantes: pro signo ibidē posuerunt in testimonium sempiternum posteris suis: hij 12. Apostolorū tenuere figuram, qui in sacro baptismate officij sui trophæa fixerunt, & prædicationis suæ credentibus insignia reliquerunt. Hij tantū 12. viri ad prædicandum testimoniū sempiternum, id est, Euangelium regni Dei omnibus per orbem terræ nationib. missi sunt: qui etiam in sancta Ecclesia omnibus sunt credentibus missi in testimoniū: quia quisquis ad æternæ vitæ gaudia peruenire voluerit, eorum prædicationem & doctrinam in omnibus sequi necesse est, quorumq; successores nunc in sancta ecclesia sunt omnes veritatis prædicatores annunciantes & prædicantes verbū salutis æternæ in Christo Iesu Domino nostro.

Nam rex Salomon, qui *pacificus* interpretatur, mare æneum, id est, luterem super 12. boues æneos posuit ante templum, vbi sacerdotes & ministri altaris lauabant manus, cum ingrederentur sanctuarium Domini: ita Christus mare æneum, id est, confessionem veræ fidei vel etiā confessionem delicti, siue sacræ scripturæ doctrinam super humeros 12. posuit Apostolorum: quorum doctrina omnes imbuti fideles per cōfessionem veræ fidei & pœnitentiam delictorum ab omnibus mundētur sordibus, & digni efficiantur ad æterna sancta Domini sui introire & regni cœlestis gaudia possidere.

Duodecim namq; portæ sanctæ erant in ciuitate Hierusalem: per quas ingrediebantur & egrediebantur omnes exeuntes & venientes in eam. Hæ 12. Apostolorum figuram expresserunt; qui vere portæ sunt sanctæ Hierusalem per quorum prædicationem & doctrinam omnibus vndiq; venientib. in sanctam ecclesiam patefactæ sunt portæ regni cœlestis, quibus etiam data est potestas & successoribus eorum in Ecclesia ligandi & soluendi in cœlo & in terra: vt quoscunque per culpam ligauerint in terra, ligati sint in æterna tormenta: quoscunq; autē soluerint confitentes & pœnitentes peccata sua, soluti sint in cœlo: omnium hic remissione peccatorum percepta ad æternæ beatitudinis gaudia eorum precibus adiuti per Dei gratiam peruenire mereantur. Hæc de Apostolis Christi generaliter modo dicta sufficiant: quorū quid specialiter significent nomina, paulo post in sequentibus dicemus.

Septuaginta duo discipuli significant illustrationem totius orbis per Euangelium trinitatis, 24. enim horis mundus omnis peragitur. Qui numerus triplicatus propter eandem trinitatem in 72. deducitur. Idcirco autem mittuntur bini propter prædicandum Dei amorem & proximi, vel mysterium gemini testamenti.

Zacharias, vt supra dictum est, interpretatur, *memoria Domini*.

Elisabeth, *Dei mei saturitas*, vel *Dei mei iuramentum*, interpretatur. Elisabet typum tenet veteris legis seu prophetiæ; sicut Zacharias maritus eius veteris sacerdotij. Vnde sicut Zacharias mutus Iohannis scribendo nomen edidit: sicut vetus sacerdotium sub typo, sacerdotium Christi & gratiam noui testamenti expressit: & sicut Elisabeth Mariæ salutationem audiens, quando infans in vtero eius exultauit, Spiritu sancto repleta, beatam & benedictam esse matrem Domini prædicauit: sic spiritus in litera aduenienti Christo lætatus est, & tota series veteris testamenti Spiritu sancto fœta benedictam ac salubrem Saluatoris incarnationem vniuerso mundo præconiata est.

Iohannes formam habuit legis, quę Christum annunciauit, & remissionem peccatorum per lauacri gratiam prædicauit.

Ioseph sponsus, qui custos virginitatis eius fuit, significat Christum sponsum ecclesiæ: cuius virginitas in fide vera ab ipso vsque in finem conseruatur.

Maria *illuminatrix* siue *stella maris* interpretatur. Genuit enim lumen mundi. Sermone autem Syro Maria, *Domina*, nuncupatur; & pulcre quia Dominum genuit cœli & terræ & vniuersæ creaturæ. Mystice autem ecclesiæ figuram gestat & speciem: quæ cum sit desponsata Christo, virgo perseuerat.

Magi figurauerunt gentium populos, lucem fidei cognituros, indicantes sacramentorum numero, Christum per thura esse Deum, per myrrham hominē passum, per aurum regem omnium seculorum.

Herodes, qui infantibus necem intulit, diaboli formā expressit: vel gentium, quæ cupientes nomen Christi extinguere de mundo, in necem martyrum sæuierunt.

Muti qui in Euangelio curantur, significant eos, qui fidem Christi confitentur.

Cæci significant eos, qui non intellexerunt fidem, quam crediderunt.

Surdi significant eos, qui nō obediunt pręceptis Dei. Claudi, qui non recte in semita mandatorum Dei gradientes, implere præcepta salutaria negligunt.

Homo prudēs, qui ædificauit domum suam supra petram, significat doctorem fidelem, qui in Christo ponit doctrinæ suę ac vitæ stabilimentū: ille vero, q ædificauit domum suam super harenam, hæreticorū dogmata designat: qui sic ædificant, vt ruinam faciant magnam.

Leprosus, quem Christus descendens de monte primum curauit, indicat humanum genus delictorū contagio maculosum: hoc Redemptor dum de cœlorū altitudine, quasi de monte, descenderet à vario dæmonū cultu mundauit, atque in vnitatem fidei reparauit.

Centurio fidem gentium significat. Puer autem & filia Cananeæ mulieris, quos Christus non veniens ad eos saluat, easdem gentes ostendunt, quas Dominus non corporali pręsentia visitauit: sed per fidem verbi saluauit.

Ipsa quoque mulier Chananæa Ecclesiæ gentium gerebat figuram, quæ tanquam canis quærit micas de mensa Dominorum, id est, saturari doctrinis Apostolorum & Prophetarum.

Socrus Petri febricitans significat synagogam æstu carnalium desideriorum accensam. Cuius filia est pars illa credentium, quæ data est Petro regenda.

Scriba repudiatus, qui propter quęstum dominum sequebatur, significat eos, qui Christi fidem non propter Dominum: sed propter lucrum seculi appetunt.

Dæmoniacus, quem Dominus in regione Gerasenorum à legione curauit, significat gentilem populum multorum cultibus Dæmoniorum obnoxium.

Pastores porcorum fugientes, qui ea, quæ gesta sunt, nunciant in ciuitate, significant principes impiorum, qui dum fidem Christi fugiunt, virtutes tamen eius stupentes mirantur & prædicant. Paralyticus iacens in lectulo, anima est vita dissoluta in corpore suo. Quæ dum fuerit gratia Christi per remissionem peccatorum sanata, confestim pristino robore recepto resurgit, & lectum carnis suæ, in quo debilis iacebat, ad domum virtutum reportat: vt se intra conscientiæ suæ secreta constringat: & nequaquam in exterioribus vltra voluptatibus dissoluta discurrat.

Archisynagogi filia, ad quam curandam Dominus dum pergeret, prius tamen, antequam ad eam veniret, tetigit eum à tergo mulier, quæ profluuio sanguinis laborabat & curata est. Archisynagogi quidem filia Iudææ typum tenuit: hæc autem, quæ profluuio sanguinis laborabat, figuram habuit Ecclesiæ ex gentibus. Quæ dum post prædicationem & post passionem ac post ascensionem Christi credidit, quasi à tergo Dominum tetigit: & ante accipere salutem, quam synagoga, promeruit.

Duo cæci iuxta viam sedentes, significant vtrosque populos Iudæorum & gentium per fidem Christo appro-
Ioan. 14. pinquantes, qui dixit: *Ego sum via.*

Dæmonium habens cæcus & mutus, qui scribitur à Saluatore curatus, indicat eos, qui ex idololatria gentium ad fidem dominicam conuertuntur. Quibus tamen expulso à corde dæmonum cultu, dum pristinam lucem perceperunt fidei, postea ad laudandum Dominum eorum lingua resoluitur, vt confiteatur eum, quem antea negauerunt.

Homo manum aridam habens significat animam mi-
Luc. 6. sericordiæ operibus infructuosam: cui cum dicitur: *extende manum tuam*: admonet, semper porrigendam eleemosynam pauperibus.

Homo, de quo immundus Spiritus exiuit, & rursum eum occupauit, significat hominem pœnitentem: cui per subsecutam negligentiam acrius mentem occupat carnis voluptas: adiunctis secum septem Spiritibus viriorum, id est, iracundia, inuidia, atq; ventris ingluuie, inani gloria, ac superbia.

Paterfamilias proferens de thesauro suo noua & vetera, Christus est proferens de impenetrabili scientia sua gemina testamenta: *Vetus*: in quo fælicitas terrena promittitur: *Nouum*: per quod regnum cælorum speratur.

Homo, qui seminauit in agro suo granũ synapis, Christus est, qui seminauit fidem in mundo: in qua volucres cæli, id est, spiritales animæ requiescunt. Mulier, quę fermentum abscondit in satis tribus, significat scientiam spiritualis doctrinæ feruentem in Trinitatis amore.

Homo, qui absconditum thesaurum in agro reperit, ille est, qui in isto mundo venditis omnibus Christum, vitamq; æternam acquirit.

Quinq; milia virorum, qui quinq; panibus & duobus piscibus pasti sunt, ecclesiastici sunt populi, qui per quinque sensus corporis alimento legis spiritalis à Christo reficiuntur: & duplici testamento, quasi gemellis piscibus, saturantur.

Quatuor autem milia virorum, qui aliis septem panibus aluntur, eadem Ecclesia gentium est, quæ in quatuor partibus mundi diffunditur, atque vbertate septiformis gratiæ exercetur.

Ille, qui sæpe nunc in ignem, nunc in aquam cadebat, mundum significat, ignis autem iram inflammantem, a qua carnis voluptatem demonstrat: in quibus semper arreptus quotidiano lapsu præcipitatur.

Moyses & Helias, qui apparuerunt cum Domino in monte, lex & prophetæ intelliguntur: quorum vocibus passio & resurrectio & gloria Domini declaratur.

Homo habens centum oues, & relictis illis ouem perditam, quærit, ac repertã humeris reuehit, figuram Christi expressit: qui, relictis nonagintanouem agminibus angelorum in cælis, ouem, quæ perierat in Adam, vt bonus pastor, quæsitam in gentibus reperit, atq; crucis suæ humeris paradiso reportauit.

Mulier, quæ perditam reperit dragmam, Ecclesia est: quæ animam Diaboli laqueis abstractam dum inuenerit per pœnitentiam, & angelorum & hominum facit lætitiam.

Debitor decem talentorum significat homines, qui Deo sunt obnoxij per transgressionem decem pręceptorum. Sed sicut nobis poscentibus à Domino peccata relaxantur: ita vnusquisq; nostrum dimittere debet exemplo Domini: ne, dum minima debita in nobis peccantibus non concedimus, maiora nostra exoluere cum vsuris pœnarum cogamur.

Diues, qui camelo comparatur, personã indicat Iudęorum: qui de legis potentia gloriantur: quam quia propter terrena colunt, non habent regnũ cœlorum: ibiq; facilius gentium populus criminibus tortuosus & sarcinis peccatorum grauatus ingreditur, quasi per foramen acus, per angustias passionum ac labores.

Paterfamilias, qui operarios ad vineam conduxit & denarij mercedem promittit, Christus est, qui vocat omnes ad cultum fidei, promittens eis præmium perfectæ beatitudinis.

Operarij, qui hora prima conducti sunt, hi sunt, qui à rudimentis infantiæ cultum fidei consecuti sunt: qui autem hora tertia, hi sunt, qui in adolescentia ad fidem accesserunt: qui vero hora sexta conducti sunt, hi sunt, qui in iuuentutis ætate crediderunt: qui autem hora nona accesserunt, illi sunt, qui à iuuentute in senectutem declinantes, Christi gratiam perceperunt: qui vero vltima hora, illi sunt, qui iam decrepiti & in extremo vitæ suæ tempore vocati ad Christum venerunt: qui tamen prioribus parem mercedem æternæ beatitudinis accipiunt: in illis conseruans Christus iustitiam, qui à prima hora natiuitatis operati sunt: in istis impendens misericordiam, qui vna vitæ hora laborauerunt.

Duo filij missi ad operandam vineam, duorum populorum typum demonstrant. Primus enim missus vocatur gentium populus per naturæ intelligentiam ad operis diuini culturam: qui tamen spernens contumax extitit & sese iterum negauit. Adueniente autem Domino, priorem contumaciam sequenti emendauit obedientia. Secundus autem filius missus: Iudæus per legis cognitionem respondit: *Omnia, quecunque dixerit nobis Dominus, faciemus.* Exod. 24. sed idcirco damnatur: quia non solum in confessione legis præuaricatus est, sed in ipsum Dominum vineæ parricidales manus extendit.

Homo, qui vineam plantauit, Dei portat figuram, qui condidit Hierusalem. In qua ædificauit turrim, & torcular fodit, altare videlicet, templum, & sepem circumdedit, id est, Angelorum munitione vallauit. Coloni autem, quibus vineam locat, populus est Israel, qui sub diuino cultu possedit Hierusalem.

Serui autem, qui tempore fructuum missi interfecti sunt à colonis, prophetæ intelliguntur: quorum sanguis effusus est à Iudæis, dum ab eis quærerent iustitiæ fructum, & legis.

Filius autem nouissime missus, quem eiectum coloni

extra vineam occiderunt, Christus est, quem crucifixerunt Iudæi, eiicientes eum extra portas Hierusalem. Coloni autem, quos Dominus vineæ perdidit, iidem populi Iudæorum intelliguntur: qui olim, vt videntur, dispersi sunt atque perempti. Illi autem agricolæ, ad quos vinea transferri præcipitur, significant Apostolos vel successores Apostolorum.

Rex, qui fecit nuptias filio suo, Deus pater intelligitur: qui copulauit ex virgine carnem Christo.

Serui vero, qui missi sunt vocare inuitatos, Apostoli sunt atque Prophetæ: qui Iudæos per legem & euangelium prouocauerunt: sed illi modo terrenis tempestatibus, modo carnis & legis onere pressi solemnitatem aduentus Domini contempserunt: vitæ æternę gaudia gentes introisse manifestum est.

Rex iratus, qui misit exercitus suos, & perdidit interfectores illos, & ciuitatem incendit, Deus Pater est: qui suscitauit Vespasianum Cæsarem Romanorum: qui & populum gladio vastauit, & ciuitatem Hierusalem fundi tus cum suis vniuersis euertit: ita vt vlterius belligerare non posset.

Hominem autem non habentem vestem nuptialem in accubitu, qui loquente rege obmutuit, quem iubet seruis suis ablatum mitti in tenebras exteriores: ille est, qui in fide quidem cum cęteris requiescit: sed si inuentus fuerit in die iudicij vestem carnis operibus habere pollutam: confestim iubetur ab angelis tolli, ac mergi in gehennam ignis æterni.

Duo debitores, ex quibus vnus debebat fæneratori denarios quingentos, alter quinquaginta: significauit populum Iudæorum & Gentium: ex quibus ille, qui quinquaginta denarios debuit, Iudæorum typum habuit: ille vero, qui quingentos Gentium expressit figuram, qui ab initio mundi debitor semper existens chirographum peccati per pœnitentiam non exoluit. Adueniente itaque Christo, tandem credidit, atque vberiorem misericordiæ fructum accepit. Vnde quia plus illi concessum est à Christo, amplius diligit Christum: sicut scriptum est: *Cui plus dimittitur, plus diligit.*

Luc. 7.

Septem fratres, qui vnam mulierem habuerunt, & sine filiis mortui sunt, homines infideles intelliguntur, qui in præsenti vita, quæ per septem dierum circulum decurrit, totam vitam suam sine fructu iustitiæ consumpserunt.

Duo in lecto: illi significantur qui remoti à turbis in ocio quodam vitæ vacare videntur.

Duæ molentes in mola: qui negociis temporalium rerum circumferuntur.

Duo in agro: qui in ministerio Ecclesiæ, tanquam in agro Dominico, operantur: ex quibus, adueniente seculi aduersitate, id est, nocte: quidam permanent in fide, & assumuntur ad vitam: quidam decedunt & relinquuntur ad pœnam.

Quinque virgines sapientes, omnes animæ sanctæ intelliguntur; quæ quoniam per quinque sensus corporis nullam admittunt cordis corruptionem, ideireo quinario numero computantur. Quinque virgines fatuæ, quæ non habent in vasis suis oleum: illæ animæ sunt, quæ habent quidem integritatem corporum: sed non seruant intra conscientiam boni operis testimonium: dum in facie gloriantur apud homines, & non in corde apud Deum: ideo quod, quia in vasis pectorum suorum mentis splendorem non gerunt, adueniente Domino à regni eius gaudio recluduntur.

Homo peregre proficiscens, qui tradidit bona sua seruis suis, Christus est, qui post resurrectionem suam ad cœlos regrediens tradidit euangelicam gratiam euangelicis negociatoribus fænerandam. Sed primus seruus in quinque talentis sibi datis quinque libros legis accepit, quos doctrina vel opere decem præceptorum ampliauit. Alter in duobus talentis duo testamenta promeruit, eaque morali ac mystico sensu pie dispensando duplicauit. Tertius sub figura vnius talenti gratiæ donum acceptum in terrenis voluptatibus obscurauit, ideoque pro... in ... nullum inde operum ... fructum. Alij in primo seruo quinque sensus cordis & corporis acceperunt, in secundo intelligentiam & opus, in vero rationem ... runt.

Iuuenis filius viduæ, quem Dominus mortuum extra portas vrbis suscitauit, significat eum, qui palam quodlibet mortiferum crimen admittit & au... verbo Domini à morte peccati resurgit & per pœnitentiam in Christo viuere incipit: redditurq; viduę matri suæ, id est, communioni Ecclesiæ.

Homo qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones: ipse Adam figuratur in genere suo, qui dum descenderet de paradiso cælesti in mundum, incidit in angelos tenebrarum.

Samaritanus descendens, qui vulnera eius curauit, Christus est custos noster: qui de cœlo descendit, & genus humanum à vulneribus peccatorum curauit.

Stabularius Apostoli sunt, vel successores, eorum, qui infirmitatem nostram prædicatione euangelica recreant.

Martha, quæ excepit Christum in domo sua, & ministrabat, significat Ecclesiam in hac vita Christum in corde suo excipientem & opere iustitiæ laborantem.

Maria soror eius, quæ sedebat secus Christi pedes, & audiebat verbum, demonstrat eandem Ecclesiam in futuro seculo ab omni opere cessantem, & in sola contemplatione sapientiæ Christi requiescentem.

Homo, qui media nocte postulabat ab amico suo tres panes, similitudinem exprimit cuiusq; in media tribulatione postulantis Dominum, vt det ei scientiam Trinitatis.

Diues, cuius vberes fructus ager attulit, significat hominem luxuriis deditum, & abundantem peccatis, quem immoderato fluxu amplius peccare desiderantem arguit Dominus, dicens: *Stulte, hac nocte auferetur a te anima tua: & quæ preparasti, cuius erunt?* Luc. 12.

Quinque illi in domo vna, id est, pater, mater, filius, filia, nurus, quibus duo in tres, & tres in duo diuiduntur: significant humanum genus fide & religione ab inuicem separatum, partim in discissione schismatis, quod duo significant: partim in numero Trinitatis, quod tria demonstrant.

Diuisus enim filius est aduersus patrem suum, id est, populus ex gentibus veniens aduersus Diabolum, cum quo ante fuerat sociatus.

Diuisa est & filia aduersus matrem suam, id est, plebs ex Iudæis credens, aduersus impiam synagogam.

Diuisa est & nurus aduersus socrum suam: Ecclesia scilicet ex gentibus aduersus matrem sponsi sui, synagogam: de qua secundum carnem Christus fuerat procreatus: qui omnes separantur, sibi inuicem renunciantes: alij terrenam: alij cælestem gloriam appetentes.

Galilæi decem & nouem, super quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos, interitum plebis Iudæorum insinuant. Decem & nouem enim apud græcos ex iota & theta literis exprimuntur: quibus figuris nomen Iesu scribitur: in quem illi credere nolentes pariter à Romanis cum sua vrbe prostrati sunt.

Homo, qui arborem fici in vinea sua plantauit, Christus est, qui synagogam Iudaico populo condidit. Quam cum Dominus quasi inutilem iussisset abscidi, fit illi à colonis Apostolis fossa humilitatis: adhibetur & stercus, id est, confessio peccatorum: sicq; in nouissimo credendo commutabitur in melius, dabitque fructus iustitiæ copiosos.

Mulier, quæ decem & octo annos infirmitatis habens à Domino erecta est, Ecclesiæ typus est, quæ in fine temporum salutem fidei consecuta est. Sex enim ætatibus mundus iste completur: cuius tamen tempus habet tripertitam discretionem: vnam ante legem: alteram in lege, tertiam sub gratia. Sexies ergo terni x & viii. efficiunt. Quo numero tempus hoc nostræ salutis insinuatur: quando à Sathanæ vinculis, quibus ... ba... ur, erecti, donum salutis, & spem supernæ contemplationis accipimus.

Hydropicus, quem Dominus curauit, demonstrat eos, quos fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat.

Homo habens duos filios, Deus est intelligendus, habens duos populos: quorum maior figuram tenuit Iudaici populi, qui permansit in Dei cultu: alter minor Gentium, qui Conditore deserto seruus factus est idolorum: quem per egestatem fidei reuertentem clementer suscipit Deus pater: & pro conuersione eius sub vituli typo filium immolat vnicum; tribuit etiam anulum fidei, & stola immortalitatis induit eum: quanquam Iudæus frater liuoris torqueatur inuidia, pro salute tamen eius gaudio concinit angelorum symphonia.

Dispensator prodigus, quem Dominus à villicatu amoueri præcepit, & fraudem faciens Domino suo, relaxauit debitoribus suis partem, vt haberet vnde in posterum viueret: hæc comparatio ad exemplum nostri proposita est. Nam si ille à Domino suo laudari promeruit, qui fraudem ei faciens, in posterum sibi de alienis rebus prouidit: quantomagis Christo placere possumus, si ex rebus nostris misericordiam indigétibus faciamus, à quibus recipi in tabernacula æterna possimus?

Diues, qui induebatur purpura, significat Iudæorum superbiam florentem quondam imperij claritate vel honoris excellentia.

Mendicus vlcerosus demonstrat gentilem populum confessionibus peccatorum humiliatum. Quinq; fratres diuitis illius, qui apud inferos torquebarur, Iudæi intelliguntur, qui sub quinque libris legis positi sunt.

Decem leprosi, qui mundantur à Domino, hæreticos significant, qui in varietate colorum diuersitatem habér schismatum: qui ideo ad sacerdotem mittuntur, vt, detonsa omni varietate errorum, vnitatis percipiant Sacramentum.

Iudex iniquus, qui Dominum non timebat, assidue tamen deprecantem viduam exaudiuit, similitudo est, qua demonstratur, quantam spem habere debet, qui Deum indesinenter exposcit: cum etiam apud aures iniusti iudicis valuerit frequens instantia viduæ deprecantis. Ipsa autem vidua significare potest Ecclesiam perseuaranter sui petentem vltionem de inimicis suis, hoc est, Diabolo & hæreticis.

Pharisæus orans in templo, Iudæorum est populus, qui ex iustificationibus legis extollit merita sua. Publicanus vero gentilis est s. populus, qui longe à Deo positus confitetur peccata sua: quorum vnus superbiendo recessit non iustificatus, alter humiliatus confitendo appropinquari meruit exaltatus.

Cæcus sedens secus viam, populum demonstrat gentilem: qui per Christi gratiam fidei meruit claritatem.

Zachæus, qui interpretatur, *iustus* siue *iustificatus* aut *iustificandus*, gentilis est populus, gratia meritorum pusillus, qui tamen à terrenis actibus subleuatus per lignum Dominicæ Crucis Christi mysterium contemplatur.

Homo nobilis, qui in longinquam abiit regionem, accipere sibi regnum, Redemptorem nostrum significat: qui vsque ad fines terrę peruenit accipere regnum in populis gentium.

Ciues, qui noluerunt eum regnare, Iudæi intelliguntur, qui Christum regem spreuerunt.

Seruus vero, qui mnam vnam accipiens x. acquisiuit, significat doctores, qui * acceptam gratiam Euangelij in decem verborum prædicamentis benedicti sunt: & docendo multos in fide acquisierunt: idcirco aduenien-te Domino Christo laudantur: quia lucrati sunt. Qui vero ex vna quinq; acquisiuit, illos demonstrat, qui mandata Dei seruantes, consequuntur scientiam legis in v. libris Moysi scriptam, eamque edocendo ad vsum salutis necessariam fænerant. Qui vero mnam vnam ipsam in sudario conseruauit: ostendit eum, qui creditum sibi gratiæ donum delicate ociose; tractauit. Vnde & recte amittet collatam gratiam, qui per negligentiã prædicare contempsit: vt ei augeatur, qui inde laborauit.

*accepta gratia.

Vidua, quæ in gazophylacium duo minuta iecit, animam fidelem demonstrat: quæ in thesauro cordis fructum dilectionis Dei & proximi seruat.

Sponsus Christus est, cuius nuptiæ cum Ecclesia celebrantur: in cuius coniunctione aqua in vinum mutatur: quia credentes per lauacri gratiam transeunt ad passionis coronam.

Architriclinus, Moyses intelligitur: qui miratur meliorem & sanctiorem populum per Iesum in Euangelio cógregatum, quam illum priorem ab Ægypto eductum. Finitum enim vinum ostendit, sublatam esse gratiam Spiritus sancti à Iudæis, & per*Apostolos in gentibus contributam.

Mulier Samaritana mystice intelligitur synagoga, quinq; libris legis, quasi quinq; viris, secundum sensum carnis subiecta: quam misericorditer Dominus prouocat haurire aquam viuam: lauacri scilicet percipere gratiam, vel secretam legis intelligentiam.

Mulier adultera, quæ offertur Domino à Iudæis lapidanda, Ecclesia est: quæ prius relicto Deo in idolis fuerat fornicata: quam volebat synagoga zelans interficere: Christus saluat per remissionem delicti: nec sinit eam perire, qui nouit veniam condonare peccantibus.

Simon leprosus gentilis est populus, qui est à Redemptore mundatus.

Mulier, quæ vngento caput Domini vnxit, Ecclesia est: quæ fructum sui operis, fideique odorem ad laudem Dei & Christi gloriam refert. Angelus ille, ad cuius descensum mouebatur aqua quinq; porticibus cincta, Christus est: in cuius aduentu turbatus est Iudæorum populus quinq; libris legis conclusus. Descendente enim angelo commouebatur aqua, & sanabatur infirmus: descendente de cœlis Christo, commotus est in passione eius idem populus. & sanatus est mundus.

Cæcus à natiuitate, quem Dominus vnctis oculis ad piscinam Siloe misit lauandum, significat genus humanum à natiuitate, id est, à primo homine * errore tenebris viciatum: cuius oculos Dominus de sputo & luto liniuit: quia *Verbum caro factum est*: & lauari oculos in piscina iussit, vt baptizatus in Christo acciperet lucem fidei, & crederet in eum, qui visibiliter in mundo apparuit. *errorum. Ioan. 1.

Lazarus, qui interpretatur, *adiutus*, quem Dominus quadriduanum fœtentem de monumento suscitauit, significat mundum: quem grauissima peccati consuetudo corruperat: qui tamen quarto die mortis suscitatur. Prima enim dies mortis est tracta de Adam [illegible] ago mortis, Altera dies mortis est transgressio legis naturalis. Tertia dies mortis, præuaricatio datæ legis. Quarta dies mortis est contemptus euangelicæ prædicationis, in qua die Dominus suum opus respiciens misericorditer suscitare dignatus est.

Seruus principis sacerdotum, cuius dextera auricula amputatur, Israeliticus est populus: qui in incredulitate seruus effectus est. Hic dexteram autem amittit, dum ad sinistrum intellectum literæ transiuit. Cui Dominus in his, qui credunt, auditum restaurat fidei, & obedientem Euangelij fecit mandatis. Caiphas, *inuestigator* aut *sagax* aut *vomens ore*, interpretatur. Inique enim ore suo iustum condemnauit: quamuis hoc mysterio prophetali annuntiasset: nam idem princeps sacerdotum, qui scidit vestimentum suum in Domini passione, indicat hebræorum populum nudatum sacerdotio, & euacuatum regno scisso. Barrabbas, qui Iudæis dimittitur, significat Antichristum; quem illi errantes suscipere meruerunt pro Christo. Barrabbas enim interpretatur, *filius magistri*, eorum absque dubio Iudæorum magister, qui est Diabolus, homicidiorum auctor, qui vsque hodie damnatur in eis. Herodes & Pilatus, qui cum essent discordes, in passione Domini amicitia fæderantur, indicant primum diuisos fuisse vtrolque populos, circũcisionis & gentium; qui tamen per passionem Domini in fide concordauerunt.

Herodes interpretatur, *pellicius*, versipellem significat Antichristum; & Pontius Pilatus declinans consilium

utique Iudæorum. Accepta enim aqua lauit manus suas, *Matt. 27.* dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Nam Pilatus interpretatur, *os malleatoris*: significat Diabolum, qui est malleus vniuersæ terræ.

Simon Cirenæus, cui gestandam crucem imposuerũt, populus gentilitatis intelligitur: qui peregrinus in lege obediens efficitur euangelio crucis: ipse Christi victor & fidei baiulus factus. Duo latrones populum exprimunt Iudæorum ac gentium: quorum vnus incredulus blasphemat Christum in cruce pendentem: alter fidelis Iudæos increpat blasphemantes.

Quatuor milites, qui quatuor partes sibi de Iesu vestimentis fecerunt, præfigurauerunt quatuor partes mundi, quæ diuiserunt sibi eloquia Christi: sicut scriptum est: *Psal. 118.* *Lætabor ego super eloquia tua sicut qui inuenit spolia multa.*

Sanctæ mulieres, quæ secutæ sunt Iesum à Galilæa, ministrantes ei de substantiis suis, quæ etiam interfuerunt in passione eius astantes, & post sepulturam eius, cæteris recedentibus, remanebant sedentes contra sepulchrum: hoc est Maria Magdalene, & Maria mater Iacobi & Ioseph, quæ etiam soror fuit Mariæ ma- *Marc. 16.* tris Domini, & mater filiorum Zebedæi, quam Marcus appellat Salome: & aliæ mulieres, quos in cæteris euangeliis legimus: hæ videlicet figuram habent humilium animarum ac deuotarum Domino: quæ quo maiore sibi conscientia fragilitatis pertimescunt: eo maiore Saluatoris amore feruentes passionis eius vestigiis in hoc seculo, quo requies est præparanda futura, diligenter obsequuntur: & si forte valeant imitari pia curiositate, quo ordine sit eadem passio completa, perpendunt.

Mulieres, quæ Apostolis Domini resurrectionem annunciant, lex & prophetia intelliguntur: quæ gloriam resurrectionis Christi, antequam reuelaretur, quasi præcursores prædicauerunt.

Maria ergo Magdalene ipsa est soror Lazari & Mar- *Luc. 7.* thæ, de qua Dominus eiecit septem dęmonia. Ipsa est autem non alia, quæ quondam, vt Lucas scribit, peccatrix adhuc, veniens pedes Domini lachrymis pœnitentiæ rigauit, & vngento pię confessionis liniuit: & quia multum dilexit, multorum veniam à pio iudice promeruit. Eadem vicina passione eius iustificata, & familiaris effecta Domino, non tantum pedes eius, vt idem Ioannes narrat, verum etiam caput vt Matthæus Marcusque perhibent, oleo sancto perfudit. Hæc à loco Magdalo Magdalene dicitur. Interpretatur enim Magdalene, *turris.* Mystice autem significat fidem ac pietatem sanctæ Ecclesiæ, quæ odorem notitiæ Christi prædicando in vniuerso spargit mundo.

Sed & Martha, quæ, *irritans* vel *prouocans*, interpretatur, typum tenet Ecclesiæ: quæ bonis operibus quotidie insudans irritat Diabolum & membra eius, & prouocat piis actionibus ac verbis ad fidem electos Dei.

Septem discipuli, cum quibus Dominus post resurrectionem conuiuasse describitur, septimam indicant resurrectionis requiem, in qua omnes sancti per Christum æternæ beatitudinis refectione saturabuntur.

Principes sacerdotum, qui ab custodibus sepulchri veraciter comperta resurrectione Domini, dederunt ipsis pecuniam copiosam, vt mentirentur dicentes, corpus Domini a discipulis eius furatum, prefigurabant eos, qui propter auaritiam terrenam vendunt veritatem, ementes iniquitatem. Sed & omnes, qui stipe templi, & his, quæ conferuntur ad vsum Ecclesię, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluptatem, similes sunt scribarum & sacerdotum redimentium mendacium pro sanguine Saluatoris.

Quod autem vndecim discipulis Saluator post resurrectionem suam in Galilæa in monte apparuit, non vacat a mysterio: sed significat, quia corpus, quod de communi humani generis terra nascendo susceperat, resurgendo iam super terrena omnia subleuatum, cælesti virtute induerit.

In monte apparuit, vt admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hic ab infimis cupiditatibus ad superna studeant desideria transire. Nomen vero Galilææ, *transmigratio* vel *reuelatio*, interpretatur. Tunc enim reuelata facie, sicut *2. Cor. 3.* Apostolus testatur, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabuntur, quicunque modo reuelamus ad eum viam nostram, eiusque vestigia sequimur fide non ficta.

Apostoli enim Christi, quid interpretatione nominum suorum vel operum gestu significent, iam dicendum est. Denique Apostoli, *missi*, interpretantur. Hoc enim eorum nomen indicat. Nam sicut græce *angeli*, latine *nuncii* nuncupantur: ita græce *Apostoli*, latine *missi* appellantur. Ipsos enim misit Christus euangelizare per vniuersum mundum: ita vt quidam eorum Persas Indosque penetrarent, docentes gentes, & facientes in nomine Christi magna & incredibilia miracula, vt, attestantibus signis & prodigiis, crederetur illis in his, quæ dicebant. Habent autem pleriq; eorum ex his causam suorum vocabulorum.

Petrus à petra nomen accepit, hoc est, a Christo super quem est fundata Ecclesia. Non à Petro petra, sed Petrus a petra nomen sortitus est: sicut non Christus à Christiano; sed Christianus à Christo vocatur; ideoque ait Dominus, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* *Matth. 16.* Quia dixerat Petrus; *Tu es Christus filius Dei viui* deinde Dominus ei super hanc, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim Christus erat, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus.

Cephas dictus, eo quod in capite sit constitutus Apostolorum. Cefale græce caput dicitur, & ipsum nomen in Petro situm est.

Simon bariona in linguam nostram sonat, *filius columbæ.* Est & nomen Syrum pariter & Hebræum. Bar quippe Syra lingua *filius*: iona hebraice *columba*: vtroque sermone dicitur *bariona*. Alij simpliciter accipiunt, quod Simon, id est, Petrus, filius esset Ioannis; iuxta illam interrogationem; *Simon Ioannis diligis me?* & volunt scripto- *Ioan. 21.* rum vitio deprauatum, vt pro *bar Ioanna*, hoc est, filio Ioannis, *bar Iona* scriptum sit, vna detracta syllaba. Ioanna interpretatur, *Domini gratia*. Et Petrum fuisse trinomium; Petrus, Cefas, & Simon Barionam. Simon autem interpretatur hebraice, *audiens & obediens.* Petrus autem personam gestat Ecclesiæ, quæ habet potestatem dimittendi peccata atque reducendi ab inferis homines ad cælestia regna.

Saulus hebræo sermone *temptatio* dictus est; eo quod prius in temptatione Ecclesiæ sit versatus. Persecutor enim erat, inde nomen habebat istud, quia persequebatur Christianos. Postea mutato nomine de Saulo factus est Paulus, quod interpretatur *mirabilis* siue *electus*. Mirabilis, vel quia multa signa fecit; vel quia ab Oriente vsque ad occasum euangelium Christi in omnibus gentibus prædicauit, electus, sicut in Actibus Apostolorum Spiritus sanctus dicit; *Segregate mihi Barnabam & Paulum ad opus, ad quod elegi eos.* *Act. 13.* Latino autem sermone Paulus à modico dictus est. Vnde & ipse ait; *Ego sum minimus Apostolorum.* *1. Cor. 15* Quando enim Saulus, superbus, elatus; quando Paulus, humilis & modicus. Ideo sic loquimur; *Paulo post videbo te*, id est, post modicum. Nam quia post modicus factus est, ipse dicit; *Ego enim sum nouissimus Apostolorum, & minimus omnium sanctorum.* *Ibid.*

Cephas autem & Saulus ideo mutato nomine sunt vocati, vt essent etiam ipso nomine noui, sicut Abraham & Sara. Significat autem Paulus conuersionem Ecclesiæ de gentibus ad Christi fidem; cuius ipse Apostolus & magister fuit: quoniam sicut Paulus primum rebellis in incredulitate consistens fuit, & postea per baptismi gratiam ablutus, & fide Christi imbutus, humilis ac deuotus permansit; sic & gentilitas primum Christianis persecutionem intulit ante perceptionem videlicet Euangelij Christi, postea vero deuota Deo existens etiam sanguinem suum pro eo fundere non dubitauit.

Andreas frater Petri carne & cohæres gratiæ secun-

dum hebræam Etymologiam interpretatur, *decorus* siue *respondens*. Sermone autem græco *a viro virilis* appellatur. Hic exprimit populum Ecclesiasticum, qui decorus est in pulchritudine rectæ fidei, & respondet bonis operibus: quia quod corde credit, operibus exercet: viriliter quoq; ipse in Dei mandatis agit, & operatur iustitiam, vt acceptus & placitus fiat Conditori suo.

Ioannes quodam vaticinio ex merito nomen accepit. Interpretatur enim, *in quo est gratia*, vel *Domini gratia*. Amplius enim eum cæteris Apostolis dilexit Iesus. Hic eorum typum tenet, qui contemplationis gratia sublimati sedulo suo adhærent Conditori: nec aliquid carius ipso
Psal. 27. ducunt: qui cum Psalmista dicere possunt: *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam: vt annuntiem omnes laudes eius in portis filiæ Syon.* Notandum tamen, quod in expositione Euangelica, vbi *Petrus & Ioannes* post resurrectionem Christi *ad monumentum cucurrerunt*,
Ioan. 20. quod Ioannes *porro venit: sed tamen non introiuit, Petrus autem posterius veniens statim introiuit & inuenit linteamina posita, &c.* quæ ibi narrantur. Ibi ergo Ioannes populi Iudaici typum tenet: qui porro per notitiam legis ad Dominum venit: sicut Ioannes ad monumentum: sed non intrauit: quia legis quidem mandata percepit per prophetas, de incarnatione Domini, ac passione eius audiuit: & per sacræ scripturæ testimonia de eo multa antea diu longe lateque prophetauit: sed cum præsentem vidit, tenuit, & hominem esse despexit, eumq; mortalem factũ credere noluit: sicut porro venit ad monumentum: ita vacuus & ociosus stetit. Sed secutus posterior Petrus intrauit, per quem Ecclesia gentium designatur: quæ statim vt audiuit de Christo mediatore Dei & hominum, eum, quem cognouit mortuum, viuentem credidit
Ibid. Deum. *Tunc ergo introiuit & ille alius discipulus, qui venerat prior ad monumentum*: quia in fine mundi ad fidem Domini nostri etiam Iudæa colligitur, Paulo attestante, qui
Rom. 11. ait: *Donec plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus erit.*

Iacobus Zebedæi à patre cognominatur, quem relinquens cum Ioanne verum patrem secutus est. Hi sunt filij tonitrui, qui etiam Boanerges ex firmitate & magnitudine fidei nominati sunt. Hic est Iacobus, filius Zebedæi, frater Ioannis, qui post ascensionem Domini ab Herode manifestatur occisus.

Iacobus Alphæi ob distinctionem prioris cognominatus: quia sicut ille dicitur filius Zebedæi, sic iste filius Alphæi. Cognomentum igitur ambo à patre sumpserũt. Iste est Iacobus minor, qui in Euangelio frater Domini nominatur: quia Maria, vxor Alphæi, soror fuit Mariæ, Matris Domini, quam Maria Cleophæ Ioannes Euangelista cognominat à patre: siue à gentilitate familiæ, aut quacunq; alia causa ei nomen imponens.

Alphæus autem hebræo sermone in latinum exprimitur, *millesimus* siue *doctus*.

Philippus, *os lampadarum* vel *manuum*.

Thomas, *abyssus*, vel *geminus*, vnde & græce Didymus appellatur. Hi ambo prædicatorum typum tenent, qui abyssum sanctarum scripturarum penetrantes, lumen prædicationis per ora sua ad illuminandas gentes proferunt.

Bartholomæus, *filius suspendentis aquas*, vel *filius suspendentis me* syrum est, non hebræum. Iste similiter doctores sanctos significat: qui aquas, hoc est, populos prædicatione sua suspendunt intentione ad supernum patrem, cuius ipsi filij sunt.

Matthæus in hebræo, *donatus*, exprimitur: idem & appellatur Leui ex tribu, ex qua ortus fuit: in latino autem ex opere publicani nomen accepit: quia ex publicanis fuit electus & in apostolatum translatus. Hic in Euangelij conscriptione, quantum donum gratiæ post conuersionem promeruit, ostendit, exemplum tribuens omnibus, qui pœnitentiam dignam pro peccatis suis gerunt: vt nemo desperet de venia: quia *beneplacitum est Domino super timentes eum, & in omnes, qui sperant in misericordia eius.*
Psal. 14[illegible]

Simon Chananæus ad distinctionem Simonis Petri de vico Galilææ, Cana: vbi aquas Dominus mutauit in vinum. Ipse enim est, qui in alio Euangelista scribitur zelotes. Cana quippe, *zelus*, interpretatur: ostendens, quod quisquis prædicationis officium per dispensationem Dei accipit, zelum iustitiæ habere debet: quia *nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Luc. 9.

Iudas Iacobi, qui alibi appellatur Lebbæus, figuratum nomen habet à corde: quod nos diminutiue *corculum* possumus appellare. Ipse in Euangelio alio Thathæus scribitur. Et bene est, vt cuius nomen à corde figuratur, totam intentionem mentis ad Deum vertat, vt ei per omnia placeat, cuius ministrum se esse probauit.

Iudas Scariothis à vico, in quo ortus est, vel ex tribu Isachar vocabulum sumpsit quodam præsagio futuri in condemnationem sui. Isachar enim interpretatur, *merces*: vt significaretur pretium proditoris, quo vendidit Dominum: sicut scriptum est. *Acceperunt mercedem* Zach. 11. *meam, xxx. argenteos, pretium, quod appreciatus sum ab eis:* quia per proditionem magistri æternæ perditionis sibi memoriam asciuit.

Matthias, qui inter Apostolos sine cognomine solus habetur, interpretatur, *donatus*, vt subaudiatur, *pro Iuda*. Iste enim in locum eius electus est ab Apostolis, cum pro duobus sors mitteretur.

Aliter Matthias, *paruus*, interpretatur. & Ioseph, qui cum eo sub sorte statutus est, vocatur barsaba, hoc est, *filius quietis*. De quibus duobus Arator in metrico opere suo ita lusit, dicens:

> *Constituere duos Ioseph cognomine iustum,*
> *Matthiamq; Dei paruum: quod nomen (vt aiunt)*
> *Hebræo sermone sonat, humilemq; vocando*
> *Comprobat, ô quantum distant humana supernis*
> *Iudicijs! paruus merito transcenditur ille:*
> *Laude hominum: qui iustus erat, duodena refulgent*
> *Signa chori, terrisq; iubar iaculatur olympi.*

Et notandum, quod Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, vir per omnia doctissimus, ambos hos qui ad sortem apostolatus statuti sunt, de numero fuisse septuaginta discipulorum refert.

Marcus, *excelsus mandato*, vtiq; propter Euangelium altissimi, quod prædicauit.

Lucas, *ipse consurgens*, seu *ipse eleuans*. Hi duo Euangelistæ, hoc est, Marcus & Lucas, vnus ex Iudæis, alter ex nationibus electus, significant duos ordines prædicatorum, hoc est, vnum ex Iudæis, alterum ex Gentibus ad prædicandum Euangelium in toto orbe directos. Qui etiam principem Apostolorum & magistrum gentium secuti sunt: videlicet Marcus Petrum, cui apostolatus delegatus est Circumcisionis: & Lucas Paulum, qui doctor & magister Gentium fuit: ita vt vterque magistri sui rite secutus vestigia, ministerij sui digne expleret officium.

Barnabas, *filius prophetiæ*. vel, *filius consolationis*, interpretatur. Iste simul cum Paulo Spiritus sancti iudicio ab Apostolis segregatus est ad prædicandum Euangelium in gentibus, vt illis prophetiæ donum reuelaret, & æternæ consolationis opportunum dictis & factis præberet.

Nicodemus, qui venerat ad Dominum nocte, & mysterium ab eo didicit secundæ natiuitatis, significat eos, qui deuoto corde veniunt ad magistros Ecclesiæ, vt discant ab eis veram sapientiam: sed adhuc in tenebris ignorantiæ positi dubitant, donec gratia Spiritus sancti, cuius potentiam Iesus exposuit ipsi Nicodemo, illustrentur. Nam fertur in euangelio, quod idem Nicodemus venerit in passione Domini, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum, vt cum Ioseph, qui fuit ab Arimathia, sepeliret simul corpus Domini: sed non hoc etiam à mysterio vacat: quia illi, qui vere discipula tui Saluatoris adhærent, mortis eius ac resurrectionis memoriam cum aromatibus sacrarum virtutum in cordis sui recondunt secreto, iuste & pie vi-

uendo expectantes diem resurrectionis, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, *qui dedit semetipsum pro nobis, vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit. 2.

Nathanael *donum Dei*, interpretatur: quia dolus, id est, simulatio dono Dei in eo non fuit. Cuius imitatores sunt quique electi, qui simplici deuotione ad Dominum veniunt, & mandata eius custodiunt.

CAPVT II.

De martyribus.

MArtyres græca lingua, latine *testes* dicuntur. Vnde & *testimonia* græce *martyria* nuncupantur. Testes autem ideo vocati sunt: quod propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, & vsque ad mortem pro veritate certauerunt. Quod vero non *testes* (quod latine vtique possumus dicere) sed græce *martyres* appellamus: familiarius Ecclesiæ auribus hoc verbum græcum sonat: sicut & multa græca nomina, quæ pro latinis vtimur. Martyrum primus in nouo testamento Stephanus fuit, qui hebræo sermone interpretatur, *norma*, quod prior fuerit in martyrio ad imitationem fidelium. Idem autem & græco sermone in latinum vertitur, *coronatus*: & hoc prophetice: vt quod sequeretur in re, vaticinio quodam futuri prius in vocabulo resonaret. Passus est enim: & quod vocabatur, accepit. Stephanus enim, *corona*, dicitur: humiliter lapidatus: sed sublimiter coronatus. Duo autem sunt martyrij genera: vnum in aperta passione: alterū in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias Diaboli tolerantes, & cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc, quod se omnipotenti Deo in corde mactauerunt, etiam pacis tempore martyres facti sunt: qui etiam si persecutionis tempus existeret, martyres fieri possent.

CAPVT III.

De Ecclesia & synagoga.

ECclesia græcum est, quod in latinum vertitur, *conuocatio* * propter quod omnes ad se conuocet. Catholica, vniuersalis: à poto Catholico, id est, secundum totum. Non enim, sicut conuenticula hæreticorum, aliquibus regionum partibus coartatur: sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Quod etiam Apostolus approbat ad Romanos, dicens: *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Hinc & vniuersitas ab vno cognominata est, propter quod in vnitate colligitur. Vnde Dominus in Euangelio ait: *Qui mecum non colligit, spargit.* Cur autem, Ecclesia cum vna sit, à Ioanne septem scribuntur? nisi vt vna Catholica septiformi plena Spiritu designetur: sicut & de Domino nouimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Quæ tamen septem vna esse non ambigitur, dicente Apostolo: *Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Inchoauit autem Ecclesia à loco, vbi venit de cælo Spiritus sanctus: & impleuit vno loco sedentes c. xx. Pro peregrinatione autem præsenti Ecclesia *Syon* dicitur: eo quod ab huius peregrinationis longitudine posita promissionem rerum cælestium speculetur: & idcirco *Syon*, id est, *speculatio*, nomen accepit: pro futuræ vero patriæ pace Hierusalem vocatur. Nam Hierusalem, *pacis visio* interpretatur. Ibi enim abolita omni aduersitate pacem, quæ est Christus, præsenti possidebit obtuitu.

* propterea. Rom. 1. Luc. 11. Apoc. 1. Prou. 9. 1. Tim. 3.

Synagoga græce, latine, *congregatio*, dicitur. Quod proprium nomen Iudæorum populus tenuit. Ipsorum enim congregatio proprie synagoga dici solet: quamuis & Ecclesia dicta sit. Nostram vero Apostoli nunquam *synagogam* dixerunt, sed semper *ecclesiam* siue discernendi causa: siue quod inter congregationem, vnde synagoga, & conuocatione, vnde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid: quod scilicet congregari & pecora solent, quorum & greges proprie dicimus congregari: conuocari autem homines solemus dicere.

CAPVT IV.

De religione & fide.

DOgma à putando Philosophi nominauerunt: id est, hoc puto esse bonum: hoc puto esse verum. Religio appellata, quod per eam vni Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum vinculo seruiendi. Quod verbum compositum est à religendo, id est, eligendo: vt ita latinum videatur, *religio*, sicut *eligio*. Tria sunt autem, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur: id est, Fides, Spes, Charitas. In fide quid credendum: in spe quid sperandum: in charitate quid sit amandum. Fides est, qua veraciter credimus, quod nequaquam videre valemus. Nam credere iam non possumus, quod videmus. Proprie autem nomen fidei inde est dictum, si omnino fiat quod dictum est, aut promissum: & inde fides vocata ab eo, quod fiat illud, quod inter vtrosque placitum est: quasi inter Deum & hominem. Hinc & fœdus. Spes vocata, quod sit pes progrediendi, quasi, *est pes.* Vnde econtrario desperatio. Deest enim ibi pes, nullaque progrediendi facultas est: quia dum quisq; peccatum amat, futuram gloriam non sperat. Charitas græce, latine, *dilectio*, interpretatur, quod duos in se liget. Nam dilectio à duobus incipit: quod est amor Dei & proximi. De qua Apostolus, *plenitudo*, inquit, *legis est dilectio.* Maior autem est hæc omnibus: quia qui diligit, & credit & sperat: qui autem non diligit, quamuis multa dilectio carnalis non faciat bona, frustra laborat. Omnis autem dilectio, sed magis amor dici solet. Dilectionis autem nomen tantum in melioribus rebus accipi solet. Sub Ecclesiæ autem vocabulo distinctio quædam reperitur: ita vt in sacris ordinibus & in quibusdam professionibus fideles ab inuicem distent. Rom. 13.

CAPVT V.

De clericis.

CLeros & clericos hinc appellatos, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus esse ordinatum. *Cleros* enim græce, *sors* vel *hæreditas* dicitur. Propterea ergo dicti clerici, quia de sorte sunt Domini: vel quod Domini partem habent. Generaliter autem clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deseruiunt. Quorum gradus & nomina hæc sunt: Hostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acoluthus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Ordo Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis atq; Episcopis. Patriarcha græca lingua, *summus patrum*, interpretatur: quia primum, id est, apostolicum retinet locum: & ideo, quod summo honore fungitur, tali nomine censetur. sicut Romanus, Antiochenus & Alexandrinus.

Archiepiscopus græco vocabulo dicitur, quod sit summus Episcoporum: tenet enim vicem Apostolorum, & præsidet tam Metropolitanis, quam Episcopis cæteris. Singulis enim prouinciis præminet, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus, reliquis Episcopis nihil agere licet. Sollicitudo enim totius prouinciæ ipsis commissa est. Omnes autem superius designati ordines vno eodemq; vocabulo Episcopi nominantur: sed ideo priuato nomine quidam vtuntur propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt.

Patriarcha patet principum. Archon enim princeps.

Archiepiscopus princeps Episcoporum: sicut Metropolitanus à mensura ciuitatum.

Episcopatus autem vocabulum inde dictum, quod ille, qui superefficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. Scopin enim latine *intendere* dicitur. Episcopi autem græce, latine *speculatores*, interpretantur. Nā speculator est præpositus in Ecclesia dictus eo quod speculetur

atque præspiciat populorum infra se positorum mores & vitam.

Pontifex princeps sacerdotum est, quasi via sequentium: ipse & summus sacerdos, ipse Pontifex Maximus nuncupatur. ipse enim efficit Sacerdotes atque Leuitas: ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit: ipse, quid vnusquisque facere debeat, ostendit. Antea autem Pontifices & reges erant. Nam maiorum erat hæc consuetudo, vt Rex esset etiam Sacerdos vel Pontifex. Vnde & Romani Imperatores pontifices dicebantur.

Vates à vi mentis appellatos. Cuius significatio multiplex est. Nam modo sacerdotem, modo prophetam significat, modo poetam significat.

Antistes sacerdos dictus ab eo, quod ante stat. Primus est enim in ordine ecclesiæ, & supra se nullum habet.

Sacerdos autem nomen habet compositum ex græco & latino, *quasi sacrum dans*. Sicut enim rex à regendo: ita sacerdos à sanctificando vocatus est. Consecrat enim & sanctificat. Sacerdotes autem gentilium flamines dicebantur. Hi in capite habebant pileum, in quo erat breuis virga desuper habens lanæ aliquid. Quod cum per æstum ferre non possent: filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas erat. Vnde à filo, quo vtebantur *flamines* dicti sunt, quasi *filamines*. Verum festis diebus filo deposito pileum imponebant pro sacerdotij eminentia.

Presbyter græce, latine, *senior*, interpretatur: non pro ætate vel decrepita senectute: sed propter honorem & dignitatē, quam acceperunt, presbyteri nominantur. Vnde & apud veteres iidem & Episcopi & presbyteri fuerunt: quia illud nomen dignitatis est: hoc ætatis. Ideo autem presbyteri sacerdotes vocantur, quod sacrū dant: sicut & episcopi, qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent: quia nec chrismate frontem signant, nec paraclitum spiritum dant: quod solis episcopis deberi lectio actus Apostolorum demonstrat. Vnde & apud veteres iidem episcopi & presbyteri fuerunt: quia illud est (vt diximus) nomen dignitatis: hoc ætatis.

Leuitæ ex nomine auctoris vocati. A Leui autem Leuitæ exorti sunt, à quibus in templo Dei mystici sacramenti ministeria explebantur. Hi græce diacones, latine ministri dicuntur: quod sicut in sacerdote consecratio, ita in diacono ministerij dispensatio habetur.

Hypodiacones græce, quos nos subdiacones dicimus: qui ideo sic appellantur, quia subiacent præceptis & officiis Leuitarum. Oblationes enim in templo Dei a fidelibus ipsi suscipiunt. & Leuitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos nathinnei vocantur.

Lectores à legendo, psalmistæ à psalmis canendis vocati. Illi enim prædicant populis, quid sequantur: isti canunt, vt excitent ad coniunctionem animos audientium. Licet & quidam lectores ita miseranter pronunciant, vt quosdam ad luctum lamentationemque compellant. Idem etiam & pronuntiatores vocantur, quod porro annuncient. Tanta enim & tam clara eorum est vox: vt quamuis longe positorum aures adimpleant.

Cantor autem voca[illegible], quod voce modulatur in cantu. Huius duo genera dicuntur in arte musica: sicut ea docti homines latine dicere potuerunt, *præcentor & succentor*. Præcentor scilicet, qui vocem præmittit in cantu: succentor autem qui subsequenter canendo respondit. Concentor autem dicitur qui consonat: qui autem non consonat, non concinit, nec concentor erit.

Acoliti græce, latine ceroferarij dicuntur à deportandis cereis, quando legendum est euangelium aut sacrificium offerendum: tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur: non ad effugandas tenebras, dum sol eodem tempore rutilet: sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in euangelio legitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Ioan. 1.

Exorcistæ ex græco in latinum adiurantes siue increpantes vocantur. Inuocant enim super catechumenos, vel super eos, qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis.

Ostiarij iidem & ianitores: qui in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, vt non ingrederetur in eum immundus in omni re. Dicti autem ostiarij: quod præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus ex vtraque parte custodiunt: atque inter bonos & malos habentes iudicium, fideles recipiunt: respuunt infideles.

CAPIT. VI.

De Monachis.

MOnachus græca etymologia vocatus, eo quod sit singularis. monas enim græce singularitas dicitur. Ergo si solitarius interpretatur vocabulum monachi: quid facit in turba, qui solus est? Plura sunt enim genera monachorum.

Cœnobitæ, quos nos in communi viuentes possumus appellare. Cœnobium enim plurimorum est.

Anachoritæ sunt, qui propter cœnobialem vitam deserta petunt, & soli habitant per deserta: & ab eo, quod procul ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncupantur. Sed anachoritæ Heliam & Iohannem, cœnobitæ apostolos imitantur.

Heremitæ hi sunt, qui & anachoritæ, ab hominum conspectu remoti, heremum & desertas solitudines appetentes. Nam heremum dicitur quasi remotum.

Abba autem, syrum nomen, significat in latinum pater. Quod Paulus Romanis scribens exposuit dicens: *In quo clamamus, abba Pater*: duabus vsus linguis. Dicit enim abba syro nomine patrem, & rursus latine nominat, id est, patrem. Rom. 8.

CAPIT. VII.

De cæteris fidelibus.

CHristianus autem, quantum interpretatio ostendit, de vnctione deducitur, siue de nomine auctoris & creatoris. A Christo enim christiani sunt cognominati: sic a Iuda Iudæi. De magistri quippe nomine cognomen sectatoribus datum est. *Christiani* autem olim à Iudæis, quasi ob opprobrium, *Nazareni* vocabātur: pro eo quod Dominus noster atque Saluator à vico Galilææ *Nazarenus* sit appellatus. Non se autem glorietur christianum, qui nomen habet, & facta non habet. Vbi autem nomen secutum fuerit opus: certissime ille est christianus, quia se factis ostendit christianum: ambulans, sicut & ille ambulauit, à quo & nomen traxit.

Catholicus, *vniuersalis*, siue *generalis*, interpretatur. Nam græci vniuersale catholicon vocant.

Orthodoxus est recte credens: & vt credit, recte viuens. Orthòs enim græce, *recte*, dicitur: doxa *gloria*, hoc est, vir rectæ gloriæ. Quo nomine non potest vocari, qui aliter viuit quam credit.

Neophytus græce, latine *nouellus & rudis fidelis*, vel *nuper renatus*, interpretari potest.

Catechumenus pro eo, quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum baptismum percepit. Nam catechumenus græce, latine *auditor*, vel *instructor*, interpretatur.

Competens vocatur, quia post instructionem fidei competit gratiam Christi. Inde & à petendo competentes vocati.

Laicus, popularis. Laos enim græce populus dicitur.

Proselytus, id est, aduena, & circumcisus, qui miscebatur populo Dei, græcum est.

CAPIT. VIII.

De hæresi & schismate.

HÆresis græce ab electione vocatur, quod, scilicet vnusquisque id sibi de hæresi & schismate eligat, quod melius illi esse videtur, vt philosophi peripatetici, Academici, & Epicuræi, & stoici: vel si qui alij, qui peruersum dogma excogitantes arbitrio suo de ecclesia recesserunt. Inde ergo hæresis dicta græca voce ex interpretatione electionis, qua quisque arbitrio suo ad instituenda siue ad suscipienda quælibet ipse sibi elegit. No-

bis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet: sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Dei habemus auctores, quia nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaq; *etiam si angelus de cœlo aliter euangelizauerit, anathema* vocabitur. Galat. 1.

Secta à sectando & tenendo nominata. Nam sectas dicimus habitus animorum, ac instituta circa disciplinam fideliter, vel propositum, * quem tenendo sequuntur, longe alia in religionis cultu opinantes, quam cæteri. * quod.

Schisma ab scissura animorum voca a. Eodem enim cultu schismaticus, eodemq; ritu credit, vt cæteri: solo cōgregationis delectatur dissidio. Fit autem schisma, cum dicunt homines: nos sanctificamus immundos, & cætera similia.

Superstitio dicta eo, quod sit superflua aut superstituta obseruatio. Alij dicunt à senibus, qui multis annis superstites per ætatem delirāt & errant superstitione quadam, nescientes, quæ veteres colunt, aut quæ veterum ignari asciscant. Lucretius autem superstitionem dici superstantiam rerum, i. e. cœlestium & diuinorum, quæ super nos stant: sed male dicit. Hæreticorum autem dogmata vt facile possint agnosci, causas eorum, vel nomina demonstrari oportet.

Capit. IX.

De hæresibus Iudæorum.

SVnt enim hæreses Iudæorum, quas quidam eorum contra fidem Christi reperientes, praui dogmatis auctores extiterunt, quorum hæc sunt nomina, 1. Esnæi. 2. Galilæi 3. Marbonæi. 4. Genistæ. 5. Meristæ 6. Saducæi. 7. Pharisæi. 8. Herodiani 9. Samaritæ. 10. Hemerobaptistæ.

Esnæi dicunt, Christum docuisse illos omnem abstinentiam.

Galilæi & ipsi dicunt, Christum venisse & docuisse eos, ne dicerent Dominum Cæsarem, ne ve eius monitis vterentur.

Marbonæi dicunt, ipsum esse Christum, qui docuit illos in omni re baptizare.

Genistæ præsumunt, quoniam de genere Abrahæ sunt Nam cum in Babylonem venisset populus Dei, plerique relinquentes vxores suas, Babyloniis mulieribus adhæserunt. Quidam autem Israelitis coniugiis contenti, vel ex eis geniti, dum reuersi essent de Babylonia, diuiserunt se ab omni populo, & assumpserunt sibi nomen iactantiæ.

Meristæ separant scripturas, non credentes omnibus Prophetis, dicētes, aliis & aliis spiritib. illos prophetasse.

Saducæi interpretantur, *iusti*: vendicant enim sibi, quod non sunt: negant resurrectionem, dicentes: dictum est in Genesi Adæ: *De terra es, & in terram ibis*. Hi quinq; tantum libros legis recipiunt: prophetarum autem vaticinia respuunt. Genes. 3.

Pharisæi negant Christum venisse, ne vlla in re supra dictis communicant. Pharisæi quidem & Saducæi inter se contrarij sunt. Nam Pharisæi ex hebræo in latinum interpretantur, *diuisi*: eo quod traditionum & obseruationum, quas illi *deuterosis* vocant, iustitiam præferant: vnde & diuisi vocantur à populo quasi per iustitiam.

Herodiani: nam temporibus Saluatoris hæc hęresis surrexit. Hij Herodē magnificabāt, dicētes ipsū esse Christū.

Samaritæ quoq;, *custodes*, interpretantur, qui in locum Israel, iam captiuo & transducto in Babyloniam populo, trans ati sunt in terram decem tribuum: & ex parte sine lege Israelitarum consuetudinem obtinent. Isti Prophetas non recipiunt, atque in obseruationibus suis à Iudæis omnibus separantur: quorum superstitio proculdubio omnibus nota est.

Hemerobaptistæ dicti: eo quod quotidie vestimenta sua & corpora lauent. Propterea quo plures hæresium species inueniuntur, quæ in temporibus christianis exortæ, per inuentores & sequaces eorum fidem catholicam impugnare solitæ sunt, quas etiam Pater Augustinus ad Quoduultdeum diaconum scribens, satis manifeste declarat. Sed quia memoratus doctor, in diffinitionibus suis ecclesiastica dogmata enumerans, quid credendum, quidve cauendum sit, lucide descripsit: omisso hæreticorum catalogo, fidei catholicæ iura in hoc opere inserenda censemus.

Capit. X.

De diffinitionibus rectæ fidei & ecclesiasticorum dogmatum.

CRedimus, vnum Deum esse Patrem & Filium & Spiritum S. Patrem eo, quod habeat filium. Filium eo, quod habeat Patrem: Spiritum sanctum eo, quod ex Patre & Filio procedat. Pater ergo principium Deitatis: qui sicut nunquam fuit non Deus: ita nunquam non fuit non Pater. A quo Filius natus: à quo Spiritus sanctus non natus quia non est filius: neque ingenitus, quia non est Pater: nec factus Spiritus sanctus, quia non est ex nihilo: sed ex Deo Patre, & Deo Filio Deus procedens. Pater æternus eo, quod habeat Filium æternum, cuius æternus sit Pater. Filius æternus eo, quod sit Patri & Spiritui sancto coæternus. Spiritus sanctus æternus eo, quod sit Patri & Filio coæternus: non confusa in vna persona Trinitas, vt Sabellius dicit: neque separata aut diuisa in natura diuinitas, vt Arrius blasphemat: sed alter in persona Pater, alter in persona Filius, alter in persona Spiritus sanctus: vnus in natura in sancta Trinitate Deus Pater, & Filius & Spiritus sanctus. Non Pater carnem assumpsit neq; Spiritus sanctus: sed Filius tantum, vt qui erat in diuinitate Patris Dei Filius ipse fieret in homine hominis filius: ne filij nomen ad alterum transiret qui non esset natiuitate filius. Dei ergo filius, hominis factus est filius: natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei filius & secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius: vt ver tas geniti non adoptione, non appellatione: sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet. & esset verus Deus & verus homo, vnus filius. Non ergo duos Christos, neque duos filios: sed Deum & hominem vnum filium, quem propterea & vnigenitū dicimus manentem in duabus substantiis: sicut ei naturæ veritas cōtulit, non confusis naturis neque immixtis, sicuti Timothiani volunt: sed societate vniti. Deus ergo hominem assumpsit: homo in Deum transiuit, non naturæ versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt: sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem: nec homo, in diuina glorificatus in Deum: quia mutatio vel versibilitas naturæ & diminutionem & abolitionem substantiæ facit. Creditur à nobis sine confusione coniuncta Trinitas, sine separatione distincta. Natus est ergo Dei filius ex homine, & non per hominem, id est, non ex viri coitu (sicut Hebion dicit) sed carnem ex virginis corpore trahens. & non de cœlo secum afferens (sicut Marcion, Origenes, & Eutyches affirmant) neque in phantasia, id est, absque veritate (sicut Valentinus scribcer dicit) neque * doceysi, id est, putatiue imaginatum: sed corpus verum, non tantum carnem ex carne (sicut Marcianus) sed verus Deus ex diuinitate, & verus homo ex carne: vnus filius in diuinitate, Verbū Patris, & Deus in homine, anima & caro. Anima non absque sensu & ratione, vt Apollinaris: neque caro absque anima, vt Anomocus: sed anima cum ratione sua: & caro cum sensibus suis: per quos sensus veros in passione & ante passionem carnis suæ dolores sustinuit. Neque sic est natus ex virgine, vt deitatis initium homo nascendo acceperit: quasi, antequam ex virgine nasceretur, Deus non fuerit, sicut Artemon & Berillus & Marcellus docuerunt: sed æternus Deus homo ex virgine natus est. Nihil creatum aut seruiens in Trinitate credendum, vt vult Dionysius fons Arrij: nihil inæquale, vt Eunomius: nihil gratia æquale, vt vult Ethius: nihil anterius posterius ve, aut minus vt Arrius. nihil extraneum aut officiale alteri, vt Macedonius: nihil persuasione aut surreptione insertū vt Manichæus: nihil corporeum, vt Melito & Tertullianus: nihil corporaliter effigiatum, vt Anthroposormius & Vadianus: nihil sibi inuisibile, vt Origenes: nihil creaturis visibile, vt Fortunatus: nihil moribus vel voluntate diuersum, vt Marcion: nihil Trinitatis essentia ad creaturarū naturas deductum, vt Plato & Tertullianus: nihil officio singulare, nec alteri communicabile, vt Origenes: nihil con- * Bas...

fusum, vt Sabellius: sed vnum perfectum, quia totum ex vno, & vnum, non tamen solitarium, vt præsumunt Sylua-nus & praxetos penthapolitana damnabilis illa doctrina.

Omousion ergo est in diuinitate Patris Filius. Omousion Patri & Filio Spiritus sanctus. Omousion Deo & hominum, vnus filius manens Deus in homine suo in gloria patris, desiderabilis videri ab angelis. sicut Pater & Spiritus S. adoratur ab angelis & ab omni creatura: non homo præter Deum: vel Christus cum Deo, sicut Nestorius blasphemat: sed homo in Deo & in homine Deus.

Erit resurrectio mortuorum hominum, sed vna & semel, non prima iustorum, & secunda peccatorũ vt fabula somniatur: sed vna omnium: & si id resurgere dicitur, ꝙ cadit: caro ergo nostra in veritate resurgit, sicut in veritate cadit: & non secundũ originem immutatio corporum erit, i.e. aliud nouum corpus pro carne: sed eadem caro corruptibilis tam iustorum, quam iniustorum caro incorruptibilis resurgit: vt vel pœnam sufferre possit pro peccatis, vel in gloria æterna manere pro meritis. Omniũ enim hominũ erit resurrectio. Si omnium erit: ergo omnes moriuntur; vt mors ab Adam ducta omnib. filiis eius dominetur: & manet illud priuilegium in Domino, quod de eo specialiter dicitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, & caro eius non vidit corruptionem. Hanc rationem, maxima patrum turba tradente suscepimus. Verum quia sunt & alij æque catholici & eruditi viri, qui credunt animam in corpore manentem immutandos ad incorruptionẽ & immortalitatẽ eos, qui in aduentu Domini viui inueniendi sunt & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, ꝙ mortalitatẽ immutatione deponãt, non morte: quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in ecclesiæ lege, carnis resurrectionem credere futurã de morte. Quod autem dicimus in symbolo, in aduentu Domini viuos ac mortuos iudicandos, nõ iustos & peccatores iudicare, sicut Diodorus significare putat: sed viuos eos, qui in carne inueniendi sunt, dicit, qui adhuc morituri creduntur, vel immutandi. sicut alij volunt: vt suscitati continuo vel reformati cum antemortuis iudicentur.

Psal. 15.

Post resurrectionem & iudicium non credamus restitutionem futuram, qua Origenes delirat, vt dæmones vel impij homines post tormenta, quasi suppliciis expurgati, vel illi in angelicam redeant, qua creati sunt, dignitatem: vel isti iustorum societate donentur: eo quod hoc diuinæ conueniat pietati, ne quid ex rationalibus pereat creaturis: sed quolibet modo saluentur. Sed nos credamus ipsi Iudici omnium & Retributori iusto, qui dixit: *Ibunt impij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*: vt percipiant fructum operum suorum.

Matt. 25.

Genes. 1.

In principio creauit Deus cœlum & terram, & aquam ex nihilo. & cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, & aqua terram absconderet: facti sunt Angeli & omnes cœlestes virtutes vt non otiosa Dei bonitas, sed haberet, in quibus per multa ante spacia bonitatem suam ostẽderet: & ita hic visibilis mundus ex materia, quæ a Deo creata fuerat, factus est & ornatus. Nihil incorporeum & inuisibile in natura credendum: nisi solum Deum, i.e. Patrem & Filium & Spiritum S. qui ex eo incorporeus creditur, quia vbiq; est, & omnia implet atq; constringit: ideo inuisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura omnis corporea, angeli & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales naturas, ꝙ localiter circumscribuntur: sicut & anima humana, quæ carne clauditur: & dæmones, qui per substantiã angelicæ naturæ sunt. Immortales credimus intellectuales naturas, quæ carne carent, nec habent, quo cadant, vt resurrectione egeant post ruinam. Inde necessario animas hominũ non esse ab initio inter ceteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit: neq; cum corporibus per coitũ seminantur, sicut Luciferiani & Cyrill[9] & aliqui latinorũ præsumptores affirmant, quasi naturæ cõsequentia seruẽte: sed dicimus corpus tantũ per cõiugij copulã seminari.

Creationem vero animæ solum creatorem nosse: Dei vero iudicio coagulari & compingi atq; formari. ac formato iam corpore animam creari & infundi, vt viuat in vtero homo ex anima constans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero, plenus humana substantia. neq; duas animas esse dicimus in vno homine, sicut Iacobus & alij Syrorum scribunt: vnam animalem, qua animatur corpus, & immixta sit sanguine. & alteram spiritualem, quæ rationẽ ministret: sed dicimus vnam eandemq; esse animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat: habens in se libertatem arbitrij, vt in suæ substantiæ legat cogitatione, quod vult. Solum hominem credimus habere animam substantialem, quæ & exuta corpore viuit, & sensus suos atq; ingenia viuaciter tenet: neq; cum corpore moritur, vt Arabs asserit: neque postmodũ interituram, sicut Zenon dicit: quia substantialiter viuit. Animaliũ vero animæ non sunt substantiæ: sed cum carne ipsa carnis viuacitate nascuntur: & cum carnis morte finiuntur: & ideo nec ratione reguntur, sicut Plato & Alexander putant: sed ad omnia sc. naturæ incitamẽta * dicuntur. Anima humana non cum carne moritur, quia nec cum carne (vt superius diximus) seminatur: sed, formato in ventre matris corpore, Dei iudicio creari & infundi, vt viuat homo intus in vtero, & sic procedat natiuitate in mundum

** ducũtur.*

Duabus substantiis constat homo, anima tantũ & carne: anima cum ratione sua: & carne cũ sensibus suis, quos tamen sensus absq; animæ societate non mouet caro: anima vero & sine carne rationale suum tenet. Non est tertius in substantia hominis spiritus, vt Didymus cõtendit: sed spiritus ipsa est anima pro spirituali natura: vel pro eo, ꝙ spiret in corpore spiritus appellatur: animam vero ex eo vocari, quod datur ad viuendũ, vel ad viuificãdum animet corpus. Tertium vero quoniã ab Apostolo cum anima & corpore inducitur, spiritũ gratiam Spiritus S. esse intelligamus, quam orat Apostolus, vt integra perseueret in nobis: nec nostro vicio aut minuatur aut fugiatur à nobis, quia Spiritus sanctus effugiet fictum.

Libertati arbitrij sui commissus est homo statim in prima mundi conditione: vt salua vigilantia mentis adnitente, etiam præcepti custodia perseueraret, si velit in id, ꝙ creatus fuerat, permanere. Postquam vero * seditione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter & vigorem arbitrij, non tamen electionem: ne non esset suum, quod emendaret peccatum: nec merito indulgeretur, quod non arbitrio doluisset.

** seductione.*

Manet itaq; ad quærendã salutẽ arbitrij libertas i. e. rationalis voluntas: sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutẽ: vt vel eligat vel sequatur vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei: vt autem consequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit: Dei esse libere cõfitemur. Initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus: vt acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur, ꝙ ad acquiescendũ admonitione cupimus, diuini est muneris: vt nõ labamur adepto salutis munere, solicitudinis nostrę est, & cœlestis pariter adiutorij: vt labamur, potestatis nostræ est & ignauiæ.

Baptisma vnum est sed in ecclesia, vbi vna fides est vbi in nomine Patris & Filij & Spiritus S. datur. Et ideo siqui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos: recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ Trinitatis inuocatio vel confessio annulletur: sed doceantur ante & instruantur: quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in ecclesia teneatur. Et sicut sentiunt credere, vel acquiescunt confiteri: purgati iam fidei integritate confirmentur manus impositione. Si vero paruuli sunt vel hebetes, qui doctrinã non capiant: respondeant pro illis, qui illos offerunt iuxta morem baptizandi: & manus impositione & chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur. Illos autem qui nõ in sanctæ Trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari. Neq; enim credendũ est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris & Filij & Spiritus S. iuxta regulam à Domino positam tincti sunt, vt sunt Paulianistæ, Proclianibonitæ, vel Spurisisoni, Fotiniani: qui nunc vocantur Bonosiani, Montani &

Manichæi, variata impietatis germina: vel ceteri istorum originis siue ordinis pestisq;, qui duo principia sibi ignota introducunt, vt Cerdo & Marcion: vel contraria, vt Manichæus: vel tria & barbara, vt Setianus & Theodocus: vel multa, vt Valentinus: vel Christum hominem fuisse absque Deo, vt Cerinthus & Hebion & Harithemon & Fotinus. Ex istis (inquam) siqui ad nos venerint, non requirendum ab his, vtrum baptizati sint, an non: sed hoc tantum, si credant in ecclesiæ fidem, & baptizentur ecclesiastico baptismate.

Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo nec vitupero: omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Eucharistię perceptione, quam purificari. Et ideo quamuis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatē, & communicaturus satisfaciat lacrimis & orationibus, & confidens de Domini misericordia, qui peccata piæ confessioni donare consueuit: accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult: non ad iudiciū & condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus: sed mutato prius seculari habitu: & confesso religionis studio per vitę correctionem, & iugi, imo perpetuo luctu, miserante Deo: ita duntaxat, vt contraria pro his, quæ pœnitet agat, & Eucharistiam omnibus dominicis supplex & summissus vsque ad mortem percipiat.

Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere, & admissa deflere. Satisfactio pœnitentię est causas peccatorū excludere: nec earum suggestionibus aditum indulgere.

In diuinis repromissionibus nihil terrenum vel transitorium expectemus, sicut Meliciani sperant: non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus & Marcion delirant: non quod ad cibum vel potum pertinet, sicut Papia auctore Terrenus & Tertullianus & Lactantius acquiescūt: neque per mille annos post resurrectionem regnū Christi in terra futurum, & sanctos cum illo in deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, qui primam iustorū, & secundam impiorum resurrectionem confinxit: & inter has duas mortuorum resurrectiones gentes ignorantes Deum in angulis terrarum in carne reseruandas: quæ post mille annos regni in terra iustorum instigante diabolo, mouendæ sunt ad pugnam contra iustos regnantes & Domino pro iustis pugnante, imbre igneo compescendos, atque ita mortuos cum ceteris in impietate mortuis ad terrena supplicia in corruptibili carne resuscitandas.

Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante, venire: nullum inuitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: nullum, nisi orantem, auxilium promereri: nullum voluntate Dei perire: sed permissu pro electione arbitrij, ne ingenuitas potestatis, semel hominibus attributa ad seruilem cogatur necessitatem.

Malum vel malitiam non esse a Deo creatam: sed à diabolo inuentam, qui & ipse bonus à Deo creatus est: sed quia libero arbitrio, vt puta rationabilis creatura, commissus est, & cogitandi acceperat facultatem: scientiam boni vertit ad malum, & multa cogitando factus est inuentor mali: & quod in se perdiderat, inuidit in aliis: nec contentus solus perire suasit aliis, vt qui esset suæ malitiæ inuentor, fieret & aliorum auctor. & ex eo malum vel malitia percurrerit inter ceteras rationabiles creaturas. Vnde cognoscimus nihil esse natura immutabile, nisi solum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, qui mutari non potest à bono, quia natura possidet bonum, nec potest aliud esse, quam bonus.

Angeli vero, qui in illa qua creati sunt, beatitudine perseuerant, non natura possident bonum, vt non mutarentur cum ceteris, sed arbitrij seruantes bonam voluntatem, bonum continentiæ & fidem, scil. seruauerunt Domino suo. Vnde & merito ab ipso Domino sancti angeli vocantur, quod tenuerunt arbitrij sanctitatem, nec sociorum exemplo deuiauerunt a bono.

Bonæ nuptiæ sunt, sed causa filiorum, non concupiscentiæ fornicationis obtentu. Melior est continentia: sed non sibi sufficit ad beatitudinem: si pro solo amore pudicitiæ retinetur: sed si cum hoc affectu, causa vacandi Domino eligitur: alioquin diuortium magis coniugij videbitur esse, quam castitas. Virginitas vtroq; bono præstantior est: quia & naturam vincit & pugnam. Nam naturam corporis integritate pugnam castimoniæ pace.

Bonum est in cibo cum gratiarū actione sumere, quicquid Deus edendū præcepit. abstinere autem aliquibus, nō quasi a malis: sed quasi nō necessariis, non est malum.

Moderari vero carnium vsum pro necessitate & tempore, proprie christianorum est. Malas dicere nuptias vel fornicationi comparandas, aut stupro: cibos vero credere malos, vel mali causa creari percipientibus: non est christianorū, sed proprie * Eneratitarū & Manichæorū. * Encratitarum.

Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquari, & pro amore castigandi corporis abstinentibus à vino vel carnibus, nihil credere meriti accrescere, non est hoc christiani sed Iouiniani.

Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem & virginem genuisse, & post partum virginem permansisse: nec in hoc blasphemiæ Heluidij acquiescendum, qui dixit: *Virgo ante partum: non virgo post partum*.

Elementa, i. e. cœlum & terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda. figuram mundi, i. e. imaginem non substantiam, transituram.

Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum in simul donare, & absolutum solicitudine egere cum Christo.

Maritum duarum post baptismum matronarum clericum non ordinandum: neque eum, qui vnam quidem, sed concubinam, non matronam habuit: nec illum, qui viduam & repudiatam, vel meretricem in matrimonio sumpsit: nec eum qui semetipsum abscidit quolibet corporis sui membro indignatione aliqua: vel iusto iniusto ve timore superatus truncauerit: neque illum, qui vsuras accepisse conuincitur, aut in scena lusisse noscitur: neque eum, qui publica pœnitentia mortalia deflet: nec illum, qui aliquando in furorem versus insaniuit, vel afflatione diaboli vexatus est: neque eum, qui per ambitionem ad imitationem Symonis magi pecuniam offert.

Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias ac si Christi membra, sincerissime honoranda & basilicas eorum nominibus appellatas velut loca diuino cultui mancipata, affectu piissimo & deuotione fidelissima adeundas. Siquis contra hanc sententiam venit, non christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur.

Baptizatis tantum iter esse salutis. Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio: vbi tota baptismi sacramenta complentur.

Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote & interrogatus respondit. Hoc & martyr coram persecutore facit, qui & cōfitetur fidem, & interrogatus respondit. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel tingitur: & hic vel aspergitur sanguine, vel tingitur igne. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum sanctum: hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse qui loquitur: sed spiritus patris, qui in illo loquitur. Ille communicauit Eucharistiæ in commemoratione mortis Domini: hic ipsi Christo commoritur. ille confitetur, se mundi actibus renunciaturum: hic ipsi se nunciat vitæ. Illi peccata omnia remittuntur: in isto extinguuntur.

In Eucharistia non debet aqua pura offerri, vt quidam sobrietatis imagine falluntur: sed vinum & aqua mixtum, quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cum dicit: *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis*. Et aqua erat mixtum, quod post cœnam dabatur. Sed & Matt.

[illegible]ate-

de latere eius, quod lancea perfossum est, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera carnis eius vite cum aqua expressum ostenditur.

Bona est caro nostra & valde Bona: vtpote a solo & bono Deo condita, & non est mala, vt volunt Sethianus & Opinianus & Patricianus: nec mali causa, vt docuit Florinus: nec ex malo & bono compacta, vt Manichæus blasphemat: sed cum sit creatione bona, arbitrio animæ efficitur nobis vel bona vel mala, non immutatione substantiæ, sed executionis mercede. Ipsa enim est, quæ statuitur ante tribunal Christi: in qua perferat anima corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.

In resurrectione ex mortuis sexus forma non mutabitur: sed vir mortuus resurget in forma viri: & femina in forma feminæ non carens sexu, sed tamen huius vitæ tantum conditione, specie naturali: ne non sit vera resurrectio: si non id resurgit, quod cadit.

Ante resurrectionem Domini omnes sanctorum animæ in inferno sub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam eius mortem de seruili conditione liberarentur. Post ascensionem Domini ad cœlos, omnium sanctorũ animæ cum Christo sunt: & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, vt ad integram & perpetuam beatitudinẽ cum ipso pariter immutentur: sicut & peccatorum animæ in inferno sub timore positæ expectant resurrectionem sui corporis, vt cum ipso ad pœnam conuertantur æternam.

Pœnitentiam abolere peccata, indubitanter credimus, etiam si in vltimo vitæ spiritu admissorum pœniteat: & publica vel supplici lamentatione peccata prodantur: quia propositum Dei, quo decreuit saluare, quod perierat, stat immobile: & ideo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris: sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione Domini viuat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, non christianus, sed Nouatianus est.

Internas animæ cogitationes diabolum non videre, certi sumus: sed motibus eas corporis ab illo, & affectionum indiciis colligi & experimento, didicimus: secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* 2. Par. 6.

Non omnes cogitationes nostræ malæ semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquotiens ex nostri arbitrij motu emergunt: bonæ autem cogitationes semper à Deo sunt.

Dæmones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ: sed applicatione & oppressione vniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creauit: qui natura subsistens incorporeus capabilis est suæ facturæ.

Signa & prodigia & sanitates etiam peccatores in nomine Domini facere ab ipso Deo didicimus: & cum alios hac præsumtione iuuent, sibi per ambitionem humanæ gloriæ nocent, qui gloriantur in dato falso, non meritis debito.

Signis & prodigiis clarum posse fieri christianum, non tamen sanctum, si intemperatis & asperis moribus agat: temperatis autem & placidis moribus, etiam absque signorum efficacia & sanctum & perfectum Dei hominem fieri, recte credimus.

Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ viribus, sed propositi adiuuamento per Dei gratiam acquirimus sanctitatem: & ideo veraciter se omnes sancti pronunciant peccatores, quia in veritate habent, quod plangant, & si non reprehensione conscientiæ, certe mobilitate præuaricatricis naturæ.

Pascha id est, Dominicæ Resurrectionis solennitas ante transgressum vernalis æquinoctij, & sextæ decimæ lunæ initium non potest celebrari: eodem tamen mensæ natc.

Propter nouellos legislatores, qui ideo animam tantum ad imaginem Dei creatam dicunt: vt quia Deus incorporeus recte creditur etiam anima incorporea esse credatur: libere confitemur, imaginem in æternitate: similitudinem in moribus inuenire.

FINIS LIBRI QVARTI.

CAPITVLA LIBRI QVINTI.

INCIPIT LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De sanctis scripturis, hoc est, veteri & nouo Testamento.

VEtus Testamentum ideo dicitur, quia veniente nouo cessauit. De quo Apostolus meminit: *Vetera transierunt: & ecce facta sunt omnia noua.* 2. Cor. 5. Testamentum autem nouum ideo nuncupatur, quia innouat. Non enim illud discunt, nisi renouati homines ex vetustate per gratiam, & pertinentes iam ad testamentum nouum quod est regnum cœlorum. Hebræi enim vetus testamentum, Esdra auctore, iuxta numerum literarum suarum, in 22. libros accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, Legis scilicet & Prophetarum atque Hagiographorum. Primus ordo legis in quinque libris * accipitur, quorum primus * Moysis. est *bresith*, qui est Genesis. Secundus *ellesmoth*, qui est Exodus. Tertius *vaiicra*, qui est Leuiticus. Quartus *vaiedaber*, quid est Numerus. Quintus *elleaddabarim*, quid est Deuteronomium. Hi sunt quinque libri Moysi, quos Hebræi *thorath*, latini *legem* appellant. Proprie autem lex appellatur, quæ per Moysen data est. Secundus ordo Prophetarum, in quo continentur libri octo, quorum primus, *Iosua bennun*, qui latine Iesus Naue dicitur. Secundus *Sobthim*, qui est Iudicum. Tertius *Samuel*, qui est Regum primus. Quartus *Malachim*, qui est Regum secundus. Quintus, *Isaias*. Sextus, *Ieremias*. Septimus, *Ezechiel*. Octauus, *Tharistra*, qui dicitur 12. Prophetarum, qui libri quia sibi præ breuitate adiuncti sunt, pro vno accipiuntur. Tertius est ordo *Hagiographorum*, id est sancta scribentium, in quo sunt libri nouem, quorum primus *Iob*. Secundus *Psalterium*, qui in quinque incisionibus diuiditur. Tertius *Masloth*, quid est Prouerbium Salomonis. Quartus *Coeleth*, qui est Ecclesiastes. Quintus *Sirasirim*, quod est Cantica Canticorum. Sextus *Daniel*. Septimus *Dabreiamin*, quid est verba dierum, id est Paralipomenon, qui & Chronicon. Octauus est *Esdras*, qui in duos libros diuiditur apud græcos & latinos. Nonus *Hester*. Qui simul omnes 5. & 8. & 9 fiunt 22. sicut superius comprehensi sunt. Quidam autem *Ruth & Cinoth*, quid latine dicitur *lamentatio Ieremiæ*, Hagiographis addiciunt, & 24. volumina testamenti veteris faciunt, iuxta 24. seniores, qui ante conspectum Dei assistunt. Quartus est apud nos or-

do veteris Testamenti eorum librorum, qui in canone Hebraico non sunt: quorum primus *Sapientiæ liber* est. Secundus *Ecclesiasticus*. Tertius *Tobias*. Quartus *Iudith*. Quintus & Sextus *Macchabæorum* quos licet Iudæi intra Apocrypha separent, ecclesia tamen Christi eos inter diuinos libros honorat & prædicat. In nouo autem Testamento duo sunt ordines. Primus Euangelicus, in quo sunt: *Matthæus, Marcus, Lucas, Iohannes*. Secundus Apostolicus in quo sunt in 14. Epistolis: *Petrus* in duabus. *Iohannes* in tribus. *Iacobus* & *Iudas* in singulis, *Actus Apostolorum*, & *Apocalypsis Iohannis*. Alij autem vetus & nouum Testamentum in septuaginta duos libros distinguunt: ita vt primi legis Moysi libri quinque sint, hoc est, *Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerus, Deuteronomium*. Hos sequuntur historici libri sedecim, *Iesu naue* scilicet, & *Iudicum libri singuli*, siue *Ruth*. *Regum* etiam *libri quatuor*. *Paralipomenon* duo. Tobi quoq; & Hester atq; *singuli* Esræ *duo*: & duo Machabæorum. Super hos Prophetici libri sedecim sunt. *Esaias, Ieremias, Ezechiel & Daniel libri singuli*: *duodecim* quoque *Prophetarum libri singuli*. & hæc quidem Prophetica sunt. Post hæc versuum octo libri habentur, qui diuerso apud Hebræos metro scribuntur. id est, *Iob* liber, & liber *Psalmorum*, & *Prouerbiorum*, & *Ecclesiastes*, & *Cantica Canticorum*, siue *Sapientiæ* & *Ecclesiasticus*, *Lamentationesque Ieremiæ*. Sic quoque complentur libri veteris Testamenti 45. Noui autem Testamenti primum quatuor Euangelia sunt: *Matthæi, Marci, Lucæ, & Iohannis*. Hos *quatuordecim Pauli Apostoli* sequuntur, quibus subiunctæ sunt *septem canonicæ Epistolæ Iacobi, Petri, Iohannis, & Iudæ*. *Actus* quoque *duodecim Apostolorum*, quorum omnium signaculum est *Apocalypsis Iohannis*, quod est reuelatio Iesu Christi, qui omnes libros & tempore & ordine. Hi sunt libri canonici septuaginta duo & ob hoc Moyses septuaginta elegit presbyteros, qui prophetarent. Ob hoc & Iesus Dominus noster septuaginta duos discipulos prædicare mandauit. Et quomodo septuaginta duæ linguæ in hoc mundo erant diffusæ, congrue prouidit Spiritus sanctus, vt tot libri essent, quot nationes, quibus populi & gentes ad percipiendam fidei gratiam ædificarentur. Hæc sunt noua & vetera, quæ de thesauro Dei proferuntur, & quibus cuncta sacramentorum mysteria reuelantur. Hi sunt duo Seraphin. qui in confessionem sanctæ Trinitatis iugiter decantant hagios, & dicentes hymnum erumpunt. Hæ literæ sacræ, hi libri integro numero & autoritate. Aliud cum istis nihil est comparandum: quicquid extra hos fuerit, inter sancta & diuina nullatenus est recipiendum hæc duo testamenta in multis locis scripturæ sacræ præfigurata sunt. Nam illi duo molares lapides sunt, quos lex prohibet diuidere atque in loco pignoris tollere: quia neutrum testamentum auferendum est ab altero, quando vtraq; necessaria sunt ad panem cœlestem conficiendum, vt animatum pastum præparent. Item duo Cherubin iuxta arcam posita significant duo testamenta ecclesiam Dei protegentia Item Abacuc Propheta duo describit animalia, in quorum medio Deus innotescitur. Summa autem vtriusque testamenti trifarie distinguitur, id est, in historia, in moribus, in allegoria. Rursus ista tria multifarie diuiduntur, id est, quid à Deo, quid ab Angelis vel ab hominibus gestum dictumque sit, quid à Prophetis nunciatum de Christo & corpore eius, quid de diabolo & membris eius, quid de veteri & nouo populo, quid de præsenti seculo & futuro regno atque iudicio.

Capit. II.

De auctoribus eorundem librorum.

VEteris Testamenti secundum Hebræorum traditionem hi perhibentur auctores. Primus Moyses diuinæ historiæ cosmographiam in quinque voluminibus edidit, quod pentaticum nominatur. Pentaticus autem siue pentateuchus a quinq; voluminibus dicitur. Pente enim græce quinque, teuchus volumen vocatur. *Genesis* liber inde appellatur eo quod exordium mundi & generatio seculi in eo contineatur. *Exodus* vero exitum ab Ægypto, egressionemque populi Israel digerit & ex causa nomen accepit. *Leuiticus* appellatus, eo quod Leuitarum ministeria & diuersitatem victimarum exequitur, totusque in eo ordo Leuiticus annotatur. *Numerorum liber* vocatur eo, quod in eo egressæ de Ægypto tribus dinumerantur, & quadraginta duarum per heremum mansionum in eo descriptio continetur. *Deuteronomium* græco sermone appellatur quod latine interpretatur *secunda lex*, id est, repetitio, & euangelicæ legis præfiguratio: qui sic ea habet, quæ priora sunt, vt tamen noua sint omnia, quæ in eo reperiuntur. *Iosue liber* nomen accepit à Iesu filio Naue, cuius historiam continet: scriptorem vero eiusdem Iosue esse Hebræi asserunt. In cuius textu post Iordanis transitum regna hostium subuertuntur, terra populo diuiditur, & per singulas vrbes, viculos, montes atque confinia & ecclesiæ cælestisque Ierusalem spiritalia præfigurantur. *Iudicum* nominatur à principibus populi, qui præfuerunt in Israel post Moysen & Iosue, antequam Saul & Dauid & ceteri reges existerent. Hunc librum edidisse creditur Samuel. *Liber Samuel* eiusdem Samuelis natiuitatem & sacerdotium & gesta describit: idcirco & ab eo nomen accepit. Et quamuis hic liber Saul & Dauid historiam contineat, tamen ad Samuel refertur, quia ipse vnxit Saul in regnum, ipse Dauid in regem futurum. Cuius libri primam partem conscripsit Samuel, sequentia vero eius vsque ad calcem scripsit Dauid. *Malachim liber* proinde appellatur, eo quod reges Iudæ & Israeliticæ gentis gestaque eorum per ordinem digerat temporum. *Malach* enim hebraice, latine *regum* interpretatur. Hunc librum Ieremias primus in vnum volumen coegit. Nam antea sparsus erat per singulorum regum historias. *Paralipomenon* græce dicitur, quod nos *prætermissorum* vel *reliquorum* dicere possumus, quomodo ea, quæ in Samuele vel Regum libris vel omissa vel non plene relata sunt, in isto summatim ac breuiter explicantur. Librum Iob quidam Moysen scripsisse arbitrantur, alij vnum ex Prophetis, nonnulli vero eundem Iob post plagam suæ passionis scriptorem eius fuisse existimant arbitrantes, vt qui certamina spiritalis pugnæ sustinuit, ipse narraret, quas victorias experiuit. Principia autem & finis libri Iob apud hebræos prosa oratione texta sunt: media autem ipsius ab eo loco, quo ait: *Pereat dies, in qua natus sum* vsque ad Iob. 3.
eum locum vbi dicit: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam*: omnia heroico metro discurrit. *Psalmorum liber* Iob. 41.
græce *Psalterium*, Hebraice *Nabla*, latine *Organum* dicitur Vocatus autem *Psalmorum* liber, quod vno Propheta canente ad Psalterium chorus concinendo responderet. Titulus autem in psalmis hebraicus ita est: isphet thablim. quod interpretatur, *volumen hymnorum*. Auctores autem psalmorum qui ponuntur in titulis: Moyses scilicet, & Dauid & Salomon, Asaph, Ethan, & Idithun, & filij Chore, Eman Ezrahelita, & reliqui quos Esdras vno volumine comprehendit. Omnes autem psalmi apud hebræos metrico carmine constant esse compositi. Nam in morem Romani Flacci & græci Pindari nunc iambico currunt, nunc alcaico personant, nunc safico tonant, trimetro vel tetrametro pede incedentes. Salomon filius Dauid regis Israel iuxta numerum vocabulorum suorum tria volumina edidit. Quorum primus est Masloth quem græci *Parabolas*, latini *Prouerbia* nominant: eo quod in ipso sub comparatiua similitudine figuras verborum & imagines veritatis ostendit. ipsam autem veritatem ad intelligendum legentibus reseruauit. Secundum librum *Coeleth* vocauit, qui græce *Ecclesiastes* dicitur, latine *Concionator*: eo quod sermo eius non specialiter ad vnum, sicut in prouerbiis: sed in aduersos generaliter dirigatur, docens omnia, quæ in mundo cernimus, caduca esse & breuia & ob hoc minime appetenda. Tertium librum *Sirasirim* prænotauit, quod in latinā linguam vertitur, *Canticum Canticorum*. vbi per epithalamium carmen coniunctionem Christi & ecclesiæ mystice canit. Dictum autem Canticum Canticorum, eo quod omnibus canticis [illegible] feratur, quæ in scripturis sacris habentur [illegible] in lege dicuntur sancta. quibus maiora [illegible] ctorum. Horum autem trium librorum car[illegible] hexametris & pentametris versibus ap[illegible] hos compo[illegible] bentur, vt Iosephus & Hieronymus scribunt. Esaias Euangelista potius quam Propheta edidit librum [illegible]

omnis textus eloquentiæ proſa incedit. Canticum vero hexametro & pentametro verſu diſcurrit. Hieremias ſimiliter edidit librum ſuum cum threnis, quod nos lamenta vocamus, eo quod in triſtioribus rebus funeribuſque adhibeantur: in quibus quadruplex diuerſo metro compoſuit alphabethum. quorum duo prima quaſi ſaphico metro ſcripta ſunt: qui tres verſiculos, qui ſibi nexi ſunt & ab vna tantum litera incipiunt, heroicum comma concludit. Tertium alphabetum trimetro ſcriptum eſt, & à trinis literis, id eſt, trini verſus incipiunt. Quartum alphabethum ſimile primo & ſecundo habetur. Ezechiel & Daniel à viris quibuſdam ſapientibus ſcripti eſſe perhibentur. Quorum Ezechiel principia & finis multis habetur obſcuritatib. inuoluta. Daniel ſyro ſermone regna orbis pronunciat & tempus aduẽtus Christi manifeſtiſſima prædicatione annotat. Hi ſunt quatuor Prophetæ, qui Maiores vocantur, quia prolixa volumina condiderunt. Liber duodecim Prophetarum auctorum ſuorum nominib. prænotatur, qui propterea dicuntur Minores, quia ſermones eorum breues ſunt. Vnde & connexi ſibimet inuicem in vno volumine continentur. Quorum nomina ſunt: Oſee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias.

Eſdræ liber auctoris ſui titulo prænotatur. In cuius textu eiuſdem Eſdræ Neemiæque ſermones pariter continentur. Nec quemquam moueat, quod vnus Eſdræ dicitur liber: quia ſecundus, tertius & quartus non habentur apud Hebræos, ſed inter apocryphos deputantur.

Heſter librum Eſdræ creditur conſcripſiſſe, in quo eadem regina ſub figura Eccleſiæ Dei populum a ſeruitute & morte eripuiſſe ſcribitur, atque interfecto Aman, qui interpretatur, *iniquitas*, diei celebritas in poſteros intrur.

Liber ſapientiæ apud Hebræos nuſquam eſt. Vnde & ipſe titulus Græcam magis eloquentiam redolet. Hunc Iudæi * Filionis eſſe affirmant, qui proinde Sapientiæ nominatur: quia in eo Christi aduentus. qui eſt ſapientia Patris, & paſſio eius euidenter exponitur. * *Philonis.*

Librum autem Eccleſiaſticum certiſſime Ieſus, Filius Sirach, Ieroſolymita, nepos Ieſu ſacerdotis magni compoſuit. Qui liber apud latinos propter eloquij parilitatem Salomonis titulo prænotatur. Dictus autem *Eccleſiaſticus*, eo quod de totius Eccleſiæ doctrina & religioſa conuerſatione magna cura & ratione ſit editus. Hic & apud Hebræos reperitur, ſed inter apocryphos habetur *Iudith* vero & *Tobi* atque *Machabæorum* libri quibus auctoribus ſcripti ſint, minime conſtat: habent autem vocabula ex eorum nominibus, quorum geſta ſcribunt.

Quatuor libros Euangeliorum quatuor Euangeliſtæ ſingulariter conſcripſerunt. Primus Matthæus conſcripſit Euangelium litteris Ebraicis & ſermonibus, in Iudæa * mittans Euangelizare ab humana Christi natiuitate, dicens. *Liber generationis Ieſu Christi, Filij Dauid, Filij Abraam*: ſignificans deſcendiſſe corporaliter ex ſemine Patriarcharum Christum, ſicut promiſſum erat in Prophetis per Spiritum ſanctum. Secundus Marcus, plenus Spiritu ſancto, ſcripſit Euangelium Christi, eloquio Græco: in Italia ſecutus eſt Petrum, vt diſcipulus. Is initium ab ſpiritu prophetali fecit, dicens: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domino*: vt oſtenderet, Christum poſt aſſumptionem carnis Euangelium prædicaſſe in mundo. Ipſe enim Christus & Propheta dictus eſt, ſicut ſcriptum eſt. *Et Prophetam in gentibus poſui te.* Tertius Lucas inter omnes Euangeliſtas Græci ſermonis eruditiſſimus, quippe vt medicus in Græcia Euangelium ſcripſit Theophilo epiſcopo, in tians à ſacerdotali ſpiritu, dicens: *Fuit in diebus Herodis Iudææ ſacerdos Zacharias*: Christum poſt natiuitatem carnis & prædicationem Euangelij hoſtiam fuiſſe effectum pro ſalute mundi. Ipſe eſt enim ſacerdos, de quo dictum eſt in Pſalmis: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Vbi enim Christus aduenit, ſacerdotium Iudæorum * obmutuit, lex & Prophetia ceſſauit. Quartus Ioannes ſcripſit Euangelium vltimus in Aſia, incipiens à Verbo, vt oſtenderet, eundem Saluatorem, qui pro nobis dignatus eſt naſci &

*initians. *Matt.1.* *Marc.1.* *Pſal.109.* *obmutuit.*

pati, ipſum ante ſæcula Dei Verbum eſſe, ipſum e cœlo veniſſe, & poſt mortem ad cœlum iterum remeaſſe. Hi ſunt quatuor Euangeliſtæ, quos per Ezechielem Spiritus ſanctus ſignificauit in quatuor animalibus. Propterea autem quatuor animalia dicuntur: quia per quatuor mundi partes fides Christianæ religionis eorum prædicatione diſſeminata eſt. Animalia autem dicta ſunt, quomodo propter animam hominis prædicatur Euangelium Christi. Nam & oculis plena erant intus & foris, quomodo prævident Euangelia, quæ dicta ſunt a Prophetis & quæ promiſerat in prioribus. Crura autem eorum recta, quia nihil prauum Euangelijs eſt. Et alas habebant ſenas tegentes crura & facies ſuas: reuelata ſunt enim, quæ tegebantur, in aduentu Christi.

Euangelium autem interpretatur, *bona annunciatio*. Græce enim eu bonum, Angelum annunciatio dicitur. Inde & Angelus, *nuncius*, interpretatur. Paulus Apostolus ſuas ſcripſit epiſtolas quatuordecim, ex quibus nouem ſeptem Eccleſijs ſcripſit: reliquas diſcipulis ſuis, Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebræos autem epiſtolam apud pleroſque latinos eius eſſe, incertum eſt propter diſſonantiam ſermonis, eandemq; alij Barnaban ſcripſiſſe alij à Clemente ſcriptam fuiſſe ſuſpicantur. Petrus ſcripſit duas nominis ſui Epiſtolas, quæ Catholicæ ideo nominantur: quia non vni tantum populo vel ciuitati, ſed vniuerſis gentibus generaliter ſcriptæ ſunt.

Iacobus & Ioan. & Iudas ſuas ſcripſerunt Epiſtolas. Actus Apoſtolorum primordia fidei Christianæ in gentibus, & naſcentis Eccleſiæ Hiſtoriam digerit. Actuum Apoſtolorum ſcriptorem Lucam eſſe conſtat Euangeliſtam, in quo opere naſcentis Eccleſiæ infantia texitur, & Apoſtolorum hiſtoria retinetur: vnde & actus Apoſtolorum dicitur. Apocalypſin librum Ioannes Euangeliſta ſcripſit eo tempore, quo pro Euangelij prædicatione in Pathmos traditur relegatus. Apocalypſis autem ex Græco in latinum reuelatio interpretatur. Reuelatio enim dicitur manifeſtatio eorum quæ abſcondita erant, iuxta quod & ipſe Ioannes dicit: *Apocalypſis Ieſu Christi, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis.* Hi ſunt ſcriptores ſacrorum librorum, qui per Spiritum ſanctum loquentes, ad eruditionem noſtram & præcepta viuendi, & credendi regulam conſcripſerunt. Præter hæc alia volumina apocrypha nuncupantur. Apocrypha autem dicta, i. ſecreta. quia in dubium veniunt. Eſt enim occulta origo: nec patet patribus, a quib. vſq; ad nos auctoritas veracium ſcripturarum certiſſima & notiſſima ſucceſſione peruenerit. In his apocryphis etſi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa nulla eſt in eis canonica auctoritas. Quæ recte à prudentib. iudicantur non eſſe eorum credenda, quibus aſcribuntur. Nam multa & ſub nominib. Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorũ ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum auctoritate Canonica, diligenti examinatione, remota ſunt. *Apoc.1.*

CAPIT. III.

Breuis annotatio, quæ indicat, quid in ſanctis Canonicis libris contineatur.

De diſputatione igitur veteris & noui teſtamenti, ordine librorum, & numero curſim breuiterq; parua proœmia narrationum ſubiciam. Geneſis iuxta fidem Hiſtoriæ deſcripſit fabricam mundi, & hominis conditionem, cataclyſmum, & diuiſionem terræ, cõfuſionemque linguarum, geſta patriarcharum vſque ad ingreſſionem Iſrael in Ægyptum.

Exodus continet Hebræorũ ſeruitutem, ex Aegypto egreſſum populi, nubẽ protegentẽ, tranſitũ ẽt rubri maris, merſumq; cũ curribus Pharaonẽ, & gloriæ decantationem, congreſsũq; heremi, cibũ mãnæ, & fluenta in dulcedinẽ verſa, mandata ẽt Decalogi, pugnã Amalech, & arcã teſtamenti, dedicationemque tabernaculi, & oblationem.

In Leuitico aũt lex ſacrificiorũ, hiſtoriarũq; diuerſitas, indumẽtaq; põtificũ, & miniſteria deſcribũtur, ciborũ ẽt, & diuerſitas peccatorũ, purgationeſq; vel hoſtiæ ordinãt.

In Numeris vero egreſſæ de Ægypto tribus enumeran

tur, 40 quoque & duarum per heremum manſionum ſacramenta ſignantur.

In Deuteronomio autem, quæ eſt lex ſecunda, narrantur ea, quæ inter Phatan & Aſſeroth, & vſque ad Cades Barne fuerint populo dicta à Moyſe mandata videlicet atque promiſſa, maledictiones peccatorum, promiſſiones beatitudines: vbi canticum Moyſes canit, vbi dicit benedictionis filiis Iſrahel: ibique, terræ repromiſſionis reſpecta, moritur atque ſepelitur. Non nulli Hebræorum quatuor libros tantum computant legis id eſt, Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numerum. Deuteronomium autem repetitionem eorundem, & quaſi quoddam legis meditatorium. ea dumtaxat ratione, quod illi quatuor proprias cauſas rerum geſtarum continet: iſte autem omnium quaſi iterando continet. In Ieſu quoque libro filij Iſrahel, duce Ieſu Iordanen tranſeunt, ac ſæculo circuncidi ſunt: ſubuerſiſque dehinc Chananæorum gentibus diuiſionem terræ hæreditatis ſorte ſuſcipiunt. In libro Iudicum continentur peccata & ſeruitutes Iſrael, exclamationeſque & miſerationes Dei. Liber Ruth eiuſdem Moabitidis texit Hiſtoriam, de cuius ſtirpis familia deſcendit Dauid. Hunc Hebræi libellum ad Iudicum librum ſubiungunt, quoniam eo tempore geſta eſſe memorantur, quę in eo ſcripta ſunt: at contra latini pro eo. quod genus regium Dauid retexit, ortum ex eadem Ruth Moabithide, id corpus libri Regnorum veracius eum pertinere contendunt.

Liber Regum quamquam apud latinos propter prolixitatem ſui in quatuor partibus ſit * dceretus, apud Hebræos tamen in duobus diuiſus eſt voluminibus, quorum primus Samuel ſcribit arcam Domini à Iudæis tranſiſſe ad gentes, Helique ſacerdotium myſtice in Samuelem fuiſſe translatum, in Dauid Saulis Regis imperium.

* Digeſtus.

Malachim vero reges Iudææ & Iſraeliticæ gentis, geſtaque eorum per ordinem digerit temporum: ipſumque Iſrael ob errorem idololatriæ enarrat in Aſſyrios tranſmigratum: ad extremum edocet veniſſe Nabuchodonoſor Ieruſalem, captumque duxiſſe Principem ac populum, & ſubuertiſſe Vrbem & Templum.

Paralipomenon apud Hebræos ſub vnius libri volumine continetur, appellaturque ab eis Dabreiamin, id eſt, verba dierum: apud nos autem propter prolixitatem ſui in duabus deciſus eſt partibus. Hæc autem hiſtoria ordinem generationum & temporum continens, in qua ſcilicet non parua ſanctarum ſcripturarum eruditio continetur. Nam quæ in hiſtoria veteris teſtamenti in locis ſuis aut omnino omiſſa ſunt, aut fortaſſe non plene digeſta, in iſti ſummatim ac breuiter expleta ſunt. Cuius quidem ſeries à latere regum ſiue regnorum ducta, perueniens ad illud vſque tempus, quo & regnorum textus finitur.

Iob liber continet eiuſdem ſancti viri damna funeſta vel flagella, & contumelioſa conſolantium dicta lamenta, quoque eius in quibus totius mundi deplorat miſeriam: conſolationes etiam Dei ad eum per turbinem, eiuſque duplicem bonorum in fine remunerationem. Hic enim ex ſuis paſſionibus & verbis Chriſti expreſſit imaginem: coniunx vero eius carnalium typum deſignat, qui intra Eccleſiam poſiti vitam ſpiritalium moribus ſuis ſcandalizant. Amici vero eius ſpeciem tenent hæreticorum, ac figuram peruerſorum dogmatum. Porro Heliu, qui aduerſus Iob graui exprobratione innititur, ſignificat eos, qui intra Eccleſiam prædicant & arroganter, & per timorem cordis, ac ſcientiæ faſtum quicquid proferunt, ſuperbiæ exemplis oſtendunt.

Liber Pſalmorum quamquam vno includatur volumine, non eſt tamen editus vno eodemque auctore. Decem enim pene Prophetæ ſunt, qui eos diuerſo tempore ſcripſerunt, id eſt, Moyſes. Dauid. Salomon, Aſaph, Ethan, Eman, Idithun, & Filij Chore Aſir & Aahab ſiue Eſdra: nonnulli etiam Aggei, Zachariæ eſſe exiſtimantur. De his autem, qui ſine titulis ſunt, traditio veterum talis eſt: vt cuius auctoris præſcriptio præceſſerit, cæteri, qui ſine titulo ſecuntur, ipſius eſſe cernuntur. Eſt autem hic liber allegoricis ac typicis Sacramentis ſignatus ſpecialiter autem, quod natus, quod paſſus, quod reſurrexit Chriſtus, pene hoc omne Pſalmorum reſonat organum. Sciendum tamen, quod apud Hebræos omnes Pſalmi permixti fuerint & inordinati, quos quidem primus Eſdras in vnum volumen coegit, & in ordinem numerumque diſpoſuit, ac per occultum Sacramenti myſterium alios alijs prætulit ordine, dum poſteriores videantur in tempore. Nam ſecundum hiſtoriæ curſum tertius Pſalmus quinquageſimo poſterior, ſed propter myſterium in ordine prior eſt. Sic enim habentur & cæteri: quia Spiritus ſanctus eos præordinauit vt voluit. Salomon tria volumina edidit. Primus ex his, Prouerbiorum liber. Secundus, qui appellatur Eccleſiaſtes. Tertius, cuius titulus eſt, Canticum Canticorum. In quibus quidem tribus libris trium generum diſciplinas compoſuit, quibus ad rerum ſcientiam peruenitur. In primis namque Ethicam, id eſt, moralem: poſt hæc Phyſicam, quæ qualitatem naturæ comprehendit. ad vltimum theoriam, id eſt. contemplatiuam. In Prouerbiis enim moralia docens per communem quendam loquendi vſum altiorem intelligentiam edidit, conſeruationemque mandatorum, & doctrinæ cœleſtis inſtitutionem ſuccinctis verbis, breuibuſq; ſententiis coaptauit. Sunt autem Prouerbia ſub verbis aliis res alias explicantia, quæ aliter, quam dicuntur, intelliguntur: plus in virtute ſententiarũ quam in ſono verborum, quæ græci * parathimia vocant.

* Paramiæ.

Eccleſiaſtes rerum naturam diſcutiens, cuncta in mundo caduca & vana eſſe reprehendit, rerum omnium fragilitate conſpecta renuntiari mundo admonuit.

In Canticis autem Canticorum ſupergreſſus viſibilia, atque contemplans ea, quæ ſunt cœleſtia vel diuina ſub ſpecie ſponſi & ſponſæ Chriſti Eccleſiæque vnitatem declarat, atque animam ad amorem cœleſtium excitans perueniendum ad conſortium Dei prouocat. Illud vero non eſt omittendum, quod à doctoribus noſtris traditur, apud Hebræos hanc fuiſſe obſeruationem, necuiquam hunc librum legere permitterent, niſi viro iam perfectæ ſcientiæ, & roboratæ fidei: ne forte per imbecillitatem infantiæ & fidei imperitiam non tam erudiret cognitio lubricas mentes, quam potius ad concupiſcentias corporales conuerteret. Omnes ſcripturas tradi pueris a doctoribus eorum ſolitum eſt, etiam & eas, quas deuteres innocant, quatuor tantum iſta ad vltimum reſeruare, id eſt, principium Geneſeos de mundi creatione Ezechielis quoque principia. in quibus de cherubin ſcripſit: & finem eius, in quo templi deſcriptio continetur, & Cantica Canticorum.

Liber Sapientiæ, qui vocatur panarethon, Chriſti aduentum, qui eſt ſapientia Dei Patris, paſſionemque eius aperta manifeſtatione denuntiat.

Eccleſiaſticus vero morum pene omnium diſciplinam, & ſanctæ religionis conuerſationem affatim copioſe deſcripſit. Dictus autem Eccleſiaſticus pro eo, quod in medio cœtu populi, id eſt, coram Eccleſia fuerat habitus. Hic enim propter nimiam ſenſus ſimilitudinem & eloquij parilitatem Salomonis titulo prænotatur. Conſtat autem hunc librum ſub Ieſu filio Sirach editum fuiſſe, & inter reliquos ſanctarum ſcripturarum libros pari habitum veneratione.

Eſaias Propheta, qui interpretatur, *ſalus Domini*, hic, poſtquam de altari miſſus calculus labia eius purgauit, vt dignus efficeretur ſancti Spiritus Prophetia, ſpeculatur duo cherubin in ænigmate duorum teſtamentorum cum duodecim alis, id eſt, Apoſtolis, qui prædicatione ſua velociter celeritate diſcurrerunt, tegentes faciem & pedes ſedentis in throno Dei, id eſt, occultantes ea ſiue quæ ante ſæculi fuerunt exordia, ſiue quæ poſt tranſactam huius mundi figuram futura ſunt. Hic tamen poſt viſionem Iudæ & Ieruſalem aduerſus cæteras gentes, quæ in circuitu eius ſunt, Prophetiæ conuertit ſermonem, & iuxta qualitatem locorum, & vitæ diuerſitatem, quæ eſſent eis mala ventura, denuntiat. Poſt [illegible]

*for. necē

tem Ierusalem, ruinam Babyloniæ comminatur, deinde * necem Philistium, vastationem Moab, exterminium Damasci, Aegypti commotionem, & solitudinem maris deserti, obsidionem quoq; Edom, fugam & interitum Arabiæ, excidium vallis Sion, subuersionem etiam Tyri siue quadrupedum: sed figuraliter in visione Iudææ synagoga proiicitur, & Ecclesia Domino copulatur: in ruina Babyloniæ confusio totius mundi, superbiaq; arguitur, & finis monstratur: in vastatione Moab error scientiæ sæcularis in silentium luctumq; mutatur: in euersione Aegypti totius mundi idololatriæ destruuntur, templiq; Domini ædificatio prædicatur: in contritione Philisthiim luctus eorum monstratur, qui abiiciunt iugum Christi, & eleuant se contra scientiam Dei. Porro per Damascum prædicatio gentium, & ruina ostenditur populi Iudæorum: per omnes maris deserti, huius sæculi temptatio declaratur, & quæ illi ventura sunt, ostenduntur. Per Idumæam oritur sol iustitiæ gentium, & tenebræ auferuntur populis Iudæorum. per Arabiam prædicatur aqua batismatis, præbenda his, qui fugerint gentium errores vel eorum blasphemias. Per vallem Sion perditio prædicatur Ierusalem & hæreticorum, qui de sublimitate Ecclesiæ ceciderunt. Per Tyrum gentibus prædicatur, vt scilicet errore deposito ad Christum Dominum conuertantur. reliqua vero eius vel de Christo vel de Ecclesia gentium sunt, siue de consummatione mundi. Prophetauit annorum ferme septuaginta sub regibus quatuor Iudææ ordine atq; genere sibimet succedentibus, id est, Ozia, Mathan, Achach, ad vltimum Ezechia, sub quo pars magna voluminis eius vsq; ad calcem texitur prophetiæ. Ieremias interpretatur, *propheta excelsus Domini*, simplex loquendo, & ad intelligendum facilis, qui in omnibus dictis & passionibus suis, Redemptoris nostri imaginem prætulit. Hic postquam in Typo Christi regna destruxit diaboli, iustitiæq; vel fidei ædificauit imperium: iubetur prædicare per omnes gentes, Ægyptum videlicet, & Philistum, Moab, & Ammon, Edom & Damascum & Cedar, & super regna Assur, nec non super Elam & Babyloniam. Hic autem vidit virgam vigilantem diuinæ correptionis & potestatis, ollam quoq; succensam, id est Iudaicam plebem igne carnalium desideriorum ardentem aspicit, & duos cofinos ficorum in præfiguratione duorum populorum, descendit in domum figuli, & videt diminutionem vasis prioris & noui instaurationem ad designandum defectum prioris populi, & successionem futuri. Sumit etiam calicem supplicij, atq; vniuersis gentibus porrigit. Accipit & lumbare sub exemplo populi Iudæorum, quodq; putrefactum in desperatione proiicit illud trans flumina gentium: ostendit & calicem aureum Babylonis, per quem inebriatus est mundus, letiferum idololatriæ vasis, iubetur proiicere in Eufraten volumen lapidi alligatum ad demonstrandum interitum Babylonis, vel figuraliter totius mundi: increpat etiam hic delinquentes, & ad conuersionem prouocat: ad vltimum plangit ruinam Ierusalem, templique excidium, & dispersionem gentis. Exorsus autem duodecimo anno Iosiæ regis Iudææ. prophetiaque eius per quatuor reges extensa est sub Iosia & Eliachim, & Ioachim, & Sedechia, quo euersa est Ierusalem. Septuaginta duobus annis & quatuor mensibus prophetauit, excepto illo tempore, quo post euersam Ierusalem in Aegypto cum populo fuit.

Ezechiel qui interpretatur, *fortitudo Dei*, hic figurans tropice Christum, stat iuxta fluuium Thobar scilicet, & præclara continens mysteria, cernit similitudinem gloriæ Dei, & quatuor animalia in similitudine quatuor Euangeliorum, & rotas se inuicem cōtinentes in typo duorum testamentorum: videt aurigam, id est, Christum deorsum igne iudicij, sursum electri, id est, diuinitatis fulgore rutilantem. Comedit quoque librum diuinæ legis, in quo scriptum est lamentum pœnitentium, & carmen iustorum, & væ eorum, qui post peccatum pœnitentiam non egerunt. Dehinc accepit laterem, in quo obesse Ierusalem picturа describitur: vel quod sub typo Christi eiusdem Ierusalem, id est, totius Ecclesiæ, quæ est * à latere Christi formata, mysteria describuntur. Capit et- [* 2]

iam & hic propheta somnum sinistri lateris in typum mortis peccatorum, qui ad leuam positi æterna supplicia sustinebunt. Ac demum à sinistro in dextro dormire iubetur propter spem eorum, qui pro emendatione morum resurrectionis gloriam obtinebunt. Aspicit in terra & duas virgas sibimet copulantes in similitudinem circumcisionis & gentium. sine aquilam sub Nabuchodonosor volantem, Christi figuram, magnis alis & volucri celeritate totius mundi imperium occupantem. Plangit præterea sub specie principis Tyri beatitudinem diaboli, quam amisit, & ruinam eius magnam cum lamentatione deplorat. Ad vltimum harundinem vel funiculum gestans metitur sub specie sanctorum mystice Ierusalem. Inter hæc mystica subiacent quædam moralia. Falsis comminatur prophetis, atque speculatoribus præcipit, ne reticeant malitiam: quatuor etiam vltionum pœnas peccatoribus prædicat, animasque redire ad corpora sua prophetat: ostendit quoq; vnumquemq; pro se rationem Domino redditurum, nec progeniei sanctæ vltra nocere labem paterni delicti: obiurgat intra hæc sub Oola & Ooliba omnem turpitudinem Samariæ & Ierusalem, natiuitatemq; contumeliosam obiicit: sæpe etiam ad pœnitentiam captiuos prouocat, & post præuaricationem admonet populum redire conuersum. Hic autem trigesimo quinto ætatis suæ anno, & captiuitatis quinto in Chaldæa exulans prophetauit, ibique vaticinium suum consummauit.

Daniel interpretatur, *iudicium Dei*, quiq; etiam Christo cunctis manifestior est prophetis: quia non solum prædicauit, vt cæteri: sed etiam & tempus incarnationis & passionis per ordinem regum, & numerum distinuit annorum, ita vt non potius videatur futura prædicare, sed quasi transacta narrare. Hic autem quatuor regnorum cernit frequentius visiones, eorumq; differentiam sub diuersis imaginibus pronuttit. De Antichristo quoq; ostendit, quod ipse sit cornu pusillum, id est, paruo tempore regnaturus de consummatione Israel vel mundi plura conscripsit, siue de die iudicij, regno sanctorum. In fine autem voluminis prophetiæ suæ, Susannæ historiam & Belis Draconisque fabulam ponit. Hic autem liber apud Hebræos ebraicis quidem litteris, sed Chaldaica lingua scriptus est. Prophetauit autem in Babylone, quando & Ezechiel.

Osee propheta, qui interpretatur, *saluans*, in duodecim primus est, profundior reliquis in sententiis, & operosior intellectu. Iste ad eas tribus, quæ & Samaria, & domus Ioseph, & Israhel vocabantur, loquitur: sed per Effren hæreticos arguit, qui recedentes qualicunq; ex causa ab Ecclesia vnitate, participes facti sunt idolorum: per Samariam autem eorundem hæreticorum demonstrat errorem, qui præceptorum Dei custodes esse se mentiuntur, & sub prætextu veritatis mendacium colunt. Hic historialiter Iudæos in Christum tempore vltimo credituros pronuntiauit: tertium quoq; resurrectionis dominicæ diem prædixit. Prophetauit autem in diebus Oziæ regis Iudææ, quando & Esaias.

Iohel interpretatur, *incipiens*: iste ad Iudam tantum & Ierusalem vaticinium proferens in principio sui voluminis post voluptuosa conuiuia ad luctum prouocat Ierusalem, excidium quoq; pronuntiat, prædicat quoq; vocationem gentium, & super congregatos credentes super venturum Spiritum sanctum. Prophetat sub Ioathan rege Iuda, quando & Micheas.

Amos, qui interpretatur, *onus*, vaticinauit in Samaria & Ierusalem, tria & quatuor scelera gentium sub totius mundi figura describens, Primum itaque scelus, quia omnes in Adam peccauerunt. Secundum, quia in sancta naturæ legem immemores rationis non intellexerunt. Tertium quoque eorum, qui datæ legi non obedierunt. Quartum inexpiabile eorum, qui in Christum non crediderunt. Pro quibus sceleribus intonat Dominus, se ignē, id est, sententiam æterni iudicij illaturum. Hic autem aduentū Christi sub dominica veritate prædicat, dicēs: *Ego firmans tonitruū, & creans spiritū, & annuncians hominib. Christū* Amos 4.

suum.

suum. Reliqua autem, quæ de Amasia & Ieroboam siue Israel retulit, tropice ad hæreticos referenda sunt. Prophetauit autem sub rege Ozia eo tempore, quo & Osee & Esaias.

Abdias, qui interpretatur, *seruus Domini*, inter omnes Prophetas breuior est numero verborum: sed gratia mysteriorum æqualis. Iste contra Idumæam loquens, increpans mystice superbiam Edom prioris, videlicet audaciam, quod Iacob fratrem suum, id est, Christum occiderit in monte Sion, id est, Ierusalem futuram salutem, & sanctum, qui est Dominus, annuntiat, atq; in monte, per quem * figuraliter Ecclesia gentiū, futurum intonat Domino regnum. Prophetauit sub Iosia rege Iudææ, quando & Micheas.

* *figuratur.*

Ionas, qui interpretatur, *columba*, tam sermone quam naufragio suo passionem Christi, mortemq; & resurrectionem figurat. siue quod de naue ad mare, tanquam de cruce ad terram, proiectus est: siue quod * in ventre cæti exceptus est, tanquam in sepultura terræ, tribus dieb. & tribus noctibus reconditus est: & quod per figuram Niniuem pœnitentiam mundi prædixit, in sequentibus typum gerit Iudæorum, qui salutem gentium non tantum aduenire noluerunt, sed cum venit, inuisi sunt. Niniue quoq; gentium significat speciem, Ionas vero in hoc loco Iudæorum. Nam quemadmodum Niniuitarum salus ad æmulationem prouocauit Ionam: ita redemptio gētium scandalum extitit Iudæorum. Merito & contra Orientem Ciuitatis sedisse legitur ederæ sub vmbra: ita eadē plebs separans se à salute Ecclesiæ dolore tabida, contra Christum, id est, Orientem ecclesię linguam suam mouere nititur, sedens sub vmbra legis, quæ vmbra ferme arefacta est: quia, adueniente Christo, *vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua*. Prophetauit aūt sub Ozia rege Iuda, quādo & Osee & Amos & Esaias prophetauerunt.

* *in ventre.*

2. *Cor.* 5.

Micheas, id est, *quis hic?* vel *quis iste?* vel *humilitas*. Micheas Propheta comminatur Samariæ iram Domini ob causam simulacrorum, interitumq; populi Israel venturum denunciat, locum etiam, in quo Christus nasceretur, demonstrat. Prophetauit sub Ozia, quando & Soffonias.

Na[illegible] qui interpretatur, *consolator*, simulachra gentiū exterminanda denuntiat, nec non & vrbem sanguinum Ie[illegible]salem: post cuius interitum pedes annuntiantis pacem, id est, aduentum Saluatoris proclamat.

Abacuc, *amplexans*, siue *luctator fortis*, in principio voluminis sui describit diabolum cum membris ac moribus suis in fine vero pronuntiat aduentum passionemq; Saluatoris.

Soffonias *speculator mysteriorum Dei*, cernit captiuitatem Ierusalem vrbis à Romanis futuram per vocem clamoris à porta piscium, & per collium contritionem, id est montis Sion, qui est collis Ierusalem, nec non aliarum gentium euersionem prædicat, terroremque diuini iudicij intonat. Loquitur etiam contra Moab & Ammon. sed per ipsos tanquam * finitum populi Dei, proximi Catholicis Sacramentis hæretici arguuntur. Hic tertium diem resurrectionis Christi prophetat, atq; in aduentu Christi sub vno iugo Domini totum mundum seruiturum adnunciat. Prophetauit sub Iosia, vt Ieremias.

* *finitimos.*

Aggæus, qui interpretatur, *solennis*, hic in vaticinij sui textu templum Domini instaurandum præcepit, contritionem prędicat gentium, vel commotionem totius mūdi prædicit, ac sub figura Zorobabel Christi aduentum vaticinatur: septuagesimo autem anno captiuitatis populi prophetauit, duobus tantum mensibus Zachariam vaticinio suo præcedens.

Zacharias, qui nominatur, *memoria Domini*, postquam iram Domini in patribus prophetauit: vidit & virum sedentem super eq[illegible] [illegible]um in figura corporis Christi roseum sanguine[illegible] passionis siue merita populi gentium significantem. Aspi[illegible]t & quattuor cornua siue fabros in figura gentium, q[illegible]æ Iudam & Israel dispergentes graui pondere depre[illegible]erunt. I[illegible]tuetur similiter & Iesum sordibus [illegible] & mortal[illegible]ate vestitum per figuram sacerdot[illegible] q[illegible]tis, indutum immortalitate & gloria cer[illegible]t, & lapid[illegible], qui est Christus, septem oculos habentē, id est, septiformis spiritus plenitudinem. Inter hęc intuetur & turrim & tit[illegible]onem extinctum, id est, diabolū, candelabrum videlicet in figuram Christi cum lucernis septem quæ sunt septem dona Spiritus: nec non & duas oliuas ad dexterā & ad sinistram candelabri positas, d[illegible]o[illegible]ū testamentorum typū figurantes. Assumit quoq; idē duas virgas funiculi & decoris in typo Iudæorum & gentium. Aspicit deinde duas mulieres, id est, Iudæorū & gentium plebes in alias leuantes amphoram, id est, diabolicam doctrinam. Massam quoq; plumbi, quod est pondus peccati grauissimum, siue volumen volans, in quo peccata hominum & supplicia adscribuntur. Videt & quadrigas quatuor vno prædicationis Euangelicæ iugo currentes. Post hæc aspicit equos missos ad prædicationem mundi. Primum rufum martyrij passione. Secundum nigrum squalore pœnitentiæ. Tertium album candore baptismi. Quartum varium varietate virtutum. Cernit quoq; & tubas sanctorum, gestantes figuram, per quos Dominus mundo canit sua præcepta: atq; Angelum, in quo duo ex aduerso populi iunguntur. siue paxillum figuraliter Christum infixum cordibus populorū describit, & pastorum antichristi opus & intentionem in sinistris habentem: equum quoq; in figuram plebis hæreticorum, & ascensorem eius diabolum: prædicat etiam fontem in domo veri Dauid patentem in lauacro regenerationis. Alia, quæcunq; scripsit, aut de aduentu Domini narrant, aut de passione eius, & de seculi fine, & de iudicio suo. Prophetauit autem annis duobus Darij regis Medorum hisdem temporibus quibus Aggæus anno septuagesimo dissolutionis templi, & captiuitatis populi.

Malachias, qui interpretatur, *Angelus Domini*, in principio voluminis sui demonstrat odium Iudæorum in Esau & dilectionem iunioris populi in Iacob. In sequentibus autem veteres Iudææ victimas reprobat, & sacrificium transferri ad Gentes in fine vero aduentum Domini annunciat. Diem quoq; iudicij, iustorumq; præmia, & impiorum pœnas, Ioannem etiam prædicat ante aduentum primum Domini missum, & Heliam ante secundum aduentum annūciat esse mittendum. Inter hæc nonnulla moralia & disciplinis congruentia explicat, in quib. corripit populum siue sacerdotes despicientes nomen Dei, atque eius Sacramenta pollutis oblationibus & sacrificiis violantes primo, nec etiam Episcopos doctos & sine macula esse debere, &c. personarum sine acceptione populos veritatem instruere: discordes quoq; arguit, decimas, & primitias reddendas populis eccle[illegible]æ præcipit: obiurgat & eos, qui coniuges suas despiciunt, & aliarum amore nituntur: similiter & illos, qui miseriam suam dolentes felicitatem laudent eorum, qui huius mundi prosperis perfruuntur. Prophe[illegible]uit autem nouissimus in Babylone quando Aggæus & Zacharias.

Esdras scribit, populum Dei, expleto captiuitatis tempore, imperante Cyro rege Persarum, in Ierusalem fuisse reuersum. ac sub Zorobabel & Iesu & Iosedech, Filio sacerdotis, siue Neemia muros Ierusalem, templum & altare nouatum, ius quoq; sacerdotum restitutum, & sanctæ religionis cultum, multisq; operibus gentium principumque Persarum muneribus adornatum.

Machabæorum libri licet non habeantur in canone Hebræorum: tamen ab Ecclesia inter diuinorū voluminum historias annumerantur. Prænotant autem prælia inter Hebræorum duces, gentesq; Persarum pugnamq; sabbatorum, & nobiles Machabæorum triumphos, fœdus quoq; amicitiarum cum populo Romanorum atq; legationum.

Item præfationis noui testamenti euangeliorū prædicatio quamuis quadrifaria sit, vna est tamen: quia ex vno eodemq; ore Trinitatis proc[illegible]ssit. Hęc sunt enim quatuor flumina de vno fonte paradisi manantia, quæq; dupliciter vno ore decurrūt ac per totum mundum cœlestis ministrantes fluenta gr[illegible]iæ ac fidei verbis infund[illegible]nt. Hæc est illa in Zacharia quadriga Domini, in qua per omnem euectus mundum leni iugo colla sibi cunctarū gentium subigit. Hi sunt etiam, quos sub quatuor animalium specie visio Prophet[illegible]is scribit, id est, hominis, leonis, vitu[illegible]

& aquilæ. Nanq; primus, vt homo, ordinem humanæ natiuitatis designat. Secundus ad instar rugientis leonis statim in principio sui sermonis diuinæ potestatis fortitudinem exprimat. Tertius victimam sacerdotis præmittens, quasi vituli mortem insinuat. Quartus more aquilæ allectans cœlum & terram auidus transuolat, atq; natiuitatem Verbi occulta * mysteria intelligentia penetrat. [* mysteri] Sed ex his tria illa animalia, quæ in terra gradiũtur, actualem vitam sequentes, ea tantũmodo prosecuti sunt, quæ homo Christus in terris temporaliter gessit. Quartum animal contemplationis acie cœlestia inspicit, & paulatim operum plurima diuinitatis Sacramenta digessit. Ex his primus & vltimus ea prædicauerunt, quæ ex ore Christi audierunt: vel quæ ab illo facta vel gesta viderunt: reliqui medij duo ea tantummodo, quæ ab Apostolis cognouerunt. Quorum quidem Matthæus Euangelium in Iudæa scripsit: deinde Marcus in Italia, tertius Lucas in Achaia: vltimus Ioan. in Asia: ex quibus solus tantum Matthæus prædicationis historiam Hebraico perstrinxit stylo, reliqui vero Græci sermonis eloquio ediderunt.

Epistolas Paulus quatuordecim prædicationis suæ perstrinxit stylo, ex quibus aliquas propter typũ septiformis ecclesiæ septem scripsit ecclesiis, conseruans potius, quã excedẽs numerum Sacramenti, propter septiformem Spiritus sancti efficaciam. Scripsit autem ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses, ad Colossenses, ad Hebræos: reliquas vero postmodum singularibus edidit personis, vt rursus illum septenarium numerum ad Sacramentum vnitatis conuerteret. Argumenta autem earundem Epistolarum hæc sunt. Inprimis Romanæ plebis fidem collaudat: Corinthios gemina doctrina castigat: apud Galatas per gratiam fidei excludit opera legis: Ephesios magnificat in fide, quam acceperunt: laudat Colossenses: pro eo * in fide steterunt Philippenses, Euangelium custodisse gratulatur: [* quod] Thessalonicenses in prima epistola fide creuisse & operibus, in secunda persecutiones tollerasse fortiter gloriatur. Instruit per Timotheum & Titum Ecclesias: Philemonem de emendato seruo Onesimo rogat. Ad vltimum Hebræos, qui in Christo crediderunt, & postmodum persecutionibus Iudaicis territi à fide recesserant, confortat, atque ad gratiam Euangelij reuocat.

Petrus scripsit duas epistolas, quæ Catholicæ nuncupantur. Scripsit autem eas his, qui ex circumcisione credentes in dispersione gentium erant: quæ quidem quibusdam videntur esse planiores, dum tam profundis plenæ sint sensibus, vt per eas, qui possint perscrutari diuinæ scientiæ sensum quasi per breue quoddam receptaculum, magna sibi mysteria reuelari contueantur.

Iacobus frater Domini scripsit vnam Epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem: cuius sententia immensam scientiæ claritatem legentibus videtur infundere.

Ioannes Apostolus scripsit epistolas tres: quarum prima officium charitatis commendans, tota in amore Dei & fraterna dilectione versatur. Secunda quoque, quæ Electæ scribitur, dilectionis hortatur studium, denotat etiam seductores, & ab hæreticis admonet declinandum. Tertiam autem Gaio scripsit, in qua collaudat eum in studio veritatis & opere misericordiæ: deinde denotat proteruiam cuiusdam Diotrepis, & Demetrio testimonium perhibet veritatis.

Iudæ Epistola increpat blasphemantes in Christo & quosdam impudicos sub exemplo impiorum, qui * superbiam & luxuriam sempiternis ardoribus traditi sunt, [* ob] pro quibus admonet Ecclesiam, vt eos arguat, & ad pœnitentiam cohortetur.

Actuum Apostolorum historia nascentis Ecclesiæ fidem opusque describit, cuius quidem scriptor Lucas Euangelista est: continet autem ea, quæ in Iudæa vel in Gentibus per gratiam Spiritus sancti tam à Petro quam ab aliis Apostolis gesta sunt.

Apocalypsis Ioannis postquam scribere septem iubet Ecclesiis, aspicit Filium hominis sedentem in throno, & 24 [illegible], & quatuor animalia procedentia ante thronum: in dextera quoque sedentis librum septem sigillis signatum, in quo bellum & egestas, mors, clamor interfectorum, finis quoque mundi notatur. Scribit deinde duodena milia seruorum Dei, qui signantur in frontibus: ibi septem Angeli tubis canunt, sequente grandine & igne cum sanguine in terram: tertia quoque pars terræ ibi igne comburitur: tertia pars maris sanguis efficitur: astraque ipsa rutilantia tertiam fulgoris partem amittunt: ibi de putei fumo locustæ producuntur dæmoniorum, accipientes potestatem lædendi eos, qui non sunt agni cruore signati. Præterea comedit Euangelista librum testamenti, otis prædicatione suauissimum, & operis difficultate amarum: metitur cœleste templum: describitque verba 24. seniorum, & archam testamenti, ac mulierem amictam sole, pugnamque Michaelis cum dracone, ruinam draconis. Conspicit præterea figuram antichristi, habentem capita regni septem, & cornua potestatis, & numerum hominis. Narrat inter hæc Canticum testamenti nouum, speculaturque Angelos gestantes stateras, eernitq; similiter interitum bestiæ, & beatitudinem eorum qui vestimenta sui corporis, hoc est, absque carnis voluptate seruauerunt: exequitur deinde & interitum meretricis Babyloniæ, & nuptias agni, & aduentum iudicij, & interitum Antichristi, & æternam punitionem diaboli, & vltimam memorat resurrectionem mortuorum, cælique nouitatem & terræ, descriptionemque Ierusalem: flumen etiam Baptismi mundum, & lignum vitæ Dominum nostrum Iesum Christum.

Capit. IV.

De Bibliotheca.

Bibliotheca à Græco nomen accepit: eo quod ibi recondantur libri. Nam biblion librorum, theca repositio interpretatur. Bibliothecam veteris testamenti Esdras scriba post incensam legem à Chaldæis, dum Iudæi regressi fuissent in Ierusalem, diuino afflatus Spiritu reparauit, cunctaque legis ac prophetarum volumina, quæ fuerant à Gentibus corrupta, correxit, totumq; vetus testamentum in viginti duos libros constituit: vt tot libri essent in lege, quot habebantur & litteræ. Apud Græcos aũt bibliothecam primus instituisse Pisistratus creditur tyrannus, quam deinceps ab Atheniensibus auctam Xerxes incensis Athenis euexit in Persas, longoq; post tempore Seleucus Nicanor rursus in Græciam retulit. Hinc studium regibus vrbibusq; cæteris natum est comparandi volumina diuersarum gentium, & per interpretes in Græcam linguam vertendi. Dehinc Magnus Alexander, vel successores eorum instruendis omnium librorum bibliothecis animum intenderunt, maxime Ptolomæus, cognomento Philadelfus, omnis literaturæ sagacissimus, cum studio bibliothecarum Pisistratum æmularetur; non solum Gentium scripturas, sed etiam & diuinas literas in bibliothecam suam contulit. Nam septuaginta milia librorum huius temporibus Alexandriæ inuenta sunt. Hic etiam & ab Eleazaro pontifice petens, scripturas veteris testamenti in Græcam vocem ex Hebræa lingua per 70. interpretes transferre curauit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit. Siquidem singuli in singulis cellulis (vt quidam asserunt) separati ita omnia per Spiritum sanctum interpretati sunt, vt nihil in alicuius eorum codice inuentum esset, quod * in cæteris vel in verborum ordine discreparet. [* a] Fuerunt & alij interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus & Theodotion: sicut etiam est vulgaris illa interpretatio cuius auctor nõ apparet, & ob hoc sine nomine interpretis quinta editio nuncupatur. Præterea sextam & septimam editionem Origenes miro labore reperit, & cum cæteris editionibus comparauit. Presbyterque Ieronymus trium linguarum pariter ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas conuertit, eloquenterque transfudit. Cuius interpretatio merito cæteris anteferetur: nam est & verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior.

CAPIT. V.
De opusculorum diuersitate.

Opusculorum constat esse tria genera. Primum genus *Excerpta* sunt, quæ Græce *scholia* nuncupantur, in quibus ea, quæ videntur obscura vel difficilia, summatim ac breuiter perstringuntur. Secundum genus *Homiliæ* sunt, quas latini *verbum* appellant, quæ proferuntur in populis. Tertium *Tomi*, quos nos *libros* vel *volumina* nuncupamus. Homiliæ autem ad vulgum loquuntur: Tomi vero, id est, libri maioris sunt disputationis. *Dialogus* est collatio duorum vel plurimorum, quem latini *sermones* dicunt. Nam quos græci *dialogos* vocant, nos *sermones* vocamus. Sermo autem dictus, quia inter vtrunque seritur. Vnde in Virgil. o. *Multa inter se serebant.* Tractatus est vnius rei multiplex expositio, eo quod tractat sensum in multa sentiendi contrectando secum. Differt autem sermo, tractatus & verbum. *Sermo* enim altera eget persona. *Tractatus* specialiter ad seipsum est. *Verbum* autem ad omnes. Vnde & dicitur: *Verbum fecit ad populum.* Commentaria dicta quasi commenta. Sunt enim interpretationes, vt commenta iuris, commenta euangelij. Apologeticus est excusatio, in quo solent quidam accusantibus respondere in defensione enim aut negatione sola positum est & est nomen græcum. Panegyricum est licentiosum & lasciuiosum genus dicendi in laudibus regum. in cuius compositione homines multis mendacijs adulantur. Quod malum à græcis exortum est; quorum leuitas instructa dicendi facultate & copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitauit.

Fastorum libri sunt, in quibus reges ac consules scribuntur, à fascibus dicti, id est, à potestatibus. Vnde & Ouidij libri *Fastorum* dicuntur, quia de regibus & consulibus editi sunt.

Prooemium est initium dicendi. Sunt enim prooemia principia librorum, quæ ante causæ narrationem ad instruendas audientium aures coaptantur. Cuius nomen pleriq; latinitatis periti sine translatione posuerunt. Hoc autem vocabulum apud nos interpretatum præfatio nuncupatur, quasi prælocutio.

Præcepta sunt, quæ, aut quid faciendum, aut quid non faciendum sit, docent: quid faciendum, vt: *Dilige Dominum Deum tuum:* &: *Honora patrem tuum & matrem tuam:* quid non faciendum, vt: *Non mœchaberis; Non furtum facies.* Similiter & gentilium præcepta vel iubent vel vetant: iubent faciendum, vt: *nudus aras, sere nudus:* vetant. vt, *Ne ve inter vites corilum sere. neve flagella Summa pete.* Primus autem apud Hebræos præcepta Moyses scripsit: apud latinos Marcius vates primus præcepta composuit, ex quibus est illud: *Postremus dicas, primus* * *tacitas.* Parabola & problemata nominibus suis indicant, altius se perscrutari oportere. Parabola quippe alicuius rei similitudinem * persegerit. Quod licet sit vocabulum Græcum, iam tamen pro latino vsurpatur: & notum est, quod in parabolis, quæ dicuntur rerum similitudines, rebus, de quibus agitur, comparant. Problemata autem, quæ latine appellantur propositiones, quæstiones sunt, habentes aliquid, quod disputatione soluendum sit. Quæstio autem est, cum quæritur, an quid sit, aut quale sit. Argumentum autem dictum, quasi argutum, vel quod sit argute inuentum ad comprobandas res. Epistolam proprie Græci vocant, quæ interpretatur latine, missa. Styla enim seu styli, missa vel missiante membranarum vsum in dedolatis ligneis codicellis epistolarum alloquia scribebantur: vnde portitores earum tabellarios vocauerunt. Codex multorum librorum est liber vnius voluminis, & dictus codex per translationem à codicibus arborum seu vitiū, quasi caudex, quod ex se multitudinem librorum, quasi Romanorum, contineat. Volumen liber est à voluendo dictus, sicut apud Hebræos volumina legis, volumina Prophetarum. Liber est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, de quo Virgilius sic: *alta liber hæret in vlmo.* Vnde & liber dicitur, in quo scribimus: quia ante vsum chartæ vel membranarum de libris arborum volumina fiebant & compaginabantur. Vnde & scriptores à libris arborum librarios vocauerunt. Librarios ante à biblio palas dictos. Librum enim Græci biblum vocat. librarij autem, id est, antiquarij vocantur: sed librarij sunt, qui & noua scribunt & vetera: antiquarij, qui tantummodo vetera: vnde & nomen sumpserunt. A scribendo autem scriba nomen accepit, officium exprimens vocabuli qualitate. Instrumenta scribæ calamus & penna: ex his n. verba paginis infigūtur: sed calamus arboris est: penna auis, cuius cacumen in duo diuiditur, in toto corpore vnitate seruata, credo, propter mysterium, vt in duob apicibus vetus & nouum testamentum signaretur: quib. exprimitur verbi Sacramētum sanguine passionis effusum. Dictus autem calamus, quod liquorem ponat. Vnde & apud nautas *calare*, ponere dicitur. Penna autem à pendendo vocata, i. e. volando. est enim (vt diximus) auium. Folia autem librorum appellata, siue ex similitudine foliorum arborum, seu quia ex follibus fiunt, i. e. ex pellibus, qui de occisis pecudibus detrahi solent: cuius partes paginæ dicuntur, eo quod sibi inuicem compaginantur. Versus autem inde vulgo vocati, quia sic scribebant antiqui, sicut aratur terra. A sinistra enim ad dexteram primum deducebant stylum, deinde conuertebantur ab inferiori, & rursus ad dexteram versus, quos hodieq; rustici vocant versus. Scheda est, quod adhuc emēdatur, & needum in libris redactum est: & est nomen Græcum sicut & Tomus.

Deut. 6.
Exod. 20.
Ibid.
* agas.
* pra.

CAPIT. VI.
De Canonibus Euangeliorum.

Canones Euangeliorum Ammonius primus excogitauit Alexandriæ, quos postea Eusebius Cæsariensis secutus plenius composuit. Qui ideo facti sunt, vt per eos inuenire & scire possimus, qui reliquorum Euangelistarum similia aut propria dixerint. Sunt autem numero decem, quorum primus continet numeros, in quibus quatuor eadem dixerunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Iohannes. Secundus, in quibus tres: Matth. Marc. Lucas. Tertius, in quibus tres: Matthæus, Lucas, Ioannes. Quartus, in quibus tres. Matth. Marc. Ioannes. Quintus, in quibus duo: Matthæus, Lucas. Sextus in quibus duo: Matthæus, Marcus. Septimus, in quib. duo: Matthæus Ioannes. Octauus, in quibus duo: Lucas, Marcus. Nonus, in quibus duo: Lucas, Ioannes. Decimus, in quib. singuli eorum quædā propria dixerunt. Quorum expositio hæc est. Per singulos enim Euangelistas numerus quidā capitulis affixus adiacet: quibus numeris subiecta est area quædam minio notata, quæ indicat, in quoto canone positus sit numerus, cui subiecta est area. Verbi gratia: si est area prima, in primo canone: si secunda, in secundo: si tertia, in tertio. & sic per ordinem vsq; ad decimum peruenies. Si igitur aperto quolibet Euangelio placuerit scire, qui reliquorum Euangelistarum similia dixerint: assumes adiacentem numerum capituli, & quæres ipsum numerum in suo canone, quem indicat, ibiq; inuenies, qui & quid dixerunt: & ita demum in corpore inquisita loca, quæ ex ipsis numeris dicantur, per singula Euangelia de eisdem dixisse inuenies.

CAPIT. VII.
De Canonibus conciliorum.

Canon autem Græce, latine *regula* nuncupatur. Regula autē dicta, quod recte ducit, nec aliquādo aliorsum trahit. Alij dixerunt, regulam dictā, vel quod regat, vel ꝓ normam recte viuendi præbeat, vel quod distortū, prauumq; quid corrigat. Canones aūt generalium conciliorum à temporib. constantini cœperunt. In præcedentibus namq; annis, persecutione feruente, docendarū plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diuersas hæreses scissa est: quia nō erat licentia episcopis in vnum cōuenire, nisi tēpore prædicti Imperatoris supra dicti. Ipse enim dedit facultatem Christianis libere congregari. Sub hoc ēt sancti patres in cōlio Niceno de omni orbe terrarum conuenientes, iuxta fidem Euangelicā & Apostolicā secundo post apostolos tradiderunt. Inter cætera aūt concilia quatuor esse venerabiles synodos, quæ totā principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor euāgelia vel totidem Paradisi flumina. Harum prima Nicena synodus

trecen-

trecentorum, decem & octo Episcoporum Constantino Augusto imperante, peracta est: in qua Arrianæ perfidiæ condemnata blasphemia de inæqualitate sanctæ Trinitatis, id est, † Arrius asserebat cõsubstantialem Deo Patri Deum Filium, eadem sancta synodus per symbolum definiuit. Secunda synodus centum quinquaginta patrum sub Theodosio seniore Constantinopolim congregata est, quæ Macedonium Episcopum, negantem Deum esse Spiritum sanctum, hereticum condemnans, consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum demonstrauit: dãs symboli formam, quam tota græcorum & latinorum cõfessio in Ecclesiis prædicat. Tertia synodus Ephesina prima ducentorum Episcoporum sub iuniore Theodosio Augusto edita, quæ Nestorium duas personas in Christo asserentem, iusto anathemate condemnauit, ostendens manere in duabus naturis vnam Domini Iesu Christi personam. Quarta synodus Calcedonensis dc.xxx. sacerdotum sub Marciano principe habita est, in qua Eutychen Constantinopolitanum abbatem, Verbi Dei & carnis vnam naturam pronunciantem, & eius defensorem Dioscorum, quondam Alexandrinum Episcopum, & ipsum rursus Nestorium cum reliquis hæreticis vna patrum sententia prædamnauit: prædicans eadem synodus, Christũ Deum sic natum de Virgine, vt in eo substantiam diuinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæ sunt quatuor synodi principales fidei doctrinam plenissime prædicantes. Sed & si qua sunt alia concilia, quæ sancti patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem, omnium manent stabilita vigore: quorum gesta in hoc opere condita continentur. Synodum nouimus ex græco interpretari *comitatum* vel *cœtum*. Concilij vero nomen tractum ex more Romano. Tempore enim quo causæ agebantur, conueniebant omnes in vnum, communique intẽtione tractabant. Vnde & concilium à communi intentione dictum, quasi *communicilium*. Nam cilia oculorum sunt. Vnde & considium consilium dicitur, d. in l. literam transeunte. Cœtus vero conuentus est vel congregatio à coeundo, id est, conueniendo in vnum. Vnde & conuentus est nuncupatus, sicut conuentus cœtus vel concilium à societate multorum in vnum.

† Locus corruptissimus sic videtur restituendus: *Arrius asserebat, consubstantialem Deo Patri non esse Deum Filium: cuius contrarium sancta synodus per symbolum definiuit.*

Capvt VIII.

De cyclo paschali.

PAschalem cyclum Hippolytus Episcopus temporibus Alexandri Imperatoris primus conscripsit: post quem probatissimi auctores Eusebius Cæsariensis, Theophilus Alexandrinus, Prosper quoq; natione Aquitanus atque Victorinus, amplificatis eiusdem festiuitatis rationibus, multiplices circulos ediderunt. Cuius quidem rationem beatissimus Cyrillus Alexandrinæ vrbis Episcopus in nonaginta quinq; annos per quinquies decem nouies calculans, quoto Kalendario vel luna debeat pascalis solennitas celebrari, summa breuitate notauit. Cyclum autem vocatum eo, quod in orbe digestus sit, & quasi in circulo dispositum ordinem complet annorum sine varietate & sine vlla arte. Vnde factum est, vt cuique materiæ carmina, simplici formitate facta, cyclica vocarentur. Hinc & laterculum dictum, quod ordinem habeat tractuum annorum. Post cuius expletionem ad primum exordium reuertendum. Antiquitus Ecclesia pascha quartadecima luna cum Iudæis celebrabat, quocunq; die occurreret: quem ritum sancti patres in Nicena synodo prohibuerunt, constituentes non solum lunam paschalem (& inde sequitur inquirere) sed etiam & diem resurrectionis dominicæ obseruare: & ob hoc pascha à quinta decima luna vsq; in vicesimam primam extenderunt, vt dies Dominicus non omitteretur. Pascha autem vocabulum non græcum, sed hebræum est: nec à passione (quoniam * pascin græce dicitur pati) sed à transitu hebræo verbo pascha appellata est: eo quod tunc populus Dei ex Ægypto transierit. Vnde & in Euangelio *cum vidisset*, inquit, *Iesus, quia venit hora eius, vt transiret de mundo ad patrem.* (* Paschin. — Ioan. 13.) Cuius nox ideo peruigil ducitur, propter aduentum regis ac Dei nostri: vt tempus resurrectionis eius non nos dormientes, sed vigilantes inueniat. Cuius noctis duplex ratio est: siue quod in eadem tunc vitam recepit, cum passus est: siue quod postea hora, qua resurrexit, ad iudicandum venturus est. Eo autem modo agimus pascha, vt non solum mortem & resurrectionem Christi in memoriam reuocemus, sed etiam cætera, quæ circa eum attestantur ad Sacramẽtorum significationem, inspiciamus. Propter initium enim nouæ vitæ, & propter nouum hominem, quem iubemur induere, & exuere veterem, *expurgantes vetus fermentum, vt simus noua conspersio: quoniam pascha nostrum immolatus est Christus.* (1. Cor. 5.) Propter hanc ergo vitæ nouitatem primus mensis nouorum in anni mensibus celebrationi paschali mystice attributus est. Quod vero tertiæ hebdomadę die pascha celebratur, id est, qui dies occurrit à quinta decima vsque in vicesimam primam: hoc significat: quia in toto tempore seculi, qui septenario dierum numero agitur, nunc tertium tempus hoc Sacramẽtum aperuit. Primum enim tempus est ante legem: secũdum sub lege: tertium sub gratia, vbi iam manifestatum est Sacramentum prius occultum in prophetico ęnigmate. Ideo & propter hæc tria seculi tempora resurrectio Domini triduana est. Quod vero à quinta decima luna vsq; ad vicesimam primam per dies septem paschalis dies quæritur: * propter ipsum numerum septenarium, quo vniuersitatis significatio sæpe figuratur, qui etiam ipsi Ecclesiæ tribuitur propter instar vniuersitatis. (* fit.) Vnde & Ioannes Apostolus in Apocalypsi ad septem scripsit Ecclesias. (Apoc. 1.) Ecclesia vero adhuc in ista mortalitate carnis constituta, propter ipsam mutabilitatem, lunæ nomine, in scripturis significatur. Varia autem obseruantia opinionum paschalis festiuitatis interdum errorem gignit. Latini namque à tertio Nonas Martij vsq; in tertium Nonas Aprilis primi mensis lunam inquirunt: & si quinta decima luna die Dominico peruenerit, in alio die Dominico pascha protrahunt. Græci primi mensis lunam ab octauo Idus Martij vsq; in diem Nonarum Aprilis obseruant: & si quinta decima luna die Dominico incurrent, sanctum pascha celebrant. Huiusmodi ergo dissensio inter vtrosq; paschalem regulam turbat.

Communis annus dicitur, qui duodecim tantum lunas, hoc est, dies trecẽtos quinquaginta quatuor habet. Dictus autem communis, quia sæpe duo ita coniuncti incedunt, vt inuicem se in paschali solennitate sequantur. Nam embolismalis annus semper solus est.

Embolismus annus est, qui tredecim menses lunares, id est, ccc lxxxiiii. dies habere monstratur. Ipse est annus sancto Moysi diuinitus reuelatus, in quo iubentur hi, qui longius habitabant, in secundo mense pascha celebrare. Embolismus autem nomen græcum est quod interpretatur latine, superaugmentum: eo quod expleat numerũ annorum communium, quibus vndecim lunares dies deesse cernuntur. Embolismi autem anni & communes sic inueniuntur. Si enim à quartadecima luna paschæ præcedentis vsq; ad quartamdecimam sequentis ccc. lxxxiiii. dies fuerint: embolismus annus est: si ccc. liiii. communis.

Bissextus est per annos quatuor, vnus dies adiectus: crescit enim per singulos annos quarta pars assis. At vbi quarto anno assem compleuerit, bissextum annum facit. Dictus autem bissextus, quod bis sexies ductus assem facit, quod est vnus dies sicut & quadrantem propter quatuor ductum, quod est bissextus, quem sub dierum cursu in annum sol facit. Intercalares autem dies ideirco vocantur, quod interponuntur, vt ratio lunæ solisq; conueniat. Calare enim ponere dicitur. Intercalare, interponere siue (vt alij volunt) calare, vocare dicitur. Nam verbum calo græcum est, id est, voco. Dicunt enim quod pontifex, Kalata, id est, vocata in Capitolium plebe iuxta curiam calabrariam, quæ casæ Romuli proxima est, quot dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat: & quintanas quidem dicto quinquies verbo Kalo, septimanas repetito septies prædicabat. Epactas græci vocant, latini adiectiones ænnuas lunares, q per vndenarium numerũ

vsq; ad tricenarium in se reuoluuntur, quas ideo Ægyptij adiiciunt, vt lunaris emensio rationi solis æquetur. Luna enim iuxta cursum suum viginti nouem semis dies lucere dinoscitur, & fiunt in anno lunari dies ccc liiii. remanēt ad cursum anni solaris dies vndecim, quos Ægyptij adiiciunt vnde & adiectiones vocantur. Absq; his non inuenies lunam, quota sit in quolibet anno & mense & die. Istæ epactæ semper vndecimo Kal. Aprilis reperiuntur in eadem luna, quę fuerit eo die. Continentur autem circulo decennouenali: sed cum ad viginti nouem expactas peruenerint, qui est circulus nonus decimus: iam sequenti anno non addes super viginti nouem vndecim vt decē annuncies. sed detractis triginta inde reuertaris, vt vndecim pronuncies.

CAPVT IX.

De officiis canonicis, & de his, quæ in Ecclesia leguntur atq; canuntur.

Officiorum plurima genera esse constat: sed præcipuum illud, quod in sacris diuinisq; rebus habetur. Officium ab efficiendo dictum, quasi efficium propter decorem sermonis, vna mutata litera, vel certe vt quisq; illa agat, quæ nulli officiant, sed prosint omnibus. Vespertinum officium est in initio noctis, vocatum ab stella Vespere, quæ surgit oriente nocte. De quo officio psalmista
Psal. 140. commemorat dicens: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Eleuatio manuum operam piam, quę aut eleemosynis exercetur, aut in aliqua probabili conuersatione peragitur. Sacrificium vero vespertinum illam oblationem fortasse significat, quam in fine vitæ Domino solet offerre religiosa deuotio, cum pœnitentiam gerimus, & humili nos supplicatione purgamus: sicut in quinquagesimo psalmo dictum est: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Vespera nostra est, quando istam lucem morte venuente deserimus. Vnde necesse est, quia frequenter admonuimus neminem debere desperare: sed vltima sua potius lachrymarum fonte detergat. Matutinum vero officium est in lucis initio ab stella Lucifero appellatū, quæ
Psal. 62. oritur inchoante mane, de quo Psalmista ait: *In matutinis meditabor in te.* Redit enim ad illud quod superius dixit:
Ibid. *Ad te de luce vigilo.* Recte siquidem fidelis in matutinis vigilat, quoniam nec inter prospera sua obliuisci poterat lu-
1. Thess. 5. cis auctorem. His Apostolus dicit: *Vos estis filii lucis & filii diei.* Quorum duorum temporum significatione ostenditur, vt die ac nocte semper Deus laudetur. Missa tēpore sacrificij est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita: *si quis catechumenus remansit, exeat foras.* & inde missa, quia Sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur. Chorus est multitudo in sacris collecta, & dictus chorus, quod in initio in modum coronę circum aras starent. Alij chorum dixerūt à concordia, quę in charitate consistit: quia si charitatem non habeat, respondere conuenienter non potest. Cum autem vnus canit græce monodia, latine sicinium dicitur: cum vero duo canunt, bicinium appellatur: cum multi, chorus. Chorus est plurimarum vocum ad suauitatis mo-
Psal. 149. dum temperata collectio de quo & Psalmista ait: *Laudent nomen eius in choro, in tympano & psalterio psallant ei.* Nunc dicit, in choro nomen Domini esse laudandum. In choro vtiq;, quiam nullam patitur dispersionem, nullum tædium, nullum scandalum: sed meritorum probitate collectus carissima semper vnitate cōsistit. Sed qualis quan-
Psal. 112. tusq; sit iste chorus, alius psalmus exponit: *A solis ortu vsq; ad occasum laudate nomen Domini.* Antiphona ex græco interpretatur, *vox reciproca*, duobus scilicet choris alternatim psallentibus ordine commutato, siue de vno ad vnū: quod genus psallendi gręcos inuenisse tradunt. Responsoria Itali tradiderunt, quæ inde responsoria canentes vocant, quod alio desinente, id alter respondeat. Inter responsoria autem & antiphonas hoc differt, quod in responsoriis vnus versum dicit. in antiphonis autem versibus alternant chori. Lectio dicitur, quia non canitur, vt psalmus vel hymnus: sed legitur tantum. Illic enim modulatio, hic sola pronunciatio quæritur. Canticū est vox cantantis in lætitia. Psalmus autem dicitur, qui cantatur ad psalterium, quo vsum esse Dauid prophetam in magno mysterio prodit historia. Hæc autem duo in quibusdam psalmorum titulis iuxta musicam artem alternatim sibi apponūtur. Nam canticum psalmi est, cum id, quod organū modulatur, vox postea cantantis eloquitur. Psalmi vero canticum, quod humana vox præloquitur, ars organi modulantis imitatur. Psalmus autem ex psalterio dicitur. Vnde nec mos est, ex alio opere eum cōponi. Tres autem gradus sunt in cantando. Primus succentoris. Secundus incentoris. Tertius accētoris. Diapsalma quidam hebræum verbum esse volunt, quo significatur semper idem: quod illa, quibus hoc interponitur, sempiterna esse confirmet. Quidam vero græcum verbū existimant, quo significatur interuallum psallendi: vt psalma sit, quod psallitur, diapsalma vero interpositum in psallendo silētium: vt quemadmodum in psalmo dicitur vocis copula in cantando: ita diapsalma disiunctio eorum, vbi quę dam requies distinctæ continuationis ostenditur. Vnde & illud probabile est, non coniungendas sententias in psallendo, vbi diapsalma interpositum fuerit: quia ideo interponitur, vt conuersio sensuum vel personarum esse noscatur. Hymnus est canticum laudantiū, quod de græco in latinum laus interpretatur, pro eo quod sit carmen lætitiæ & laudis. Proprie autem hymni sunt continentes laudē Dei. Si ergo sit laus, & non sit Dei: non est hymnus: si * ergo est, & in laudem Dei dicitur & cantatur: tunc est * vero.
hymnus. Cui contrarium est threnum, quod carmen est lamenti & funeris. *Alleluia* duorum verborum interpretatio, hoc est, laus Dei: & est hebræum. *Ia* vnum est de decē nominibus, quibus apud hebræos Deus vocatur *Amen* significat vere siue fideliter: quod & ipsum hebræum est. Quæ duo verba, *amen*, & *alleluia* nec græcis, nec latinis, nec barbaris licet in suam linguam omnino transferre, vel alia lingua annunciare. Nam quamuis interpretari possint, propter sanctiorem tamen auctoritatem seruata est ab Apostolis in his propriæ linguæ antiquitas. Tanto enim sacra sunt nomina, vt etiam Ioannes in Apocalypsi sua referat se Spiritu reuelante vidisse & audisse vocem cælestis exercitus, tanquam vocem aquarum multarum & tonitruum validorum dicentium *amen* & *alleluia* ac p Apoc. 19.
hoc sic oportet in terris vtraq; dici, sicut in cælo resonat. *Osanna* in alterius linguæ interpretatione in toto transire nō potest. *Osanna* *saluifica* interpretatur: *anna* interiectio est motum animi significans sub deprecantis affectu. *Osianna* autem integre dicitur, quod nos corrupta media vocali litera & elisa dicimus *osanna*: sicut fit in versibus, cum scandimus. Litera enim prima sequentis verbi extremam prioris verbi veniens excludit, & dicitur hebraice *osanna*, quod interpretatur *saluifica*, subaudiendo vel populum tuum vel totum mundum.

Offertorium tali ex causa sumpsit vocabulum Fertum enim dicitur oblatio, quæ altari offertur & sacrificatur à pontificibus. A quo offertorium nominatur, quasi propter fertum. Oblatio vocatur, quia offertur. Dona proprie dicuntur diuina munera, hominum munera. Nam dicūtur obsequia, quæ pauperes diuitibus loco munerum soluunt. Itaq; munus homini datur, donum Deo. Vnde etiā in templis donaria dicimus. Munera autem vocātur, quæ animabus accipiuntur vel dantur. Duo sunt, quæ offerūtur: donum & sacrificium. Donum dicitur, quicquid auro, argentoq; aut qualibet alia specie efficitur. Sacrificiū autem est victima, & quæcunq; in ara cremantur seu ponuntur. Omne a. quod Deo datur, aut dedicatur aut cōsecratur. Quod dedicatur, dicendo datur, vnde & appellatur. Vnde & errant quæ consecrationem dedicatione putant significari. Imolatio ab antiquis dicta eo, quod in mole altaris posita victima cæderetur. Vnde & mactatio post imolationem est: nunc a. imolatio panis & calicis cōuenit. Libatio a. tantumodo calicis oblatio est. Hinc est illud: *Et libabit de sanguine vuæ.* Sic & secularium quidam Gen. 49.
poetarum, *nunc*, inquit, *pateras libate Ioui.* Libare ergo proprie fundere est: sumptumq; nomen à Libero quodam, qui in græcia vsum reperit vitis

Capvt X.

De hostiis holocaustis atq; sacrificiis, & quod eorum species singulæ significent.

Hostiæ apud veteres dicebantur sacrificia, quæ fiebant, antequam ad hostes pergerent. Victimæ vero sacrificia, quæ post victoriam de victis hostibus immolabant, & erant victimæ maiora sacrificia, quam hostiæ. Alij victimam dictam putauerunt, quia ictu percussa cadebat: vel quia iuncta ad aras ducebatur. Holocaustum illud est, vbi totum igne consumitur, quod offertur. Antiqui enim cum magna sacrificia administrarent, solebant totas hostias in sacrorum consumere flamma, & ipsa erāt holocaustomata. Holon enim græce dicitur totum, causis incensio: & holocaustum, totum incensum. Cerimoniæ apud latinos dicuntur sacra omnia, quæ apud græcos orgia vocantur. Proprie autem visum est doctoribus à carendo appellari *cerimonias*, quasi *carimonias*, eo quod ea, quæ in sacris diuinis offeruntur, in suo vsu id carerent homines. Quod nomen etiam in vsu est litterarum sanctarum. Alij cerimonias proprie in obseruationibus Iudæorum credunt, abstinentiam scilicet quarundam escarum secundum veterem legem, eo quod obseruantes ea careant his rebus, quibus se abstinuerunt. Sacrificium dictū, quasi sacrumfactum: quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicę Passionis. Vnde hoc, eo iubente, corpus Christi & sanguinem dicimus Quod dū fit ex fructibus terræ, sanctificatur & fit Sacramentum, operante inuisibiliter Spiritu Dei. Cuius panis & calicis Sacramentū græci Euchatistiam dicunt, quod latine bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi? Quinq; a. species oblationum in lege ad immolandum iubebantur afferri: hoc est, boum, ouium, caprarum, auium, similę & libamentorum. Sic & ibi hostiæ, victime, holocausta, sacrificia & libamina oblata commemorantur. Boues autem vaccæ & vituli aut Dominicæ Incarnationis operationes siue agri Dominici cultores, hoc est, doctores, aut legalium mandatorum operatores significant. Oues autem & agni, aut ipsum Saluatorem,
Esa. 53. qui, secundum Esaiam, *tanquam ouis, ad victimam ductus est*,
Ioan. 1. & à Ioanne *agnus Dei, qui tollit peccata mundi* omnibus demonstratur: aut simplices quosq; & innocentes in Ecclesia significant. Capræ autem vel hædi in hostiam oblati aut carnem Saluatoris, quæ absq; peccato erat, & tamen pro peccatis humani generis Deo Patri oblata est: vt per eius mortem auctor peccati Diabolus iugularetur; aut pœnitentes pro peccatis suis significant, qui se per afflictionem carnis mactant Deo. Aues autem aut Christi humanitatem significant: sicut per turturem & columbam Christi caro spiritui sociata demonstratur in mysterio passionis per sacrificium Deo in odorem suauitatis oblata: aut sanctorum perfectionis contemplationem designat. Volatilia enim homines sunt contemplationi vacantes, terrenis omnino se non miscentes negociis. Quod & si forte necessitas exegerit, mox reuolant ad sublimia illo Euangelij iuuante testimonio, quo Domi-
Matth. 6. nus ait: *Considerate volatilia cœli, quia non seminant neq; metūt: & Pater vester cœlestis pascit illa.* Contemplationi ergo vacans & in superiorum consideratione perfectus homo (hoc enim quæ prædicta sunt docuerunt) si conuersationem siue vitam suam oblationē offert de turturibus, aut de colūbis offerat munus suum, id est, in scientia & mansuetudine spiritali. Hæc enim opus habet vt non excedat legis consideratio in vanis occupata. Turtur siquidē quia cognitionem habet: ita vt eius exemplo Iudæorum ex-
Ierem. 8. probraretur populus. Hoc Ieremias probat. Ait enim: *Turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Columba autem munda & simplex, annunciatrixq; præsentiæ sancti Spiritus est: quales oportet esse eos, qui circa contemplandas scripturas habent studium. Vnde Ezechias ait:
Esa. 38. *Meditabor vt columba.* Simile autem est & Sacramentorum sacrificium aut Sacramentum corporis Christi & sanguinis, quod in altari consecratur & à fidelibus ad augmentum salutis suæ percipitur: vel Ecclesiæ Catholicæ, quæ mystice corpus Christi est, figuram exprimit, & gratia abundat spiritali. Hæc e conuenientibus membris quasi similia ex multis credentium granis collecta est & legis & Euangeliorum mola inter litteram separata, per aquā etiam baptismatis adunata, chrismatis oleo peruncta, sancti Spiritus igne solidata, per humilitatem Spiritus Deo hostia placens effecta est. Similiter eadem ex multis personis, velut acinis botri, coadunata, & prælo passionis atque temptationum conquassata, vinum effundit spiritale. Legitur enim in scripturis Dominum victimas pecudum & hostias legales reprobasse, & sacrificium spiritale expetisse. Vnde est illud: *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Et item: *nunquid manducabo* ait, *carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Psal. 49. Ibid.
Sacrificium laudis honorificabit me: & illic tunc est, in quo ostendam illi salutare Dei. Et alibi: *Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam iubilationis cantabo & psalmum dicam Domino.* Psal. 115.
Vnde in psalmo sancta Ecclesia totam se Deo dedicans dicit: *Holocausta medullata offeram tibi cum incensu*, & reliqua. Psal. 65.
Quod autem absque fermento iubetur Dei esse oblatio, & sine melle: indicat apud Deum nihil voluptuosum, nihil suaue huius mundi placere, nihilque, quod non habeat mordacis aliquid veritatis. Vnde & pascha cum amaritudinibus manducatur. Econtratio misceri in omnibus sacrificiis sal iubetur, scilicet vt omnia, quæ ad Christi honorem offerimus, sal rationis ac discretionis semper accipiant. Quod vero in sacrificium oleum offerebatur, significat, vt quicquid ad cultum Christi & deuotionem sanctorum impendimus, totum cum hilaritate faciamus: *nihil,* vt ait Apostolus) *ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.
Vnde quoque moraliter nos vitulum offerimus Deo, cum carnis superbiam vincimus: agnum, cum irrationabiles motus corrigimus: hædum, cum lasciuiam superamus: columbam, cum simplicitatem custodimus: turturem, cum castitatem seruamus: hoc autem genus auium dicitur vnum & castum seruare coniugium. Similam & panes azymos offerimus, cum sine malitia & nequitia hanc vitam præsentem gerimus. Offert (verbi gratia) similam, qui in agri cultura aut nauigando aut in aliquibus communis vitæ vsibus positam offert conuersationem, oleo tamen conspersam: quia omnis anima eget oleo diuinæ misericordiæ, nec præsentem vitam euadere quispiam potest, nisi ei oleum cœlestis miserationis affuerit. Nec non & illud intimandum, quod iuxta mortalitatem per clibanum temptationum pondus exprimitur: per sartaginem constantia animi & robur mentis: per craticulam multiplex impugnatio non incongrue significatur.

Capvt XI.

De Sacramentis diuinis: vbi, quid in his homini gerendum sit, demonstratur.

Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, vt aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum est. Sunt autem Sacramēta, baptismus & chrisma, corpus & sanguis Domini; quæ ob id Sacramenta dicuntur, quod sub tegumento corporalium rerum virtus diuina secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur. Vnde & à secretis virtutibus vel sacris Sacramenta dicuntur. Quę ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt: quia sanctus in ea manens Spiritus eundem Sacramentorum latenter operatur effectum. Vnde seu per bonos seu per malos ministros intra Dei Ecclesiam dispensentur: tamen quia Spiritus sanctus mystice illa viuificat, qui quondam apostolico in tempore visibiliter apparebat; operibus nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hęc dona, nec malorum attenuantur: *quia neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3.
Vnde & græce mysterium dicitur, quod reconditam habeat dispensationem. Baptismus græce,

latine *unctio* interpretatur. Quæ idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo Spiritu gratiæ in melius immutatur, & longe aliud, quam erat, efficitur. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum: in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum. Vnde & in Canticis scribitur
Cant. 3. Canticorum: *Quæ est ista, quæ ascendit, quasi dealbata?* Cuius mysterium non aliter, nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti cognominatione, com-
Matth. 28. pletur, dicente Domino ad Apostolos: *ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*
Deut. 19. Sicut enim *in tribus testibus stat omne verbum*: ita Sacramentum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam Baptismus datur, hæc ratio est. Voluit enim Dominus, vt res illa inuisibilis per congruentiam, scilicet per contrectabile & visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur
Gen. 1. Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgat exterius corpus: ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus. Cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, vt in eis & caro & anima delictis inquinatæ mundentur. Hoc quoq; sciendum, quod quamuis Apostolica
Eph. 4. doctrina prędicet vnam esse fidem & vnum Baptisma: tamen sunt plura genera baptismatis, quæ purgant hominem à delictis, ac profectum conferunt sanctitatis. Nam legitur in Actibus Apostolorum, Dominum ascensurum
Act. 1. in cælum discipulis dixisse: *Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Vbi notandum, quod Baptisma Domini in Spiritu sancto, de quo prædixerat Ioannes, non ad illud solummodo tempus respicit, quando Apostoli & cæteri fideles illius temporis baptizati sunt aqua in remissionem peccatorum per gratiam Spiritus sancti donatam sibi à Domino: verum etiam quando, mittente ipso Domino, plenius eiusdem dona accepere Spiritus sancti de cælis: sed & nunc quicunq; Baptisma in remissionem peccatorum accipiunt, vtiq; in Spiritu sancto baptizantur, per cuius donum & a peccatis abluuntur omnibus, & in bonis proficere actibus adiuuantur. Item legitur Saluator in Euangelio de
Luc. 12. se dixisse: *Baptismum habeo baptizari, & coarctor, donec perficiatur:* in quo videlicet passionis suæ innuit Sacramentum: quoniam corpus suum, hoc est, sanctam ecclesiam per effusionem sanguinis sui lauauit à sordibus omnium pecca-
Apoc. 1. torum. Vnde scriptum est: *Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Hinc quoq; martyrium, quod pro Christi nomine patiuntur fideles, creditur esse purgatio
1. Pet. 2. omnium peccatorum: sicut dicit Petrus Apostolus: *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini*
Ioan. 8. *vestigia eius.* De quo ipsa Veritas testatur, dicens: *Qui sequitur me non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et ite-
Matth. 16 rum: *Qui vult,* inquit, *post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Nam qui perdiderit animam suam propter me in vitam æternam custodiet eam.* Præterea sunt & aliæ species mundationum, quibus animæ purgantur à delictis atq; peccatis. Nam creduntur animæ solui à peccatorum vinculis per confessionem & per pœnitentiam verum cum lachrymarum compunctione. Vnde est illud Ia-
Iac. 5. cobi testimonium: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Hinc & Psalmista ad Domi-
Psal. 31 num ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui: dixi, pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* & alibi: *lauabo* inquit,
Psal. 6. *per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Vbi *lectum* delectationem corporis intelligimus, quam potest homo lachrymis, quamuis paucis, lauare: si eum contingat cælesti inspiratione deflere. *Stratum* autem significat cumulum peccatorum, quem rigare iubemur, hoc est, vberius lauare, vt simus ex peccatore iusti, ex lugente læti, & ex ægroto sanissimi. Quod autem vera pœnitentia expurget hominem, & ad cæleste regnum perdu-
Matth. 4. cat, ostendit Dominus, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Item per bona opera & per eleemosynas purgatur homo à sordibus animæ. Vnde est
Psal. 25. illud Psalmistæ: *Lauabo inter innocentes manus meas.* Inter innocentes enim lauat manus suas, quisquis facta propria studio bonæ conuersationis emundat. Hinc & Saluator in Euangelio ait: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt* Luc. 11.
vobis. Et alibi scriptum est: *sicut aqua extinguit ignem: ita eleemosyna extinguit peccatum.* Adiuuat etiam hominem ad salu- Tob. 4
tem percipiendam æternam oratio pura. Adiuuat & prędicatio verbi diuini. Adiuuat & dilectio pura verę caritatis. Vnde est illud Iacobi. *Oratio fidei saluabit infirmum, & si* Iac. 5
in peccatis est, dimittentur ei. Et iterum: *Qui conuerti,* inquit, Ibid.
fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte & operit multitudinem peccatorum. Denique Saluator, quod dilectio remissionem peccatorum pariat, in Euangelio ad Simonem loquendo de muliere peccatrice, quæ pedes eius lachrymis rigauit, & capillis tersit, & vnguento vnxit: ostendit, dicens: *Amen dico tibi remittuntur ei peccata* Luc. 7.
multa: quoniam dilexit multum. Hinc & alibi scriptum est:
Caritas operit multitudinem peccatorum: & *vniuersa delicta operit caritas.* Chrisma græce, latine *vnctio* nominatur: ex cuius nomine & Christus dicitur, & homo post lauacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur: ita per vnctionem sanctificatio Spiritus adhibetur: & hoc de pristina disciplina, qua vngi in sacerdotium & in regnum solebant: ex quo & Aaron à Moyse vnctus est. Quod dum carnaliter fit, spiritualiter proficit: quomodo & in ipsa Baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergimur: sed spiritalis effectus, quod à delictis mundamur. Hoc significat & illud vnguentum, quod peccatrix super caput Iesu fudisse scribitur. Impositio ideo fit, vt per manus impositionem aduocatus inuitetur Spiritus sanctus. Tunc enim ille paraclitus post mundata & benedicta corpora libens à Patre descendit: & quasi super Baptismi aquam, tanquam super pristinam sedem, recognoscens quiescit. Nam legitur, quod in principio Gen. 1.
aquis superferebatur Spiritus sanctus. De residuis quoq; duobus Sacramentis, hoc est, corpore & sanguine Domini, quæri potest, cur inter omnes fructus terræ pomiferæ ad hoc elegerit frumentũ atq; vinum, quasi ipsa cunctos fructus terræ dignitate præcellant, & preciosiores omnibus fiant. Quod videlicet ita solui posse credimus. Maluit enim Dominus corporis & sanguinis sui Sacramenta fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, vt per visibile opus inuisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecus nutrit corpus & vegetat: ita etiam verbum Dei intus animam nutrit & roborat: quia
non solo in pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Deut. 8.
Dei: & Verbum caro factum est, & habitabat in nobis. Ait enim Matth. 4.
ipsa Veritas: *Caro enim mea vere cibus est, & sanguis meus vere* Ioan. 1.
est potus. Vere scilicet caro Christi est cibus: quia vere pa- Ioan. 6.
scit & ad æternam vitam hominem nutrit: & sanguis eius vere est potus, quia esurientem animam & sitientem iustitiam in æternum veraciter satiat. Temporalem quippe vitam sine isto cibo & potu habere possunt homines, æternam omnino non possunt: quia iste cibus & potus æternam societatem capitis membrorumq; suorum significat. *Qui manducat,* inquit, *meam carnem, & bibit sanguinem* Ioan. 6.
meum, in me manet, & ego in eo. Huius rei Sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, de Mensa Dominica assumitur quibusdam ad vitam, quibusdã ad exitiũ. Res vero ipsa omni homini ad vitã, nulli ad exitiũ, quicunq; eius particeps fuerit, idem Christo capiti membrum associatus in regno cælesti: quia aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute Sacramenti interior homo satiatur. Ergo quia panis corpus confirmat, ideo ille corpus Christi congruenter nuncupatur: vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur.

Hęc autem dum sunt visibilia, sanctificata tunc per Spiritum sanctum, in Sacramentum diuini corporis transeunt.

CAPVT

Caput XII.

De exorcismo.

Zach. 3. EXorcismus græce, latine coniuratio siue sermo increpationis est aduersum Diabolum vt discedat: sicut est illud in Zacharia: *Et ostendit mihi Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Dei, & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad Sathan: Increpet Dominus in te Sathan, & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem.* Hoc est exorcismo increpare & coniurare aduersus Diabolû. Vnde sciendum, quod non creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exufflatur: sed ille, sub quo sunt omnes, qui cum peccato nascuntur. Est enim princeps peccatorum.

Caput XIII.

De symbolo.

SYmbolum per linguam græcam signum vel cognitio interpretatur. Discessuri enim Apostoli ad euangelizandum in gentibus hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet autem confessionem Trinitatis & Vnitatis, & vnitatem Ecclesiæ, & omne Christiani dogmatis Sacramentum. Quod symbolum fidei & spei nostræ non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.

Caput XIV.

De oratione & ieiunio.

ORatio petitio dicitur. Nam orare est petere: sicut exorare impetrare. Constat autem oratio loco & tempore. Loco, quia non vbiq; cum prohibeamur à Christo in publico orare: sed vbi opportunitas dederit, aut necessitas importauerit. Neq; enim contra præceptum reputatur ab Apostolis factum, qui in carcere, audientibus custodibus, orabant & canebant Deo. De tempore vero dictum est: *Sine intermissione orate.* Sed hoc in singularibus. (1.Thess. 5.) Nam est obseruatio quarundam horarum communium, quæ diei interspacia signant: tertia, sexta & nona: similiter & noctis. Sed ideo hæ orandi horæ diuisæ sunt, vt si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Quæ tempora in scripturis inueniuntur. Primum enim Spiritus sanctus congregatis (Act. 2.) discipulis hora tertia infusus est: & Petrus qua die visionem communicationis in hoc vasculo expertus, sexta hora orandi gratia ascenderat. (Act. 10.) Idem etiam cum Ioanne hora nona templum adiit, quando paralyticum sanitati pristinæ reformauit. (Act. 3.) Sed & Danielem legimus hæc tempora in oratione obseruasse. Et vtiq; ex Israelis disciplina docemur, vt ne minus, quam ter, in die adoremus. Debitores enim sumus trium, Patris & Filij & Spiritus sancti. Exceptis vtiq; & aliis legitimis orationibus, quæ sine vlla admonitione debentur in ingressu lucis ac noctis siue vigiliarum: sed & cibum non prius sumere, quam interposita oratione. Priora enim habenda sunt Spiritus refrigeria quam terrena. Qui autem vult orationem suam ad Dominum volare, faciat illi duas alas: ieiunium & eleemosynam: & ascêdit celeriter & exauditur. Ieiunium est parsimoniæ victus, abstinentiaq; ciborum, cui nomen inditum ex quadam parte viscerum tenui semper & vacua, quod vulgo *ieiunum* vocatur. Vnde ieiunium nomen creditur deriuatû, quod sui media viscera vacua & exinanita existant. Ieiunium autem & statio dicitur. Statio autem de militari exemplo nomen accepit pro eo, quod nulla lętitia obueniens castris stationem militum rescindit. Nam lentius lętitia, tristitia sollicitius administrat disciplinam. Vnde & milites nunquam immemores Sacramenti magis stationibus parent. Discernunt autem quidam inter ieiunium & stationem. Nam ieiunium est indifferenter cuiuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio autem est obseruatio statutorum vel temporum vel dierum, vt quarta feria & sexta feria ieiunium ex veteri legê præceptû: de qua statione in Euâgelio dixit ille: *Ieiunio bis in sabbatho*, i. quarta & sexta sabbathi. (Luc. 18.) Temporum autem, quæ legalibus ac propheticis institutionibus terminatis temporibus instituta sunt: vt ieiunium quarti, quinti, septimi ac decimi: vel, sicut in Euangelio, dies illi, in quibus ablatus est sponsus: (Matth. 9.) vel sicut obseruatio quadragesimæ, quæ in vniuerso Orbe, institutione apostolica, obseruatur circa confiniû Dominicę Passionis. His tertium genus quidam adiciût, quod *xerofagiam* dicunt, abstinentiam scilicet ciborum humentium. Vnde & nomen hoc datum, eo quod quidam siccis escis vtantur.

Caput XV.

De pœnitentiæ satisfactione atq; exhomologesi.

POEnitentia appellata, quasi *punientia*, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Nam nihil agunt, quos veraciter pœnitet: nisi, vt id, quod male fecerint, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadet. Perfecta est autem pœnitentia, præterita deflere, & futura non admittere. Hæc secunda in similitudine fontis est: vt si forte, impugnâte Diabolo, aliquod peccatum irrepserit, huius satisfactione purgetur. Satisfactio autem est causas peccatorum & suggestiones excludere, & vltra peccatum non iterare. Reconciliatio vero est, quod post complementû pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quâdo primum à gentilitate conuertimur: ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur. Exhomologesis græco vocabulo dicitur, quod latine *confessio* interpretatur. Cuius nominis duplex significatio est. Aut enim in laude intelligitur confessio, sicut est: *confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ*: (Matth. 11.) aut dû quisq; confitetur sua peccata ab eo indulgenda, cuius indeficiês est misericordia. Ex hoc igitur græco vocabulo exprimitur & frequêtatur exhomologesis, quod delictum nostrum Domino confitemur, nô quidem, vt ignaro, cuius agnitioni nihil occultum est: sed confessio est rei scilicet eius, quæ ignoratur, professa cognitio. Vtile enim sibi ac iocundum quisquâ esse existimauerat rapere, adulterare, furari: sed vbi hæc æternæ damnationi obnoxia esse cognouit, cognitis his confitetur errorem. Confessio autem erroris, confessio est desinendi. Desinendum ergo à peccatis est, dum confessio est. Confessio antecedit, remissio sequitur. Cæterû extra veniam est, qui peccatum cognoscit, nec cognitum confitetur. Itaq; exhomologesis prosternendi vel humiliandi hominibus disciplina est, habitu atq; victu sacco & cinere incubare corpus, sordibus obscurare, animû mæroribus deiicere, illa, quæ peccant tristi tractatione mutare. Letaniæ autem græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur rogationes. Inter letanias vero & exhomologesin hoc differt, quod exhomologesis pro sola confessione peccatorum agitur: letaniæ vero, quæ indicuntur propter rogandum Dominum, & impetrandam aliquam eius misericordiam. Sed nunc iam vtrunq; vocabulû sub vna significatione habetur: nec distat vulgo, vtrum letaniæ an exhomologesis dicantur. Supplicationis nomen quodammodo nunc ex gentilitate retinet. Nam feriæ aut legitimæ erant apud eos, aut indictæ. Indictæ autem, quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione sacrificabat, aut certe de bonis damnatorum. Vnde & supplicia dicuntur supplicationes, quæ fiebant de bonis passorum supplicia. Sacræ enim res de rebus execrandorum fiebant.

EXPLICIT LIBER QVINTVS.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

De homine & partibus eius.

NATVRA dicta ab eo, quod nasci aliquid faciat. Gignendi enim & faciendi potens est. Hanc quidam Deum esse dixerunt, a quo omnia creata sunt & existunt. Genus à gignendo dictum, cui deriuatum nomen à terra, ex qua omnia gignuntur. *Ge* enim græce terrã dicunt. Vita dicta propter vigorem, vel quod vim teneat nascendi atq; crescendi. Vnde & arbores vitam habere dicuntur, quia gignuntur & crescunt. Homo dictus, quia ex humo est factus, sicut & in Genesi dicitur: Gen. 2. *Et creauit Deus hominem de humo terræ.* Abusiue enim pronunciatur ex vtraq; substantia totus homo, id est, ex societate animæ & corporis. Nam proprie homo ab humo dicitur. Græci autem hominem anthropon appellauerunt, eo quod sursum expectet, subleuatus ab humo ad contemplationem artificis sui. Quod Ouidius poeta designat, cum dicit.

> *Pronaq; cum spectant animalia cætera terram,*
> *Os homini sublime dedit, cælumq; * videre* * tueri.
> *Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Qui ideo erectus cælum aspicit, vt Deum quærat, non vt terram intendat, veluti pecora, quæ natura prona & ventri obedientia finxit. Duplex est autem homo, interior homo anima, & exterior homo corpus. Anima autem a gentilibus nomen accepit, eo quod ventus sit. Vnde & græci ventum * animos dicunt, quod ore trahentes aerem viuere videamur: sed apertissime falsum est: * anemoi. quia multo prius gignitur anima, quàm concipi aer ore possit, quæ iam in genitricis vtero viuit. Non est igitur aer anima, quod putauerunt quidam, qui non potuerunt incorpoream eius cogitare naturam. Homo quia ex duabus constat naturis: aliquando corpus humanum, aliquando etiam animam rationalem significat. De quo Apostolus ait: *Et si exterior homo noster corrumpitur: interior renouatur de die in diem.* Et alibi, interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Item in Psalmo diuersas species hominum ostendit propheta ita dicens: *Quid est homo, quod memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum. Quid est homo*] cum despectu pronunciandum est, id est, fragilis & caducus Adæ sequax, qui in veteri peccato permixtus socia prauitate conclusus est. Huius memor est Dominus, quando ei peccata dimittit, & misericordiæ suæ dona largitur: sicut in alio psalmo dictum est: *Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluntatis tuæ potabis eos.* Hoc est ergo esse memorem, conferre delinquentibus tantæ gratiæ sospitatem. *Aut filius hominis, quoniam visitas eum.*] Hic iam voce surgendum est, quia Dominum significat Saluatorem, qui non, vt cæteri mortales, ex duobus hominibus natus est: sed ex Spiritu sancto, & beatæ Mariæ semper virginis vtero, tanquam sponsus de glorioso thalamo, processit. Sequitur: *Minuisti eum paulominus ab angelis, &c.*] Hinc iã Domini Saluatoris humilitas narratur & gloria. Minoratus est enim non necessitate miseriæ, sed pietatis suæ spontanea voluntate, sicut Apostolus ait: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Sequitur: *Paulominus ab angelis*] quia crucem pro omnium salute suscepit. Ex ea siquidem parte Creator angelorum minor factus est angelis. Bene autem dixit, *paulominus:* quia etsi mortale corpus assumpsit, tamen peccata non habuit. Gloria vero & honore coronatus est, cũ post resurrectionem nimis & mirabilem, totius mundi credulitatem, Deus in eo, quod homo factus est exaltatus, accepit. Homo Christus est, vt in Esaia: *Quiescite ab homine,*

2. Cor 4.
Eph. 3.
Psal. 8.
Psal. 35.
Psal. 8.
Phil. 2.
Psal. 8.
Esa. 2.

cuius Spiritus in naribus eius. Et in psalmo: *Accedet homo ad cor altum.* De hoc homine & per alium prophetam dicitur: Psal. 63.
Et homo est, & quis cognoscet eum? Quod autẽ dupliciter homo intelligendus sit, ostendit Dominus ad Ezechielem prophetam dicens: *Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo,* & reliqua. Duplicem ergo nobis iuxta Apostolum (vt supra diximus) ostendit hominem, interiorem & exteriorem. Multi enim habentes hominis faciem corporalem, diuersarum bestiarum assumũt imagines, quas dissipare Propheta concupiscens deprecatur: *Domine in ciuitate tua imagines eorum dissipabis.* Illi, de quibus scriptum est: *Homo cum in honore esset, nõ intellexit: comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis,* non sunt homines homines, sed homines sunt iumenta. Rursum qui de Euangelio audiunt: *Serpentes genimina viperarum: quis ostendit vobis fugere ab ira ventura.* non sunt homines homines, sed sunt homines serpentes. Et de quibus scriptum est: *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos.* & de Herode: *Dicite vulpi huic* non sunt homines homines, sed sunt homines vulpes. Qui vero vtrunq; hominis vocabulum possidẽt, si errauerint: ideo per supplicia corriguntur, vt intelligãt, quòd Dominus ipse est Deus. Homines rationabiles quique intelliguntur de quibus in psalmo legitur: *Homines & iumenta saluos facies Domine.* Item homines peccatores, vt in psalmo: *Vos autem sicut homines, moriemini.* Aliquando vero homo peccatorem quemlibet & persecutorẽ significat, seu impiissimum Antichristum, de quo dicit Psalmista: *Exurge Domine, non praualeat homo.* Ipse est enim homo pessimus, quẽ humana non potest sustinere conditio, in quo tanta erit versutia vel potestas, vt sola Domini virtus eius possit superare nequitiam. Legitur & in Apostolo: *Vetus homo noster,* hoc est, homo peccati, *simul crucifixus est cũ Christo, vt destruretur corpus peccati.* Vnde iubet nos deponere veterem hominem cum actibus suis & induere nouum qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Omnia enim peccata & crimina simul corpus appellat, quòd destrui dicit per bonam vitam & fidẽ Catholicam. Crucifixio quippe interioris hominis pœnitentiæ dolores intelliguntur, & continentiæ quidẽ salubris cruciatus, per quam mortem mors impietatis perimitur. Spiritum idem esse, quod animam Euangelista pronuntiat, dicens: *Potestatem habeo ponendi animam meam* & rursum: *Potestatẽ habeo sumendi eam.* De hac quoq; ipsa Domini anima, passionis tempore, memoratus Euangelista protulit, ita dicens: *Et inclinato capite emisit Spiritum.* Quid est n. emittere Spiritum, nisi quod animam ponere. Sed anima dicta, propter quod viuit: Spiritus autem vel pro spiritali natura, vel pro eo, quod inspiret corpora. Item animum idem esse quod animam: sed anima vitæ est, animus consilii. Vnde dicunt philosophi etiam sine animo vitam manere, & sine mẽte animam durare. Vnde & amentes. Nam mentem vocari, vt sciat: animum, vt velit. Mens autem vocata, vt emineat in anima, vel quod meminit. Vnde & immemores amẽtes. Quapropter non anima, sed quod excellit in anima, mẽs vocatur, tanquam caput eius, vel oculus. Vnde & ipse homo secundum mentem imago Dei dicitur. Ita a. hæc omnia adiuncta sunt animæ, vt vna res sit. Pro efficientiis n. causarum diuersa nomina sortita est anima. Nam & memoria mens est. Vnde & immemores amentes. Dum ergo viuificat corpus, anima est: dum vult, animus est: dum scit, mens est: dum recolit, memoria est: dum rectum iudicat, ratio est: dum spirat Spiritus est: dum aliquid sentit, sensus est. Nam inde animus sensus dicitur pro his, quæ sentit. Vnde & sententia nomen accepit. Significatione Spiritus multiplex est. Aliquando Spiritus nomine ipse Deus demonstratur, cum scriptum est: *Deus spiritus est* & S. sanctus, de quo in Euãgelio Angelus ad Mariam dicit:

Ezech. 14
Psal. 72.
Psal. 48.
Matth. 3.
Matth. 8.
Luc. 13.
Psal. 35.
Psal. 81.
Psal. 9.
Rom. 6.
Eph. 4.
Ioan. 10.
Ioan. 10.
Ioan. 4.
Luc. 1.

Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus altissimi obumbrabit*
1.Cor.2. *tibi.*& Apostolus: *Spiritus,inquit,omnia scrutatur,etiam pro-*
2.Cor.3. *funda Dei.* Et iterum: *vbi Spiritus,inquit,Domini,ibi libertas.*
Aliquando etiam spiritus significat Angelicam naturam
Psal. 130. Vnde Psalmista ait: *Qui facit angelos suos spiritus.* Aliquan-
do animam hominis, vt supra ostendimus. Aliquando
sanctos viros & virtutum decorem atque spiritalem ha-
Gal.6. bentes. Vnde Apostolus ait: *Si quis praeoccupatus fuerit in a-*
liquo delicto: vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu
lenitatis. Aliquando spiritus vocatur ratio, quæ præemi-
Dan.3. net animæ, vt in Daniele: *Spiritus & animæ iustorum, bene-*
dicite Dominum. Aliquando spiritus animam iumento-
rum significat. Vnde Salomon ait: *Spiritus iumentorum de-*
Eccles.3. *scendat deorsum.* Aliquando vocem hominis significat.
Vnde dicit Apostolus: *Si orem lingua, spiritus meus orat.*
1.Cor.14. *mens autem mea sine fructu est. Orabo ergo spiritu,orabo & men-*
te. Aliquando increpationem cœlestem. Vnde dicitur
Psal.17. in Psalmo: *Ab increpatione tua Domine, ab increpatione spi-*
ritus iræ tuæ. Ostendit ergo prædicatores verbi,quia Spi-
ritu sancto inflammati, delinquentes populos increpa-
bant,quatenus à vitiis recederent. Aliquando ventum,
Psal.49. vt est illud: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Et in
contrariam partem spiritus nomine spiritalia vitia de-
notantur. Vnde dicitur spiritus superbiæ, spiritus iræ,
spiritus tristitiæ, spiritus fornicationis. Aliquando no-
mine spiritus ipse diabolus demonstratur. Vnde dici-
1.Reg.16. tur: *Recessit a Saul spiritus Domini bonus, & inuasit eum spiritus*
nequam a domino. Vnde & in Euangelio ipsa Veritas ait:
Matth.12. *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca in-*
aquosa, requiem quærens & non inuenit. Et paulo post sub-
iungit, dicens: *Tunc assumit septem spiritus nequiores se. &*
intrantes habitant ibi hoc est, cum plenitudine omnium
vitiorum. *Vnde fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.*
Corpus dictum eo, quod corruptum perit. Solubile e-
nim atque mortale est,& aliquando soluendum. Caro
autem à creando est appellata. Crementum enim se-
men est masculi, vnde animalium & hominum corpo-
ra concipiuntur. Hinc & parentes creatores vocantur.
Caro autem ex quatuor elementis compacta est. Nam
terra in carne est, aer in alitu, humor in sanguine, ignis
in calore vitali. Habent enim in nobis elementa suam
quæque partem: cui quid debeatur, ostendit compago
resoluta. Caro autem & corpus diuersa significant.
Non semper in corpore caro: in carne semper corpus
est. Nam caro est, quæ viuit, idem & corpus: corpus,
quod non viuit,idem non caro. Nam corpus dicitur aut
quod post vitam est mortuum,aut sine vita est cōditum.
Interdum & cum vita & corpus & non caro,vt herba &
lignum. Mystice enim corpus corporalem significat
creaturam, vel hominis corruptam naturam. Vnde le-
gitur in Apostolo,corpora esse cœlestia & corpora ter-
1.Cor.15. restria. Et alibi, *corpus,inquit,quod corrumpitur, aggrauat*
Sap.9. *animam.* Nam caro iuxta allegoriam aliquando signifi-
cat exteriorem hominem, aliquando literam legis &
carnalem sensum,aliquando sapientiam humanam,quę
contraria sentit Deo. Nam in Apostolo scriptum est:
Rom.8. *Prudentia carnis mors est. prudentia autem spiritus vita & pax.*
*est Vnum atque idem *esse,quod dicit: *prudentia carnis mors:*
3.Cor.3. & illud: *litera occidit.* Igitur prudentia carnis mors est.
Cum mors est? animæ sine dubio. Qui enim legem se-
cundum carnem,id est, secundum literam intelligit, nō
venit ad Christum qui est vita: & ideo prudentia carnis
mors est, prudentia vero spiritus vita & pax. Vitam
namque & pacem, quæ est Christus, habet,qui spiritali-
ter intelligit legem. Aliter prudentia carnis peccatum
est, quod generat mortem. Prudentia enim ideo dici-
tur, cum res stulta sit: qui secularibus hominibus erro-
res, visibilibus concepti, siue in sensu,siue in actu contra
Rom.8. legem Dei, prudentia videntur. *Quoniam* inquit Apo-
stolus, *sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est*
subiecta, nec enim potest. Quomodo enim sapientia car-
nis,hoc est, carnalis intelligentia non sit inimica Deo,
quæ aduersatur Christo? quæ non recipit eum, quem
Ioan.17. misit Deus? quæ dicit: *Nos legem habemus. & secundum le-*
gem debet mori. quoniam filium Dei se fecit. Notandum au-
tem, quod non carnem dixit inimicam, sed sapientiam
carnis: id est, non substantiā, sed actus aut cogitationem
siue assecurationem, quæ nata est de errore. Sapientia
ergo carnis est primum in loco astrorum ab hominibus
inuenta dispiratio. deinde visibilium affectatio. Hæc
inimica sunt Deo, quia elementorum Dominum, & O-
pificem mundi, his coæquant, quæ fecit: astruentes, ni-
hil posse fieri, præterquam mundi continet ratio. Quam-
obrem negant Deum fecisse, vt virgo pareret, aut mor-
tuorum corpora resurgerent: *quia stultum est*,aiunt,*vt*
fecerit Deus vltra quam sapit homo. Hinc & alibi scriptum Gal.5.
est: *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus vero aduersus car-*
nem. Et rursum: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* 1.Cor.15.
hoc est, peccatrix vita & sanguinolenta non meretur vi-
tam habere æternam. Neque corruptio incorruptelam
possidebit: sed sancti & iusti viri immutati & immorta-
les effecti per resurrectionem carnis in die iudicij ad re-
gnum simul cum Christo transibunt perpetuum. Sen-
sus corporis quinque sunt visus, auditus, odoratus, gu-
stus & tactus. Ex quibus duo aperiuntur & clauduntur,
duo semper potentes sunt. Sensus dicti, quia per eos
anima subtilissime totum corpus agitat vigore sentien-
di. Vnde & præsentia nuncupantur,quod sint præ sen-
sibus: sicut præ oculis,quæ præsto sunt oculis. Visus est
qui a Philosophis humor vitreus appellatur. Visum au-
tem fieri quidam asseuerant aut extrema æthera luce,
aut interno spiritu lucido per tenues vias à cerebro ve-
nientes,atque penetratis tunicis in aerem exeuntes, &
tunc commistione similis materiæ visum dantes. Visus
dictus,quod viuacior sit ceteris sensibus, ac præstantior
siue velocior, ampliusque vigeat,quantum memoria in-
ter mentis officia vicinior est cerebro, vnde omnia ma-
nant. Ex quo fit,vt ea,quæ ad alios pertinent sensus vi-
dere dicamus: veluti cum dicimus; *vide,quomodo sonat: vi-*
de,quomodo sapit sic, &c. Auditus appellatus, quod vo-
ces hauriat,hoc est,aere verberato suscipiat sonos. Odo-
ratus, quasi aeris odoris attactus. Tactu enim aere sen-
titur. Sic & Olfactus,quod odoribus efficiatur. Gustus
à gutture dictus. Tactus eo, quod pertractet & tangat,
& per omnia membra vigorem sensus aspergat. Nam ta-
ctu probamus, quicquid ceteris sensibus iudicare non
possumus. Duo autem genera tactus esse. Nam aut ex-
trinsecus venit,quod feriat:aut intus in ipso corpore ori-
tur. Vnicuique autem sensui propriam naturam datam.
Nam quod videndum est,oculis capitur: quod audiendum
est,auribus,mollia & dura tactu æstimātur. Sapor gustu,
odor naribus ducitur. In multis locis Scripturæ sacræ hi
quinque sensus corporis quinarium numerum mystice
exprimuntur;vt est illud in parabola Saluatoris,vbi nar- Matth.25.
ratur seruus à domino suo quinq; talenta accepisse, & ea
cum augmento eidem domino re[illegible] repręsentasse.
Similiter & in ceteris locis,vbi quinarius numerus inser-
tus est,aut quinq; libros Legis, aut quinq; sensus corpo-
ris mystica significatione demonstrat. Notandū autem,
quod idem ipsi sensus qui in exteriore homine descri-
buntur simili modo secūdum modum suum in interiore
esse manifestantur: quia spiritales res non corporalibus
sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. Vnde diuina
vox in cantico Deuteronomij ait: *Videte, quoniam ego sum* Deut.33.
Deus,& non est alius præter me. Et in Psalmo: *Attendite po-* Psal.77.
pulus meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris
mei. Et in Euangelio ipsa Veritas ait: *Qui habet aures au-* Matth.11.
diendi, audiat. Et in Apocalypsi: *Qui habet,* inquit, *aures* Apoc.2.
audiendi, audiat,quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et in Psalterio: Psal.33.
Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Et Apostolus: 2.Cor.2.
Christi, inquit,*bonus odor sumus & in his qui pereunt. & in his*
qui salui fiunt. Et in Euangelio Dominus mulierem hæ-
morroissam fide se tetigisse magis quam corpore osten-
dit, dicens: *Tetigit me aliquis: nam & ego sensi virtutem de* Luc.8.
me exisse. Sic ergo cum omni cautela obseruandum est,
quid ad corporis sensus,& quid ad animæ pertineat di-
gnitatem; ne forte confusus ordo,& irrationabilis æsti-
matio alicubi repugnare videatur veritati. Prima pars
corporis caput, datumq; illi hoc nomen eo, quod sen-
sus omnes & nerui inde initium capiunt, atque ex eo

omnis viuendi causa oriatur. Ibi enim omnes sensus ap-
parent. Vnde ipsius animæ, quæ consulit corpori, quo-
dammodo personam gerit. Caput vero, quod prima cor
poris pars est, vt supra diximus, iuxta alleg[illegible]iá aut Chri
Eph.5. stum signific[illegible] qui est caput corporis ecclesiæ: aut diui-
1.Cor 11. nitatem Salu[illegible]ris. Vnde legitur in Apostolo: *Caput mu-*
lieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus. Ponitur enim
Eccl.9. aliquando caput pro principalitate mentis. Vnde; scri-
ptum est: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum*
de capite tuo non deficiat: hoc est, omni tempore sint opera
tua & conuersatio munda, & oleum charitatis atque mi-
sericordiæ de mente tua nó deficiat. Inuenitur aliquan-
Psal.39. do caput pro initio poni, vt est illud: *In capite libri scriptum*
Gen.1. *est de me* & quia *in principio fecit Deus cælum & terram:* & *in*
Ioan 1. *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum;* &: *Deus erat*
Verbum. Inuenitur & aliquando nomine capitis prima-
tus cuiuslibet officii designari. Vnde dicuntur Apostoli
& Doctores Ecclesiæ capita esse gentium, quia principes
& magistri sunt fidelium populorum. Item caput incho
atio bonorum operum, sicut ipsa voluntas hominis, vt in
Leuit.1. Leuitico: *Ponet manum super caput hostiæ suæ.* Similiter & in
quibusdam locis duces & principes iniquorum capitis
Psal.39. nomine censentur. Vnde dicitur: *Multiplicati sunt super*
capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Vt ergo ostenderet
plus esse numerum infidelium, quam deuotorum, dicit,
multiplicatos esse perfidos Iudæos super numerum ca-
pillorum, id est, recte credentium. Vertex est ea pars, qua
capilli capitis colliguntur, & in qua cæsaries vertitur, vn
de & nuncupatur. Vertex enim quando in bonam par-
tem accipitur, significat summitatem iustitiæ vel perfe-
ctionem omnium virtutum: vt est illud in Salomone: *Co-*
Prou.4. *ronam enim gratiarum accipiet vertex tuus.* Item in malá par-
tem ponitur vertex, quádo summam nequitiam signifi-
Psal.109. cat: vt est illud Psalmistæ: *Verumtamen Deus conquassabit ca-*
pita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in de-
lictis suis. Capita inimicorum sunt auctores Iudaicæ sedi-
tionis; sed & hæreticorum sine dubitatione doctores. Il-
li enim in carne Christum persecuti sunt, ipsi autem cru-
deliores in ipsam etiam desæuiunt Deitaté, si dici fas est.
Hi tales sibi calumniarum inimicitias quærunt, vt ipsos
quoq; capillorú vertices perambulare ac perscrutari pos-
se videantur. Caluaria ab ossibus calua dicta per defe-
ctionem, & neutraliter pronunciatur. In Golgotha quip-
pe, quod interpretatur Caluaria, eo quod truncabantur
eo capita damnatorum, crucifixus est Dominus, vt vbi
prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla mar-
tyrij: & quomodo pro nobis maledictum crucis factus
est, & flagellatus, & crucifixus: sic pro omniú salute quasi
noxius inter noxios crucifigitur. Capilli vocati, quasi ca-
pitis pili, facti, vt [illegible] decoré præstent, & cerebrum aduer-
sus frigus muniant, [illegible]que à sole defendant. In capillis ve-
ro ornatus iustitiæ, & decor virtutum in fideli anima de-
monstratur. Cui pro bonis meritis & sapientiæ doctri-
na multiplex merces in æterna beatitudine reseruatur.
Math.10 Vnde ipse in Euangelio ait: *Vestri autem & capilli capitis o-*
mnes numerati sunt. Item capilli virtutes animæ designát:
Iud.16. sicut in libro Iudicum de Sampson legitur, qui capillos
postquam perdidit, statim ab inimicis captus lumen sci-
entiæ amisit. Possunt & in capillis fideles populi accipi,
qui maximum decus sua numerositate prębent ecclesię.
Cant.6. Vnde in Cantico canticorum Sponsus ad sponsam di-
cit: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte*
Galaad. Galaad enim *aceruus testimonij.* interpretatur:
quod bene conuenit adunatæ multitudini sanctorum.
Item capilli in contrariam partem positi reperiuntur in
Psal.39. Psalmo, vbi vitia designantur: *Multiplicati sunt,* inquit, *su-*
per capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Nec frustra
in comparatione delictorum capilli ponuntur: quia Do-
mini præcepto in veteri testamento sacerdotes ipsa simi-
litudine radebantur. Pili autem dicti sunt à pelle, qua
pro[illegible]eunt, sicut & pilo dicitur à pila, vbi pigmenta con-
dun[illegible]. Significant pili carnis cogitationes carnales,
q[illegible] radere nos à cordibus n[illegible]tris Scriptura sancta mo-
net. Vnde & in libro Numerorum iubentur Leuitæ ra-
dere omnes pilos carnis suæ. Pili carnis sunt quælibet
supe[illegible]ua hum[illegible] corrup[illegible]is. [illegible] carnis sunt vi[illegible]
veteris cogitationes, quas sic à mente incidimus, vt de a-
missione earum nullo dolore de[illegible]gemur. Leuita nam-
que, *assumptus*, vocatur. Oportet ergo Leuitas omnes
pilos carnis radere: quia is, qui in obsequiis diuinis as-
sumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogita-
tionibus mundus apparere, ne illicitas mens cogitatio-
nes proferat & pulchram animæ speciem, quasi pilis fru-
ctificantibus, deformem reddat. Cæsaries à cædendo vo-
cata: ideoque tantum virorum est, virum enim tonsum
esse decet, mulierem non decet. Tamen in Deuterono-
mio legimus captiuam mulierem ante nuptum radere Deut.21.
iussam cæsariem & circumcidere vngues, & deponere
vestem in qua capta est: quod significat [illegible]nimam, quæ a
Deo pulchre creata est, si in gentili conuersatione eam
inuenerimus, & sociare voluerimus corpori Christi, vt
deposito idololatriæ cultu induatur lugubribus pœni-
tentiæ indumentis, deploretq; patrem & matrem, h. est,
omnem memoriam mundi, eiusque carnales illecebras.
Deinde nouacula verbi Dei & doctrina omne peccatum
infidelitatis eius, quod mortuum & inane est, abradatur,
(hoc enim sunt capilli capitis, & vngulæ mulieris) atque
demum salutari lauacro mundata & purificata cóiunga-
tur sanctis Dei; sed cum iam nihil in capite mortuum,
nihil in manib. ex illis, quæ per infidelitatem mortis di-
cuntur, habuerit: vt neq; sensibus, neq; actib. immundú
aliquid aut mortuum gerat. Comæ sunt propriæ non cæ-
si capilli, & est Græcus sermo. Nam comas Græci caimos
à secando nominant. Vnde & cirrin tonderi dicunt. In-
de & cirri vocantur, quod etiam Græci mallonem vocát.
Comæ vero capitis mystice cateruæ sunt sanctorum, qui
Christo capiti fideli famulatu adhærent. Vnde in Can-
tico canticorum Sponsa de Sponso dicit: *Comæ eius sicut e-*
latæ palmarum nigræ quasi coruus. Hæc ergo comæ, *elatæ pal* Cant.5.
mæ dicuntur propter caput Domini: *nigræ* propter despe-
ctionem apud homines: *elatæ* ob victoriam: *nigræ* ob
pressuras. Crines propriæ mulierum sunt; dicti autem
crines eo, quod vittis discernantur. Vnde & discrimina-
lia dicuntur, à quibus diuisi religantur. Mystice autem
crines significant facta virtutum, quas homo habet ex
dono Spiritus sancti. Vnde in libro Iudicum legitur,
quod Sampson quamdiu septem crines capitis integros
habuit, inuictus fuit; postquam vero per fraudem mulie-
ris tonsus est, recessit ab eo fortitudo; quia quisquis per
gratiam Spiritus sancti virtutes spiritales seruat, illæsus
manet. Si enim propter peccatum euacuatus fuerit gra-
tia spiritali, infirmus factus paret inimicorum captioni.
Possunt & crines eleemosynarum largitatem significare.
Hinc est, quod in Euangelio mulier illa, quæ pedes Iesu Luc.7.
lachrimis lauit, crinibus extersit, & vngento vnxit: vt
instrueret nos minimis membris Christi compati debe-
re, & superflua pauperibus erogare, & odore bonarum
virtu[illegible]m illis ferre opem. De quibus ipse Dominus in
fine dicturus erit: *Quod ex his minimis fratribus meis fecistis,* Matth.25.
mihi fecistis. Aliquando etiam in crinibus exprimuntur
cateruæ fidelium, vt est illud in Cantico canticorum,
quod Sponsus ad sponsam dicit: *Vulnerasti cor meum so-* Cant.4.
ror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, &
in vno crine colli tui. In vulneratione cordis magnitudo
amoris Christi in ecclesiam intelligitur, qui fit in vnitate
sancta sanctorum, id est, oculorum, & in vnitate pia sub-
iectæ plebis, id est, crinium. Tempora sunt, quæ cal-
uariæ dextra læuaque subiacent, quę ideo sic nuncupan-
tur: quia mouentur, ipsaque mobilitate, quasi tempora,
quibusdam interuallis mutantur. Significant autem vi-
gilias corporis, quas homo debet habere temporanter
in statu præsentis temporis, donec veniat somnus mor-
tis. Hinc Propheta ex persona Christi in Psalterio ait:
Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, Psal.131.
aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, ta-
bernaculum Deo Iacob. Hæc omnia rationabiliter huma-
nitati Christi conuenire noscuntur. Somnus iste intelli-
gendus est requies mortis. Palpebrarum quoq; & tem-
porum motus vigiláriam eius ante mortem demóstrant:
quoniam reuera tempora capitis nostri requiem habere

non possunt, quando oculi crebris motibus agitati vigilare noscuntur. Prius enim posuit somnum, & postea, quemadmodum ipse somnus impleatur, exposuit. Bene ergo mors Domini somno similatur: quoniam triduana tátum pausatione susceptus est, qui nullam corpori corruptionem intulit, sed quietem. Facies dicta ab effigie. Ibi est enim tota figura hominis & vniuscuiusq; personę cognitio. Vultus vero dictus eo, quod per eum animi voluntas ostenditur: secundum voluntatem enim in varios motus mutatur. Nam facies simpliciter accipitur de vniuscuque naturali aspectu. Vultus autem animorum qualitatem significat. Facies autem duobus modis intelligitur, hoc est, corporea & spiritalis. Nisi enim esset interioris hominis facies, non diceret Apostolus: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes transformamur de gloria in gloriam tanquam à Domini spiritu.* Et iterum: *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate: tunc vero facie ad faciem.* Item facies summa in mente declaratio, vt in Euangelio: *Et faciem tuam laua.* Apertum est enim, nos nunc imagines videre per fidem: tunc res ipsas, hoc est, post resurrectionem æterna gloria. Quod autem Dominus ad Moysen dixit: *Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo, & viuet:* &, iuxta Iohannis vocem; *Deum nemo vidit vnquam:* ita intelligendum est, quod in hac corruptibili vita nullus perfecte contemplationem Dei habere potest. Viderunt enim patres testamenti veteris, Dominum, in hac vita positi, per quasdá imagines, quibus ipse se voluit ostendere: sed futuræ visionis eius gloriam illis reseruauit, qui eum in cœlesti beatitudine perpetualiter visuri sunt. Aliter ab eiusdem sententiæ virtute non abhorret, quod dicitur: *Non enim videbit me homo, & viuet.* quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter viuit: quia nemo potest amplecti Deum simul & seculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur. Nemo ergo Deum vidit, & vixit, ac si aperte diceretur: *Nullus vnquam Deum spiritaliter vidit, & mundo carnaliter viuit.* Vultus enim aliquando pro intellectu, aliquando pro voluntate & affectu positus est. Nam quod in Psalmo Propheta dixit: *proiectus sum à vultu oculorum tuorum*: Patri dicit Filius * à forma serui. Speraui, quia me gratia tua desereret, cũ passionis tristitia præualeret. In pauore vtiq; mortis à vultu oculorum tuorum proiectus sum, id est, in cóspectu misericordiæ tuæ. Et pulchre vultum dedit oculis, quia ipsi quam maxime significant voluntates animorum. Vultus enim dicitur ab eo, q̃ cordis velle per sua signa demonstret: sicut oculi diuinitatis, cum respiciũt suam gratiam, pollicétur. Illud autem, quod dicitur: *Vultus Domini super facientes mala* pronuntiat vultum Dñi, id est, intellectum esse super malos, quos sic attendit, vt non respiciat: sic nõ respicit, vt tamen eorum facta cognoscat. Frons ab oculorum foraminib. nominata est. Hæc imago quædam animi, métis motum specie sua exprimit, dum vel læta vel tristis est. Iuxta allegoriam frons verecundiam mentis aut impudétiam significat. Vnde erubescere dicitur, qui compungitur pro delictis suis, & se meliorare studuerit. Aliter de impudentis fronte exprobratur Ierusalem per Prophetam scelus suum, cum ei dicitur: *Frons mulieris meretricis facta est tibi.* Et iterum Dominus ad Ezechielem ait: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem & vt silicem, dedi faciem tuam. Domus Israel attrita frontis est, & procacis audacia, & duro sit corde, & scorpionibus comparatur: ideo dedi tibi vultum durissimum, & frontem, quæ nullo pudore superetur.* Ex quo discimus interdum gratiæ esse Dei, impudentiæ resistere, vt cum locus popoścerit, frontem fronte conterere. Hoc autem tribuitur, ne nostra verecundia & humanus pudor pertimescat insidias æmulorum. Et in eodem Propheta legitur, quod Dominus iuberet viro, qui indutus erat lineis, & attramentarium scriptoris habebat in lumbis suis, vt transiret per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signaret Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Quæ litera speciem crucis Christi tenet, & signatur in frontibus fidelium, & confirmatur in cordibus electorum. Vnde dicit Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: quia sicut nummus Imperatoris portat imaginem, ita & fidelibus signa cœlestis principis imprimuntur. Oculi vocati, siue quia eos ciliorum tegmina occultunt, ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur; siue quia occultum lumen habent, id est, secretum vel intus positum. Hij inter omnes sensus viciniores animæ existunt. In oculis enim omne mentis iudicium est. Vnde & animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. Oculi autem idem & lumina: & dicta lumina, quod ex eis lumen manat, vel quod ex initio sui clausam teneant lucem, aut extrinsecus acceptam visui præponendo refundant. Oculus igitur nõ solum corporis visum, sed etiam cordis demonstrat intuitum. Quod Psalmista ostendit, dicens: *Leuaui oculos meos in montes* & in Hieremia, *leua*, inquit, *oculos tuos, & vide* Nam cum dicit: *leuaui*, ostendit ad contemplationem aliquam fuisse prouectum. Leuare enim est aliquid ad altiora transferre. *Oculos meos*, vtique cordis aspectum, de quibus scriptum est: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et illud: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Nam si istos carnales aduertas, quid potuisset inde perficere? Si montes consitos siluis aut saxis squalentibus legisset intendere. Sed hoc si spiritaliter inquiras, omnino proficuum est, vt oculos cordis sui, siue ad sanctos viros, siue ad libros diuinos, siue ad sublimes angelos credatur eleuasse, qui magnitudine & firmitate vere montes sunt. Vnde etiam competens sustinebatur auxilium. Et in Euangelio ipsa Veritas ait: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Hic vero cogitationem & sensum in diuersa volitátem nuncupauit oculum: per dexteram autem voluntatis & affectuum initia demonstrantur. Quam sententiam & aliter possumus intelligere. Videtur mihi non incongrue accipi in hoc loco debere oculum, dilectissimum amicum. Nam hoc est vtique, quod membrum recte possumus appellare, quod vehementer diligimus, & ipsum consiliarium, quia oculus est, tanquam demonstrans iter in rebus diuinis, quia dextra est: vt sinister sit dilectus consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus. Item in illo Euangelio, vbi Dominus discipulis ait: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, ibi intellectus fidelis & simplex affectus demonstratur, quo Dominus intuendus est. Nam & in illa sententia, qua Saluator ait: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Per oculum intentionem cordis, & intellectum animi designat, quia cum bona intentione & voto placendi Deo aliquid agimus, totum corpus operis nostri illuminatur. Quod si intentio peruersa erit, etiam o[c]ulus per eam confectum tenebrosum erit. Oculi duo actiuam & contemplatiuam vitam (vt quidam volunt) figurare dicunt. Denique quando legimus, oculos Domini nos respicere, vt est illud: *Ecce oculi Domini super timentes eum:* &; *oculi Domini super iustos:* continuam gratiam diuinitatis ostendit: quia pietas ipsius eos protegit, quos se timere cognoscit. Scire etenim debemus, quod oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos: quia nihil illum latet: *omnia enim nuda & apta sunt oculis eius*: sed bonos respicit miserando, malos autem per iudicium damnando. Pupilla est medius punctus oculi, in quo vis est videndi: vbi quia paruæ imagines nobis videntur, propterea pupillæ appellantur. Nam paruuli pupilli dicuntur. Hanc plerique papulam vocant. Vocatur autem pupilla, quod sit pura atque impollura, vt sunt puellæ. Phisyci dicunt, easdem pupillas, quas videmus in oculis, morituros ante triduum non habere, quibus non visis certa est desperatio. Circulus vero, quo à pupilla albę partes oculi separantur discreta nigredine, corona dicitur, quod rotunditate sui ornet ambitum papulæ. Mystice pupilla oculi significat intentionem puri cordis, per

Margin notes: 2.Cor.3. — 1.Cor.13. — Matth.6. — Exod.33. — Ioan 1. — Exod.33. — Psal.30. — * in — Psal.33. — Ierem.3. — Ezech.3. — Ezech.9. — Psal.4. — Psal.120. — Ierem.3. — Psal.118. — Psal.18. — Matth.5. — Luc.10. — Matth.6. — Psal.32. — Heb.4.

quam cernitur iustitia, & discernitur verum à falso. Vnde
Psal. 16. Propheta precatur in Psalmo dicens: *Custodi me Domine, vt pupillam oculi.* Pupilla est enim (vt supra ostendimus) in medio posita perspicua pars oculi, qua corporum colores varia qualitate discernimus, dicta à paruitate sui pupilla, quasi pusilla. Huic conuenienter comparatus est Christus, cui datum est in iudicio suo iustos à peccatoribus segregare. Aptissime itaq; petit custodiri se, vt pupillam oculi, quando & per ipsam res visuales discernimus, & in nostro corpore nihil præstantius inuenitur. Palpebræ sunt sinus oculorum à palpitatione dictæ, quia semper mouentur. Concurrunt n. inuicem vt assiduo motu reficiant obtutum. Munitæ sunt autem vallo pilorũ, vt apertis oculis si quid inciderit repellatur, & somno cohibentib tanquam inuoluti, quiescant latentes. In summitate aũt palpebrarum, locis, quibus se vtraq; clausa contingunt, existãt admoti ordine seruato capilli, tutelã oculis demonstrantes, vt irruentes facile iniurias excipiant, ne ex eo noceatur; vt pulueris vel cuiusquam crassioris materiæ arceant cõtactum, aut ipsum quoq; aerem concidendo mitificent, quo tenuem atq; serenum faciant visum. Palpebræ mystice possunt accipi occultæ dispensationes Dei, quę gerũtur in homine. Vnde dicitur in Psalmo de Domino: *Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius*
Psal. 10. *interrogant filios hominum.* Ergo quia in Dño membrorum ministeria per allegoriam frequẽter aptantur: dicit enim non solum, quãdo intendit oculis, sed etiam tunc requirere, id est, considerare filios hominum, cum ea negligere quasi dormiens æstimatur. Palpebræ quippe Dei, eius iudicia sunt, quæ aliquid nobis claudunt, aliquid aperiunt; quæ aperiendo nos interrogant, si intelligendo nõ extollimur: claudendo nos interrogant, si non despicimus, quæ intelligere non valemus. Item in Iob de Leuiathan ita scriptum est: *Oculi eius vt palpebræ diluculi. Ster-*
Iob 41. *nutatio eius splendor ignis*; quia sternutatio caput maxime maxime concutit: sternutatio istius vocatur illa extrema commotio, qua damnatum hominem ingreditur, & per eum superbis principatur. Recte eius sternutatio splendor ignis vocatur. Ante reproborum enim oculos ignis apparet, cum signorum virtutibus lucet Et oculi eius, vt palpebræ diluculi.] Nam consiliarij eius in oculis designantur. Qui recte palpebris diluculi comparantur. Palpebris namq; diluculi extremas noctis horas accipimus, in quibus nox quasi oculos aperit, dum venturæ lucis iam initia ostẽdit. Lachrimas quidam à laceratione men-
*dacrya tis putant dictas, alij existimant ideo, quid Græci *darsina vocant. Quid enim lachrimæ ex compuncto corde effusæ efficere possint, ostendit Propheta dicens: *Fuerunt*
Psal. 41. *mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte.* Audiant hoc, qui Domino flere non appetunt, iuges lachrimas non inediam, sed satietatem potius intulisse. Nec immerito; quia fletus ille cibus est animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum; refectio mentium, lauacra culparum. Sed per has lachrimas significat afflictionib. erudiri posse populum. Diem prosperitatem debemus accipere, noctem vero tristitiam. Cilia sunt tegmina, quibus cooperiuntur oculi: & dicta cilia, quod celant oculos, tegãtq; tuta custodia. Supercilia dicta, quia supposita sunt ciliis, quæ idcirco pilis vestita sunt, vt oculis munimenta prætendant, & sudorem à capite defluentem depellant. Intercilium vero est medium illud inter cilia & supercilia, quod sine pilis est. Quid supercilia significent, superius dictum est: vbi per legislatorem in mundatione leprosi radi iubẽtur capilli capitis, barbaq; & supercilia, & omnis pilus, qui in corpore est. Genæ sunt inferiores oculorum partes, vnde barbæ inchoant. Nam Græci genos barbæ: hinc genæ, quod inde incipiant gigni barbæ. In genis ergo aliquando virtutes, aliquãdo spiritales partes iuxta allegoriã significantur. Nam Sponsa de Spon-
Cant. 5. so in Canticorum dicit: *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis.* In genis Saluatoris nostri, eius modestia, pietas, simul & seueritas exprimitur. Areolæ aromatum, virtutes & dulcedo & fama gloriæ eius designatur. Pigmentarij vero Prophetæ sunt & Apostoli, & qui futura incarnationis eius arcana patefecerunt.

Item Sponsus de Sponsa dicit: *Cortex mali punici, genæ tuæ* Cant. 6.
absque occultis tuis. Genæ sanctæ spiritales sunt Partes, qui virtutibus sunt mirabiles, & moribus venerabiles, & in cruce Christi gloriari non erubescunt. Et hæc magna sunt valde, quæ videntur; sed multo maiora, quæ non videntur, & in futurum reseruantur: *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus* 1. Cor. 2.
his, qui diligunt eum. Item Sponsus ad Sponsam dicit: *Pul-* Cant. 1.
chræ sunt genæ tuæ, sicut turturis: hoc est, tanta te verecundię salutaris virtute decoraui, vt castitatem promissæ mihi fidei nulla prauorum doctorum seductione corrumpas. Malæ sunt eminentes sub oculis partes ad protectionem eorum suppositæ, vocatæ malæ, siue quod infra oculos prominent in rotunditatem, quam Græci mela appellant: siue quod sint supra maxillas. Maxillæ per diminutionem à malis, sicut paxillus à palo, taxillus à talo. Maxilla ergo aut doctores significat, aut disciplinã corporalem, per quam bruti & inobedientes constringuntur. Nam quod in libro Iudicum scriptum est: Sampson Iudic. 15.
maxilla asini vel mandibula pulli asinarum deleuisse & percussisse mille viros: typice exprimit gestas Saluatoris nostri. Quid hic per maxillam asini, nisi prædicatorum ecclesiæ personæ signantur? Redemptor enim noster, simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manus virtute tenens, à vitiis suis carnales interfecit, & maxilla in terram proiecta postmodum aquas sudit: quia data morti prædicatorum corpora magna populis monstrauere miracula. Quod autem in Psalmo scriptum est: *Nolite fieri, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus: in* Psal. 31.
freno & chamo maxillas eorum constringe. Ideo ergo istæ comparationes sunt positæ, quia equus sine discretione, sessoris seruit arbitrio, & à quocunque fuerit ascensus, excurrit. Mulus autem patienter accipit sarcinas, quibus fuerit oneratus: & pro hoc vtrique intellectum non habent, quia nec ille eligit, cui obediat; nec iste cuius oneribus ingrauetur, intelligit. Prohibet ergo huiuscecemodi homines diabolicis fraudibus insideri, & vitiorum oneribus prægrauati, ne male obediendo superbiæ magis partibus addicantur. Nam quod ait, *in freno*, ad equum pertinet: frenum enim à ferum retinendo dictum est. Ferum quippe antiqui caballum dixerunt. *In chamo*, ad mulũ respicit. Maxilla vero adminicula sunt animalium quibus esca manditur, vt corporis vita procuretur. Ipsas ergo maxillas per figuram allegoricam dicit inobedientibus debere constringi, id est, copias victuales parcius dari, vt ieiuniorum necessitate, conclusi, Creatoris subdantur imperio. Barbam veteres vocauerunt, quod virorum sit, non mulierum. Barba autem significat Apostolos vel Apostolicos viros. Vnde est illud: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in* Psal. 132.
oram vestimenti eius. Barbam siquidem bene dicimus Apostolos: quoniam hæc robustissimæ virilitatis indicium est, & fixa sub suo capite, id est, Christo perseuarat. Multis enim passionibus diuino munere superatis, Apostoli viros se constantissimos per Dei gratiam probauerunt: seruantes etiam regulas, quas à Domino acceperunt, sub suo mansisse capite monstrauerunt. Sed ne hanc barbam cuiuscunq; hominis fortassis aduerteres, addidit *Aaron*, qui Christi speciem proferens, iam tum in sacerdotio suo sub quadam imagine gestabat. *Quod descendit in oram vestimenti eius.*] Ora vestimenti Domini Saluatoris significatur ecclesia, quia vsque ad extremitates eius descendit Spiritus sanctus, quando baptizatos vsque in finem seculi misericordiæ suæ dignatione sanctificat. Auribus inditum nomen à vocibus hauriendis. Vnde & Virgilius: *vocemque his auribus hausit.* Aut quia vocem ipsam Græci audenliden vocant, ab auditu per immutationem literæ, aures, quasi *audes*, nuncupatæ sunt. Vox enim repercussa per anfractus eorum sonum facit, quo sensum excipiant audiendi. Per aures enim (vt iam diximus) mystice auditus internus animæ significatur, siue obedientia in præceptis Dei, seu auditus fidei vel intellectus. Vnde scriptum est. *Qui habet aures audiendi, au-* Matth. 11.
diat, hoc est, corde intelligat. Et iterum in malã partem: *Aures eorum aggraua, ne forte audiat.* Rogamus etiam Deum Esa. 6.

exaudire preces nostras. Vnde est illud Psalmistæ: *Ex-*
Psal. 16. *audi Domine iustitiam meam, intende deprecationi meæ*: hoc est,
clementi preces nostras suscipe affectu. Nam intende-
re oculorum est preces admittere aurium. Sed ideo ista
verba sociata sunt, vt ambarum rerum vnus intelligere-
tur effectus. Quicquid enim vel auris audit, vel oculus
videt, vel manus palpat, vel quæ palatus gustat, vel na-
sus odoratur: Deo sola contemplationis virtute notissi-
ma sunt. Nares idcirco nominantur, quia per eas vel
odor, vel spiritus manare non desinit: siue quia nos
odore admonent, vt norimus aliquid, ac sciamus. Vnde
contra inscii ac rudes ignari dicuntur. Olfecisse enim
scisse veteres dicebant. In odoratu enim discretio boni
ac mali designatur. In Scriptura vero sacra vocabu-
lorum aliquando fatuitas, aliquando antiqui ho-
stis instigatio, aliquando vero præscientia solet intel-
ligi. Naribus namque fatuitas designatur scientiæ, vt
superius Salomone attestante docuimus, qui ait: *Circulus*
Prou. 11. *aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Narium no-
mine exhalantes insidiæ atque instigatio antiqui hostis
accipitur, quod in libro Iob de illo Dominus attestatur,
Iob 41. dicens: *De naribus eius procedit fumus*: ac si dicat: *De peruersa*
inuestigatione illius in humanis cordibus caligo nequissimæ cogi-
tationis surgit, per quam videntium oculi tenebrescant. In na-
ribus quoque præscientia designatur, sicut per Prophe-
Esa. 2. tam dicitur: *Quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus*
eius: quia excelsus reputatus est ipse. Redemptoris ergo no-
stri spiritus esse in naribus eius dicitur: vt videlicet sci-
entia illius esse in præscientia designetur. Per nares ali-
quando insidiæ antiqui hostis. Nam in cantico canti-
Cant. 7. corum Sponsus ad Sponsam dicit: *Nasus tuus sicut turris*
Libani. In naso verbi Dei dispensatores, causa discretio-
nis, designatur turris: quia eminentissimũ locum tenent
Iob. 27. in ecclesia. Item in naribus spiraculum fidei bonarumq;
Iob. 41. virtutum exprimitur, vt est illud in Iob: *Spiritus diuinus in*
naribus meis. Item in malam partem narium trahitur si-
gnificatio, vbi Dominus de Leuiathan ad Iob locutus
Iob. 40. ait: *De naribus eius procedit fumus*, id est, diaboli: quia de
miraculorum insidiis ad momentum etiam caliginosa
dubietas generatur. Hinc rursum de Behemoth ait: *In*
sudibus perforabit nares eius. Quid per sudes, nisi acuta con-
silia sanctorum, quæ huius Behemoth nares perforant,
dum sagacissimas eius insidias & vigilando circumspi-
ciunt & superando transfigunt? Siue ipsius verba Domi-
ni sudes sunt, quibus Behemoth nares perforantur? Qui
cum Deum incarnatum esse dubitaret, hoc ex petitis
Matth. 4. miraculis tentando cognoscere voluit, dicens: *Si filius*
Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Sed à Domino audiuit
hæc, & hæc sententiarum eius acuminibus indagatio
antiqui hostis perculsa est. Os dictum, quod per ipsum,
quasi per ostium, & cibos intromittimus, & sputum fo-
ras proiicimus: vel quia vnde ingrediuntur cibi, inde
egrediuntur sermones. Os aliquando per significatio-
nem ipsum Verbum, hoc est, Iesum Christum, qui no-
bis suam patrisque annunciat voluntatem, aliquan-
Esai. 1. do Spiritum sanctum, vt est illud: *Os Domini locu-*
tum est. Loquitur vtique ipse, qui loqui facit. Nam
quamuis alieno ministerio sermo depromatur: Spiritus-
sanctus tamen loquitur, cuius præcepta vulgantur, sicut
2. Pet. 1. dicit beatus Apostolus Petrus: *Non enim vnquam volun-*
tate humana allata est prophetia: sed Spiritu sancto afflati lo-
cuti sunt sancti homines Dei. Aliquando internam cogita-
Psal. 36. tionem hominis ostendit, vt est illud: *Os iusti meditabitur*
sapientiam. Non enim dicit, *meditatur*, sed *meditabitur*, de
futuro. Os hic cogitationem debemus accipere: quia
de lingua sequitur, quid loquatur. Meditabitur ergo
sapientiam, non scripturarum lectione, sed cordis pu-
rissima visione. Ibi enim non literis sapientia colligi-
tur, sed cœlesti largitate inelaborata præstatur. Simi-
liter os in contrariam partem ponitur, vbi ad peccato-
rem dicitur; *Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua con-*
Psal. 49. *cinnauit dolum.* Os pro dolosa cogitatione positum est,
& lingua pro falsa laudatione, vel consilio maligno. Os
Matth. 49 locutio bona vel mala, vt in Euangelio: *Ex verbis tuis*
iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Aliquando ve-
ro os ponitur pro ipsis verbis, vt est illud in Apocalypsi; *Apoc. 14.*
Et in ore ipsorum hoc est, in verbis eorum, *non est auditum*
mendacium. Et in Psalmo: *Os meum loquetur sapientiam,* *Psal. 48.*
& meditatio cordis mei prudentiam. Sapientia pertinet ad
res diuinas edocendas, prudentia ad res probabiles in-
stituendas. Sic omnis sermo diuinus duabus his virtu-
tibus indicatur. Labia à lambendo nominata. Quod
autem superius est, *labium* dicimus: quod inferius eo
quod grossius sit, *labrum.* Alij virorum *labra*, mulierum
labia dicunt. Labia aliquando pro occulto verbo, ali-
quando pro manifesto ponuntur. Pro occulto, vt est il-
lud Salomonis: *Labia iusti considerant placita, & os impio-* *Prou. 10.*
rum peruersa. Pro manifesto autem, vt est illud in Psalmo:
Labia mea laudabunt te. Item in Cantico canticorũ Spon- *Psal. 62.*
sus ad ad Sponsam dicit: *Sicut vitta coccinea, labia tua: &*
eloquium tuum dulce. Vitta coccinea doctrina veritatis in- *Cant. 4.*
telligitur. Labia sponsæ cocco assimulantur, quia Do-
mini sanguinis, quo redempta est, pretium prædicare
non cessat ecclesia, vel quia prædicatio sancta charitatis
ardore flammescit. Item Sponsus de Sponsa dicit: *Labia* *Cant. 5.*
illius lilia distillantia myrrham primam. Labia illius, verba
sunt doctrinæ; *lilia*, quia claritatem regni cœlestis pro-
mittunt: *distillantia myrrham primam*: quia per contem-
ptum voluntatum præsentium ad hanc perueniendũ esse
prædicant. Linguæ à ligando cibo putat Varro nomen
impositum: alij, quod particulatos sonos verborũ ligat.
Sicut n. plectrum chordis, ita lingua illiditur dentib. &
vocalem sonum efficit. Sic & lingua, eo quod eloquium
format, pro loquela ponitur. Vnde dicuntur genera lin-
guarum: quia diuersi sunt soni verborum. Loquebantur
n. variis linguis Apostoli, *magnalia Dei* quia Spiritussancti *Act. 2.*
gratiam acceperunt loqui posse omnibus linguis laudem
Dei. Item lingua doctrina recta vel praua, vt in Salomo-
ne: *Labia sapientium disseminabunt sapientiam, lingua prauorum* *Prou. 15.*
peribit. Dentes Græci *odontes* vocant & inde in latinum
trahere nomen videntur. Significant dentes aliquando
Doctores Ecclesiæ, vt est illud in Cantico canticorum;
Dentes tui sicut greges tonsarum. In dentibus vero perfectio- *Cant. 4.*
res quiq;, & ad regendam ecclesiam Dei aptiores desi-
gnantur. Illi enim comminuunt sentẽtias sacrarum scri-
pturarum, & in pastum redigunt fidelium animarum. I-
tem in Psalmo Propheta ad Dominum dicit: *Dentes pec-* *Psal. 3.*
catorum contriuisti, id est, detrahentium verba mordacia,
qui potestati diuinæ nefandis dogmatib. obloquuntur.
Dentes enim dicti sunt à demendo: & ideo pulchre ni-
mis linguę detrahentium, dentes vocantur: quia sicut illi
ciborum partes demunt, ita & isti opiniones hominum,
adhibita detractione corrodunt. Dentes intellectus si-
ue locutio bona vel mala, vt in Exodo: *Oculum pro oculo,* *Exod. 21.*
dentem pro dente. Palatum nostrum, sicut cœlum est posi-
tum; & inde palatũ à polo per diriuationem. Sed & gręci
similiter appellant, eo quod pro sui concauitate cœli si-
militudinem habeat. Sicut palatũ super linguam extat,
& sub eo verba formantur, sic nostra locutio cœlesti sa-
pientiæ & spiritali doctrinæ subiungere se debet, vt vti-
lem doctrinam & proficuam auditoribus suis proferre
possit. Fauces à fundendis vocibus nominatæ, eo ꝙ per
eas fundimus voces. Arteriæ vocatæ, siue quod per eas à pul-
mone aer hoc est, spiritus fertur; seu quod artis & angu-
stis meatib⁹ spiritum vitalem teneant. Vnde vocis sonos
emittunt, & soni vnomodo sonarent, nisi linguæ motus
distantias vocis efficeret. Fauces iudicium intellectus si-
gnificare valẽt; vt est illud: *Vbi sunt fauces meæ: nonne sapien-* *Iob. 6.*
tiam meditantur? Item fauces mandatorum Dei custodiã
significant: quia sicut* per sonos faucium verba proferre ** homo*
debet; sic doctor Catholicus per mandatorũ Dei custo-
diam, prædicationis suæ profectũ ostendere debet. Hinc
in Psalmo scriptũ est: *Lingua mea adhæsit faucibus meis.* Nam *Psal. 12.*
cum omnis gustus sapiat in palato, considerandum hic,
quare dixit, *faucibus meis*: Fauces enim sunt gutturis no-
stri via, vbi iam deglutita dulcedo nulla sentitur. Sed
quod de eloquio Domini erat absolute dicturus mira-
biliter illam partem posuit, vt cito ad cordis nostri pene-
trabilia perueniret. Rursum scriptum est: *Laboraui cla-* *Psal. 68.*
mans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Laborabat ergo Christus

clamans, quando non audiebatur à perfidis; raucæ factæ sunt fauces eius, quia dicta eius nequaquam sacrilegus populus audiebat. Mentum dictum, quod inde mandibulæ oriantur: vel quod ibi iungantur. In mento n. vbi barba maxime protenditur, ostendit adesse debere man suetudinem veteræ doctrinæ, nec aliquid ibi commisceri fraudis & malitiæ. Hinc enim, quod Ioab Amasæ mentũ dextra manu tenuit, sed sinistra gladium latẽter mittens eius viscera effudit. Dextera namq; mentum tenere est quasi ex benignitatibus blandiri: sed sinistram ad gladiũ mittit, qui latenter ex malitia percutit. Collum dictum, quod sit rigidum, & hæret vt columna baiulans caput & sustentans, quasi *capitolium*. Cuius anterior pars gula vocatur, posterior Ceruix. Ceruix autem vocata, quod per eam partem cerebrum ad medullam spinæ dirigatur, quasi cerebri via. Veteres autem plurali tantum numero *ceruices* dicebant. Primus Ostentius *ceruicem* singulariter dixit. Ceruix autem numero singulari membrum ipsum significat. Nam pluraliter contumaciam sæpe demonstrat. Cicero in Verrinis: *Prætorem tu causei, frange ceruices.* In collo intelligentiæ decor vel prædicationis fortitudo, siue etiam doctores sancti exprimuntur: vt est illud in Cantico canticorum: *Collum tuum sicut monilia,* & iterum: *sicut turris*, inquit, *Dauid collum tuum.* Turris Dauid ecclesia est Catholica: collum, prædicatores sancti. Vnde in eadem ciuitate constantia firma est, & vndique *inexplanabilis. Item collum vel ceruix in malam partem accipitur; vt est illud de sapientia testimonium: *Superborum & sublimium colla propria virtute calcauit.* Et in Psalmo: *Dominus*, inquit, *iustus concidet ceruices peccatorum.* Ceruices autem pro superbia positas Scriptura testatur, dicens: *Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit.* Et beatus Stephanus in passione sua Iudæos arguens dicit: *Dura ceruice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri.* Istis ergo hæc vicissitudo redditur, vt ceruices, quas contra Dominum lethaliter extulerunt, iugo ipsius suaui salutari humilitate subdantur. Quod sæpe de persecutoribus factum esse meminimus, vt fierent prædicatores sanctissimæ religionis, qui prius idola nefandissimis persuasionibus vindicabant. Gurgulio à gutture nomen accepit, cuius meatus ad os & nares pertendit, habens viam, qua vox ad linguam transmittitur, vt possit verba collidere: vnde & garrire dicimus. Guttur aliquando significat dulcedinem legis Dei, vt est illud Sponsæ de Sponso: *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* In gutture interna dulcedo verborum illius memoratur, qua quis sapit, non esurit. Totus desiderabilis est; quia totus Deus, & totus homo, in quem desiderant & angeli prospicere: Deus in maiestate patris, homo in virginitate matris; in illa Creator, in hac Saluator. Item in contrariam partem guttur accipitur, vt illud: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Per figuram parabolæ nimis compotens facta probatur allusio. Sepulchrum enim mortui guttur est mentientis, quando exitiabilem sibi vanitatem in faucibus reuoluit, quæ malum mortis infligit. Merito ergo sepulchrum dictum est guttur eorum, qui mortifera loquebantur. Nam sicut illa cum patent, fœtidos odores exhalant: ita & istorum guttur pestiferos sermones proferebat. Gula autem, quæ à degluttiendo nuncupata est, aliquando pro acceptione cibi vel potus ponitur; aliquando pro voracitate, id est, commessatione & ebrietate, quæ gastrimargia dicitur, & vnum est de octo principalibus vitiis. Cõtra quam ipsa Veritas ad discipulos ait: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Et Apostolus, *non in commessationibus*, inquit, *& ebrietatibus.* quia *ebriosi regnum Dei non possidebunt.* Humeri dicti, quasi armi ad distinctionem hominis à pecudibus mutis, vt hij humeros, illi armos habere dicantur. Nam propriè armi quadrupedum sunt. Humeri operatio vel pondus eiusdem operis, sicut in Exodo in ornamento sacerdotis superhumerale præcipitur. Brachia à fortitudine nominata. Bary enim Græce graue & forte significatur. In brachiis enim thori lacertorum sunt, & insigne musculorum robur existit. Hij sunt thori, i. musculi: & dicti thori, quod illic viscera torta videantur. Humeri autem pro onere aliquãdo positus reperitur, aliquando pro fortitudine. Dicitur enim in benedictione Isachar, quod ipse fuerit asinus fortis, & supposuerit humerum suum ad portandum. In quo intelligitur simplex gentilitas, quæ se idcirco ad robur boni operis erigit: quia ad æternam vitæ patriam tendit. Vnde etiam & ponit humerum ad portandum, quia dum ad promissam requiẽ peruenire desiderat, cuncta mandatorũ opera libenter portat. Legitur & in Esaia de Domine Saluatore, quod factus sit principatus super humerũ eius, eo quod crucem suam ipse portauerit, vel per humerum ostẽdens brachij fortitudinem, eodem Esaia dicẽte: *Reuelauit Dominus brachium sanctum suum omnibus gentibus.* Et rursum: *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est.* Cubitum dictum, quod ad cibos sumẽdos in ipso cubamus. In cubito autem aliquando auctor & redemptor humani generis designatur, vt est illud in constructione arcæ Noe: *Et in cubito*, inquit, *consummabis summitatem eius.* In vno ergo cubito consummatur Arca: quia vnus est auctor & redemptor sanctæ ecclesiæ sine peccato, ad quem & per quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores nouerunt. Item cubiti duo præcepta charitatis. Vnde & arca testamenti, quæ typum ecclesiæ habuit, duos cubitos habuisse in longitudine perhibetur. Vlna secundum quosdam vtriusque manus extensio est: secundum alios cubitus, quod magis verum est; quia Græce olenos cubitus dicitur. Vlna significat bonam operationem. Vnde Simeon dicitur Christum in vlnis suscepisse & Dominum benedixisse. Quid est enim Christum in vlnis suscipere, nisi prius hunc operibus velut membris nostris amplectere? Per vlnas enim virtutum operatio exprimitur. Cum enim quis in alio esurientem Christum satiat, in alio sitientem potat, in alio hospitem suscipit, in alio nudum operit, in alio infirmum vel in carcere positum visitat: his proculdubio deuotis actionibus tanquam ipsum Christum amplectitur. Alę subbrachia sunt appellatæ, eo quod in eis in modum alarum motus brachiorum inchoat. Quas quidam ascellas vocãt, quod ex eis cillentur, id est, moueantur. Vnde & ascilla dicta ab eo, quod cillantur, hoc est, moueantur omnia. Nam cillere est mouere. Ascella aliquando pro desideria posita reperitur ex ociositate: Vnde est illud in Prouerb. Salomon. *In desideriis est omnis otiosus.* Et iterum: *Abscondit piger manum suam sub ascella, & laborat si ad os suum applicauerit eam.* Quia piger & desidiosus magis appetit desidiam carnalẽ, quam virtutum operationem; abscondit manũ suam sub ascella, nec vult operationem suam professioni suæ concordẽ facere, maxime cum scriptu sit: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vnde & sapientia alibi dicit: *Qui operantur in me, non peccabunt.* Hinc & ipsa Veritas ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cælorum: sed qui facit voluntatem Patris, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Manus dicta, quod sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat: ipsa operatur omnia atque dispensat: per eam accipimus & damus. Abusiue manus etiam ars vel artifex: vnde & manus precium dicimus. Manus aliquando potestatem significat, vt est illud Psalmistæ, quo ad Dominum ait: *In manibus tuis tempora.* Et Iacob Patriarcha ad Iudam filium suum, *manus*, inquit, *tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Aliquando discretionem iudicij, vt est illud: *extendit manum suam in retribuendo illis.* Manus his virtutem iudicij significat quæ tunc ostenditur, quando illam discretionem bonorum malorumque fecerit. Manus pro bona operatione aliquando ponitur, vt in Psalmo: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* & alibi: *Deum, inquit, exquisiui manibus meis.* Item manus virtus animæ siue opus bonum, vt in Psalmo: *Labores manuum tuarum manducabis.* In contrariam vero partem manus accipiuntur, vt est illud: *Secundum operationem manuum suarum retribue illis.* Dextera vocatur à dando. Ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis atque salutis adhibetur; & hoc est illud apud Tullium, *Fidem publicam iussu Senatus dedi*, id est, dexteram. Vnde & Apostolus, *Dexteras*, inquit, *dederunt*

mihi

Marginalia (left): 2. Reg. 20. — Cant. 1. — Cant. 4. — * inexpugnabilis. — Psal. 128. — Exod. 33. — Act. 7. — Cant. 5. — 1. Pet. 1. — Psal. 13. — Luc. 21. — Rom. 13. — 1. Cor. 6.

Marginalia (right): Gen. 49. — Esai. 53. — Esai. 52 — Esai. 53. — Gen. 6. — Luc. 2. — Prou. 26. — Rom. 10. — Eccl. 24. — Matth. 7. — Gen. 49. — Psal. 54. — Psal. 118. — Psal. 76. — Psal. 127. — Prou. 12. — Gal. 2.

mihi & Barnabæ ſeruatis. Sini[illegible] autem vocata, quaſi ſine dextera, [illegible]e quod rem fieri [illegible]. A ſinendo autem ſiniſtra eſt [illegible]cupata. Per dexteram enim aliquando deſignatur Chriſtus filius Dei, propter effectiuam potentiam, de quo ſcriptum eſt: *Dextera Domini fecit virtutem: Dextera Domini exaltauit me.* (*Pſal. 117.*) Aliquando æterna beatitudo: vnde ipſe Chriſtus dicitur in dextera Dei ſedere, hoc eſt, in æterna beatitudine regnare. Aliquando electionem (*Matt. 25.*) ſanctorum, vnde dicuntur iuſti ſtare ad dexteram Iudicis, hoc eſt, æterna beatitudine digni, & peccatores ad ſiniſtram, hoc eſt, in partem reprobam, qui ſupplicio traditi ſunt. (*Deut. 33.*) Hic impletur quod alibi ſcriptum eſt: *In dextera Dei ignea lex*, a ſiniſtra autem eius reprobi. In ſiniſtra ergo Domini reprobi poſiti erunt, qui & ſiniſtra, hoc eſt, præſentia, quam diu vixerunt, ardenti cupiditate amauerunt: nec æternorum, quæ per dexteram ſignificantur, deſiderium habuerunt. Item, dextera ſignificat amorem æternæ vitæ: & ſiniſtra delectationem laudis (*Matth. 6.*) præſentis ſæculi. Vnde dicitur: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſconſo. & Pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi.* Quid eſt in abſcondito, niſi in ipſa bona conſcientientia, quæ humanis oculis demonſtrari non poteſt, nec verbis aperiri? Rurſum per dexteram ſignificatur futura vita, & per ſiniſtram præſens. Vnde de Domino ſcriptum eſt: (*Prou. 3.*) *In dextera eius longitudo dierum, & in ſiniſtra eius, diuitiæ & gloria*: quia hic ſancti diuitias virtutum colligunt, & in futuro contemplationem vultus Dei percipient. Nam & alibi inuenitur dextera pro proſperitate poſita, ſiue hominum fauore & ſiniſtra pro aduerſitate huius vitæ, vel vituperatione, vt in Eſaia: (*Eſa. 30.*) *Hæc eſt via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: ſicut dies aliquando proſperitatem ſignificat, & nox aduerſitatem. Aliquando dextera, bona opera exprimit, quæ Domino placent; & ſiniſtra mala, quæ ei diſplicent. Dextera amicus, ſiue vxor, vel filij, vel quilibet propinqui, ſicut quidam volunt intelligi. (*Matth. 5.*) vt in Euangelio: *Si dextera manus tua ſcandalizat te: abſcide eam, & proiice abs te.* Palma eſt manus expanſis digitis, ſicut contractis pugnus. Pugnus autem à pugillo dictus: ſicut palma ob pansus palmæ ramis. In palma amplitudo eloquentiæ aliquando ſignatur: ſicut in pugno anguſtus tractatus argumentorum & concluſio ſyllogiſmorum. Vnde quidam ſapientium de Dialectica & Rhetorica diſputans ait: Dialectica & Rhetorica eſt, quod in manu hominis pugnus aſtrictus, & palma diſtenſa. Illa breui oratione argumenta concludit, iſta facundiæ campos copioſo ſermone diſcurrit. Illa verba contrahit, iſta diſtendit. Dialectica quidem ad inueniendas res acutior, Rhetorica ad inuentas dicendas facundior. Illa raros & ſtudioſos requirit: hæc frequenter procedit in turbas. Item palma ſignificat largitatem eleemoſynæ, & pugnus parcitatem. Vnde ſcriptum eſt in prouerbiis, Salomonis de muliere pru- (*Prou. 31.*) denti: *Palmas ſuas extendit ad pauperem.* Et alibi ſcriptum (*Eccl. 7.*) eſt: *Sit manus tua ad dandum porrecta, & ad colligendum contracta.* Item de palmo & pugillo Propheta dicit, Domini potentiam demonſtrans: *cœlum*, inquit, *palma metitur & terram pugillo concludit.* (*Eſa. 40.*) Item in paſſione Domini ſcriptum (*Matth. 26*) eſt: *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt: alij autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte: Quis eſt qui te percuſſit?* Quod dictum eſt: *ſpuerunt in faciem eius*, ſignificat eos, qui eius præſentiæ gratiam reſpuunt. Item colaphis eum cedunt, qui ei honores ſuos præferunt. Palmas in faciem ei dant, qui perfidia cæcati, eum non veniſſe affirmant, præſentiam eius exterminantes & repellentes. Error hæreticorum de Chriſto tribus generibus terminatur. Aut enim de diuinitate, aut de humanitate, aut de vtroque falluntur. Digiti nuncupati, quia decem ſunt: vel quia decenter iuncti exiſtunt. Nam habent in ſe & numerum perfectiſſimum, & ordinem decentiſſimum. Digiti autem pro diſtributione donorum Spiritus ſancti in ſcripturis allegorice accipiuntur. Nam ſcriptum eſt in Euangelio, Do- (*Luc. 11.*) mino dicente. *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, hoc eſt, in (*Exod. 31.*) virtute Spiritus ſancti, *profecto perueniet in vos regnum Dei.* Et in Exodo legitur, *digito Domini legem fuiſſe conſcriptam*, (*Pſal. 8.*) quem multi Spiritum ſanctum accipere voluerunt. Et in Pſalmo legitur: *Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum.* Merito iſtud de futuro gloriola dicit Eccleſia, quæ ante aduentum Domini erat adhuc in Patriarchis & & ſanctis hominibus conſtituta. Ait enim, *videbo cœlos*, id eſt, libros Euangelicos, qui cœli merito dicuntur: quoniam continent Dominum Saluatorem, qui dixit: *cœlum mihi ſedes eſt terra autem ſcabellum pedum meorum.* (*Eſa. 66.*) Ideo hic poſitam operationem digitorum æſtimo, vt libros diuinos cooperatione ſanctæ Trinitatis perfectos euidenter oſtenderet, ſicut & alibi legitur: *appendit tribus digitis molem terræ.* (*Eſa. 40.*) Quod ſimili Sacramento recipiendum eſt. Digitus enim dicitur diuinæ operationis effectus, quod poteſt Patri & Filio & Spiritui ſancto, id eſt, vni Deo aptiſſime conuenire. Item per digitos diſcretio ſiue exercitium boni operis exprimitur. Vnde de illa muliere forti, quam Salomon in fine prouerbiorum ſuorum deſcribit ita legitur. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ſui apprehenderunt fuſum.* (*Prou. 31.*) Manus enim miſit ad fortia, id eſt, ſtudium ſuum ad perfecta Chriſti caritatis opera, & digiti ſui apprehenderunt fuſum, cum diſcretionis æquitate textrinam ſtolæ cœleſtis per opera charitatis efficit. Vbi diſcretione ſumma opus eſt, vt pro æterna mercede, & non pro temporali laude bona agamus. Vngulas ex Græco vocamus; Illi enim onychen vngulam dicunt. Per vngulam quippe extremitas vel finis cuiuslibet rei demonſtratur. Nam ſcriptum eſt in Geneſi, vbi Iacob benedixit filio ſuo Dan, dicens: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* (*Gen. 49.*) Quidam vero hanc prophetiam ad antichriſtum transferunt, arbitrantes eum de tribu Dan venturum: in hoc loco *equum* accipi iudicant hunc, qui per elationem ſuam in curſu labentium temporum ſpumat; Et quia antichriſtus extrema mundi apprehendere nititur, ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur: Vngulam quippe equi mordere, eſt extrema ſæculi feriendo contingere. *Vt cadat aſcenſor eius retro.* Aſcenſor equi eſt, quiſquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, & non in faciem: ſicut Saulus cecidiſſe memoratur. In facie enim cadere, eſt in hac vita ſuas vnumquemque culpas cognoſcere, eaſque pœnitendo deflere. Retro vero, quo non videtur, cadere eſt ex hac vita repente decedere, ad quæ ſupplicia ducatur ignorare. Item de equo in Iob ſcriptum eſt: *Terram vngula fodit.* (*Iob. 39.*) Solet in equi vngula laboris fortitudo cognoſci. Quid ergo per vngulam, niſi in Prædicatore ſancto virtutum perfectio, demonſtratur? Qui videlicet terram fodit vngula, dum de corde audientium exemplo ſuorum operum terrenas cogitationes eiicit. Truncus media pars corporis à collo ad inguinem. De quo Virgilius. Caput collo vehitur. Truncus ſuſtinetur coxis & genibus cruribuſque. Truncus, qui ſine capite & manibus eſt, ſignificat debilitatem & inertiam cuiuslibet. Vnde de Iudith ſcriptum (*Iud. 13.*) eſt, quod, cum caput abſcideret Olofernis, corpus eius truncum euolueret. Porro quia Olofernis typum tenet diaboli, truncum corpus eius oſtendit, cum abſciſa poteſtatis eius, ipſum inimicum ex omni parte infirmũ & debilem eſſe, vt eo facilius bellatores Chriſti confidant, iudicem nequiſſimum ſe vincere poſſe, quo eum pleniter ediſcunt fragilem & ſuperabilem fore. Pectus vocatum, quod ſit pexum inter eminentes mamillarum partes. Vnde & pectinem dici, quod pexos capillos facit. Pectus autem ſignificat tractatum internum & ſapientiæ rationem. Vnde Iohannes legitur ſuper (*Ioan. 13.*) pectus recubuiſſe Saluatoris, ex quo doctrinam ſapientiæ hauſit cœleſtis. In contrariam vero partem pectus trahit ſignificationem, quando ſignificat doli ac malitiæ calliditatem. Vnde dicitur Serpenti: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus.* (*Gen. 13.*) Super pectus quippe graditur Serpens: quia omnes greſſus diaboli nequiciæ ſunt & fraudes. Nam in peccatore calliditatem & verſutias cogitationum eius indicat, quibus ad eos, quos vult decipere, ſerpit. Terram au-

tem comedit: cum errore peccantium paſcitur ac dele-
ctatur, eoſque ſeducens ad interitum rapit. Mamillæ vo-
catæ, quia rotundæ ſunt, quaſi malæ, per diminutio-
nem ſcilicet. Vbera dicta, quia lacte vberta: vel quia
humore humida, ſcilicet lactis in morem vuarum ple-
na. In mamillis vero atque vberibus doctores ſancti
myſtice exprimuntur, qui lacte doctrinæ ſacræ nutriunt
fideles. ſiue duos populos venientes ex circumciſione
& gentilitate. Vnde in Cantico Canticorum. ſponſus
Cant. 4. ad ſponſam: *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemel-
li.* Duo vbera (vt diximus) doctores ſunt vtriuſque te-
ſtamenti: vel duo populi, ex circumciſione venientes,
& gentilitate. qui per humilitatem quidem paruos ſe eſ-
ſe intelligunt, & peccatores: ſcilicet caritate currentes
omnia obſtacula mundi tranſeunt. Vbera ſenſus cor-
Eſai. 32. dis, vt in Eſaia: *Accingite lumbos veſtros ſuper vbera*, hoc eſt,
continentiam habere contra ſenſus carnales. Cutis eſt,
quæ in corpore prima eſt appellata, quod ipſa corpo-
ri ſuperpoſita inciſionem prima patiatur. Cutis enim
græce inciſio dicitur. Idem eſt & pellis, quod externas
iniurias corporis tegendo pellat, pluuiaſque & ventos
ſoliſque ardores perferat. Pellis enim mox detracta à
corpore iam corium dicitur. In cute enim vel pelle, qua
animal forinſecus circundatur, myſtice vel corpus hu-
manum demonſtrat, quo naturam animæ intra ſe vigen-
tem tegit: vel ſanctam Eccleſiam ſignificat, quam Chri-
Ioan. 14. ſtus, qui eſt *Via, Veritas & Vita*, viuificat & regit: quæ
afflictionibus foris atteritur, & intus virtutibus robo-
Iob. 7. ratur. Vnde & in Iob ſcriptum eſt: *Cutis mea aruit, &
contracta eſt.* Et iterum, *ruga*, inquit, *meæ teſtimonium di-
Iob 16. cunt contra me.* Et rurſum: *pelli meæ conſumptis, carnibus
Iob. 19. adhæſit os meum.* Quia igitur Chriſtus & Eccleſia vna
perſona eſt. quid per os, niſi ipſe Dominus? quid per
carnem, niſi diſcipuli deſignantur, qui paſſionis eius
tempore infirma ſapuerunt. Quid vero per pellem,
quæ exterior carne manet in corpore, niſi illæ ſanctæ
mulieres figurantur, quæ ad præparanda ſubſidia Do-
mino ſeruierunt. Ait ergo: *Pelli meæ conſumptis carnibus
adhæſit os meum*: hoc eſt, hij qui meæ fortitudini propin-
quius adhærere debuerunt, paſſionis meæ tempore ti-
more conſumpti ſunt: & eas, quas ad exteriora mini-
ſteria poſui, in paſſione mea inhærere mihi fideliter in-
Iob. 19. ueni. Vnde ſubditur: *Et derelicta ſunt tantummodo la-
bia circa dentes meos.* Quid per labia, niſi locutio? quid
per dentes, niſi Apoſtoli deſignantur? Qui adhuc ſta-
tim poſt paſſionem confabulari de Domino nouerant:
ſed prædicare iam eum, aut mordere infidelium vicia
formidabant. Aruina, pinguedo cuti adhærens. Pul-
pa eſt caro ſine pinguedine; dicta, quod palpitet: reſi-
lit enim ſæpe. Hanc plerique & viſcum vocant, propte-
rea quod glutinoſa ſit. Aruina aliquando pinguedinem
dilectionis ſignificat: vt eſt illud in Leuitico: *adeps & ar-
uina* in hoſtiis pacificis iubentur Deo offerri. Item arui-
Iob. 15. na abundantium terrenarum rerum ſignificat, vt eſt il-
lud in Iob, vbi de ſuperbo homine ſcribitur: *Cucur-
rit aduerſum Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.*
Contra Deum erecto collo currere eſt, ea, quæ Creato-
ri diſplicent, cum audacia perpetrare. Iniquus enim in
pingui ceruice contra Deum armatur: quia rebus tem-
poralibus tumens contra præcepta veritatis, quaſi de
Ibid. magnitudine carnis, erigitur. De quo additur: *Ope-
ruit faciem eius craſſitudo.* Faciem eius craſſitudo operuit:
Ibid. quia deſiderata terrenarum rerum abundatia oculos
mentis premit. *Et de lateribus*, inquit, *eius aruina depen-
det*: hoc eſt, quiſquis potenti & iniquo adæret, ipſe
quoque de eius potentia, velut ex pinguedine rerum,
tumet. Item pinguedo gratiam diuinam ſignificat: vt
Pſal. 62. eſt illud in Pſalmo: *ſicut adipe & pinguedine repleatur ani-
ma mea.* Item in malam partem adeps ponitur, cum craſ-
ſitudinem malitiæ ſignificat, iuxta illud Pſalmiſtæ. *adi-
Pſal. 16. pem ſuum*, inquit, *concluſerunt.* Membra ſunt partes cor-
poris. Artus, quibus colligantur membra, ab artan-
do dicti: quorum diminutiua ſunt articuli. Nam ſic-
ut artus dicuntur membra maiora, vt brachia: ita arti-
culos minora membra, vt digiti. Membra quando in
bonam partem accipiuntur, ſanctos & electos Dei, qui
membra ſunt corporis Chriſti, ſignificant: quia ille eſt
caput, eccleſia vero corpus ipſius: & membrum de
membro. Quod ſub gratiarum diſtinctione Apoſtolus i-
ta oſtendit, in quibus alia ſunt glorioſa & fortiora, a-
lia ignobiliora & infirmiora membra: quod facit diffe-
rentia virtutum, & diſcutiendi vel docendi ſtudium.
Nam oculi in corpore Chriſti poſſunt dici, qui medi-
tantur in lege Domini die ac nocte: aures, qui diligen-
ter audiunt verbum Dei & obediunt mandatis eius: os
& lingua prædicatores ſancti: manus, qui bene operan-
tur vel eleemoſynas tribuunt: pedes, qui viam man-
datorum Dei incedunt, & cætera huiuſmodi: quod
longum eſt ennumerare. Aliam vero ſignificationem
habent membra, quando ad diaboli partem ſenſum tra-
hunt: quia ſicut omnes ſancti ad Chriſti corpus perti-
nent: ita omnes iniqui ad corpus Antichriſti. Vnde
ſcriptum eſt in Iob de Leuiathan: *Membra carnium eius Iob 41.
cohærentia ſibi.* Carnes illius ſunt omnes reprobi, qui
ad intellectum ſpiritalis patriæ per deſiderium non aſ-
ſurgunt. Membra autem ſunt carnium hij, qui eiſdem
peruerſe agentibus & ſeſe ad iniquitatem præcedenti-
bus coniungunt. Sed eſt aliud membrum corporis, a-
liud membrum membri. Sicut autem pernicioſum eſt,
ſi vnitas deſit membris bonis: ita pernicioſum eſt, ſi
non deſit malis: dum in duas partes rubri maris vnda di-
uiditur, vt ab electo populo ad terram repromiſſionis
tenditur. Nerui Græca deriuatione appellati, quos il-
li neura vocant. Alij latine vocatos neruos putant, eo
quod artuum coniunctiones inuicem his inhæreant.
Maximam autem virium ſubſtantiam neruos facere
certiſſimum eſt. Nam quanto fuerint denſiores, tan-
to propenſius augeſcere firmitatem. In neruis comple-
xio virtutum deſignatur: quia ſicut artus & oſſa neruis
compinguntur: ita virtutes & bona opera amoris glu-
tino copulantur. Vnde in Iob ſcriptum eſt: *Oſſibus & Iob. 10.
neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, &
viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Humanum quippe
animum viſitatio ſuperna cuſtodit, cum hunc virtuti-
bus ditatum vel flagello percutere vel compungere non
deſinit. Item in aliam partem verborum ſignificatio
trahitur: cum in eodem libro de Behemoth ſcriptum
ſit: *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt. Oſſa eius velut fiſtu- Iob. 40.
læ æris.* Tot ergo iſte Behemoth teſtes habet, quot ini-
quitatis ſuæ adiutores poſſidet. Qui idcirco perplexi
ſunt, quia videlicet prædicatorum illius argumenta do-
loſis aſſertionibus innodantur. vt recta eſſe ſimulent,
quæ peruerſa perſuadent. *Oſſa*, inquit, *eius velut fiſtula æ-
ris.* Quid aliud oſſa Antichriſti, quam quoſlibet in eius
corpore valentiores accipimus? In quorum corde ini-
quitas dum vehementer indurauit. per eos tota eius cor-
poris compago ſubſiſtit. Recte autem oſſa eius æris fi-
ſtulæ comparantur: quia nimirum, more metalli in-
inſenſibilis ſonum bene viuendi habent: ſed ſenſum be-
ne viuendi non habent. Compago capita ſunt oſſium di-
cta eo, quod ibi compacta neruis vel glutino quodam
adhæreant. Oſſa ſunt corporis ſolidamenta. In his e-
nim omnis poſitio roburque ſubſiſtit. Oſſa quoque
per allegoriam fortitudinem mentis debemus aduerte-
re. Quæ cum deficit, vigor eius elabitur: ſicut & oſſibus
quaſſatis corpus minime continetur. Vnde propheta in
Pſalmo ait: *Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia
oſſa mea.* Et alibi, *omnia*, inquit, *oſſa mea dicent: Domine quis ſimi- Pſal. 6.
lis tibi?* Oſſa nec ſenſum nec vocem habere manifeſtum eſt: Pſal. 34.
ſed (ſicut frequenter diximus) fortitudo animi & conſtan-
tia mentis debēt intelligi. Quæ merito oſſib. comparan-
tur: quia ſicut illa corpus cōtinent, ita & hæc ſanctas con-
roborant voluntates. Dicant ergo hoc ſacramentum oſ-
ſa, non caro, id eſt, firmitas, non remiſſio: quia talem ſy-
mnum non poteſt niſi ſola mentis dicere fortitudo. Quis,
negatiuum eſt: quia nemo poteſt eſſe ſimilis, cum ſit ſan-
cta Trinitas ſingularis. Multum quippe eſt creatura à
Creatore diſſimilis. Illa deniq; ſeruit, ille dominatur. E-

Psal. 41. iterum pœnitens dicit: *Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.* Sicut opinione prospera bene meritorum ossa, id est, animi fortitudo pinguescit, quando eorum conscientia felici recordatione lætatur, sicut dicitur Salomon: Prou. 15. *Fama bona impinguat ossa.* ita recordatione contraria peccatorum virtus, tamquam frixa, contrahitur, dum oblocutiones hominum & conscientiæ suæ iudicia grauiter expauescit. Siue hic frigitur peccator: quoniam futuros ignes incendiaque formidat. Nam qui se pauescit arsurum, ipsius incendij terrore iam frigetur. Item ossa virtutes significant sanctorum, vt in Psalmo: Psal. 33. *Custodit omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Medullæ appellatæ, quod madefaciant ossa. Irrigant enim & confortant. Medulla significat internam cogitationem mentis. Vnde est illud Psalmistæ: Psal. 65. *Holocausta medullata offeram tibi.* Holocausta medullata sunt sacrificia, quæ puro atque intimo corde diuinis conspectibus damus. Nam quando inuicem holocausti contritionem cordis offerimus: oportet, vt intus habeat purissimam fidem: intus habeat operas fideles, quæ ad vicem medullæ oblationem pupurissimam reddant, ne sit aridum atque vacuum, quod diuinis aspectibus immolamus. Vertibulæ sunt summæ ossium partes nodis grossioribus conglobatæ, ita dictæ eo, quod ad inflexionem membrorum illa vertantur. Cartilagines ossa mollia, & sine medulla: quod genus auriculæ & narium discrimen & costarum extremitates habent, siue opercula ossium, quæ mouentur: & dictæ cartilagines, quod leui attritu carent dolore, dum plectuntur. Cartilago aliquando significat simulationem virtutum. Vnde scriptum est in Iob de Leuiathan: Iob. 41. *Cartilago eius quasi laminæ ferreæ.* Cartilago namque ossis quidem speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet. Quid est ergo, quod cartilago eius laminis ferreis comparatur? nisi, quia hij, qui in illo debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existunt. Ergo cartilago eius ferro similis dicitur: quia hij, qui in eius corpore ad ostensionem virtutum non sufficiunt, contra necem fidelium acrius accenduntur. Costas appellari quidam putant, quod ab ipsis interiora custodiantur, & tota mollicies ventris vallata saluetur. Latus, quia iacentibus nobis latet: est enim læua pars corporis. Dextro autem lateri habilior motus est, læuo fortior, & oneri ferendo accommodatior. Vnde & læua nuncupata, quod aptior sit ad leuandum aliquid & portandum. Ipsa enim gestat clypeum, ensem, pharetram & reliqua onera: vt expedita sit dextra ad agendum. Et notandum, quod lateris nomen synonymum est. & ad plura significanda habile. Dicitur enim latus hominis, & latus pecudis, latus ædificij, & latus dimensionis terræ: quæ omnia locis suis propria significatione interpretari debent. Tamen hominis latus, quod cum costis intestina protegit, significare Gen. 2. potest occultationes internorum consiliorum. Vnde est illud, quod Conditor noster dormienti Adæ de latere sumpta vna costa condidit mulierem, cum mystice præfigurabat Ecclesiam de latere Christi in cruce per mortem sopiti Sacramenta salutis esse exitura, videlicet sanguinem & aquam, de quibus sponsa illi conderetur Ecclesia. Tropologice vero sciendum est, quia nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessamus, nequaquam nosmetipsos intuemur, vt sciamus aliud in nobis esse rationale, quod regit, aliud animale quod regitur: nisi ad secretum silentij recurrentes ab omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum bene Adam dormiens figurauit, de cuius mox latere mulier processit: quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur, à rebus visibilibus mentis oculos claudit: & tunc in se ipso vel quæ præesse viriliter debeant vel quæ subesse possint, infirma distinguit, vt aliud in ipso sit, quod regere valeat tanquam vir: aliud, tanquam fœmina, quod regatur. Dorsum est à ceruice vsque ad renes. Dictum autem dorsum, quod sit superficies durior corpore in modum saxi fortis & ad portandum & ad perperiendum. Terra quia in ea supini iacemus in terra: quod solus homo potest. Nam * muta * bruta animalia tantum aut in ventre aut in latere iacent. Vnde in animalibus terga abusiue dicuntur scapulæ. Dorsum quidem atque tergum, eo quod sunt posteriores partes corporis, aut fugam significant, vt est illud Psalmistæ, quo ait: *& inimicorum meorum dedisti mihi dorsum.* & alibi Psal. 17. scriptum est *terga verterunt.* Quod signignificare po- Ier. 49. test auersionem prauorum a cultu diuino & despectionem veræ religionis: sicut in Ezechielis visione scriptum Ezech. 8. est, quod viri stantes, contra templum dorsa versa haberent, & facie respicerent ad solis ortum. Item in dorso vel tergo significantur corporei dolores, quos illatis verberibus sancti viri sustinebunt. Vnde propheta dicit in Psalmo: *Posuisti tribulationes in dorso nostro*: videli- Ps. 65. cet verbera, quæ & Paulus pertulit, & reliqua fidelium turba sustinuit, ad hoc verberibus humiliati, vt diabolicam superbiam cum mundi ipsius delectatione respuerent. Rursum tergum obliuionem præteritorum significat. Vnde petimus Deum in oratione, vt peccata nostra præterita post tergum mittat, hoc est, perpetuæ obliuioni tradat. Nam quod dorsum & tergum despectionem Dei significent, ostendit Esaias dicens ad Israe- Esa. 30. liticam plebem: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monentis.* Quasi in faciem homo monitus est, quando ad iustitiam conditus præcepta rectitudinis accepit: sed cum eadem præcepta contempsit, quasi conditori suo dorsum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc post tergum sequitur & monet: quia iam & à nobis contemptus est, & tamen nos adhuc vocare non cessat. Quasi dorsum ei in faciem dedimus, cuius verba despicimus, cuius verba calcamus: sed nos post tergum stans auersos reuocat, qui & videt, quod despicitur, & tamen per præcepta clamat, per patientiam expectat. Interscapulum spacium dicitur, quod inter scapulas est, vnde & nominatur. In scapulis enim possumus intelligere, iuxta allegoriam, oneris sarcinam: vt est illud, quod Abraham tollens panem & v- Gen. 21. trem aquæ imposuit super scapulas Agar: vel operationes diuersas, iuxta illud, quod in Psalmo de Deo scriptum est: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Scapulæ Domini sunt o- Ps. 90. perationes mirabilium, per quas, velut quibusdam humeris, virtutis diuina monstratur. Vnde cum Deo scapulæ, oculi brachiumve dicitur: cauendum summopere est, ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In anthropomorfitarum namque hæresim cadere est eum, qui incircumscepte implet & circumplectitur omnia inter corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens. vsque ad nostra se humiliat: atq; vt alta insinuaret, humilibus códescendit, quatenus paruulis animus rebus cognitis enutritus ad inquirenda exurgat incognita, atq; ad eum, qui longe super ipsum est, quædam iuxta se audiens, quasi quibusdam ad illum passibus moueatur. Vnde fit vt per scripturam suam aliquãdo à corporibus hominum, aliquando à mentibus, aliquando vero ab auibus, aliquando etiam ab insensatis rebus quasdam longe dissimiles in se similitudines trahat Plerumq; enim à corporibus hominum in se similitudinem trahit: sicut de eo speranti homini per prophetam dicitur: *In scapulis obumbrabit tibi:* cum constet, quod in na- Psal. 90. tura sua nec oculum Deus, nec scapulas habeat, nec cætera lineamenta membrorum. Sed quia nos per oculum cernim⁹, in scapulis vero onera sustinemus: Deus quod omnia videat, oculum habere perhibetur: quod vero nos tollerat atq; eo ipso, quo tollerat, seruat, obumbrare nos in scapulis dicitur. Ait enim: *in scapulis suis obumbrabit tibi:* ac si diceret peccatori homini & post peccatum veniam deprecanti: Ea pietate te Dominus proteget, qua te tollerauit: obumbrat, i. in scapulis suis, qui, dum portat defendit. Spina est iunctura dorsi, dicta eo, quod habeat radiolos acutos. Cuius iuncturæ spondylia appellantur propter partem cerebri, quæ fertur per hos longo tractu ad cæteras corporis partes. Sacra spina est vna perpetuæ spinæ, quam Græci ironostoin vocant, quoniam primum infante concepto nascitur, ideoq; & hostia id primum à gentilibus diis suis dabatur: vnde & sacra spina dicitur. Spina enim aliquando pro fortitudine corporis, aliquando pro elatione mentis atq; ominibus peccatis ponitur.

Psal. 31. Vnde scriptum est in Psalmo: *Conuersus sum in aerumna mea, dum confringitur mihi spina.* Spina est enim, quae totum corpus erigit atq; continet. Haec pro superbia merito posita est, quae confracta non deiicit ad interitum, sed erigit potius ad salutem. Dum enim fortitudo & prosperitas corporis confringitur, necesse est, vt ad cordis humilitatem mentis intima reuocentur. Bene hoc loco per spinam omne peccatum euidenter exprimitur, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Hinc ergo iusti & poenitentis voce dicitur: *Conuersus sum in aerumna mea, dum configitur mihi spina*: quia scilicet mens ad lamentum vertitur, vt peccati punctio poenitendo frangatur. Renes ait Varro dictos, quod riui ab his obsceni humoris nascantur. Nam venae & medullae tenuem liquorem desudant in renibus, qui liquor rursum in renibus calore venereo resolutus decurrit. Renes aliquando pro constantia mentis ponuntur: quia sicut isti corpus continēt, ita animi stabilitatem & illa custodit. Vnde
Psal. 72. propheta ait: *Renes mei resoluti sunt.* Renes ergo suos dixit esse solutos: quia mundanarum rerum felicitatem incauta voluntate quaesierat. Item renes interiora cordis
Ierem. 17. sunt, vt in propheta: *Ego Dominus scrutans renes & corda.* Rursum renes delectationem carnis ob fluxas cogitatio-
Ps. 25. nes aliquando significant. Vnde Psalmista petit: *Vre renes meos & cor meum.* Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos vri minime petisset, hoc est, vt delectationes & cogitationes humanae verbi Domini calore
Exod. 12. purgarentur. Hinc bene in Exodo renes habere accinctos Israelitis praecipitur in paschali edulio: quoniam qui pascha comedit, habere renes accinctos debet, vt qui solennitatem resurrectionis atq; incorruptionis agit, corruptioni iam peruicia nulli subiaceat, voluptates edomet, carnem à luxuria restringat. Lumbi ob libidinis lasciuiam dicti, quia in viris causa corporeae voluptatis in ipsis est, sicut in vmbilico foeminis. Vnde & ad Iob in ex-
Iob 38. ordio sermonis dictum est: *Accinge, sicut vir, lumbos tuos:* vt in his esset resistendi praeparatio, in quibus libidinis est vsitata dominandi occasio. Vmbilicus est medius locus corporis, dictus, quod sit vmbus iliorum. Vnde & vmbo appellatur locus in medio clypei, a quo pendet. Ex eo enim infans in vtero pendet: ex eo enim & nutritur. In lumbis aliquando fortitudo animi exprimitur, iuxta
Eph. 6. illud Apostoli: *Accingite lumbos mentis vestrae:* & aliquando
Iob 40. libido carnis, vt supra dictum est. Vnde ad Iob de Rehemoth Dominus ait: *Fortitudo eius in lumbis eius: & virtus eius in vmbilico ventris ipsius.* Seminaria coitus viris in lumbis esse: in vmbilico autem inesse foeminis perhibetur, vt supra ostendimus. Hinc est enim, quod veritas discipulis
Luc. 12. dicit: *Sint lumbi vestri praecincti.* Hic Petrus cum luxuriam
1. Petr. 1. a corde restringeret admonebat, dicens. *Succincti lumbos mentis vestrae.* Hinc Paulus cum per Abrahae sacrificium Melchisedech tempore Leui sacerdotium diceret decimatum, vbi tunc in Abrahae corpore Leui lateret, osten-
Heb. 7. dens, ait: *Adhuc enim in lumbis patris erat.* Quia vero seminarium luxuria foeminis in vmbilico continetur, Propheta attestante didicimus, qui sub specie foeminae pro-
Ezech. 16. stitutae Iudaeae petulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non est praecisus vmbilicus tuus.* Ilium Graeco sermone appellatum, quod ibi nos obuoluamus. Graece enim ileos obuoluere dicitur. Testiculi enim virilis sexus robur signi-
Leuit. 22. ficant virtutis. Vnde legitur in Leuitico. *Omne animal, quod vel contritis vel tusis vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Deo.* Contritis testiculis est, qui paulatim crescente malitia conterit suam in virtutibus prolem & signa, per quae vir possit agnosci: qui & recte reprobatur: quia sibimetipsi in talibus nocuit. Tusis testiculis est, qui illaris sibi temptationibus tribulationibusque cessit, animaeque suae fortitudinem prodidit. Non enim oportet hoc perpeti, nec omnino cedere imminenti hosti atque affligenti. Sectis ablatisque testiculis est, qui vna actione praua, animisque impiis excecante, sicut cultro & auferente, quemadmodum nimis effera & diteptrix manus semetipsum abscidens & auferens à coniunctione, quae est in virtutibus. Venter & aluus & vterus inter se different. Venter est, qui acceptos cibos digerit, & apparet extrinsecus, pertingitque à pectore ad inguinem: & dictus venter, quod per totum corpus vitae alimenta transmittat. Aluus est, qui cibum recipit & purgare solet. Salustius: *Simulans sibi aluum purgari.* Et vocatus est aluus, quod abluatur, id est, purgetur ex ipso enim sordes stercorum defluunt. Vterum solae mulieres habent, in quo cōcipiunt ad similitudinem cauliculi. Tamen autores vtrum pro vtrolibet sexus ventre plerumq; ponunt: nec poetae tantummodo, sed & caeteri. Vocatus autem vterus, quod duplex sit, & ab vtraque in duas se diuidit partes, quae in diuersum diffusae ac replexae circumplicantur in modum cornu arietis: vel quod interius impleatur foetu. Hinc & vter, quod aliquid intrinsecus habuerit membra & viscera. Venter iuxta allegoriam significat capacitatem rationis, siue animae af-
fectum. Inde est illud, quod Abacuc propheta, *venter,* Hab. 3.
inquit, *meus turbatus est in me.* Et Hieremias: *Ventrem* Ier. 4.
meum doleo: & sensus cordis mei turbatus est. Rursum Psal- Ps. 30.
mista ait: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* Litera siquidem posuit inimicorum indignationem: oculus autem intellectum significat, quem semper conturbamus atque confundimus, quando imminentia pericula formidamus. Venter vero noster aluus est, in quo edulia deglutita recondimus. Qui aperte memoriae comparatur: quia sicut ille transmissas escas recipit: sic memoriae sinus notitias rerum competenter assumit. Conturbatum ergo dicit ventrem, id est, memoriam suam, vbi habebat reposita, quae illi Dominus de sua clarificatione promiserat: sed cum videret caro imminere sibi pericula, consequens fuit eam trepidatione turbari. Vterus autem aliquando significat arcanum naturae, aliquando secretum consilij. Vnde Pater in Psal-
mo ad Filium ait: *Ex vtero ante luciferum genui te,* id est, ex Ps. 109.
arcano substantiae meae, ex ipsa scilicet Deitate, totum
ex toto, omnipotentem, lumen de lumine, summum ex Esa. 53.
summo: quod nulla inuestigatio, nullus sensus possit attingere. Nam quemadmodum valet comprehendi, de quo scriptum est: *Generationem autem eius quis enarrabit?* Mirabilitas, & sufficiens pro nostra infirmitate mensura: quia nec plus possumus capere, & hoc abunde suf-
ficit vtique credidisse. Rursum in Iob scriptum est: *De* Iob. 38.
cuius vtero egressa est glacies. Quid est ergo, quod Dominus prius quidem partem se pluuiae insinuat: postmodum vero de suo egredi vtero glaciem narrat, seque gelu gignere de coelo pronunciat? nisi quod miro modo nostri pectoris terram ad suscipienda verbi semina prius per occultae gratiae pluuiam infundit: & postmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat, disciplinae intima dispensationis premit. Viscera non tantum intestina dicimus: sed quicquid sub corio est à visco, quod est inter cutem & carnem. Item viscera vitalia, id est, circumfusa cordis loca, quasi viscera eo, quod ibi vita, id est, anima continetur. Item viscera capita neruorum ex sanguine & neruis copulata. Viscera mystice significant affectum pietatis & misericordiae. Vnde scriptum
est in Euangelio: *Per viscera misericordiae Dei nostri, in qui-* Luc. 1.
bus visitauit nos oriens ex alto. Et Apostolus, *si qua,* inquit, Phil 2.
viscera miserationis. Et in alteram partem viscera significationem trahunt. vt est illud in Actibus apostolorum de
Iuda: *& diffusa sunt viscera eius,* h. e. malitiae tractatus sunt pa- Act. 1.
tefacti. Cor à Graeca appellatione deriuatur, quod illi cardian dicunt: siue a cura. In eo enim omnis sollicitudo & scientiae causa manet. Quod ideo pulmoni vicinū est: vt cum ira accēditur, pulmonis humore temperetur. Huius duae arteriae sunt, e quibus sinistra plus sanguinem habet, dextera plus spiritum. Vnde & in dextro brachio pulsum inspicimus. Cor enim multis speciebus significandis conuenienter aptatur. Nam aliquando pro anima ponitur, aliquando pro intelligentia, aliquando pro consilio & verbo occulto, aliquando pro intelligentia. Nam pro
anima cor ponitur, vt est illud Salomonis: *Omni custodia ser-* Prou. 4.
ua tuū cor, quia ex ipso vita procedit. Itē cor pro intelligentia Ps. 83.
ponitur, vt est illud Psalmistae: *Cor meū & caro mea exultauerūt in Deū viuū.* quāuis vtraq; videant pertinere ad carnem, cor tñ ad ligentia referri posse non dubiū est. Nā cum

pientiam præferre volumus, eius cor sine dubitatione laudamus. Consilium vero in cordis nomine exprimitur, quod actus præuenit, testante Saluatore in Euangelio: *Ex corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia,*
Matt. 15. & cetera. De quo Psalmista ait: *Labia dolosa in corde & cor-*
Psal. 11. *de locuti sunt mala.* Nam quod dicit in corde & corde: quotiens volumus dolosos exprimere, duplicia eo
* Iacobus. tum corda declaramus, sicut * Salomon dicit: *Vir du-*
Iac. 1. *plex inconstans est in omnibus viis suis.* Quando autem simplices cupimus indicare, vnum cor in eis esse testamur, sic-
Act. 4. ut in Actibus Apostolorum legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.* Sic & bilingues dicimus, qui in vna sententia minime perseuerant. Pro di-
Psal. 85. ligentia vero & deuotione illud est positum: *In toto corde meo exquisiui te.* Hoc quoq; munus est Domini quod toto corde, hoc est, plena deuotione asserit se Deum exquisisse. Non enim quæreret, nisi inquisitus fuisset. In alteram vero significationem nuncupatio cordis ponitur, cum mortem vel infernum vel sepulchrum significat.
Matt. 12. Vnde est illa sententia Saluatoris, qua ad Iudæos ait: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus noctibus.* Piscis autem, qui Ionam deuorauit in Pelago, significat mortem, quam Christus perpessus est in mundo. In ventre ergo ceti Ionas erat tribus diebus & tribus noctibus. Et Saluator noster in morte & in sepulchro fuit tribus diebus & tribus noctibus: tuncque completum est illud, quod legi-
Ose. 13. tur in Osee: *Ergo mors tua, o mors: ero morsus tuus, o inferne.* Et sicut Ionas in ventre piscis non permansit, sed eiectus est in aridam: ita & Saluatoris nostri anima non relicta est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem: sed resurrexit in gloria. Item de Leuiathan Dominus ad Iob
Iob. 41. ait: *Cor eius indurabitur, quasi lapis, & stringetur, quasi malleatoris incus.* Cor enim antiqui hostis, vt lapis, indurabitur: quia nulla vnquam conuersionis pœnitentia mollietur, qui solis ictibus æternæ vltionis aptabitur. Leuiathan ergo, vt malleatoris incus, stringitur: qui inferni vinculis coartabitur, vt æterni supplicij continua percussione tundatur. Præcordia sunt loca cordi vicina, quibus sensus percipitur: & dicta præcordia eo, quod ibi sit principium cordis & cogitationis. In præcordiorum nomi-
Esa. 26. ne rationabilis tractatus animæ possunt accipi, vt est illud Esaiæ, quo ad Dominum ait: *Anima mea desiderauit te in nocte, & spiritu meo in præcordiis meis.* Pulsus vocatus, quod palpitet, cuius inditio aut infirmitatem intelligimus aut salutem. Huius duplex est motus: simplex, qui ex vno saltu constat: compositus, qui ex pluribus motibus inordinatus & inæqualis existit. Qui motus certa habent spacia. Dactylum percussum, quamdiu sine vicio sunt. Siquando citatiores sunt, vt dorcadacizontes: vt leniores, vt mirmicizontes, mortis signa sunt. Venæ dictæ eo, quod viæ sint natantis sanguinis, atque riui per omne corpus diuisi, quibus vniuersa membra irrigantur. Dicitur & vena aqua, vnde fons ebullit. Quod etiam significare potest processum gratiæ spiritualis atque doctrinæ. Vnde
Prou. 5. scriptum est in sapientiæ libro: *Sit vena tua benedicta.* Et alibi *Vena viuentium aquarum*, hoc est, sapientiæ, *dulcis haustus, & potus salubris.* Sanguis ex Græca etymologia nomen duxit, quod vegetetur & sustineatur & viuat. Sanguis autem est, dum in corpore est: effusus vero cruor dicitur. Nam cruor vocatus ab eo, quod effusus decurrit: vel ab eo, quod currendo corruat. Alij cruorem interpretantur sanguinem corruptum, qui emittitur. Alij aiunt vocatum sanguinem, quod suauis sit. Sanguis autem integer non est, nisi in iuuenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem. Vnde & in senibus tremor est. Proprie sanguis animæ possessio est. Inde genas lacerare mulieres in luctu solent. Vnde & purpureæ vestes, & flores purpurei mortuis præbentur. Sanguis
Ioan. 6. aliquando sacramentum Dominicæ Passionis significat:
Exod. 12. vt est illud Saluatoris in Euangelio: *Caro mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus.* Nam & in lege præceptum est populo Israelitico, vt de sanguine agni paschalis ponerent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus pascha edebant, quatenus exterminatoris excidium possent euadere. Sic & san-
guis Christi mundat conscientiam nostram ab operibus Heb. 6.
mortuis ad seruiendum Deo viuenti, & liberat nos de potestate inimici, & persecutione hostis antiqui. Item in aliam partem sanguis significatio ducitur, cum aut operationem carnalem, aut corruptionem mortalis naturæ significat. Vnde Propheta precatur Dominum: *Li-* Psal. 50.
bera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Et iterum, *Vi-* Psal. 5.
rum, inquit, *sanguinum & dolosum abbominabitur Dominus.* Vir quidem sanguinum est, qui humano cruore polluitur: nec non & ille, qui decipit viuum. Et Apostolus: *Caro sanguis regnum Dei non possidebunt: neque corruptio incor-*
ruptelam possidebit. Pulmo ex Græco trahit vocabulum. 1. Cor. 15.
Græci enim pulmonem pneumon vocant eo, quod flabellum cordis, in quo pneuma, id est, spiritus inest, pro quo agitantur & mouentur. Vnde & pulmones vocati sunt. Nam Græce pneuma spiritus dicitur, qui flando & exagitando aerem emittit & recipit, a quo mouentur pulmones & palpitant, & aperiendo se, vt flatum capiant: stringendo, vt eiiciant. Est enim corporis organum. Iecur nomen habet eo, quod ignis ibi habeat sedem, qui in cerebrum subuolat: inde ad oculos, cæterosque sensus & membra diffunditur: & calore suo ad se succum ex cibo tractum vertit in sanguinem, quem ad vsum pascendo nutriendoque singulis membris præbet. In iecore autem consistit voluptas & concupiscentia iuxta eos, qui de physicis disputant. In iecore autem, id est, in epate delectionem siue concupiscentiam significatam possumus intelligere. Vnde est illud, quod
in lege præceptum est, cum ventre & renibus & adipe Leuit. 3. 4.
partem iecoris Deo offerri: quia concupiscentiam nostram magis ad Dei quam ad mundi debemus conuertere voluntatem. Legitur enim in libro Tobiæ, quod An-
gelus præceperit Tobiæ piscem captum exenterare, & Tob. 6.
cor eius, & fel & iecur in cassidili reponere, iecurque postea ex præcepto Angeli super carbones viuos ponere, quatenus præualeret dæmonem effugare. In iecore enim, cuius ardore accepti cibi in stomacho excoquuntur, docemur, vt maturitate consilij studeamus fluxas carnis cogitationes ad purũ excoquere & in secessum mittere, ne forte diabolo in cubilibus cordium nostrorum consentiamus vllo modo locum habere: sed magis robore fidei & sacratum orationum festinemus eum foras expellere. Fibræ iecoris sunt extremitates, sicut extremæ partes foliorum in tibiis, sine quasi linguæ eminentes. Dictas autem fibras, quod apud gentiles in sacris Phœbi ad aras ferebantur ab ariolis, quibus oblatis atq; succensis responsa acciperent. Cui bene conuenit, quod supra diximus iecoris partem Deo offerri iussam: vt Deo potius offeratur, quod suum est, quam idolis vanis & surdis, in quibus sola fraus & deceptio est. Splen dictum a supplemento ex contraria parte iecoris, in vacua existeret. Quem quidam etiam risus causa factum existimant. Nam splene ridemus. Ammonet etiam hæc articula viscerum nos, vt non vana lætitia mundi, sed in Domino exultemus & lætemur: ne vano risui ora dissoluamus. De
quo sapientia dicit: *Risum deputaui errorem*: sed magis luctu Eccl. 2.
in præsenti sæculo nostra peccata deleamus, vt in futura
vita æterno gaudio fruamur. Vnde scriptum est: *Beati, qui* Matt. 5.
lugent nunc: quoniam ipsi consolabuntur. Felle irascimur, corde sapimus, iecore amamus. Quibus quatuor elementis constantibus, integrum est animal. Fel appellatum, quod sit folliculus gestans humorem, qui vocatur bilis. Fel enim amaritudinem & dolositatem peruersæ mentis significat. Vnde beatus Petrus Apostolus ad Simonem per fraudem gratiam Spiritus sancti accipere volentem
ait: *In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video* Actor. 8.
te esse. Hinc & in Iob de impio scriptum est: *Panis illius in* Iob. 20.
vtero eius vertetur in fel aspidum intrinsecus: id est, satietas transitoriæ delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertetur. Tunc etenim iniqui vident, quod antiqui serpentis veneno interfecti sunt, cum flammis vltricibus traditi cum eodem suo persuasore cruciatur. Siue panis illius in vtero eius in fel aspidum intrinsecus vertitur: quia dum sacræ legis scientia glo-

tiantur, vitæ potum conuertit sibi in veneni populum.
Hinc rursum in Cantico Deuteronomij de Iudæis legi-
Deut. 32. tur: *Vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis* ipsis, qui Sal-
uatori nostro in cruce pendenti acetum eum felle mixtũ
in potum dederunt. Stomachus Græce os vocatur eo,
quod ostium ventris sit, & ipse cibum excipiat atq; in in-
testina transmittat. In stomacho aliquando iram & in-
dignationem animi significatam possumus intelligere.
Vnde dicimus iracundos homines stomachari, quia fu-
rorem suum intus occultare non possunt. sed cum impe-
tu conuiciorum illum foras proiiciunt. Intestina dicun-
tur eo, quod corporis interiore parte cohibentur. Quæ
idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt mo-
do, vt susceptas escas paulatim digerant, & superadditis
cibis non impediantur. In intestinis ergo possunt animi
Gen. 6. secreta & cogitatus interni accipi. Vnde scriptum est. *Ta-*
Iob. 30. *ctus dolore cordis intrinsecus.* Et in libro Iob legitur: *Intesti-*
na, inquit, mea efferbuerunt dolore absque vlla requie. Hinc &
in Leuitico iubentur hostiæ intestina simul cum capite
& pedibus aqua lota adoleri Domino in holocaustum ac
suauem odorem. Intestina sane vel interanea (vt alia e-
ditio habet) cum pedibus aqua dilui iubet sermo præce-
pti, Sacramentum baptismi sub figurali prædicatione
denuncians. Nam interanea diluit, qui conscientiam
purgat. Pedes abluit, qui contuminationem suscipit sa-
Ioan. 13. cramenti: & scit, quia *qui mundus est, non indiget, nisi vt pe-*
des lauet. Matrix dicitur quod fœtus in eo generetur: se-
men enim receptum confouet, consotum corporat,
corporatum in membra distinguit. Vulua vocata, qua-
si valua, id est, ianua ventris: vel quod semen recipit: vel
quod ex ea fœtus procedat. Vulua significat interna se-
Iob 38. creta. Vnde in Iob scriptum est. *Quis conclusit ostiis mare,*
quando erumpebat quasi de vulua procedens? quia videlicet
tunc humano generi præceptis legis obuiauit, quando
adhuc seculum suæ origini vicinum quasi ab ortu pro-
prio ad profectum vitæ carnalis exiebat. De vulua quip-
pe procedere est in lucem præsentis gloriæ carnaliter
apparere. Item vulua interiora animæ sunt, vbi bonum
vel malum concipitur. Est & vulua Ecclesiæ fides inte-
rior à qua hæretici deprauati aborsum matris intulerunt,
Psa. 51. sicut in Psalmo de eisdem dicitur: *Alienati sunt peccatores*
a vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Vesica dicta,
quia sicut vas aqua de renibus vrina collecta completur
& humore distenditur. Cuius vsus in volucribus non
habetur. Vrina autem dicta, siue quod vrat, seu quia ex
renibus egeritur: cuius iudicio & salus & ægritudo futu-
ra monstratur. Qui humor vulgo lotium dicitur: eo
quod lota, id est, munda vestimenta efficiantur. Semen
est, quod iactum sumitur aut à terra, aut ab vtero ad gi-
gnendum vel fructus vel fœtus. Est enim liquor ex ci-
bi & potus decoctione factus ac diffusus per venas at-
que medullas, qui inde desudatur. In modum sentinæ
concrescit in renibus, eiectusque per coitum, & in vte-
ro mulieris susceptus, calore quodammodo viscerum, &
menstrualis sanguinis irrigatione formatur in corpore.
Seminis autem nomen diuersis speciebus non inconue-
nienter aptatur: quia semen animalis est cuiuslibet, vn-
de origo eius nascitur. Semen est & arborum, herbarum
Gen. 1. atque olerum, vnde originem trahunt: sicut legitur Do-
minus de fructibus terræ in Genesi dixisse: *Germinet ter-*
ra herbam virentem & facientem semen & lignum pomiferum
faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit
Luc. 8. *super terram,* & cetera. Legitur in Euangelica parabola,
Saluatore dicente, semen esse verbum Dei: quia ex ipso
fructus bonorum virtutum procedit. Menstrua, super-
uacuus mulierum sanguis. Dicta autem menstrua à cir-
cuitu lunaris luminis, quo solet hoc euenire profluui-
um. Luna autem Græce mene dicitur, vnde muliebria
nuncupantur. Nam mulier solum animal menstruale
est. cuius cruoris contactu fruges non germinant, acesc-
cunt musta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fœtus,
ferrum rubigo corrumpit, nigrescunt æra: siqui canes
inde ederint, in rabiem efferuntur: glutinum asfaltis,
quod nec ferro nec aquis dissoluitur, cruore ipso pollu-
tum, sponte dispergitur. Post plurimos autem dies
menstruos ideo semen non esse generabile, quia iam
non est menstrualis sanguis, a quo perfusus irrigetur. Te-
nue semen locis muliebribus non potest adhærere. La-
bitur enim, nec habet vim adhærendi. Similiter & emis-
sum vim non habet gignendi, quia muliebri sanguini
misceri non potest propter nimiam sui spissitudinem.
Hinc & steriles mares vel fœminas fieri per nimiam se-
minis vel sanguinis crassitudinem vel propter nimiam
raritatem. Primum autem aiunt cor hominis fingi,
quod in eo sit vita omnis & sapientia: deinde quadrage-
simo totum corpus expleri, quod ex abortionibus (vt
ferunt) collectum est. Alij fœtus à capite sumere di-
cunt exordium. Vnde & in auium fœtibus primum o-
culos fingi in ouis videmus. Fœtus autem nominatus,
quod adhuc in vtero foueatur. Cuius secundæ dicun-
tur folliculus, qui simul cum infante nascitur, continet-
que eum; dictus, quia comitatur & sequitur. Nasci au-
tem patribus similes aiunt, si paternum semen validius
sit: matribus, si maternum: & hac ratione similes expri-
mi vultus. Qui autem vtrinsque parentis figuram red-
dunt, æqualiter mixto paterno maternoque semine con-
cipiuntur, auorum proauorumque similes fieri, quia
sicut in terra semina multa occulta, sic & in nobis semi-
na celantur, figuras parentum reddituræ. Ex paterno
autem semine puellas nasci, & ex materno pueros: quia
omnis partus constat duplici semine, cuius pars maior
cum inualuerit, occupat similitudinem sexus. Iuxta al-
legoriam fluxus sanguinis potest intelligi idololatriæ
obscenitas, & errorum pollutio. Sic & menstruale tem-
pus illud intelligitur, quo pene vniuersus Orbis in er-
rore & idololatria versabatur. Et ad mulierem men-
struatam non licet accedere, nec cum ea commisceri:
quia nec idololatriæ paganorum, nec hæresi hæretico-
rum licet Catholico homini communicare. Femora di-
cta sunt, quod ea parte à sexu viri discrepat. Sunt autem
ab inguinibus vsq; ad genua. Femina autem per deriua-
tionem femorum partes sunt, quibus in equitando ter-
gis equorum adhæremus. Vnde & præliatores olim sub
feminib. equos amisisse dicebantur. Femur generis pro-
pago intelligitur, sicut in Genesi de Iacob legitur: *Tetigit* Gen. 32.
latitudinem femoris eius, & claudicauit. Item fœmur caro ho-
minis, vt in Hieremia: *Postquam ostendisti mihi, percussi fe-* Ier. 31.
mur meum. Nam femur aliquando significat Incarnatio-
nem Dominicam, & aliquando voluptatem carnis. Le-
gitur ergo in Psalmo prophetam ad Dominum dixisse:
Accingere gladio tuo circa femur potentissime. Dicit enim, *ac-* Psal. 44.
cingere gladio tuo, metaphora à bellatore concepta, qui
dimicaturus gladio cingitur, vt prosternat inimicum.
Sed hic gladium sermonem prædicationis debemus ac-
cipere. De quo ipse in Euangelio testatur: *Non veni pa-* Matth. 10
cem mittere in terram, sed gladium. Et Apostolus dicit: *Et gla-* Eph. 6.
dium Spiritus, quod est verbum Dei. Gladius autem sermo
Dei dicitur, quia corpulenta vicia corda hominum ictu
suæ virtutis irrumpit: nec potest imbecillitas humana re-
sistere, vbi illa fortitudinis gloria dignatur intrare. Fe-
mur vero incarnationem significat Domini Saluatoris:
sicut in Genesi legitur. *Non deficiet princeps ex Iuda, neque* Gen. 49.
dux de femoribus eius. In ipso etiam mysterio & Abraham Gen. 24.
fecit iurare famulum suum. Quando enim tacto femo-
re subiunxit, *potentissime*: hoc ait, vt reuerendam incar-
nationem crederes, quam potentia diuinitatis assum-
psit. Similiter sapientissimus ille dicit: *Gladius eius in*
femore ipsius. Quo tamen significari, desiderium carna-
le verbo Dei constringendum, potest non incongrue ac-
cipi. Nam quod sequitur, *specie tua & pulchritudine tua* Ps. 44.
hic vtramque naturam positam euidenter cognoscimus:
vt species pertineat ad humanitatem, pulchritudo ad
Deitatem. Illa enim species benedicitur, in qua mun-
do salus apparuit. Ista pulchritudo aptissime pronun-
ciatur, vnde omnia pulchra, quemcunque decora sunt.
Legitur quoque in Cantico Canticorum Sponsus spon- Cant. 7.
sæ dixisse: *Iuncturæ fæminum tuorum, sunt mon lia, quæ fabri-*
cata sunt manu artificis. Vbi duorum concordia populo-
rum spiritali prole fœcundorum in iũctura feminũ desi-
gnatur. Quæ sicut monilia fabricata sunt manu artificis,

id est.

id est, ineffabili largitate conditoris nostri firmata. In monilibus opera bona exprimuntur. Inguina autem furorem libidinis vel iracundiæ possunt designare. Vnde
2. Reg. 2.
in libro Regum legitur, quod Abner auersa hasta percussisset Asahel in inguine & transfodisset eum. Cuius Asahel typum tenuit, nisi horum quos vehementer arripiens furor in præceps ducit? Qui in eodem furoris impetu tanto cautius declinandi sunt, quanto & insania vehementiori rapiuntur. Vnde & Abner, qui sermone nostro *patru lucerna* dicitur, fugit: quia doctorum lingua, quæ supernum lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cuiuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentem dissimulat verborum iacula reddere, quasi persequentem non vult ferire: vnde & Abner cum contra persequentem substitit, non eum recta, sed auersa hasta transforauit. Ex mucrone quippe percutere est impetu apertæ increpationis obuiare: auersa vero hasta persequentem ferire est furentem tranquille ex quibusdam tangere & quasi parcendo superare. Asahel autem protinus occumbit: quia commotæ mentes dum & parci sibi sentiunt, & tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo, quod se erexerant, statim cadunt. Qui ergo à feruoris sui impetu sub lenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro moriuntur. Coxæ quasi coniunctæ axes dicuntur. In ipsis enim femora mouentur, quorum concaua vertebra vocantur: quia in eis capita femorum vertuntur. Suffragines dicuntur, quia subtus franguntur, id est, flectuntur, non supra, sicut in brachiis. Genua sunt commissiones femorum & crurium: & dicta genua, eo quod in vtero sint genis opposita. Cohærent enim ibi sibi, & cognata sunt oculis, lacrimarum indiciis & misericordiæ. Nam à genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem, ita vt genua sursum sint, quibus oculi formantur, vt caui ac reconditi fiant. Vnde Ennius: *Atque genua comprimunt arta gena.* Inde est, quod homines dum ad genua se prosternunt, statim lacrimantur. Voluit enim eos natura vterum maternum rememorare, vbi quasi in tenebris sedebant, antequam venirent ad lucem. Genua mystice confessionem humili-
Ephes. 3.
tatis significare possunt: vt est illud Apostoli: *Flecto*, inquit, *genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Hinc & Pe-
Luc. 5.
trus procidit ad genua Iesu, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Aliquando autem genua significant virtutem fidei. De quo vox diuina in libro Regum ad
3. Reg. 19.
Heliam Prophetam ait: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curauerunt genua sua ante Baal.* Item genua aliquando pro membris Christi posita intelliguntur: vt est illud
Psal. 108.
in Psalmo: *Genua mea infirmata sunt præ ieiunio*, cum euan-
Matth. 4
gelio teste doceatur, 40. diebus, & 40. noctibus Christum Dominum Ieiunasse: genua tamen eius infirmata esse non legimus, sed tantum esurisse declaratur. Vnde si hanc esuriem ad genua referas, id est, corporis stabilitatem, quibus semper insistimus: potest congruenter aptari minus: ne. si hoc scrupulum mouit, melius genua ad ipsius membra referantur, quæ reuera infirmata sunt, quando Apostoli eius passione dispersi sunt. Quid enim plus esse potuit infirmius, quam vt Petrus negaret, & reliqua fidelium turba latuisset Talus dictus à talo. Nam talus est eminens rotunditas. Vnde & fastigium templi rotundi talus vocatur. Talus autem sub cruce est, sub talo calcanei. Talus finem cuiuslibet rei significat: sicut ipse subest cruribus & eminentiæ corporis. Vnde legi-
Genes. 37.
tur Iacob filio suo Ioseph tunicam talarem atque polymitam fecisse, hoc est, vario colore contextam. Ideo talaris tunica dicitur eo, quod vsque ad talos descenderet, & manibus artificis mira esset varietate distincta. Quæ etiam tunica secundum allegoriam varietatem populorum ex omnibus gentibus in corpore Christi congregatam significauit. Item alio modo Ioseph, qui inter fratres vndecim vsque ad finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse describitur. Quid est ergo talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis cooperit, cum bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ terminum nos tegit.
Leuit. 3. 7.
Vnde & per Moysen cauda hostiæ in altari offerri præcipitur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseueranti fine compleamus. Pedes ex græca etymologia nomen sortiti sunt. Hos enim græci podas dicunt, quia alternis motibus solo incedunt fixi. Pedes cursum vitæ præsentis significant, stabilitatem mentis ac fidei: vt est illud in Psalmo: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem*; hoc est, gressus operum nostrorum firmiter per- Psal. 115.
manent in fide & religione, quam in præsenti tempore sancta tenet ecclesia. In contrariam partem pedum significatio vertitur: vt est illud propheticum testimonium: *Cur claudicatis vtroque pede*, hoc est, sermone & opere estis instabiles & subuersi, pronique ad malum. Item in Psal- 3. Reg. 18.
mo de Iudæis scriptum est: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Pedes appellat consilij progressus, quibus Psal. 113.
de incepto prouehimur ad exitus rerum. Nam quod dixit, *veloces*, ostendit moderationis illis consilia defuisse ad effundendum sanguinem, subaudiendum Domini Saluatoris vt sceleratæ rei crescat immanitas actionis. Item pedes cursus vitæ, vel stabilitatem mentis aut fidei, vt in Psalmo: *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Plantæ à planicie Psal. 16.
nuncupatæ, quæ non rotundæ, vt in quadrupedibus, ne stare non possit bipes homo, sed planæ atque longiores formatæ sunt, vt stabile corpus efficerent. Sunt autem plantæ anteriores partes, quæ etiam de multis ossibus constant. Significant plantæ terminum conuersationis nostræ. Vnde scriptum est in Esaia de Iudaico populo: *A planta pedis vsque ad verticem non est sanitas in eo*: hoc est, à Esa. 1.
summo vsque ad summum. Tota enim eorum conuersatio viciorum & peccatorum aculeis confossa erat, nec sanitas vlla rectæ fidei & bonorum operum in eis apparebat. Vnde scriptum est in Psalmo de Iuda proditore: *Qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem.* Qui Psal. 40.
enim panem doctrinæ ab ore Saluatoris accepit, & communiter cum ceteris Apostolis apud eum vixit, ignorantibus eis cum Iudæis machinatus est scelus proditionis, ita vt osculo eum traderet. O discipulum surdum, ô indocili corde durissimum! Quis enim eum à tanta pietate aliquid virtutis animo percepisse credat, qui tam crudelis extitit parricida? Calcis pars est plantæ à callo nomen illi impositum, quo terram calcamus: hinc & calcaneus. Solum, inferior pars pedis, inde est dictum, quia eo terræ vestigia imprimimus. Sed & solum dicitur omne, quod aliquid sustinet, quasi solidum. Vnde & terra solum, quod cuncta sustineat: & solum pedis, quod totam corporis molem portat. Calcaneus supplantatio viciorum est, siue extremus cursus vitæ. De calcaneo enim in Psalterio de iniquis scriptum est: *Ipsi calcaneum meum obseruabunt.* Mos Psal. 55.
iste diabolicus est, vel eorum, qui ministri ipsius esse noscuntur: vt calcaneum, id est vltima nostra insidiosa calliditate respiciant: sicut Serpenti à Domino prædictum est: *Illa tuum obseruabit caput: & tu insidiaberis calcaneo eius.*
Scit enim diabolus finitima nostra iudicari, & ipsa vult Genes. 3.
euertere, vt possimus ad reatus discrimina peruenire. Vestigia enim, quibus transeundo pedibus indicium transitus nostri relinquimus, aliquando stabilitatem virtutum mystice designant, vt est illud in Psalmo: *Vt non mouean-* Psal. 16.
tur vestigia mea. Et in aliam partem translatum deuium peccatorum monstrat, vt est illud: *Transit iter impiorum,* Sap. 2.
tanquam vestigium nauis. Neque silendum arbitror, quod in corpore nostro est. Quædam tantum vtilitatis causa facta sunt, vt viscera: quædam & vtilitatis & decoris, vt sensus in facie, & in corpore manus ac pedes, quorum membrorum & vtilitas magna est, & species decentissima: quædam tantum decoris, vt mamillæ in viris, & in vtroque sexu vmbilicus: quædam discretionis, vt in viris genitalia, barba prolixa, pectus amplum: in mulieribus lenes genæ & angustum pectus ad concipiendos & portandos fœtus, renes & latera dilatata.

CAPIT. II.

De situ & habitu humani corporis.

STare hominis, in fide consistere significat, vt in Apo-
stolo: *State in fide.* Ambulare, ad Deum tendere, vt in 1. Cor. 16.
Psalmo: *Et ambulabam in latitudine.* Sedere, in Deo humi- Psal. 118.
liter requiescere, vt in Euangelio: *Vos autem sedete in ciui-* Luc. 24.

2. Reg. 7. *tate.* Et in libro Regum de Dauid dicitur: *Seditque coram*
Domino. Iacere, aut vitiis aut temptationibus succumbe-
Marc. 7. re. Vnde legitur in Euangelio. *Et inueniet eum iacentem in*
lecto. Currere, in operibus bonis prosperari. In Apostolo:
1 Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* Et in malam partem: *Pedes eo-*
Prou. 1. *rum ad malum currunt.* Ascensus, profectus in Domino.
Psal. 83. In Psalmo: *Ascensus in corde suo disposuit.* Et in Exodo: *Ar-*
Exod. 13. *mati ascenderunt filii Israel de Aegypto.* Item in malam partem
Ioan. 10. ascensus, superbiæ præsumptio in Euangelio: *Qui non in-*
trat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est &
Luc. 10. *latro.* Descensus, defectus a Deo. In Euangelio: *Homo qui-*
Esa. 30. *dam descendebat ab Hierusalem in Hiericho.* Et in Isaia: *Væ, quia*
ascenditis equos, vt descendatis in Aegyptum.

CAPIT. III.
Quomodo humana membra ascribantur diabolo.

SCiendum vero est, quod quando membra hominis &
humani actus diabolo ascribuntur, non secundum
historiam, sed secundum allegoriam accipienda sunt:
quia in multis locis scripturæ sacræ huiusmodi species in-
ueniuntur. Nam caput omnium malorum diabolus est.
Abac. 3. Vnde legitur in Abacuc: *Percussisti caput de domo impii.* Cor-
pus vero diaboli reprobi homines. Vnde de Vehemoth
Iob. 41. legitur in libro beati Iob: *Corpus eius sicut scuta fusilia.* Ocu-
li eius vel dentes hæretici, siue praui omnes Doctores: vt
Ibidem. in prædicto libro scriptum est: *Oculi eius sicut palpebræ: in*
circuitu dentium eius formido. Nares diaboli, inspirationes
Ibidem. illius prauæ: vt in Iob: *Et de naribus eius fumus procedet.* Os
diaboli, locutiones eius, quibus corda hominum occul-
Ibidem. tis cogitationibus alloquitur: vt est illud in Iob: *De ore*
eius flamma procedet. Lingua diaboli, sapientia seculi hu-
Iob. 40. ius, vel hæreticorum dogma: vt est illud in Iob: *Et fune li-*
gabis linguam eius. Ossa diaboli, potentes quique & fortes
Ibidem. in malitia, siue hæretici vt est illud in Iob: *Ossa eius, fistula*
æris. Cartilago eius minus potentes, quam hij, qui ossa
nominantur: vt est illud in Iob: *Cartilago eius sicut laminæ*
Ibidem. *ferreæ.* Halitus diaboli, inspiratio occulta, per quam cor-
da peccatorum amore carnali ardere facit. vt est illud in
Iob. 41. Iob: *Halitus eius prunas ardere facit.* Facies diaboli Antichri-
Ibidem. sti aduentus, vel aperta eius malitia: vt est illud in Iob: *Fa-*
ciem eius præcedit egestas. Carnes diaboli infirmi quique in
corpore eius, & minus valentes peccare. vt est illud in
Ibid. Iob: *Membra carnium eius cohærentia sibi.* Testiculi diaboli,
vel hæretici, vel prauæ cogitationes subtiliter vinculis
Iob. 40. peccatores ligantes, vt est illud in Iob: *Nerui testiculorum*
eius perplexi sunt. Cauda diaboli, Antichristus vel consue-
Ibid. tudo peccandi, vt est illud: *Stringit caudam suam quasi ce-*
drum. Dormire diabolum, est in corde reproborum re-
Ibid. quiescere, vt est illud in Iob: *Sub vmbra dormit in secreto ca-*
lami. Pascere diaboli, est in peccatis impiorum delectari,
vt est illud in Iob: *Huic montes herbas ferunt.* Quod ad ho-
minem & ad partes attinet corporis, ex parte iam supe-
rius dictum est. Nunc ætates eius subiungamus.

EXPLICIT LIBER SEXTVS.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

CAPIT. I.
De ætatibus hominis.

GRadus ætatis sex sunt. Infantia, Pueritia, Adolescen-
tia, Iuuentus, Grauitas atque Senectus. Prima ætas
infantia est pueri nascentis ad lucem, quæ porrigitur in
septem annis. Secunda ætas pueritia, id est, pura, & nec
dum ad generandum apta, tendens vsque ad 14. annum.
Tertia, adolescentia ad gignendum adulta, quæ porrigi-
tur vsque ad 28. annos. Quarta, iuuentus firmissima æ-
tatum omnium, finiens in quinquagesimum annum.
Quinta ætas senioris, id est, grauitas, quæ est declinatio
à iuuentute in senectutem, nondum senectus, sed iam
non iuuentus: quia senioris ætas est, quam græci presby-
ten vocant. Nam senex apud græcos non presbyter, sed
Gereon dicitur. Quæ ætas, à quinquagesimo anno inci-
piens, septuagesimo anno terminatur. Sexta ætas sene-
ctus, quæ nullo annorum tempore finitur: sed post quin-
que illas ætates, quantumcunque vitæ est, senectuti de-
putatur. Senium autem pars vltima senectutis, dicta,
quod sit terminus sextæ ætatis. In his igitur sex spaciis
philosophi vitam descripserunt humanam, in quibus mu-
tatur & currit, & ad terminum mortis peruenit. Perga-
mus ergo breuiter per prædictos gradus ætatum, etymo-
logias eorum in homine demonstrantes. Infans dicitur
homo primæ ætatis. Dictus autem infans, quia adhuc
fari nescit: id est, loqui non potest. Nondum enim bene
ordinatis dentibus plena est sermonis expressio. Infan-
tes, malitia paruulos mystice significant: vt in Psalmo: *Ex* Psalm. 8.
ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Lactentes, in
Christi fide proficientes. Ablactatus, Christus, de quo
per Esaiam dicitur: *Super foramina aspidis, & in cauerna re-* Esa. 11.
guli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Ablactati perfe-
cti, quasi à simplici cibo doctrinæ abstracti. Vbi & supra
Ablactatus, a lacte expulsus ab vberibus. Paruulus mystice
Christus, vt est illud Esaiæ: *Paruulus natus est nobis.* Item Esa. 9.
paruuli sancto Spiritu humiles, vt in Psalmo: *Custodiens* Psal. 114.
paruulos Dominus. Et in malam partem in Osee: *Paruuli eo-* Osee 14.
rum elidantur. Paruuli, cogitationes prauæ, priusquam in
opere perficiantur, vt in Psalmo: *Beatus qui tenebit & alli-* Psal. 136.
det paruulos tuos ad petram, hoc est, ad Christum. Puer à pu-
ritia vocatus, quia purus est, & necdum lanuginem flo-
remque genarum habens. Hij sunt ephebi, id est, a Phœbo
dicti, nec dum viri adolescentuli leues. Puer autem tri-
bus modis dicitur: pro natiuitate. vt Esaias. *Puer natus est* Esa. 9.
nobis: pro ætate, vt: octennis, decennis. Vnde est illud:
Iam puerile regnum tenera ceruice gerebat. Pro obsequio & fi-
dei puritate: de quo Dominus ad Prophetam ait: *Puer* Ierem. 1.
meus es tu: noli timere: dum iam Hieremias longe pueritiæ
excessisset annos. Puer mystice Christus intelligitur, vt
in Euangelio: *Puer autem Iesus crescebat.* Item in malam Luc. 2.
partem. Puer centum annorum, id est, peccator perfectæ
stultitiæ, vt in Esaia: *Quoniam puer centum annorum morie-* Esa. 65.
tur. Pueri sancti appellati à puritate, vt in Esaia: *Ecce ego &* Esa. 8.
pueri, quos dedit mihi Dominus. Et in aliam partem: *Nolite* 1. Cor. 14.
pueri effici sensibus &c. Puella est paruula quasi pupilla. Vn-
de pupillos non pro conditione, sed pro ætate puerili vo-
camus. Pupilli autem dicti, quasi sine oculis, hoc est, a pa-
rentibus orbi. Hi autem vere pupilli dicuntur, quorum
patres ante decesserunt, quam ab his nomen acciperent:
ceteri orbi vocantur. Orphani id est, qui & pupilli. Illud
enim græcum nomen est: hoc, latinum. Nam & in Psal-
mo, vbi legitur, *pupillo tu eris adiutor,* græcus habet, *orpha-* Psal. 9.
no. Cuius sententiæ talis est sensus. Pupillum vero dicit,
non cuius genitor carnalis occubuit, sed cui pater sepul-
tus est mundus. Nam pupillos multos inuenies orbatos
patre visibili & sunt blasphemi, obligatores, &, quod in
illa ætate crebertimum est, luxuriosi. Et hij à Domino
probantur alieni. Sed ab illis pupillis diuidi non potest
adiutorium Dei, quorum pater diabolus in actione faci-
norum probatur extinctus. Et inde, quod dicit: *tu eris*
adiutor: vt, cum carnaliter affligi videas eos, non dubites
esse liberandos. Item in Psalterio scriptum est: *Pupillum*
& viduam suscipiet: & viam peccatorum exterminabit. Pupil- Psal. 145.
lus & vidua sunt, qui Dominum pura mente respiciunt,
humanis solaciis destituti: hos recipit Christus suo mu-
nimine vindicandos. Sed cum istos pro sua pietate rece-
perit, diabolum, qui est via peccatorum, exterminabit id
est, à termino regni sui reddit alienum. Prægnantes ani-
mæ fidelium verbum Dei nuper concipientes & necdum
in opere parturientes: sicut in Exodo pro contentionis

Exod. 21. doctoribus dicitur: *Si duo viri rixantes, & percusserit quis mu-
lierem pregnantem, & abortiuum fecerit*, id est, fidei verbum
perdiderit. De his namque animabus fidelium per A-
Amos 1. mos de hæreticis dicitur: *Secuerunt pregnantes Galaad.*
Item prægnantes, animæ peccatorum, cupiditatum co-
Matt. 24. gitationibus plenæ, de quibus in Euangelio dicitur. *Va
pregnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Pariens aute cor-
dis fidei verba concipiens, & in confessione vel opere
Ierem. 31. generans: sicut in Hieremia de fidelibus dicitur: *Inter
quos erit cacus & claudus, pragnans & pariens.* In malam par-
Psal. 7. tem: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Primogeni-
Exod. 13. tus, Christus de quo in Lege: *Omne primogenitum, ada-
periens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Item primoge-
Exod. 4. nitus, populus Iudæorum, vt in Propheta: *Primogeni-
tus meus Israel.* Primogenita, primitiua vita, pro qua in
Exod. 13. Lege scriptum est: *Omnia primogenita filiorum tuorum re-
dimes.* Puberes à pube, id est, à pudenda corporis par-
te nuncupati, quod hæc loca tunc primum lanuginem
ducunt. Quidam autem ex annis pubertatem existi-
mant vocatam, id est, eum puberem esse, qui 14. an-
nos expleuerit, quamuis tardissime pubescat. Certis-
simum puberem esse, qui ex habitu corporis puberta
tem ostendit, & generare iam possit. Puerperæ sunt,
quæ annis puerilibus pariunt. Vnde & Horatius lau-
datur: *Prima prole puerpera nato.* Et dictæ puerperæ, vel
quod partu grauentur, vel quod primum pueros pa
riunt. Vnde de matre Saluatoris ait poeta:

Salue sancta parens enixa puerpera regem.

Adolescens dictus eo, quod sit ad gignendum adultus:
siue à crescere & augeri. Adolescentes, fideles siue o-
1. Ioan. 2. peribus proficientes, vt in epistola Iohannis: *Scribo vo-
bis, adolescentes, quia vicistis malignum.* Et in aliam par-
Eccles. 11. tem: *Adolescentia enim & voluptas vana sunt.* Iuuenis vo-
catus, quod iuuare posse incipit: vt in bobus iuuen-
ci, cum à vitulis discesserint. Est enim iuuenis in ipso
ætatis incremento positus, & ad auxiliandum præpa-
ratus. Nam iuuare hominis est opus, aliquid confe-
rentis. Sicut autem tricesimus perfectæ ætatis est an-
nus in hominibus: ita in pecudibus & in iumentis ter-
tius robustissimus. Iuuenes significant alacres in Deum,
1. Ioan. 2. vt in Epistola Iohannis: *Scribo vobis iuuenes, quia fortes
estis, & verbum Dei in vobis manet.* Et in malam partem,
Psal. 77. vt in Psalmo: *Iuuenes eorum comedit ignis.* Infantes enim
& adolescentes atque iuuenes mystice significant eos,
qui crescunt in gratia Dei, & fortiter resistunt diabolo.
1. Ioan. 2. Vnde Iohannes Apostolus in epistola sua dicit: *Scribo vo-
bis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infan-
tes, quoniam cognouistis Patrem. Scribo vobis iuuenes, quia
fortes estis & vicistis malignum, & verbum Dei in vobis manet.*
Item in malam partem puer, adolescens & iuuenis po-
siti reperiuntur, quando stultitiam sensus aut petulan-
Prou. 22. tiam morum significant. Vnde scriptum est: *Stultitia
ligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam.* Vn-
3. Reg. 12. de in libro Regum de Roboam legitur, quod relicto
seniorum consilio secutus sit adolescentium & iuuenum
1. Cor. 14. consilium. Hinc & Apostolus iubens ait: *Nolite pueri
effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Paruulus enim in-
telligitur mente humilis & simplex, vt est illud Domi-
Matth. 11. nicum testimonium in Euangelio: *Confiteor tibi Domine
Pater cœli & terra: quia abscondisti hac à sapientibus & pruden-
tibus, & reuelasti ea paruulis.* Item paruulus aliam signi-
1. Cor. 13 ficationem habet, vbi dicitur Apostolus: *Cum essem par-
uulus, loquebar vt paruulus: sapiebam vt paruulus: cogitabam
vt paruulus: cum autem factus sum vir, euacuaui, qua erant
paruuli.* Vir nuncupatus, quod maior in eo vis est, quam
in feminis. Vnde & virtus nomen accepit: siue quod
vi agat feminam. Mystice enim vir aliquando intelli-
gitur Christus, cuius vxor est ecclesia. Vnde dicit Apo-
Ephes. 5. stolus: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit
ecclesiam.* Item vir intellectus spiritalis in historia scri-
pturarum accipitur. Rursum vir spiritus intelligitur,
qui principatur in anima. Vnde Dominus ait ad mu-
lierem Samaritanam: *Vade voca virum tuum*: hoc est, re-
Ioan. 4. di ad intellectum tuum. Item vir in contrariam par-
tem ponitur, vt est illud in Pentateucho: *bona facie valde* Genes. 24.
virgo, quam vir non cognouerat: id est, diabolus, qui ple-
runque mentem cogitatione corrumpit. Item vir Chri-
stus intelligitur in illo Zachariæ testimonio: *Ecce venit,* Zach. 6.
inquit, *vir, cuius Oriens nomen est.* Et alibi: *Reuertimini fi-* Ierem. 3.
lii reuertentes, quia ego vir vester. Rursum vir & vxor, Chri-
stus & Ecclesia, vt in Apostolo: *Propter hoc relinquet homo* Ephes. 5.
*patrem & matrem, & adhærebit vxori sua, & erunt duo in car-
ne vna. Ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Vir & vxor,
anima & caro, filij opera ab vtrisque genita, vt in Exodo:
Seruiet tibi cum vxore & filiis. Item vir & vxor, diabolus Exod. 21.
& ciuitas Babylonia, hoc est, conuentus omnium malo-
rum. Mulier vero à mollitie, tanquam mollier, de-
tracta l. litera vel mutata, appellata est mulier. Vtri-
que enim fortitudine & imbecillitate corporum sepa-
rantur. Sed ideo maxima fortitudo viri, mulieris mi-
nor, vt patiens viro esset: scilicet ne à feminis repu-
gnantibus libido cogeret viros aliud appetere, aut in
alium sexum proruere. Dicitur autem mulier secun-
dum femineum sexum, non secundum corruptionem
integritatis, & hoc ex lingua sacræ scripturæ. Nam
Eua statim facta de latere viri sui, nondum contacta à
viro, mulier appellata est, dicente scriptura: *Et forma-* Genes. 2.
uit eum in mulierem. Mystice mulier aut Ecclesiam signi-
ficat propter filiorum generationem, de qua legitur in
Prouerbiis: *Mulierem fortem quis inueniet?* Hæc etiam Prou. 31.
mulier septiformis tenet ecclesiæ sacramentum, vt in
Esaia: *Apprehendent*, inquit, *septem mulieres virum vnum*: aut Esa. 4.
animam siue humanam carnem significat, quæ impe-
rio spiritus subiecta esse debet, & eius regimine guber-
nari. Vnde dicit Apostolus: *Caput mulieris vir, caput* 1. Cor. 11.
viri Christus. Tunc enim bene animam siue carnem re-
git spiritus, si ipse spiritu Christi regi meruit: *quia quicun-* Rom. 8.
*que spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Qui autem spiritum
Christi non habet, hic non est eius.* Item mulieres, animæ fi-
delium, sed infirmæ, sicut in Propheta de hæreticis di-
citur: *Mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum mearum.* Mich. 2.
Item mulier vel vxor sapientia, vt est illud: *Latare cum mu-* Prou. 5.
liere adolescentia tua. Hæc mulier genuerat filios, non fi-
lias, hoc est, virtutes, non vitia. Rursum mulier in
malam partem accipitur: mulier vrbs Babylonia, quæ
totius mundi gerit figuram, vt in Apocalypsi: *Vidi mu-* Apoc. 17.
lierem ebriam de sanguine sanctorum. Item mulier, hæreti-
ca prauitas, vt in Salomone: *Mulier stulta & clamosa ple-* Prou. 9.
naque illecebris. Item mulieres, duæ plebes, Iudaica atque
hæretica, vt in Zacharia: *Ecce mulieres dua portantes amphe-* Zach. 5.
ram id est, diabolum, qui est caput totius iniquitatis.
Adulter diabolus vel dæmones vt in Esaia: *Vos autem ac-* Esa. 57.
cedite filii auguratricis, semen adulteri & fornicaria. Forni-
caria carnalis propagatio plebs Iudæa siue anima pec-
catricis. Meretrix, anima peccatrix, quæ derelicto
cœlesti viro, id est, Christo adulterinos de diabolo ini-
quitatis fructus concipit. vt in Hieremia: *Frons meretri-* Ierem. 3.
cis facta est tibi. Lupanar, id est, locus meretriciosus, con-
scientia hominis peccatoris, vel corpus, in quo adulte-
rinos cum dæmonibus perpetrat concubitus: vt in Eze-
chiele: *Et destruam lupanar tuum.* Virago à viridiori æta- Ezech. 16.
te dicta est, sicut & virga, sicut & vitula. Alias ab incor
ruptione, quasi virago, quod ignoret femineam passio-
nem. Virago vocata, quia virum agit, hoc est, ope-
ra virilia facit, & masculini vigoris est. Antiqui enim
fortes feminas viragines vocabant. Virgo autem non
recte virago dicitur, si non viri officio fungitur: mu-
lier vero si opera virilia facit, recte virago dicitur, vt
amazona. Quæ vero nunc femina, antiquitus vira vo-
cabatur, sicut à seruo serua, sicut à famulo famula, ita à
viro vira. Hinc & virginis nomen dictum quidam pu
tant. Virgo mystice aut sanctam Ecclesiam Catholi-
cam significat, quæ fide est incorrupta, siue animam
fidelem, quæ non consentit contaminari suggestionibus
diaboli, vel hæreticorum erroribus corrumpi. Cui di
cit Apostolus: *Despondi enim vos virginem castam exhibe-* 2. Cor. 11.
re Christo. Virgines, animæ sanctorum à corruptione
mundi per quinque sensus corporis se continentes, vt in

Euangelio: *Simile est regnum cælorum decem virginibus*. Item
virgines, animæ continentium, non propter æternam re-
tributionem, sed propter fauorem laudis humanæ. Vn-
Ibidem. de & supra: *Et quinque fatuæ*. Et in Amos Propheta: *In die*
Amos 8. *illa deficient virgines pulchræ*. Lampades, opera iustitiæ, vt in
Matth. 25 Euangelio: *Accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso &*
sponsæ. Sterilis mystice sanctam ecclesiam ante aduentum
Esa. 54. Saluatoris nostri significat, vt in Esaia: *Lauda sterilis, quæ*
Psal. 112. *non paris*. Et in Psalmo: *Qui habitare facit sterilem in domo*.
Femina vero à partibus femorum dicta, vbi sexus species
à viro distinguitur. Alij græca etymologia feminam ab
ignea vi dictam putant, quia vehementer concupiscit. Li-
bidiniosiores enim viris feminas esse, tam in hominibus,
quam in animalibus. Vnde nimius amor apud antiquos
femineus vocabatur. Femina quando in bonam partem
accipitur, significat Mariam matrem Domini, de qua Pro-
Ierem. 31. pheta ait: *Femina circumdabit virum*: aut humilitatem sub-
iectorum. Quando autem in malam partem, significat
libidinem luxuriosorum. Senior est adhuc viridior. Vn-
de in sexto libro Ouidius ait: *Senior inter iuuenemque senem-*
que. Senioris autem nomen aut dignitatem magisterij,
aut maturitatem consilij significat. Vnde in Epistola sua
1. Pet. 5. Petrus Apostolus dicit: *seniores, qui in vobis sunt, obsecro con*
Ioan. 2. & *senior & testis Christi passionum*. Et Iohannes, *Senior*, inquit,
3. epist. *electe Dominæ*. Et: *Senior Gaio carissimo*. Senes autem qui-
dam dictos putant à sensus diminutione eo, quod iam
præ vetustate desipiant. Nam Physici dicunt, stultos esse
homines frigidioris sanguinis: prudentes, calidi. Vnde
& senes, in quibus iam friget, & pueri, in quibus needum
calet, minus sapiunt. Inde est, quod conuenit sibi infan-
tum ætas & senum. Senes enim per nimiam ætatem de-
lirant, pueri per lasciuiam, & infantes ignorant, quid a-
gant. Senex autem tantum masculini generis est, sicut
anus feminini. Senex mystice quando in bonam partem
accipitur, consummatæ iustitiæ significat hominem, &
Genes. 25. probatæ scientiæ: vt est illud in Genesi: *Mortuus est Abra-*
Sap. 4. *ham senex & plenus dierum*. Et in Salomone: *Cani sunt homi-*
nis sensus, & ætas senectutis, vita immaculata. Quando vero
in alteram partem ponitur, significat hebetudinem sen-
sus, & insipientiam erroris. Vnde in Salomone scriptum
3. Reg 11. est: *Cumque iam senex esset, deprauatum est cor eius*. Senectus
autem multa secum & bona affert & mala. Bona, quia
nos à potentissimis Dominis liberat: voluptatibus im-
ponit modum: libidinis frangit impetus: auget sapien-
tiam: dat maturiora consilia. Mala autem, quia senium
miserrimum est debilitate & odio. Subeunt enim mor-
bi, tristisque senectus. Nam duo sunt, quibus minuun-
tur corporis vires, senectus & morbus. Senectus aliquan-
do incommoda præsentis temporis significat: aliquando
candorem virtutum. Nam Propheta Dominum preca-
Psal. 70. tur in Psalterio, ita dicens: *Ne proiicias me in tempore senectu-*
tis. Supplicat, ne tempore senectutis suæ proiiciatur à
Domino: quando fessa fit virtus corporis, plus indiget
adiuuari. Sed hanc senectutem non solum ætatem fini-
tam debemus accipere: sed etiam cum tribulationibus
crebris atque martyriis robur animæ consene'cit. Can-
dorem autem virtutum significat illud, vbi scriptum est:
Psal. 91. *Senectus mea in misericordia vberi*. Senectus candidum caput
habet. Quæ similitudo (vt arbitror) hic iuste datur eccle-
siæ: quoniam omnia merita sanctorum tanquam cani ca-
pitis purissima luce fulgebunt. Nec in cassum addidit,
mea: quia senectus humana morbis grauissimis sauciata
tendit ad finem, quærelis onerosa, colore deformis est.
At contra senectus ecclesiæ ad vitam ducit perpetuam,
ad beatitudinem mirabilem, ad pulchritudinem singula
rem, vt luceant, sicut angeli Dei. Hæc de sexu hominum,
& gradibus ætatum nunc dicta sufficiant. Iam de gene-
ratione serie dicenda sunt aliqua.

Capit. II.

De generationis prosapia.

PAter est, à quo initium nascitur generis. Itaque is pa-
terfamilias vocitatur. Pater autem dictus eo, quod pa-
tratione per acta filium procreet. Patratio enim est rei
venereæ consummatio. Lucretius: *Et bene patratio patrum*.
Genitores autem à gignendo: & parentes, quasi parien-
tes, & creatores. Crementum enim est semen masculi,
vnde animalium & hominum corpora concipiuntur.
Hinc creatores parentes dicuntur. Multis modis in scri-
pturis pater positus reperitur: quia aut naturaliter pater
dicitur, vt Deus Pater omnium, à quo sunt omnia: quia
ab eo omnia originem habent aut generatione, sicut no-
minatur ab eo, quod filium genuit, vt est illud: *Abraham* Matth. 1.
genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. &c. aut posteritatem
gentis ab eo ortæ: sicut in Euangelio legitur, Iudæos Do-
mino dixisse: *Pater noster Abraam est*. & diue*in inferno Ioan. 8.
positus patrem vocauit Abraham. Pater vero homo pri- Luc. 16.
mus, Adam intelligitur: vt est illud Esaiæ. *Pater vester pri-* Esa. 43.
mus peccauit. Item Pater, mundus siue diabolus est, vt in
Euangelio: *Vos de patre diabolo estis*. Et in Zacharia: *Patres* Ioan. 8.
vestri vbi sunt? Rursum patres Apostoli, siue Prophetæ, vt Zach. 1.
in Psalmo: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*. Et doctrinâ Psal. 44.
dicitur pater, sicut Paulus aliquibus fidelibus ait: *Licet* 1. Cor. 4.
multos magistros haberetis, tamen non multos patres. Ego enim
per Euangelium in Christo vos genui. Aut veneratione, sicut
monastica disciplina docet monachos: vt illum, qui su-
per eos pastor constitutus est, Abbatem & Dominum
vocent. Sed quæritur, cum Dominus discipulis suis ius-
serit dicens: *Patrem nolite vocare vobis super terram, quia vnus* Matt. 23.
est pater vester, qui in cælis est: nec vocemini magistri, quia magi-
ster vester vnus est Christus; quare aduersum hoc præceptum
doctorem gentium Apostolus esse se dixerit: aut quo-
modo vulgato sermone, maxime in Palestinæ & Ægypti
monasteriis se inuicem patres vocent? Quod sic soluitur,
aliud esse natura patrem vel magistrum, aliud indulgen-
tia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati
deferimus, non auctorem nostræ ostendimus vitæ: quia
nec initium vitæ ex eis habemus, sed transitum vitæ per
eos accepimus. Magister quoque dicitur ex consortio
veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per
naturam Deus & vnus filius non præiudicat ceteris, ne
per adoptionem dii vocentur & filij: ita & vnus pater &
magister non præiudicat aliis, ne abusiue appellentur pa-
tres & magistri. Mater dicitur quod exinde efficiatur ali-
quid. Mater enim quasi materia. Nam causa pater est.
Mater significat ecclesiam, vt est illud Psalmistæ: *Qui ha-* Psal. 11
bitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem. Item
mater est cælestis Hierusalem, vt in Apostolo: *Quæ au-* Galat. 4.
tem sursum est, libera est, quæ est mater omnium nostrorum. Ite-
rum mater synagoga Iudæorum intelligitur, vt est illud
Hieremiæ Prophetæ: *In sceleribus vestris dimisi matrem ve-* Hier. 50.
stram. Rursum pater vel mater Babylonia siue generatio
carnalis est, vt Psalmista dicit: *Quoniam pater meus & ma-* Psal. 26.
ter mea dereliquerunt me. Paterfamilias autem dictus, quod
omnibus in familia sua positis seruis, tanquam pater fi-
liis, patria dilectione consulit, seruorumque conditio-
nem à filiorum affectu nô discernit, sed quasi membrum
vnum complectitur. Hinc enim exortum est nomen pa-
trisfamilias. Qui autem inique dominantur in seruos, hoc
se nomine nequaquam putent appellari. Qui sit autem
paterfamilias mystice intelligendus, parabola euangeli-
ca docet, cum ibi ita legitur: *Simile est regnum cælorum pa-* Matt. 20.
trifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam
suam. Quis vero patrisfamilias similitudinem rectius te-
net, quam conditor noster, qui regit, quos condidit, &
electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos
Dominus in domo? Qui habet vineam, vniuersam scili-
cet ecclesiam, quia ab Abel iusto vsque ad vltimum ele-
ctum, qui in fine mundi venturus est, quot sanctos pro-
tulit, quasi tot palmites misit. Matremfamilias inde vo-
cari, quia per quandam iuris solennitatem in familiam
transit. Tabulæ enim matrimoniales instrumenta em-
ptionis suæ sunt. Alias sicut matrona est mater primi pue-
ri, id est, quasi mater nati: ita materfamilias illa est, quæ
plures enixa est. Nam familia ex duobus esse incipit. Spi-
ritaliter autem mater omnium fidelium sancta est eccle
sia, quæ quotidie Deo filios generat per sacramenta diui-
na & verbum Euangelij. Item Hierusalem cœ'esti s mater
nostra dicitur, vt est illud in Apostolo: *Illa*, inquit, *quæ* Galat. 4

sur um

Galat. 4. *sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Nam familia pro seruis abutitur, non proprie dicitur. Iuxta allegoriam autem familia Christi plebs est christiana, quæ in sancta versatur ecclesia, vt supra ostendimus. Vnde dicitur in oratione sacerdotis ad Dominum: *Familiam tuam, quæsumus, Domine continua pietate custodi:* quia aliter illa saluari non potest, nisi eius protectione muniatur. Auus patris pater est ab æuo dictus, id est, ab antiquitate. Proauus aui Pater est, quasi prope auum. Abauus proaui pater iam longe ab auo. Atauus abaui pater. Tritauus atoui pater, quasi tetrauus, id est quartus supra auum. Sed tritauus vltimum cognationis nomen est.

Capit. III.

De ordinibus filiorum.

QVadripartitus est autem ordo filiorum ita: vnigenitus, primogenitus, medius, nouissimus. Primogenitus, ante quem nullus: vnigenitus, post quem nullus: medius, inter omnes: nouissimus, post omnes, idem & minimus à monade. Nouissimus autem propter quod nouus, quia ceteri præcedendo antiquiores existunt. Quatuor etiam modis filij appellantur. Natura, imitatione, adoptione, doctrina. Natura veluti cum dicuntur filij Abrahæ Iudæi. Imitatione, vt ipsius Abrahæ fidem
Matth. 3. imitantes ex gentibus dicente Euangelio: *Potens est Deus*
Ioan. 8. *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* vel sicut eosdem Iudæos Dominus filios esse dicit diaboli, à quo non nati, sed quem fuerant imitati. Adoptione quoque, quod humana consuetudine nulli licet nescire: vel sicut nos Deo,
Matth. 6. non natura, sed adoptione dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis.* Doctrina, sicut Apostolus filios suos appellat eos, quibus Euangelium prædicauit. Filij, populi fideles per Apostolorum prædicationem in ecclesia renati: sicut ait
1 Cor. 4. Apostolus: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Qui
Psal. 33. bus per psalmistam Dominus dicit: *Venite filij, audite me.*
Iob 27. Filij, hæreticorum discipuli, vt in Iob: *Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt.* Filij, reprobi omnes: vt in epi
1. Ioan. 3. stola Iohannis: *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.*
Psal. 44. Filia, anima fidelis siue ecclesia, vt in Psalmo: *Audi filia & vide.* Et in malam partem. Filia Babylonis misera. Filiæ,
Ierem. 7. animæ sanctorum, vt in Propheta: *Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias.* Item filij reprobi omnes vt in
Esa. 14. Esaia: *Præparate filios occisioni in iniquitate patrum suorum.* Filij autem ideo in legibus liberi appellantur, vt isto vocabulo secernantur à seruis: quia sicut seruus in potestate est Domini, sic filius in potestate est patris. Inde etiam fit filio emancipatio, vt sit liber à patre: sicut fit seruo manumissio, vt sit libertus à Domino. Item liberi dicti, qui ex libero sunt matrimonio orti. Nam filij ex libero & ancilla seruilis conditionis sunt: semper enim qui nascitur, deteriorem parentis statum sumit. Naturales autem dicuntur ingenuarum concubinarum filij, quos sola natura genuit, non honestas coniugij. idem pueri à pube. Adoptiuus filius est, qui aut patre iusto aut auo aut proauo cuius potestate per mancipationem est traditus in alienam potestatem, qui vtriusque fert nomen, vt Fabius Emilius, vel Scipio Paulinus. Mystice autem adoptiui filij intelliguntur esse christiani, quos Deus Pater mittens vnigenitum filium suum immensa gratia per Spiritus sancti donum in locum adoptauit filiorum. Vnde &
Galat. 4. Apostolus ad credentes ait: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege vt eos, qui sub lege erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem, abba Pater. Itaque iam non est seruus sed filius. Quod si filius & heres per Deum.* Gemini sunt non duo tantum simul nati, sed etiam plures. De geminis autem vnus abortiuus, alter, qui legitime natus fuerit, vopiscus nominatur. Gemini autem in scripturis iuxta allegoriam duo populi intelliguntur, hoc est, Iudæorum & gentilium. Hos præfigurabant illi gemini Rebeccæ, quos genuit Isaac Patriarchæ. Vnde ipsa Rebecca dum perterrita esset, vt adoraret & consuleret Dominum, tale ab eo ac-
Genes. 25. cepit responsum: *Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori.* Quod & aliter iuxta tropologiam intelligi potest. Siquidem & in singulis nobis hoc dici potest, quod duæ gentes & duo populi sint intra nos, viciorum scilicet atque virtutum. Sed iste minor est, ille maior. Semper enim plures sunt mali, quam boni, & vitia numerosiora sunt virtutibus: sed tamen & in nobis gratia Dei populus populum superat, & maior seruiet minori. Seruiet enim caro spiritui, & vitia virtutibus cedunt. Posthumus vocatur eo, quod post humationem patris nascitur, i.e. post obitum. Iste & defuncti nomen accepit. Sic enim lex voluit, vt qui defuncto nascitur, defuncti nomine appelletur. Nothus dicitur, qui de patre nobili & matre ignobili gignitur, sicut ex concubina. Est autem hoc nomen græcum, & in latinitate defecit. Huic contrarius est spurius, qui de matre nobili & patre ignobili nascitur. Item si vnius patre incerto, matre vidua genitus, velut tantum spurij filius: quia muliebrem naturam veteres spuriam vocabant. Latine autem spurij, quasi extra puritatem, i.e. quasi immundi. Legitur enim in libro Regum *vir spurius, nomine Goliath, de castris Philisthinorum processisse,* 1. Reg. 17.
quem Dauid vicit, atque percussit: quod significat Redemptorem nostrum, qui fortis manu Goliath, qui *transmigrans* interpretatur, & significat diaboli superbiam, singulari certamine congressum prostrauisse, ac populum Dei à timore eius eripuisse. Nepos est, qui ex filio natus est. Dictus autem, quasi natus post. Primum enim filius nascitur, deinde nepos. Gradus enim substitutionis est. Hinc & posteritas, quasi postera ætas. Nepos autem vtriusque sexus est. Nam vt neptis dicamus, in iure est propter discretionem successionis amissam. Pronepos est, qui ex nepote conceptus natusque est, & dictus pronepos, quasi natus porro post. Ex hoc quoque gradu incipit vocari & progenies quia non est in eis longa posteritas. Sicut autem inferius longe editi progenies dicuntur: ita superius proaui, ataui qui & progenitores appellantur, quasi porro generantes. Pronepos dictus, quia prope non potest. Abnepos, quia se iungitur à nepote. Etenim inter illum & nepotem pronepos. Adnepos, abnepotis filius. Trinepos adnepotis filius quia post nepotem quartus in ordine est, quasi tetranepos. Minores autem non dicimus, nisi quotiens graduum deficit nomen, vt puta filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos. Vbi isti gradus defecerint, merito iam dicimus minores sicut & maiores dicimus pro patre patris, aui, proaui, abaui, ataui, tritauique vocabulum.

Capit. IV.

De agnatis & cognatis.

AGnati dicti eo quod accedant pro natis, dum desunt filij. Qui ideo prius in genere agnoscuntur: quia veniunt per virilis sexus personas: veluti frater eodem patre natus, vel fratris filius nepos, vel ex eo iterum patruus. Cognati dicti, quia sunt & ipsi propinquitate cognationis coniuncti. qui inde post agnatos habentur: quia per feminini sexus personas veniunt: nec sunt agnati, sed alias naturali iure cognati. Proximus propter proximitatem sanguinis appellatus. Consanguinei eo, quod ex vno sanguine, i.e. ex vno patris semine nati sunt. In scriptura ergo sacra non tantum illi cognati dicuntur, qui historialiter quadam proximitate consanguinitatis sociati videntur: sed etiam illi, quos cognatio spiritalis in fide & bonis operibus coniungit. Quod ibi monstratur, vbi fideles de gentibus semen Abrahæ nuncupantur. Vnde Apostolus dicit: *Non omnes, qui ex Abraham nati sunt, filij dicuntur Abra-* Rom. 9.
ham: sed qui ex fide Abrahæ sunt, illi æstimantur in semine: quoniam qui ex fide sunt, illi filij sunt Abrahæ. Proximi autem mystice fide propinqui intelliguntur: vt est illud in Salomo-
ne: *Venite & manducate & bibite & inebriamini proximi.* Vici- Sap. 2.
ni, propinqui, vt in Exodo: *Assumet vicinum suum, qui con-* Exod. 12.
iunctus est domui suæ. Et in Salomone: *Melius est vicinus iuxta,* Prou. 27.
quam frater procul. Fratres dicti eo, quod sint ex eodem fructu, i.e. ex eodē nati semine. Germani vero de eadē genitrice manantes, nō (vt multi dicūt) de eodē germine, qui tantū fratres vocantur. Ergo fratres ex eodē fructu, germani

ex ea

ex eadem genitrice manantes. Vterini vocati, quod sint ex diuersis patribus & vtero vno editi: nam vterus tantum mulieris est. Quatuor autem modis in scripturis diuinis fratres dici constat: natura, gente, cognatione, affectu. Natura, vt Esau & Iacob, Andreas & Petrus, Iacobus & Iohannes. Gente, vt omnes Iudæi fratres inter se vocantur. Vnde dicit in Deuteronomio:
Deut. 15. *Si autem emeris fratrem tuum, qui est Hebræus.* Et Apostolus:
Rom. 9. *Optabam,* inquit, *ego anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Porro cognatione fratres vocantur, qui sunt de vna familia, id est, patria, quas latini paternitates interpretantur, cum ex vna radice multa generis turba diffunditur. Et in Genesi
Gen. 13. dixit Abraham ad Loth: *Non sit rixa inter me & te, & inter pastores tuos & pastores meos: quia omnes nos fratres sumus.* Et certe Loth non erat frater Abrahæ: sed filius fratris eius Aaron. Quarto modo affectu fratres dici, qui in duo scinduntur, spiritale & commune: spiritale, quoniam
Psal. 132. omnes christiani fratres vocamur: vt, *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*: in commune, cum & omnes homines ex vno patre nati pari inter nos germanitate coniungimus, scriptura loquente: *Dicite his, qui oderunt vos, fratres nostri vos estis.* Germana ita intelligitur, vt germanus eadem genitrice manans. Mystice Christus frater est, de quo in Canticis Canticorum dicit:
Cant. 8. *Frater meus & ego illi.* Item fratres, Apostoli, siue omnes
Psal. 21. sancti, vt in Psalmo: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et
Iob. 6. in aliam partem, vt in Iob: *Fratres mei præterierunt me sicut torrens.* Amici, Apostoli vel omnes sancti: vt in Euange-
Ioan. 15. lio: *Iam non dicò vos seruos, sed amicos.* Et in aliam partem:
Matth. 22. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.* So-
Cant. 1. dales Apostoli, vt in Canticis Canticorum: *Ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum.* Soror autem, vt frater. Nam soror est ex eodem semine, dicta quod sola cum fratribus in sorte agnationis habeatur. Mystice autem sororis nomina sancta ecclesia vel anima fidelis accipi potest. Vnde in Cantico Canticorum sponsus ad spon-
Cant. 4. sam dicit: *Quam pulchra sunt mamma tua soror mea sponsa! Pulchriora vbera tua vino: & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* In mammis sancti doctores intelliguntur propter consolationem infirmorum, & paruulorum sustentationem, quæ lacte exprimitur. In vberibus suauitas gratiæ designatur, quæ pulchrior est austeritate legis. In odore vnguentorum fama suauissima insinuatur diffusæ fidei, quæ per totum orbem spargitur. Hæc quoque legi veteri præfertur, quæ in sola Iudæa coangustata diu latebat. Fratrum patrueles dicti eo, quod patres eorum germani fratres inter se fuerunt. Consobrini vero vocati, quia aut ex sorore & fratre, aut ex duabus sororibus sunt nati, quasi consorini. Matrueles autem materteræ filij sunt. Sobrini, consobrinorum filij. Patruus frater patris est, quasi pater alius. Vnde & moriente patre pupillum prior patruus suscipit, & quasi filium lege tuetur. Auunculus est frater matris, cuius nomen formam diminutiui habere videtur, quia ab auo venire monstratur. Amita est soror patris, quasi alia mater. Matertera, soror matris quasi altera mater. Socer, quia filiam dedit. Gener, quia filiam duxit. Gener autem dictus, quod asciscatur ad augendum genus. Socer autem & socrus, quod generum vel nurum sibi associat. Vitricus est, qui vxorum ex alio viro filium aut filiam habentem duxit: & dictus vitricus, quasi nouitricus, quod à matre superducatur nouus. Priuignus est, qui ex alio patre natus est. & priuignus dici putatur, quasi priuigenus, quia prius genitus: Vnde & vulgo ante natus dicitur. Vocabula hæc a gente videntur declinata: genitor genitrix, agnati agnatæ, cognati cognatæ, progenitores progenitrices, germani germanæ.

Capit. V.

De coniugiis.

Vir sexum significat, non coniugium, nisi adieceris, *vir eius*. Maritus vero etiam sine adiectione coniugem sonat, & à mare maritus, quasi mas. Est enim nomen primæ positionis, quod facit in diminutione masculus, in de[…] Sponsus ab spondendo vocatur. Nam [… …] matrimonia [… …]nes sibi inuicem [… …], in quibus spondebant, se inuicem co[…] iura matrimonij, & fideiussores dabant. Vnde & [… …] est, vt sponsum [… …] virum ab spondendo, & sponsam similiter. [… …] proprie spondere velle est. Ergo sponsum, [… …] permittitur, sed quia spondet & sponsores dat. Sponsus Christus ideo, quod à Patre ab [… …] promissus [… …] in Psal-
mo: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sponsa Psal. 18.
ecclesia, quæ [… …] diuinis [… …] promissa, vt
in Cantico Canticorum: *Veni a Libano sponsa, veni a Libano,* Cant. 4.
hoc est [… …]andore baptismatis. Nuptiæ copulatio Verbi
Dei & carnis, vt in Euangelio: *Simile est regnum cælorum* Matt. 22.
homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Item nuptiæ societas angelorum & hominum per Dominum Christum facta, vt
in Euangelio: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum* Luc. 12.
suum, quando reuertatur a nuptiis. Thalamus, vterus virginis Psal. 18.
Mariæ, vt in Psalmo: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Thalami corda sanctorum, vt in Ezechiele: *Osculum reconciliatio hominis in Deum*: sicut de prodigo filio di-
citur: Et osculatus est eum. Et in Apostolo: *Reconciliati su-* Luc. 15.
mus Deo per mortem filij eius. Et in malam partem: *Iuda oscu-* Rom. 5.
lo filium hominis tradis? Risus gaudium sempiternum sicut Luc. 22.
in Salomone pro ecclesia dicitur: *Et ridebit in die nouissimo.* Prou. 31.
Et in aliam partem: *Ego quoq; interitu vestro ridebo.* Arrabo Prou. 1.
dicta, quasi arra bona. Quod enim datur pro coniugio, bene datur: quia coniugium bonum est. Quod vero causa fornicationis aut adulterij, malum est: ideirco arrabo non est. Dicta autem arra à re, pro qua traditur. Est autem arra non solum sponsio coniugalis, sed etiam pro qualibet promissa re data, vt compleatur. Proci nuptiarum petitores, à precando & petendo dicti. Pronuba dicta eoque nubentibus præest, quæque nubentem viro coniungit, ipsa est & paranympha. Nam nympha sponsa in nuptiis & nympha prolabationis officio, quod & ad nomen nubentis alludit. Coniuges appellati propter iugū, quod imponitur matrimonio coniungendis. Iugo enim nubentes subiici solent propter futuram concordiam, ne separentur. Coniuges autem verius appellantur à prima dispositionis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus: sicut Maria coniunx Ioseph vocatur, inter quos nec fuerat nec futura erat carnis vlla commixtio. Matrona est, quæ iam nupsit, & dicta matrona quasi mater nati, vel quia iam mater fieri potest. Vnde & matrimonium dictum. Distinguitur autem inter matronam & matremfamilias. Nam matronæ, quæ iam in matrimonium conuenerunt, matres, quæ genuerunt: matresfamiliæ, quæ per quandam iuris solemnitatem in familiam mariti transierunt. Monogamus dictus, qui vnum tantum nupsit. Monos enim apud græcos vnum dicitur: gamos nuptiæ interpretantur. Digamus autem & trigamus à numero vxorum vocatus, quasi duarum vel trium maritus. Vidua vocata, quod cum viro duo fuerint, nec circa consortium alterius viri post mortem coniugis primi adhæserit. Nam quæ alteri post mortem prioris viri nupserint, viduæ non dicuntur. Item vidua quod sola sit, nec circa consortium alterius viri coniugalia iura custodiat. Fratris vxor fratrissa vocatur, mariti frater, leuir dicitur. Duorum inter se fratrum vxores ianitrices vocantur, quasi eandē ianuam terentes, vel per eandem ianuam iter habentes. Viri soror glos appellatur. Sororis vir speciale nomen non habet nec vxoris frater. Matrimonium est nubiliū iusta conuentio & conditio. Coniugiū est legitimarum personarum inter se coeundi & copulandi nuptiæ. Tribus autem ob causis ducitur vxor. Prima est cau-
sa prolis, de qua legitur in Genesi: *& benedixit eos dicens:* Genes. 1.
Crescite & multiplicamini. Secunda causa adiutorij, de qua Gen. 2.
ibi in Genesi dicitur: *Non est bonum esse hominem solum: fa-* 1. Cor. 7.
ciamus ei adiutorium simile sibi. Tertia causa incontinentiæ. Vnde dicit Apostolus, vt qui se non continet, nubat. In eligendo marito quatuor expectari solent: virtus, genus, pulchritudo, sapientia. Ex his sapientia potentior [… …] amoris effectum refert hæc quatuor Virgilius de Ænea, quod his Dido impulsa est in amorem eius, p[…]

dine, *quam esse o e ferens:* virtute, *quam forti pectore & armis.* oratione; *bene ibus ille iacla ur faeuq, bella exhausta canebat* genere; *credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.* Item in eligenda vxore quatuor res impellunt hominem ad amorem: pulchritudo, genus, diuitiæ, mores. Melius tamen si in ea mores magis quam pulchritudo quæratur. Nunc autem illæ quæruntur, quas aut diuitiæ aut formę non quas probitas morum commendat. Ideo autem fœminę sub viri potestate consistunt; quia leuitate animi plerunq; decipiuntur. Vnde & æquum erat eas viri auctoritate reprimi. Proinde & veteres voluerunt fœminas innuptas, quamuis perfectæ ætatis essent, propter ipsam animi leuitatem in tutela cōsistere. Mystice autem viri nomine aut Christus intelligitur, qui est sponsus ecclesiæ, aut spiritus hominis, i. mens & ratio, quæ animam regit, & in ea dominatur. Nam vir & vxor eius Christus & ecclesia. Eph. 5. Vnde dicit Apostolus: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Similiter & sponsus & sponsa eandem rem significant: quoniam sponsus Christus inde est dictus, vt supra ostendimus, quia à Patre ab initio fuit promissus. Psal. 18. Vnde & in Psalmo legitur: *In sole tabernaculum suum & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sponsa vero eius est ecclesia, quæ vtique diuinis sponsionibus fuit promissa. Vnde in Cantico canticorū Cant. 4. dicitur: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni.* Libanus, *candor*, interpretatur, id est, anima bonis actibus candidata. Quam tertio sponsus hortatur, vt veniat; primo viuētem in carne per bona opera; secundo absoluta carne ad percipiendam vitam beatam; tertio recepto corpore ad perfruendum post resurrectionem gaudio perfecto. Item in cōtrariam partem vir ponitur: vt est illud Gen. 24. in Genesi: *Pulcra facie valde virgo quam vir non cognouerat*, i. diabolus, qui plerunq; mentem cogitatione corrumpit. Coniugium vero spiritale, hoc est, coniunctio Christi & ecclesiæ multa bona in se habet, quia illud, quod diximus in viro eligendo, maxime viget in Christo, hoc est, virtus & sapientia, genus & pulchritudo. De quo ait Apostolus: 1. Cor. 1. *Christum dico Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et Propheta: Esa. 53. *Generationem* inquit, *eius quis enarrabit?* Et in Psalmo de i- Psal. 44. pso legitur: *Speciosus forma præ filiis hominum.* In vxore autē eius similiter illa quatuor, quæ ante numerauimus, inueniuntur, hoc est pulcritudo, genus, diuitię, mores. Nam in Cantic. canticor. de eius pulcritudine ita dicitur: Cant. 1. 4. *Pulcra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem.* De genere 1. Pet. 2. quoq; eius dicit B. Petrus Apostolus: *Vos genus regium & sacerdotale.* De diuitiis illius scriptum est: *In operibus manuū illius diuitiæ multæ.* Honestatem autem morū illius pene omnis scriptura S. prædicat. Vnde nō est necesse aliquod exemplum inde ponere. Hic ergo vir virgo est in carne, & monogamus in spiritu, quia aliam sponsam nescit prę- ter S. Ecclesiā Catholicam. Cui ipsa sponsa dicit in Can- Cant. 2. tico cantic. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Qui vxori suę dotem dedit, quādo pretium sanguinis sui pro ea fudit. Arram tribuit, quādo gratiam Spiritus sancti illi dans æternam in cœlis hæreditatem promisit. Vnde Apostolus de Eph. 1. eodem spiritu ait: *Ipse est pignus hereditatis nostræ.*

Capvt VI.

De morte.

Mors dicta, quod sit amara, vel à marte, qui est effector mortium, siue à morsu hominis primi, quod ve- Gen. 3. titæ arboris pomum mordens mortem incurrit. Tria sunt autem genera mortis; acerba, immatura, naturalis. Acerba infantium: immatura iuuenum: merita, id est, naturalis senum. Viui aliquando iusti intelliguntur, qui consistunt in æterna vita. Vnde est illud: Sap. 4. *Placebo Domino in regione viuorum.* Et in aliam partem: Eccl. 4. *Laudaui magis mortuos quam viuentes*, hoc est, bono fine consummatos, quam viuentes in peccatis. Mortui enim aliquando peccatores vel infideles significant, vt est in Euangelio: Matth. 8. *Sine mortuos, vt sepeliant mortuos suos.* Et in bonam partem: Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Vnde scriptum est Psal. 115. in Psalterio: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Et in Apostolo: Col. 3. *Mortui enim* inquit, *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mors autem non solum carnis obitum, sed etiam interitum animæ & damnatorum inferni significat. Vnde scriptum est: Gen. 2. *Quocunq, die comederitis ex eo, morte moriemini.* Et alibi Saluator ait: Ioan 8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Et rursum: *ego sum*, inquit, *resurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum.* Ioan. 11. Et in Psalterio scriptum est: Psal. 33. *Mors peccatorum pessima est.* Mortem peccatorum illam dicit, quæ ab homine non potest intueri, quam non solum malam, sed etiam pessimam esse profitetur. Reuera pessima, quoniam eam æterna pœna comitatur. Viuentes mundo & mortui Deo peccatores intelliguntur Psal. 54. in Psalmo: *Descendant in infernum viuentes.* Cadauer autem est, si insepultum iacet. Nam cadauer nominatum à cadendo, quia iam stare non potest. Quod dum portatur, exequias dicimus, crematum reliquias, conditum iam sepultum. Corpus autem consuetudine dicitur, vt est illud: *Cum corpora luce carentum.* Mystice cadauera infidelium corpora significant, vt est illud in Propheta: Ioel 3. *Et impleam vallem Iosaphat cum cadaueribus mortuorum.* Item Psal. 78. in aliam partem ponuntur, vt illud in Psalterio: *Posuerunt cadauera seruorum tuorum.* Defunctus vocatur, quia compleuit vitæ officium. Nam dicimus functos officio, qui officia debita compleuerunt. Vnde est: *Et honoribus functus.* Hinc ergo defunctus, quod ab officio sit vitę depositus, siue quasi diem functus. Sepultus autem dictus eo, quod iam sine pulsu & palpitatione est, id est, sine motu. Sepelire est autem condere corpus. Nam humare obruere dicimus, hoc est, humum inicere. Sepultus autem non vitiis obrutum aut damnatum in inferno Luc. 15. significat. Vnde dicitur: *Mortuus est & diues, & sepultus est in inferno.* Sepulchrum vero allegorice corpus peccatoris intelligitur, mortuam vitiis animam intrinsecus retinens. Et in Euangelio dicitur: Matth. 23. *Quia similes estis sepulchris dealbatis quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum.* Aliquando tamen sepulcrum memoriam mortis & resurrectionis Domini significat, vt in Esa. 11. Esaia: *Et erit*, inquit, *sepulcrum eius gloriosum.*

Capvt VII.

De portentis.

Portenta esse Varro ait, quæ contra naturam nata videntur: sed non sunt contra naturam: quia diuina voluntate fiunt, cum voluntas Creatoris, cuiusque conditæ rei natura sit. Vnde & ipsi gentiles Deum modo naturam, modo deum appellant. Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura. Portenta autem & ostenta, monstra atq; prodigia ideo nuncupantur, quod portendere atq; ostendere, monstrare ac prædicere aliqua futura videntur. Nam portenta dicta perhibentur à portendendo, i. præostendendo. Ostenta autem, quod ostendere quicquam futurum videantur. Prodigia, quod porro dicant, i. futura prædicant. Monstra vero à monitu dicta, quod aliquid significando demonstrent: siue quod statim monstrent, quid appareat. Et hoc proprietatis est, abusione tamen scriptorum plerumque corrumpitur. Quædam autem portentorum creationes in significationibus futuris constitutę videntur. Vult enim Deus interdum ventura significare per aliqua nascentium noxia, sicut per somnos & per oracula qua præmoneat & significet quibusdam vel gentibus, vel hominibus futuram cladem; quod plurimis etiam experimentis probatum est. Xerxen quippe vulpes ex equa creata solui regnum portendit. Alexandro ex muliere monstrum creatum, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit inferiorum diuersarum bestiarum, sed viuentes, significasse repentinam regis interfectionem; superuixerat enim deteriora melioribus. Sed hæc monstra, quæ in significationibus dantur, non diu viuunt, sed continuo, vt nata fuerint, occidunt. Inter portentum autem & portentuosum differt. Nam portenta sunt, quæ transfigurantur, sicut fertur in

Vmbria mulierem peperisse serpentem. Vnde Lucanus: *Matremque suus conterruit infans.* Portentuosa vero leuem sumunt mutationem; vt exempli causa cum sex digitis nati. Portenta igitur vel portentuosa existunt, alia magnitudine totius corporis vltra communem hominum modum, quatenus fuit Titan in nouem iugeribus iacens, Homero testante: Alia prauitate totius corporis, vt nani, vel quos Græci Pygmæos vocant eo, quod sint statuæ cubitalis. Alia, magnitudine partium, veluti capite informi, aut superfluis membrorum partibus, vt bicipites & trimani, vel cinodentes, quibus gemini procedunt dentes. Alia defectu partium, in quibus altera pars plurimum defecit ab altera, vt manus à manu vel pedes à pede. Alia discissione, vt sine manu aut capite generata, quos græce sterelios vocant. Alia pernumeria quando solum caput aut crus nascitur. Alia, quæ in parte transfigurantur: qui leonis habet vultum vel canis, vel taurinum caput aut corpus, vt Ersasi dememorant genitum minotaurum, quod Græci eteromorfian vocant. Alia, quæ ex omni parte transfigantur in alienæ creationis portentum, vt ex muliere vitulum dicit historia generatum. Alia, quæ sine transfiguratione mutationem habent locorum, vt oculos in pectore, vel in fronte: aures supra in tempore: vel sicut Aristoteles tradidit quendam in sinistra parte iecur, in dextra parte splen habuisse. Alia, secundum connaturationem, vt in alia manu digiti plures connaturati & cohærentes reperiunt, in alia minus, siue in pedibus. Alia secundum immaturam & intemperatam creationem, sicut hi, qui dentati nascuntur, siue barbati vel cani. Alia complexu plurimarum differentiarum, sicut illud, quod diximus in Alexandro multiforme portentum. Alia commixtione generis, vt Androgini & Ermafroditæ nuncupantur. Ermafroditæ autem nuncupati eo, quod in eis vtraque sexus appareat. Erma quippe apud Græcos masculus, afrodi fœmina nuncupatur. Hi dextram mamillam virilem, sinistram muliebrem habentes, vicissim coeundo & gignunt & pariunt. Sicut autem in singulis gentibus quædam monstra sunt hominum: ita & in vniuerso genere humano quædam monstra sunt gentium, vt gygantes, cynocephali, cyclopes, & cetera. Gigantes dictos iuxta Græci sermonis etymologiam, qui eos gegines existimant, id est, terrigenas eo, quos eos fabulose pariens terra immensa mole & similes sibi genuerit. Ge enim terra appellatur: genos, genus: licet & terræ filios vulgus vocet, quorum genus incertum est. Falso autem opinantur quidam imperiti de scripturis sactis præuaricatores, angelos cum filiabus hominum ante diluuium concubuisse, & exinde natos gigantes, id est, nimium grandes & fortes viros, de quibus terra completa est. Cynocephali appellantur eo, quod canina capita habeant, quosque ipse latratus magis bestias quam homines confitetur: hi in India nascuntur. Cyclopes quoque eadem India gignit, & dicti cyclopes eo, quod vnum habere oculum in fronte media perhibentur. Hi & agriofagitæ dicuntur propter solas ferarum carnes, quas edunt. Lemnias in Libya credunt truncos sine capite nasci, & os & oculos habere in pectore. Alios sine ceruicibus gigni oculos habentes in humeris. In vltimo autem Orientis monstruosæ gentium facies scribuntur. Aliæ sine naribus æquali totius oris planicie informes habentes vultus. Alij labro subteriore adeo prominente, vt in solis ardoribus totam ex eo faciem contegant dormientes. Aliis concreta ore esse modico tantum foramine, calamis auenarum haurientes pastus. Nonnulli sine linguis esse dicuntur, in vicem sermonis vtentes nutu siue motu. Panotios apud Scythiam esse ferunt, tam diffusa magnitudine aurium, vt omne corpus contegant: pan enim græco sermone omne, othim aures dicuntur. Artabatice in Æthiopia proni, vt pecora, ambulare dicuntur. Quadragesimum æui annum nullus supergreditur. Satyri homunciones sunt aduncis naribus, cornua in frontibus, & caprarum pedibus similes: qualem in solitudine * Antonius sanctus vidit, qui etiam interrogatus a Dei seruo, respondisse fertur, dicens: *Mortalis ego sum vnus ex accolis heremi, quos varie delusa errore gentilitas faunos satyrosque colit.* Dicunt quidam esse siluestres homines, quos nonnulli faunos ficarios vocant. Sciopodum gens fertur in Æthiopia singulis cruribus & celeritate mirabili, quos inde sciopodas græci vocant eo, quod per æstum in terra resupini iacentes pedum suorum magnitudine adumbrantur. Antipodas in Libya plantas versas habent post crura, & octenos digitos in plantis. Ippodes in Scythia sunt, humanam formam & equinas pedes habentes. In India ferunt esse gentem, qui Macrobij nuncupantur, duodecim pedum staturam habentes. Est & gens ibi statura cubitalis, quos græci à cubito Pygmæos vocant, quos vulgus septem caulinos vocant eo, quod septem sub vno caule requiescunt: de qua supra diximus. Hi montana Indiæ tenent, quibus vicinus est Oceanus. Perhibent & in eadem India esse gentem fœminarum quæ quinquennes concipiunt & octauum vitæ annum non excedunt. Dicunt autem & alia hominum fabulose portenta, quæ non sunt, sed ficta in causis rerum interpretantur, vt Geryonem Hispaniæ regem triplici forma præditum: fuerunt enim tres fratres tantæ concordiæ, vt in tribus corporibus quasi vna anima esset. Gorgones quoque meretrices crinitæ os serpentesque aspicientes conuertebant in lapides, habentes vnum oculum, quo inuicem vtebantur. Fuerunt autem tres sorores vnius pulchritudinis, quasi vnius oculi, quæ ita spectatores suos stupescere faciebant, vt vertere eos putarentur in lapides. Sirenas tres fingunt fuisse ex parte virgines, & ex parte volucres, habentes alas & vngulas: quarum vna voce, altera tibiis, tertia lira canebat; quæ illectos nauigantes sub cantu in naufragia trahebant. Secundum veritatem autem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia. Alas autem habuisse & vngulas, quia amor & volat & vulnerat; atque in fluctibus commorasse dicuntur, quia fluctus Venerem creauerunt. Scillam quoque ferunt fœminam capitibus succinctam caninis cum latratibus magnis propter fretum Siculi maris, in quo nauigantes verticibus in se concurrentium vndarum exterriti latrare existimant vndas, quas sorbentis æstus vorago collidit. Fingunt & monstra quædam irrationabilium animantium, vt Cerberum inferorum canem tria capita habentem: significantes per eum tres ætates, per quas mors hominem deuorat, id est, infantiam, iuuentutem, senectutem; quem quidem ideo dictum Cerberum putant, quasi creouorum, id est, carnem vorans. Dicunt & Ydram serpentem cum nouem capitibus, quæ latine Cædra dicitur, quod vno cæso tria capita excrescebant. Sed constat Ydram locum fuisse emanantem aquas, vastantem vicinam ciuitatem, in quo, vno meatu clauso, multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit, & sic aqua clausit meatus. Nam Ydra ab aqua dicta est. Huius mentionem facit Ambrosius in similitudinem hæresium dicens. Hæresis enim quasi quædam Ydra fabularum vulneribus suis creuit, & dum sæpe recipitur, pullulat igni debita, incendioque peritura. Fingunt & Chimæram triformem bestiam, quæ ore est leo, postremis partibus draco, media capra. Quam quidam physiologi non animal, sed Ciliciæ montem esse aiunt, quibusdam locis leones & capreas nutrientem, quibusdam ardentem, qnibusdam serpentibus plenam. Hunc Bellofontis habitabilem fecit. Vnde Chimæram dicitur occidisse. Centauris autem species vocabulum indidit, id est, hominem mixtum equo. Quos quidem equites Thessalorum dicunt: sed pro eo, quod discurrentes in bello velut vnum corpus equorum & hominum viderentur, inde centauros factos asseuerant. Porro Minocentaurum nomen sumpsisse ex tauro & homine, qualem bestiam dicunt fabulose in labyrintho inclusum fuisse. De qua Ouidius *semibouemque virum, semiuirumque bouem.* Onocentaurum autē vocari eo, quod media hominis specie, media asini

* *Antonius.*

esse dicatur sicut & Hippocentaurus; quod equorum hominumque in eis natura coniuncta fuisse putatur. Hoc quoque notandum est, quod aliqui prophetici actus portenta dicuntur, cum aliquid de futuris præsignant: vt illud, quod Dominus ad Ezechielem ait:
Ezech. 12 *Fili hominis, dedi te in signum & portentum domui Israhel.* Vnde idem Propheta legitur iussus dormire in latere dextro ad tempus, & item in latere sinistro ad tempus, vt præfiguraret, quod Dominus populo Israelitico in vindictam euenire volebat. Item legitur de Esaia, quod nudus & discalciatus ambulauerit ad præfigurandum vastationem terræ Iudæorum, & captiuitatem populi Israelitici. Et sic alij Prophetæ actibus suis & vaticiniis futura exemplabant. Similiter & in nouo testamento signa, portenta & prodigia leguntur accidisse: Quod etiam & Iohel in suo libro prædicere videtur; vt est illud:
Ioel 2. *Et erit post hæc effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. senes vestri somnia somniabunt: & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum: & dabo prodigia in cælo & in terra: sanguinem & ignem, & vaporem fumi. Sol vertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & erit, omnis, quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Vnde nobis non est necesse de portentis, quæ gentilium libri narrant, diutius disputare. Sed & hoc nos conuenit credere, quod quæcunque veraciter in rebus fiunt & in naturarum mutatione describuntur, non nisi ordinatione & voluntate Dei fieri posse, qui omnia iuste agit & recte disponit: quoniam iustus est Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

CAPVT VIII.

De pecoribus & iumentis.

OMnibus animantibus Adam prima vocabula indidit, appellans vnicuique nomen ex præsenti institutione, iuxta conditionem naturæ, cui seruiret. Gentes autem vnicuique animalium ex propria lingua dederunt vocabula. Non autem secundum linguam latinam atque græcam aut quarumlibet gentium barbararum nomina illa imposuit Adam: sed illa lingua, quæ ante diluuium omnibus vna fuit: quæ & Hebræa nuncupata est. Latine autem animalia siue animantia dicta, quod animentur vita & moueantur spiritu. Iuxta allegoriam vero animalia brutos homines significant, & terrena tantummodo cogitantes. Vnde dicitur:
1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia est illi.* Hinc & per Psalmistam dicitur:
Psal. 67. *Animalia tua habitabunt in ea.* Animalia fuerunt gentes vera religione vacuatæ. Sed cum ad Dominum venerunt, factæ sunt eius ope ditatæ: vt iam nihil indigeant, sed rationabili ac pleno lumine compleantur. Hæc habitabunt in Ecclesia, cum veræ religionis cultum, ipso miserante, perceperint. Item illud, quod dicit Apostolus:
1. Cor. 15. *est corpus animale, est & spiritale non prius spiritale, sed quod animale, dehinc quod spiritale.* In corpore animali significat præsentis vitæ statum, quamdiu homo gerit corpus mortale. Spiritale autem corpus significat futuræ vitæ immortalitatem, quando hoc corruptibile corpus induerit incorruptionem. Animale corpus est, dum cibis sustentatur, vt viuat: spiritale autem, cum horum nihil indigebit conuersus in vitam. Omnia supradicta hoc sensu clauduntur. Non enim aliud cótinetur in superioribus, nisi quia animale corpus moritur, & resurget spiritale, quod neque iam manducet, nec infirmetur, nec sit fœtidum, nec ægrum natura; quia animale ex Adam, spiritale vero per Christum in resurrectione mortuorum. Animalia, quæ ruminant, quæ in lege munda describuntur, homines sunt sancti diuina præcepta ore & corde siue opere semper meditantes; vt est illud in Psalmo:
Psal. 18. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Animalia vero, quæ non ruminant, peccatores sunt & immundi, minime legi Dei operam dantes, nec in eius meditatione gaudentes. Animalia quippe, quæ vngulam findunt & ruminant, quæ in lege mundana describuntur, sunt fideles, in vtroque testamento credentes, & velut in duabus vngulis pedem operis forma gressus figentes. Animalia enim quæ ruminant & vngulam non findunt, quæ in immunda narrantur, populi sunt Iudæorũ, qui testamentum vetus ore meditantur: sed nouum minime recipiunt. Item animalia cornuta, quæ in sacrificio Deo offerri præcipiuntur, in esum fidelium carnes illorum conceduntur, sicut vituli, arietes, hirci, cerui damulæ & capreoli virtutes significant sanctorum, cornua virtutum aduersus diabolum & vitia peccatorũ gestantes. Cornu mystice Christi regnum in Euangelio significat:
Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Cornua Luc. 1.
septem potestates per omne tempus. Vnde in Apocalypsi, *vidi*, inquit, *agnum quasi occisum habentem cornua septem & oculos septem.* Cornua trophæum crucis Christi. Apoc. 5.
In Abacuc: *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* Abac. 3.
Cornua superbia diaboli, vel potestas eius præsenti in tempore, siue regnum Antichristi in Apocalypsi. Cornua regna seculi huius in Daniele. Cornua superbia in Psalmo: *Et à cornibus vnicornuorum humilitatem meam.* Psal. 21.
Et alibi: *& omnia cornua peccatorum confringam.* Psal. 74.
Quadrupedia vocata, quia quatuor pedibus gradiuntur. Quorum quædam dum sint similia pecoribus, tamẽ sub cura humana non sunt, vt cerui, damæ & onagri, &c. sed neque bestiæ sunt, vt leones, neque iumenta, vt vsus hominum iuuari possint. Pecus dicimus omne, quod humana lingua & effigie caret. Proprie autem pecorum nomen his animalibus accommodari solet, quæ sunt aut ad vescendum apta, vt oues & sues. aut visui hominum commoda, vt equi & boues. Differt autem inter pecora & pecudes. Nam communiter veteres in significatione omnium animalium pecora dixerunt. Pecudes autem tantum illa animalia, quæ edunt, quasi *pecuedes*. Generaliter autem omne animal pecus à pascendo vocatum. Iumenta nomina inde traxerunt, quod nostrum laborem, vel onus suo adiutorio, subiectando, vel arando iuuent. Nam bos carpentum trahit, & durissimas terræ glebas vomere vertit: equus & asinus onera, & hominum in gradiendo laborem temperant. Vnde & iumenta appellantur ab eo, quod iuuent homines. Sunt enim magnarum virium animalia. Iumenta auté mystice fideles sunt in Ecclesia, sed spiritali intellectu caréntes in Psalmo: *Homines & iumenta saluabis Domine.* Item iumenta intellectu & eloquio carentes in Psalmo: *Vt iumentum factus sum apud te.* Psal. 35. Psal. 72.
Rursum iumenta homines luxuriosi sunt, de quibus in Iohel ita scriptum est: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Ioel. 1.
Item iumentum corpus est Christi, vt quidam volunt. Vnde est illud Euangelicum: *Imposuit illum in iumentum suum, & duxit illum in stabulum.* Luc. 10.
Pecudes autem significant simplices homines & minus calentes ingenio, quos Dominus per gratiam Spiritus sancti illuminatos efficit gregem suum & inter oues suas numerari facit. Vnde Psalmista de Christo dicit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, vniuersa insuper, & pecora campi.* Psal. 8.
Pecora autem aliquando peccatores, & qui voluptatibus dediti sunt; vt in Zacharia: *Pasce pecora occisionis.* Zach. 11.
Et in Psalterio: *Oues & boues insuper & pecora.* Psal. 8.
Pecora, simplices, quique minus præditi rationandi subtilitate in Salomone: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Prou. 27.
Oues electum populum Christianum significant: sicut in Euangelio Dominus Petro dicit Apostolo: *pasce oues meas.* Qui ideo comparantur Ioan. 21.
ouibus, quoniam se, præstante Domino, in noxia conuersatione moderantur: deinde exuuias sine aliquo sensu doloris amittunt. Nam sicut ouis tondentem se non increpat: ita nec iustus cupiditatem se expoliantis accusat. Boues autem prædicatores designant, qui humana pectora mandatis cœlestibus virtutum messem germinare fecerunt. Nec vacat, quod dicit, *insuper*, quia Psal. 8.
non solum illi sancti subiecti sunt, sed etiam peccatores. Sæpe enim de conuersis talibus maiori gloria triumphat Dominus Christus. Pecora enim sunt, dum in corporum libertate, id est, in mundi istius voluptate pascuntur:

tur: oues sunt, cum iam intra Domini septa clauduntur.
Psal.49. Item alibi vox diuina dicit: *Meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues.* Feræ siluarum gentes significant, qui in seculi istius nemoribus superstitione ferocissima versabantur. Iumenta in montibus sunt simplices in Ecclesia Catholica constituti, qui in cacumine fidei habitare noscuntur. Boues indicant Apostolos & Prophetas, qui in agro Dni assiduo laborare versati sunt. Quapropter his allusionibus competenter ap. positis præfigurat Ecclesiam Catholicam de diuersis mundi partibus colligendam. Discretio est autem inter armenta & greges. Nam armenta equorum & boum sunt; greges vero camelorum, caprarum & ouium sunt. Ouis molle pecus lanis, corpore inerme, animo placidum: ab oblatione dictum eo, quod apud veteres in initio non tauros, sed oues in sacrificio mactarent. Ex his quasdam bidentes vocant, eas, quæ inter octo dentes duas altiores habent, quas maxime gentiles in sacrificium offerebant. Oues autem (vt diximus) innocentes & simplices quoque in populo Christiano significant: necnon & ipsius Domini aliquãdo mansuetudinem & patientiam ouis typice demonstrat; vt est illud Esaiæ de innocenti morte Saluato-
Esai.53. ris: *Sicut ouis*, inquit *ad occisionem ducetur & non aperiet os suũ.*
Ioan.10. Oues populi fideles in Euangelio: *Oues meæ vocem meam*
Psal.8. *audient.* Et in Psalterio: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues.* Oues duæ gentium populos significant, quas nutriet homo, id est, Christus, de quo legitur in Propheta: *In diebus illis nutriet homo vaccam boum, & duas*
Esai.7. *oues, & præ vbertate lactis comedet butyrum.* Item oues re-
Psal.48. probi in Psalterio: *Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos*, id est, diabolus. Veruex vel à viribus dictus, quod cæteris ouibus sit fortior; vel quod sit vir, i. masculus: vel quod vermes in capite habeant, quorum excitati pruritu inuicem se concutiunt, & pugnantes cum magno impetu feriunt. Sic & aries vel à potu ares os, id est, à Marte vocatus. Vnde apud nos in gregibus masculini mares dicuntur: siue quod hoc pecus à gentilibus primum aris est immolatum. Vnde est illud: *Aries mactatur ad aram.* Arietes autem significant Apostolos vel Eccle-
Esa.60. siarum principes. Vnde in Esaia legitur: *Arietes Nabaioth*
Psal.28. *ministrabunt tibi.* Et in Psalterio: *Afferte Domino filios arietum.* Hi, tanquam duces gregum, in causas Domini perduxerunt populum Christianum. Filios autem arietum offerendos dicit, quos Apostoli prædicatione genuerunt, non qui prauo dogmate probantur extranei. Arietes autem bene sunt Apostoli comparati: quoniam (vt diximus) animalia ipsa plurimum fronte valent, & obiecta semper impingendo deiiciunt. Quod prædicando fecerunt Apostoli, qui diuersas superstitiones, & idola firmissima cœlestis verbi quadam fronte ruperunt. Aries enim dictus est, quasi à fronte ruens. Et in aliam partem arietes Principes sunt praui, de quibus legitur in
Ezech.27. Ezechiel: *Cum hædis & agnis & arietibus.* Agnum, quem Græci vocant à potuagno, quasi pium: & Latini autem hoc nomen habere putant, eo, quod præ cæteris animalibus matrem agnoscat adeo, etiam si in magno grege errauerit, statim balatu recognoscat vocem parentis. Agnus autem aut personam Saluatoris nostri mystice gerit, cuius mors innocens saluauit genus humanum. De
Ioan.1. quo Iohannes ait: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi*: aut cuiuslibet Catholici vitam innoxiam, qui matris suæ, hoc est, Ecclesiæ vocem agnoscens obediendo eius adhæret lateri, & obedit mandatis. Agni sancti,
Ioan.21. in Euangelio: *Pasce agnos meos.* Agni homines lasciuien-
Esa.34. tes in Esaia: *incrassatus est gladius meus de sanguine agnorum*
Leuit.5. *& hircorum.* Agna vita actiua in Leuitico: *Agat pœnitentiam, & offerat agnam de grege siue capram.* quæ est contemplatiuæ vitæ figura. Septem agni, & septem agnæ, quæ in lege Deo in sacrificium offerri præcipiuntur, sanctorum omnium plenitudinem, vel operis innocentiæ obtinent mysterium. Fœtus gemelli, duo charitatis præcepta, id est, dilectio Dei & proximi. In Canticis
Cant.6. canticorum: *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* Hedi ab edendo vocati: parui enim pinguissimi sunt & saporis iocundi. Vnde & edere, inde & edu-

lium vocatur. Hi quoque iuxta allegoriam significant peccatores, qui ad sinistram iudicis in fine statuendi sunt, sicut iusti ad dexteram, quos oues significant. Vnde ipsa Veritas in Euangelio ait: *Statuet quidem oues a dex-*
tris, hedos autem a sinistris. Interdum autem & iusti hoc nomine exprimuntur, ob confessionem peccatorum, vt in *Matth.25.*
Hieremia. *Recedite* inquit, *de medio Babylonis. de terra Chal-* *Ierem.5.*
dæorum egredimini, & estote quasi hedi ante greges. Hedus Christus propter similitudinem carnis peccati: vt in
Deuteronomio. *Non coques hedum in lacte matris.* Hedus *Deut.14.*
Antichristum significat, vt illud in Euangelio: *Nunquam dedisti mihi hedum, vt cum amicis meis epularer.* O- *Luc.15.*
uile ouium Ecclesia est, vt in Euangelio: *Et fiat vnum* *Ioan.10.*
ouile & vnus pastor. Pastor, Christus: vt in Euangelio: *Ibid.*
Ego sum pastor bonus. Pastores, Apostoli, vel ceteri principes ecclesiarum; vt in Propheta: *Dabo vobis*, inquit, *pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Pa- *Ierem.3.*
stores, sacerdotes improbi; vt in Hieremia: *Grex dispersus* *Ierem.10.*
est quia non est qui dispersa colligat, &c. Custos Dominus;
in Iob: *Tibi peccaui ô custos hominum.* In Esaia: *Custos quid* *Iob 7.*
de nocte: custos quid de nocte. Custodes Apostoli vel ceteri *Esa.21.*
prædicatores. In Esaia: *Super muros tuos Hierusalem con-* *Esa.62.*
stitui custodes tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Mercenarij, populus Iudæorum; in Euangelio: *Quanti mercenarij in domo patris abundant panibus?* Inquilinus hæ- *Luc.15.*
reticus, mercenarius populus Iudæorum. In Leuitico:
Inquilinus sacerdotis & mercenarius non comedet ex eo. hoc *Leuit.22.*
est ex sacrificio Corporis Domini. Hircus, lasciuum animal & petulcum, & feruens semper ad coitum, cuius oculi ob libidinem in transuersum aspiciunt: vnde & nomen traxit. Nam hirci sunt oculorum anguli secundum Suetonium, cuius natura adeo calidissima est: vt ad adamantem lapidem, quem nec ignis nec ferrum domare valet, solus huius cruor dissoluat. Nam hircus, qui in lege pro peccatis offerebatur, peccatorum ostendit personam, qui fuso sanguine, hoc est, pœnitentiæ lachrymis soluit duritiam peccatorum. Vnde in Psalterio ad Dominum dicit Ecclesia: *Offeram tibi boues cum*
hircis. Hirci peccatores siue gentiles, in Daniele: *Ecce* *Psal.65.*
autem hircus caprarum veniebat ab Aquilone. Duo hirci, v- *Dan.8.*
terque populus, Iudæorum scilicet & gentium, ex traduce peccati venientes in Leuitico. Alij autem duos hircos, Christum & Barraban, intellexerunt. Boues, (vt supra diximus) intelliguntur prædicatores, qui pectora humana feliciter exarantes, eorum sensibus cœlestis verbi semina fructuosa condebant. Hirci vero intelliguntur, qui diabolicis prauitatibus studentes, hispidis vitiis vestiuntur. Hircus enim dictus est, quasi hirsutus; sed & eos cum bubus offert Ecclesia, quando conuersi Christo Domino confitentur. Hircus enim fuit latro ille, qui pendebat in cruce, & mox factus est bos, quando ad confessionem veritatis respiciens peruenit. Dixit enim;
memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Capros *Luc.23.*
& capras à carpendis virgultis quidam dixerunt; alij quod carpunt aspera, nonnulli à crepitu crurium eas vocitatas putant. Agrestes capræ, quas Græci pro eo quod acutissime videant, id est, orideresteron, dorcas appellauerunt. Morantur enim in celsis montibus, & quamuis de longe; vident tamen omnes, qui veniunt. Idem autem & capræ: idem ibices, quasi abices eo, quod instar auium ardua & excelsa teneant loca, & in montib. inhabitant, ita vt de sublimitate vix humanis obtutib. pareãt. Vnde & meridiana pars ibices aues vocãt, qui Nili fluenta inhabitant. Hæc itaq; animalia (vt diximus) in petris altissimis commorantur; & si quando ferarum vel hominum aduersitatem persenserint, de altissimis saxarum cacuminibus sese præcipitantes, in suis cornibus illæsa suscipiunt. Capra carnem Saluatoris significat, hoc est, similitudinem carnis peccati, vt in Salomone; *fuge dilecte mi, assimilare capreæ.* Item capræ, peccatores si- *Cant.2.*
ue gentes, in Daniele, *Ecce hircus caprarum*, id est, prin- *Dan.8.*
ceps peccatorum. Capræ ergo iusti interdum ex gentibus venientes, in Salomone; *Capillatura tua sicut grex ca-* *Cant.4.*
prarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Hinc item dicit Sponsos ad sponsam, *Duo vbera tua sunt duo hinnuli* *Ibid.*

capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Quod enim hæc animalia ferarum vel hominum aduersitate perterrita, de altissimis rupibus se præcipitando, cornibus suis illæsa suscipiunt; significat, quod isti quique, & Deum timentes, legem Dei in duobus testamentis meditantes, & duobus præceptis charitatis eam adimplentes, ab omni aduersitate illæsi custodiuntur. Grex intelligitur fidelium congregatio, veterem conuersationem in Baptismo relinquens, vt est il-
Ibid. lud in Cantico canticorum: *dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Item grex est peccatorum col-
Ierem. 12. lectio. In Hieremia: *Congrega eos quasi gregem ad victimam.* Cerui dicti apo ton ceraton, id est, à cornibus. Cerata enim Græce cornua dicuntur. Hi enim serpentum inimici cum sese grauatos infirmitate persenserint, spiritu narium eos extrahunt de cauernis, &, superata pernicie veneni, eorum pabulo reparantur. Dictamnum herbam ipsi prodiderunt. Nam eo pasti excutiunt acceptas sagittas. Mirantur autem sibilum fistularum: arrectis auribus acute audiunt: submissis nil. Si qua immensa flumina vel maria transnatant, capita clunibus præcedentium imponunt, sibique inuicem succedentes nullum laborem sentiunt ponderis. Ceruus enim sanctos viros significat, Deum desiderantes: Vnde Propheta ait: *Si-*
Psal. 41. *cut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Est enim illud animal primo innoxium, deinde velocissimum, tertio desiderio inardescente siticulosum. Serpentes naribus trahit: quos vt vorauerit, veneno æstuante permotus ad fontem aquarum, quanta potest velocitate, festinat. Amat enim aqua dulci purissimaque satiari. Huius decora comparatio nostrum desiderium ardenter instigat: vt quando venena antiqui serpentis haurimus, & in intimis faucibus æstuamus, ad fontem diuinæ misericordiæ ilico festinemus; quatenus quod peccati aduersitate contrahitur, dulcissimi haustus puritate vincatur. Nec vacat, quod, *ad fontes aquarum*, dixit, non, *aquas.* Fons enim aquarum Christus est Dominus, vnde omnia fluunt, quæcunque reficiunt. Fluenta enim plerunque siccari possunt: fons autem aquarum semper irriguus est. Vnde merito dictum est, ad liquorem sacræ originis festinandum: vbi desiderium nostrum nunquam habere possit ieiu-
Psal. 103. nium. Item alibi scriptum est: *Montes excelsi ceruis.* Item cerui, Patriarchæ. Vnde in Canticis canticorum pro Saluatore, qui ex eorum stirpe secundum carnem
Cant. 2. natus est, dicitur; *fuge dilecte mi, assimulare capreæ, hinnu-*
Psal. 28. *loque ceruorum.* Cerui, Apostoli. In Psalterio: *Vox præparantis ceruos.* Cerua est caro Domini. In Salomone: *cerua*
Prou. 5. *charissima & gratissimus hinnulus: vbera eius ebrient te,* id est, Euangelica doctrina. Ceruæ, Apostoli ab hoc, quod spi-
Iob 39. ritaliter parturiunt. In Iob: *Nunquid nosti tempus partus ibicum, vel parientes ceruas obseruasti?* Ceruus est (vt diximus) venenosarum serpentium vorax, spinosa transcendens & summa agilitate præditus, habitare diligit in montibus altissimis. Huic merito comparantur fideles, qui diabolum vorant, quando nequitias eius ad Domini laudem gloriamque conuertunt; vitiaque huius seculi quasi spinas bona conuersatione transiliunt: & habitant in montibus, id est, Apostolis & Prophetis, qui sanctis prædicationibus suis in hoc mundo solida cacumina esse meruerunt. Tragelaphi à Græcis dicti, qui dum eadem specie sint, vt cerui, villosos tamen habent armos, vt hirci: & menta prolixis hirsuta barbis, qui non alibi sunt quam circa Fasidem. Hinnuli filij sunt ceruorum. Damula vocata, quod de manu fugiat, timidum animal & imbelle. De quo Martialis:

Dente timetur aper: defendunt cornua ceruum:
Imbelles Damæ quid, nisi præda, sumus?

Hæc quoque animalia aut Christum siue innocentes homines significant. Hinc quoque Sponsa de Sponso in
Cant. 2. Cantico canticorum ait: *Similis est dilectus meus damulæ hinnuloque ceruorum.* Christus igitur in assumptione carnis & humilitate damæ assimilatur: in varietate vero virtutum & innocentia hinnulo ceruorum, hoc est, Patriarcharum, de quibus secundum carnem originem duxit. Lepus quasi leuipes, quia velociter currit. Vnde & Græce pro cursu lagos dicitur, velox enim animal & satis timidum. Significat autem lepus homines timentes Deum: qui non in semetipsis, sed in Creatore suo fiduciam habent. Vnde legitur in Salomone: *Lepusculus plebs inualida: qua collocat in petra cubile suum.* Vnde Prou. 30.
dicitur in Psalmo: *Petra refugium leporibus & erinaciis.* Pe- Psal. 103.
tra autem Christus est. Hinc de Moyse scribitur, quod
lepusculus Domini Moyses steterit in foramine petræ: Exod. 33.
quia in passione Redemptoris spem salutis suæ habuit. Erinacius vero, quem vocamus ericium, animal omnino timidum natura prouidente semper armatum: cuius cutem inuicem setarum sudes acutissimæ densissimæque communiunt: cui tamen non sufficit natiua munitio: sed ne aliqua fraude possit intercipi, refugiū habet semper in saxis. Huic competenter aptatur, qui peccatis suis hispidus futura iudicia metuens petram Christum firmissimum noscitur habere refugium. Sus dicta, quod pascua subigat: id est, terra subacta escas inquirat. Verres eo, quod grandes habent vires. Porcus, quasi spurcus; ingurgitat enim se ceno; luto immergit; limo illinit. Horatius: *Et amica luto sus.* Hinc etiam spurcitiam vel spurios nuncupamus. Porcorum pilos setas vocamus; setas à sue dictas, a quibus & sutores vocantur, quod ex setis suant, id est, consuant pelles. Sues peccatores significant, & immundos vel hæreticos: de quibus in lege præcipitur, ob hoc, quod vngulam findunt, & non ruminant, ne a fidelibus carnes eorum contingantur. Hi licet vtrumque testamentum legis & Euangelij suscipiāt: sed quia spiritalem cibum non ruminant, immundi sunt. Item sues pœnitentes negligentes, & ad ea, quæ fleuerant, reuertentes significant: sicut Petrus in epistola sua
ait: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro* 2. Pet. 2.
luti. Canis ergo cum vomit, profecto cibum, qui pectus deprimebat, proiicit; sed cum ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat rursus oneratur. Sic qui admissa plangunt, profecto mentis nequitiam, de qua male saturati fuerant, quæ eos intus deprimebat proiiciunt confitendo; quam post confessionem, dum repetunt, resumunt. Sus lota in volutabro luti, dum lauatur, sordidior redditur: & qui admissum plangit, nec tamen deserit, grauiori culpæ se subiicit, quod & ipsam veniam contemnit, quam flendo impetrare potuit; & quasi in lutosa aqua semetipsum inuoluit, quia dum suis lachrymis vitę munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas lachrymas facit. Item porci, homines immundi atque luxurio-
si. In Euangelio: *Si eiicis nos: mitte in porcos.* Item ibi; *Ne* Matth. 8.
mittatis margaritas vestras ante porcos. Porcus similiter im- Matth. 7.
mundi spiritus. In Euangelio: *Et misit illum in villam* Luc. 15.
suam, vt pasceret porcos. Porcus similiter immundos significat & peccatores: de quibus in Psalmo scri-
ptum est. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum:* Psal. 16.
saturati sunt porcina, & relinquentur, quæ superfuerant paruulis suis. Iudæos dicit de immundiciis, quæ à Domino abscondita, id est, noscuntur esse prohibita. Porcina ad polluta respicit, quæ inter cætera veteris testamenti præcepta immunda prænotatur. Transmiserunt autem re-
liquias peccatorum filiis suis, quando clamabant: *Sanguis* Matth. 27
eius super nos & super filios nostros. Item sus peccator, [illegible]
intelligens, & luxuriose viuens in Salomone. *Circulus* Prou. 11.
aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua. Item sus carnalium cogitationes sordidæ: ex quibus opera praua
velut decocta procedunt in Esaia: *Qui comedunt carnem* Esai. 65.
suillam, & ius prophanum in vasis eorum. Aper à feritate vocatus, ablata f. litera & subrogata p. Vnd & apud Græcos siagros, id est, ferus dicitur. Omne enim, quod ferum est & immite, abusiue agreste vocamus. Alij autem aprum dicunt esse nuncupatum, quod in locis asperis commoratur. Significat autem aper ferocitatem principum huius seculi. Vnde in Psalmo de vinea Do-
mini scriptum est. *Exterminauit eam aper de silua, & singu-* Psal. 79.
laris ferus depastus est eam. Exterminauit extra terminos atque patriam suam vbique dispersit quod in gente contingit Iudæorum. Aprum Vespasianum fortitan debemus accipere, qui illis exstitit fortis & sæuus. Per hoc an-

rem nomen significat Iudæis esse contrarium, quia hoc animal inter cætera habere videbatur immunditiam de silua, scilicet de gentibus, quæ merito siluis squalidis comparantur: quia adhuc insitæ fructuoso germine non fuerunt. Singularem autem ferum Titum filium eius memorat, qui reliquas belli tanta populatione contriuit, vt gentem & ciuitatem, quasi herbarum pabula, terribili depastione consumeret. Necesse enim fuit hoc vineæ contingere, cuius maceria videbatur esse deposita. Spiritaliter autem aper propter ferocitatem & fortitudinem nimiam diabolus intelligi potest. De silua autem dixit, quia cogitationes eius agrestes atque semper existunt. Iuuencus dictus eo, quod iuuare incipiat hominum vsus in colenda terra, & quia apud gentiles Ioui semper vbique iuuencus immolabatur, nunquam taurus: nam in victimis ætas etiam considerabatur. Taurus Græcum nomen, sicut & bos. Indicis tauris color fuluus est: volucris enim pernicitas pilis in contrarium versis. Caput circumflectunt flexilitate, qua volunt: tergi duritia omne telum respuunt, inimici feritatem. Taurus Christus. In Genesi: *Et furore suo subneruauerunt taurum.* [Gen. 49.] Item tauri, potestates seculi huius, cornu superbiæ humiles plebes ventilantes, de quibus in Hieremia: *mugistis vt tauri.* [Ierem. 50.] Et alibi: *& tauri cum potentibus.* [Esa. 34.] Tauri & in bonam & in aduersam partem significationem trahunt. In bonam quoque, vt est illud in Euangelio: *Ecce prandium meum paraui, & altilia occisa sunt, & omnia parata.* [Matth. 22.] Quid ergo per tauros, nisi Patres testamenti veteris significantur? nam dum ex permissione legis acceperant, quatenus aduersarios suos odij retributione percuterent, vt ita dicam: quid aliud quam tauri erant, qui inimicos suos virtutis corporeæ cornu feriebant? Quid vero per altilia, nisi noui testamenti Patres figurantur, qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, æternis desideriis innitentes, ad sublimia contemplationis suæ penna subleuantur. In contrariam vero partem tauri positi accipiuntur, vt est illud in Psalmo: *Concilium taurorum inter vaccas populorum.* [Psal. 67.] Hic per tauros hæreticos significat indomitos, qui erecta ceruice seducunt animas innocentes, & ad suum gregem trahunt, quos infelici persuasione decipiunt. Vaccæ quoque populorum sunt mulieres ductili voluntate leuissimæ, quę perfidiæ Doctores, tanquam tauros, sequuntur. Bouem Græci boeten dicunt. Hunc Latini trionem vocant eo, quod terram terat, quasi terionem. Nenius trionem. Hic moderatur rusticus. Cuius latitudo pellium à mento ad crura pallearia dicuntur à pelle ipsa, quasi pellaria. In bubus ergo aliquando luxuriosorum dementia: aliquando laboriosa fortitudo prædicantium: aliquando humilitas exprimitur Israhelitarum: quod enim bouis nomine per comparationem luxuriosorum dementia designatur, Salomon indicat, qui cum male suadentis mulieris petulantiam præmisisset, adiunxit: *Statimque eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* [Prou. 7.] Rursum, quod bouis nomine labor prædicatoris exprimitur, Legis verba testantur, quæ ait: *Non obturabis os bouis triturantis.* [Deut. 25. 1. Cor. 9.] Rursum quia bouis nomine plebs Israhelitica figuratur, Propheta asserit, qui Redemptoris aduentum denuncians dicit: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* [Esa. 1.] Item ibi: *beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.* [Esai. 32.] Item bos diabolus in membris, hoc est, hæreticis. Inde in Iob: *fœnum vt bos comedet.* [Iob 40.] Vacca quasi boacca, est enim ex qualitate mobilium nominum, sicut leo leæna, draco dracæna. Hæc aliquando in bonam significationem sensum trahit, vt est illud in Lege, vbi vacca rufa ætatis integra, & quæ non traxerit, immolari iubetur in expiatione sanctuarij Domini. [Num. 19.] Solet per masculinum fortitudo, per fœmineum vero infirmitas designari. Quid ergo per vaccam, nisi assumpta ad sacrificium infirmitas Incarnationis Dominicæ, figuratur. De quo scriptum est: *quia & si mortuus est infirmitate, sed viuit ex virtute.* [2. Cor. 13.] Bene autem vacca hæc rufa dicitur, quia videlicet eius humanitas rubra per cruorem passionis fuit. Ætas humanitatis Domini integra est, omnia eius operatio perfecta. In qua videlicet humanitate macula non fuit: quia & veraciter de eo scriptum est: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* [Esai. 53.] Bene autem subditur: *Nec portauerit iugum.* [Num. 19.] Quia ergo Dominus nulli succubuit, iugum minime portauit. Bene autem dicitur: *Immolauit eam in conspectu Domini.* [Ibid.] Redemptor enim noster in conspectu hominum quasi extinctus est, sed in conspectu Patris immolatur: quia quod ante oculos hominum pœna, hoc ante oculos Patris sacrificium fuit. In malam vero partem vacca accipitur, quando lasciuiam hominis peccantis exprimit, vt est illud Propheticum: *Vacca lasciuiens Ephraim.* [Ose. 4.] Et iterum, *Ephraim*, inquit, *vitula docta diligere trituram: & ego transiui super pulchritudinem colli eius.* [Ose. 10.] Vacca plebs Iudaica credens in Christo, vt in Esaia: *nutriet homo vaccam boum*, id est, Christus, *& duas oues præ vbertate lactis comedet butyrum.* [Esai. 7.] Vaccæ, fideles in Ecclesia, quorum figuram vaccæ illæ gerebant, quæ arcam Domini in terra Philistinorum reportarunt. Vaccæ, animæ carnalibus vitiis plenæ, vt in Psalterio: *Concilia taurorum inter vaccas populorum.* [Psal. 67.] Vaccæ, diuites seculi huius: vt in Amos: *Audite verbum Domini vaccæ pingues.* [Amos 4.] Vitulus & vitula à viriditate vocati sunt, id est, ætate viridi, sicut virgo. Vitulam ergo paruam esse, & nondum enixam: nam enixa iuuenca est, vt vacca. Vitulus ergo in bonam partem accipitur, quando innocentiam fidelium demonstrat, aut sinceram laudem piæ deuotionis. Vnde scriptum est: *Reddemus vitulum labiorum nostrorum.* [Ose. 14.] Et in Psalmo: *imponent super altare tuum vitulos.* [Psal. 50.] Vitulos quippe posuit aut pro innocentibus, quorum ætas prima est, & à iugo peccati ceruix probatur aliena, & ideo in tali verbo permansit, vt actum illum præteritæ legis indicaret fuisse rerum imaginem futurarum: siue illos prædicatores Euangelii promittit, quorum imaginem in vituli figura Lucas Euangelista suscipit, qui non mugitibus aera verberarent, sed orbem terrarum Dominicæ fidei prædicatione complerent: siue illos magis vitulos debemus aduertere, qui animas suas in hostiam suauitatis sacris altaribus obtulerunt. Nam & pater Augustinus, cum de signis illis Euangelicis ageretur, quodam loco ipsum Dominum vitulum dicit, qui se hostiam obtulit pro salute cunctorum. Quapropter siue de adolescentibus, siue de prædicatoribus, siue de martyribus senciatur: tales tantum Propheta vitulos altaribus Domini potuit promittere, quos Christianæ religioni nouerat conuenire. Vitulus Christus in Euangelio: *Adducite vitulum saginatum & occide.* [Luc. 15.] Et in aliam partem: *& comminuet eos, tanquam vitulos Libani.* [Psal. 28.] Vituli, sancti fide crescentes & à iugo legis libera colla habentes. Vituli, Iudæi lasciuientes. In Psalmo: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* [Psal. 21.] Tunc ergo in malam partem vituli significatio trahitur, quando petulantiam atque lasciuiam significat peruersorum. Vnde filij Israhel in deserto peruersa mente idololatriam in similitudine vituli exercuerunt: & Hieroboam, relicto Dei templo, quod erat in Hierusalem, simulacrum vituli finxit, & diuino cultu honorauit. Hinc scriptum est in Psalmo: *Fecerunt vitulum in Choreb & adorauerunt sculptile.* [Psal. 105.] Choreb vero interpretatur Caluaria, vbi postea Dominum crucis patibulo carne constat occisum: vt in ipso eodemque nomine iam tunc & illo deserto Choreb culturam Dñi, perfidi nefanda præsum, tione violarent; quorũ posteritas erat in Caluariæ loco crucifixura Dñm Christum. Illud quoq; æstimo considerandũ, ꝙ dixit, *adorauerunt sculptile*, quia in Exodo legimus vitulũ conflatilem collatis ornamentis monstruoso quodã indicio fuisse formatũ. Sed duas res hic dictas debemus habere, 1. ꝙ vitulum adorauerint in deserto, & sculptilia vel simulacra in repromissionis terra coluerint; ꝙ in subsequentib. ipse dicturus est; *& mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli manducãtis fœnum.* [Ibid.] Gloria eorũ fuit adorata diuinitas, ꝗ infelici commutatione pendẽtes vsq; ad hoc peruenire meruerũt vt deserẽtes cœli terræq; Creatorẽ Deum sibi facerent similitudinem

vituli sena comedetis. De sanguine ergo & adipe ac pinguedine pecudum, quæ in lege offerebantur, hic pauca inserenda sunt. Sanguis vis est animæ, vt quidam volunt: de cuius natura disputandi licentia non conceditur, quia origo eius secreta soli Deo cognita est, sed ad basim altaris secundum legis præceptum effundi, id est, potestati diuinæ & intellectui reseruare. Quid enim est sanguinem comedere, nisi de animę origine disputare? Sanguis opera carnis, vt in Apostolo: *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sanguis peccatum significat, vt in Amos. *Sanguis sanguinem tetigit propter hoc lugebit terra.* sanguine sanguinem tangere, est peccata peccatis coniungere: siquidem omne peccatum occidens animam sanguini comparatur, sicut in propheta pro peccatore dicitur: *Sang. eius super caput eius.* Adeps pinguedo gratiæ diuinæ. In psalmo: *Sicut adipe & pinguedine repleatur.* Adeps compunctionem cordis sanctorum. In Leuitico, *& impositio desuper holocausto adolebit adipes pacificorum.* Adeps, spiritalis gratiæ intellectus: vt in psalmo: *& adipe frumenti satiat te.* Adipes, quæ operiunt genitalia, quæ commedi prohibentur, animæ origo, sicut & superius de sanguine dictum est, à quibusdam significari videtur in Leuitico. Adeps crassitudo malitiæ, vt in psalmo: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Item ibi: *adipem concluserunt.* Crassitudo duritia est cordis. In propheta: *Incrassatum est cor populi huius* & in Iob. *Operuit crassitudo eius faciem, & de lateribus eius arvina dependet.* Medulla, cogitationes sanctæ siue compunctio ex intimo corde procedens in psalterio: *Holocausta medullata offeram tibi.* & in malam partem de reprobis in Ezechiele dicitur: *Et iniquitates eorum in ossibus eorum.* Bubali vocari per deriuationem, quod sint similes boum, adeo indomiti, vt pro feritate iugum ceruicibus non recipiant, hos Africa procreat. Vri agrestes boues sunt in Germania, habentes cornua in tantum protensa, vt regiis mensis insigni capacitate ex eis gerulæ fiant. In bubalis autem vel vris possunt accipi superbi doctores & dominatores plebis, qui habentes similitudinem bonorum doctorum in gradu vel officio, quod gestant: sed superbia tumentes, & in cornibus potentiæ mundanæ potius confidentes, quam in diuinum auxilium, contra Apostolum eligunt dominari in cleris, non forma fieri gregis, quibus Dominus per prophetam comminatur, dicens: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebatis & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum erat, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum est, non alligastis: & quod abiectum est, non reduxistis: quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.* Camelis causa nomen dedit, siue quod, quando onerantur, vt breuiores & humiles fiant, accumbant (quia græci camu humile & breue dicunt) siue quia curuus est dorso. Camum enim verbo græco curuum significat. Hos licet & aliæ regiones mittant, sed Arabia plurimos: differunt autem sibi. Nam Arabici bina tubera in dorso habent, reliquarum regionum singula. Cameli vero nomine aliquando in sacro eloquio Dominus, aliquando autem gentilium superbia exprimitur, quasi excrescente desuper tumore tortuosa. Dromeda genus camelorum est minoris quidem staturæ, sed velocioris, vnde & nomen habet. Nam dromos græce cursus & velocitas appellatur: centum & amplius milia vno die pergere solet. Quod animal, sicut bos & ouis & camelus, ruminat. Ruminatio autem dicta est à ruma eminente gutturis parte, per quam dimissus cibus à certis reuocatur animalibus. Camelus autem aut Christi humilitatem significat, qui onera peccatorum nostrorum portabat, aut gentilem populum conuersum ad fidem Christianam. Quod in Euangelio Dominus ait: *facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum cælorum:* ostendit, facilius Christum pati pro dilectoribus seculi, quam dilectores seculi ad Christum posse conuerti. Cameli enim nomine se intelligi voluit, quia sponte humilitatis infirmitatis nostræ onera suscepit. In quo enim manifestius intelligitur, quam in ipso, quod scriptum est: *quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Per acum autem punctiones significant, per punctiones dolores in passione susceptos. Foramen ergo acus dicit angustias passionis, qua scissa nostræ quasi vestimenta naturæ quodammodo resarcire, id est, recuperare dignatus est, quatenus post lapsum melius reformati gaudeamus ad testimonium Apostoli dicentis: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Alij camelum Dominum Iesum Christum intellexerunt, pro eo, quod, humiliando semetipsum, peccatorum nostrorum onera portauit. Camelus, amor seculi, cuius figuram camelus ille gerebat, quem Rebecca nuptura viro suo Isaac descendit ac reliquit. Cameli peccatores moribus distorti, vt in Iudicum: *& cameli eorum sine numero sicut arena.* & in Esaia de Hierusalem scriptum est: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Significat enim hæc sententia conuentum nationum ad Ecclesiam Christi. Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam fertiles camelorum. Omnis prouincia vocatur Saba, vnde venit Saba regina ad Salomonem. Cedar autem regio Saracenorum est, qui Ismahelitæ dicuntur, & in Nabaioth vnus est filiorum Ismahel, ex quorum nominibus solitudo vocatur, quæ frugum inops, pecorum plena est. Per familiaria ergo nomina gentium barbarorum, quæ vicinæ sunt Ismahelitis, totius mundi conuersio prædicatur. Mathan enim in hoc loco interpretatur *iniquitas* & Epha *solutus* vel *fundens* Saba *conuersio* vel *captiuitas* Cedar *tenebræ*: Nabaiot *prophetia*. Greges igitur camelorum, id est, diuitum & peccatorum, iniquitatis vinculis resoluti, & animas suas effundentes Deo, opperient Hierusalem muneribus: & omnes de captiuitate venient, & conuersione sua aurum fidei & thus sacrificij deferent: intantum proficientes, vt & aliis prædicent salutare Dei. Asinus & asellus à sedendo dictus, quasi aseddus: sed hoc nomen quod magis equis conueniebat, ideo hoc animal sumpsit: quia priusquam equos caperent homines, huic præsidere ceperunt. Animal quippe tardum, & nulla ratione renitens, statim vt voluit, sibi homo substrauit. Asinorum quoque vel asinarum nomine aliquando luxuriosorum petulantia, aliquando mansuetudo simplicium, aliquando stultitia gentilium designatur. Asinus enim mystice, quod brutum & libidinosum est animal, aut gentilem populum (vt diximus) significat, super quem Dominus sedere dignatus est ad Hierosolymam tendens, vt eum subiectum faceret, & ad cælestem patriam perduceret: aut stultum hominem, & luxuriant istius mundi tantummodo sectantem. Vnde Iacob ad Isachar filium suum, qui interpretatur, *merces*, ait. *Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* Gentilis ergo populus, quem Dominus sanguinis sui precio mercatus est, prius quasi brutum & luxuriosum animal erat, nullaque ratione subsistens. Nunc vero fortis est, Saluatori nostro mentis occulta subigens, ac Redemptoris dominio colla subijciendo, iugum disciplinæ euangelicæ perferat. Vnde & factus est tributis seruiens, hoc est, regi & Christo suo fidei bona operumque bonorum munera offerens. Item asinus homo stultus. In Deuteronomio: *Non arabis in boue & asino*, id est, stultum prædicatione sapienti non socies. Asinus synagogam Iudæorum significat. In Genesi: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Asinus corpus hominis: vnde in libro Iudicum scriptum est: *Qui ascenditis super nitentes asinos.* Item ibi de asina filiæ Caleph, quæ animæ gerit imaginem, dicitur: *Cumque suspirasset sedens in asino.* Primogenita asini exordia vitæ luxuriosæ, vt in Exodo: *Primogenita asini redimes oue:* tunc enim stultum hominem significat asinus, quando peccati onera portantem & vsque ad finem vitæ libidines carnis exercentem demonstrat. Vnde scriptum est, quod Ana dum pasceret asinos primis sui Esebon, inueniret

Marginal references (left column): 1. Cor. 15. — Ose. 4. — Ose. 12. — Psal. 62. — Leu. 6. — Psal. 147. — Psal. 72. — Psal. 16. — Esa. 6. — Iob. 15. — Psal. 65. — Ezech. 32. — Esa. 34. — Matth. 19.

Marginal references (right column): Syr. 3. — Gal. 3. — Iud. 7. — Esa. 60. — Gen. 49. — Deut. 22. — Gen. 49. — Iud. 5. — Iud. 1. — Exod. 34.

uenitet aquas calidas in deserto. Hinc de luxuriosis per
Ezech.13. prophetam dicitur: *Quorum carnes sunt, vt carnes asinorum.* Onager interpretatur asinus ferus. On quippe græci asinum vocant, agriam ferum. Hos Africa magnos habet & indomitos & in deserto vagantes: singuli autem fœminarum gregibus præsunt: nascentibus masculis eos zelant, & testiculos eorum morsu detruncant, quod cauentes matres earum in secretis locis occultant. Significat autem Onager aut Iudaicum populum aut hominem heremitam. Iudaicum aūt populum significat in psalmis
Psal. 103. vbi scriptum est: *Expectabunt onagri in siti sua.* Cum superius dixerit bestias siluarum aquis decurrentibus esse potatas, onagros tanquam posuit sitim suam exspectare: scilicet Iudæos, qui neglexerunt fluenta diuinæ pietatis haurire. Onager enim syluester asinus est, qui inter reliqua animalia cor dicitur habere pinguissimum. Quod genus quantum patiens est domitum, tantum sæuissimum redditur, cum siluis retinentibus efferatur. His obstinati Iudæi merito comparantur, quia ferocia mentis & callosa fatuitate durati sunt, nec satiati cito poculis vitalibus adquiescunt: nam quod dicit, *expectabunt* illud significat, quod frequenter dictum est: quia in fine seculi, Helia & Enoch venientibus, credutura est multitudo Iudæorum.
Iob.39. Rursus in libro Iob Dominus dixisse fertur: *quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit, &c.* subaudis, *nisi ego.* Onager enim, qui in solitudine commoratur, eorum vitam significat, qui remoti à turbis popularibus conuersantur. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desiderijs appetitu onerum temporalium, securitate mentis exoneratur: *& vincula eius quis soluit?* subaudis, *nisi ego.* Soluuntur enim vniuscuiuscunque sancti vincula, dum diuino adiutorio interna desideriorum
Ibid. carnalium retinacula disrumpuntur. *Cui dedi habitaculum in solitudine, & tabernacula eius in terra salsuginis.* Nam remoti viri, id est, à carnalibus desiderijs alieni hoc silentium mentis inhabitant: vt turba desideriorum carnalium non premantur. Et tabernacula onagri huius in terra sunt salsuginis. Salsugo incendere sitim solet. Et sancti viri quamdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur. Onager, arrogans quisque, id est, amator vanæ
Ier.2. gloriæ: vt in Hieremia: *Onager assuetus in solitudine desiderio animæ suæ traxit ventum amoris sui*, id est, Spiritum super
Ier.14. biæ. Onagri principes Iudæorum, vt in Hieremia. *Sed & onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones.* Equi dicti eo, quod quando quadrigis iungebantur, æquabantur, atque forma & similes cursu copulabantur. Caballus autem à cauo dictus, propter quod gradiens vngula impressa terram concauat: quod reliqua animalia non habent: inde & sonipes, quod pedibus sonat. Equus vero aliquando in bonam partem vertit significationem: aliquando in malam. In bonam partem, vt est
Abac. 3. illud Abacuc prophetæ: *ascendens*, inquit, *super equos tuos*
Iob.39. *& equitatus tuus sanitas.* Et in Iob diuina vox ait: *Nunquid præbebis equo fortitudinem? aut circumdabis collo eius hinnitum, &c.* Hic equus prædicatores sancti intelliguntur, quorum sessor Dominus est, qui eis fortitudinem, hoc est, constantiam mentis dat, & sonum sanæ prædicationis. Econtrario vero de alia specie equorum in cantico exo-
Exod 15. di scriptum est: *Equum & ascensorem proiecit in mare.* Et rur-
Ibid. sus: *Quadrigas Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.* Sunt equi, quos Dominus ascendit, & circumeunt omnem terram, de quibus dicitur: *Et equitatus tuus salus.* Sunt autem equi, qui ascensores habent Diabolum & Angelos eius. Iudas equus eius erat: sed donec ascensorem habuit Dominum, de equitatu salutis fuit cum cæteris, & cum Apostolis missus ægrotis salutem, & sanitatem languentibus præstitit: sed vbi se Diabolo substrauit, post
Ioan.13. buccellam enim introiuit in eum Sathanas, & illius habenis ductus aduersum Dominum & Saluatorem nostrum cœpit equitare. Omnes enim, qui persequuntur sanctos, equi sunt hinnientes: sed habent ascensores, quibus aguntur, Angelos malos, & inde feroces sunt. Dominus ergo equum & ascensorem proiecit in mare, & factus est mihi in salutem. Equi peccatores intelligun-
tur & luxuriosi homines, vt in Hieremia: *Equi admissarij*
vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Equus carna- Ier. 5.
lis potentia. In Esaia: *Væ qui ascenditis super equos vt descen-* Isa.30.
datis in Aegyptum. Et in psalmo: *Dormitauerunt, qui ascende-* Psal.75
runt equos. Quod autem equi rufi & varij nigri & albi in propheta Zacharia apparuisse leguntur, aut castigationem peccantium designat, aut consolationem conuersorum. Scriptum est enim in Zacharia, Domino dicente:
Ego ira cor super gentes opulentas. Quia ego iratus sum parum, ipsi vero addiderunt in malum. Et rursum ipse propheta ait: Zach. 1.
Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi Ibid.
rufi, varij & albi, &c. Nox, in qua cernitur visio, obscuritas mysticę visionis intelligitur. Vir, qui ascendit super equū rufum, Dominus atque Saluator est, qui dispensationem nostræ carnis assumpsit. Mirteta autem, quæ erant in profundo, inter quæ stare describitur, angelicæ intelliguntur potestates, quæ ei etiam in carne posito ministrauerunt. Equi rufi varij albi, Apostoli & apostolici viri intelliguntur: quorum alij in martyrio coronati sunt, & appellantur rufi: alij operibus & doctrina ac varietate signorum varij nuncupantur. Alij virginitatis decore, integritateque cordis ornati, & puritate cordis cernere Deum in præmio susceperunt. A Domino enim missi sunt Apostoli, vt totum mundum euangelica prædicatione complerent, qui postquam opus expleuerunt reuersi sunt ad magni consilij Angelum, qui stabat inter eos, & dixerunt ad eum: *Perambulauimus terram, & impleuimus opus, quod nobis iniunctum est: & ecce omnis terra habitatur & quiescit à bellis vitiorum, & quæ ante erat deserta a Domino, nunc eius habitatio est.* Quod ait: *anno septuagesimo miserebitur Hierusalem & vrbibus Iuda*: hic est sensus: vt vera pax non fiat, nisi septuagesimo anno, id est, æterno sabbato: nec Hierusalem, id est, Ecclesia æterna quiete, nisi post laborem sex ætatum, sine omni perturbatione in septima requiescet. Verba consolatoria dona sunt sancti Spiritus, & pignus hæreditatis nostræ, quam percepturi erimus post Babyloniæ, id est, huius mundi captiuitatem. Quod autem in prophetis legimus bigas & quadrigas, iuxta allegoriam aut tempora regnorum, aut principatum vel actum ipsorum ostendit. Nam bigas in E-
saia legimus, & in Zacharia quadrigas. Ita quoque ibi Zach. 6.
scriptum est: *Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij fortes.* De quadriga prima equi rufi erant & cruenti & sanguinarij & Babyloniæ crudelitate terribiles: in quadriga secunda equi nigri regnum Medorum & Persarum, quod bigæ sedens & egrediens per Assueri regis edictum mortem omnium Iudæorum tristi nuntio præferebat: in quadriga tertia equi albi Macedones, sub quorum imperio de Antiocho Machabæorum victoriam legimus: in quadriga quarta equi varij fortes. Scimus enim Romanorum reges alios in gente Iudæa fuisse clementes, vt Gaium Cæsarem, Augustum & Claudium: persecutores alios atque terribiles, vt Gaium vel Neronem, Vespasianum & Adrianum. Propheta ergo quærente, quid sibi Angelus, qui loquebatur, vellet significare, quem cerneret: Angelus qui loquebatur in eo, respondit & narrauit quatuor ventos esse cæli, id est, quatuor plagas mundi, quæ vocantur græce climata: quæ assistunt & parent Domini voluntati. Nihil enim hæc quatuor regna, quæ diximus, absque Domini voluntate fecerunt. Ita iuxta allegoriam in quadriga duo testamenta, siue ipsorum testamentorum in præceptis charitatis prædicatores, seu etiam duo populi vel ipsorum populorum doctores possunt intelligi, hoc est, Iudæorum & gentium, quibus Christi potentia præsidens regimen congruum pręstat. Item in quadriga quatuor euangelistę siue quatuor euangelia possunt accipi, vel quatuor virtutes principales, hoc est, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Quæ currui Domini bene conueniunt, quia per ipsas electos suos in viam iustitiæ diligens perducit ad regnum perpetuum. Currus autem a curru dictus,

ctus, vel quia totas habere videtur. Currus enim sanctorum Angelorum societatem, aut sanctorum hominum vnanimitatem mystice designat, in quibus Dominus [4. Reg. 2.] voluntatis suæ regimen exercet. Vnde in curru igneo legitur Helias sublatus in cælum: vt videlicet aperte monstraretur, quia homo puris adiutorio egebat alieno. Per angelos quippe facta illa & ostensa sunt adiumenta: quia nec ad cælum quidem aereum per se ascendere potuit, quem naturæ suæ infirmitas grauabat, Redemptor autem noster non curru, non angelis subleuatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illuc enim reuertebatur, vbi erat: & inde redibat, vbi remanebat: quia qui per humanitatem ascendebat in cælum, per diuinitatem & terram pariter continebat & cælum. Item legitur in [Psal. 67.] psalmo: *Currus Dei decem milia multiplex, milia lætantium, Dominus in illis.* Sanctorum ergo vnanimitas virtus est Domini, quam ille, velut auriga, insidet, & ad voluntatis suæ ministerium moderatur. Sed vt istum currum ostenderet non equis deditum, sed humanis cogitationibus attributum, ait, *decem milia multiplex*: quod bene ad innumeros populos non ad equos noscitur pertinere. subiunxit, *milia lætantium*, quod vtique de fidelibus debet intelligi. Et vt ostenderetur lætitiæ plenitudo, ait, *Dominus in illis*: qui magnæ exultationis est cumulus, & bonorum omnium dulcedo mirabilis. Item in aliam partem currus societas intelligitur impiorum vinculo [Exod. 15.] peccatorum alligata: de quo in Exodi cantico scriptum est, vt supra ostendimus. Porro equites singulares ideo currere dicuntur: quia singulariter vnusquisque cursum vitæ huius atque transit, alius alio tempore sequens alium, per vnam tamen viam mortalitatis vsque ad propriam metam mortis. Equites enim in bonam partem & in malam possunt accipi. In bonam, quando domatores viciorum significant: in malam autem, quando superbi homines in mundana potentia confidentes præfigurantur. Mulus autem ex græco tractum vocabulum habet. Græce enim inde vocatur, quod iugo pistorum subactus tardas molendo ducat in gyrum molas. Iudæi asserunt, quod Ana abnepos Esau equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi: vt multorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. Onagros quoque ob hoc missos esse ad asinas, & temporum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascentur. Mulus enim, quod oneriferum est animal, significat stultitiæ secutores. Quam Absalon mulo sedens, & seditionem contra patrem leuans, secutus merito interiit. Proinde Psal-[Psal. 31.]mista auditores suos compescit dicens: *Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. In chamo & freno maxillas eorum constringe.* Prohibet ergo huiuscemodi homines diabolicis fraudibus insideri, & vitiorum oneribus prægrauari: ne male obediendo superbiæ magis partibus addicantur. Verum istis talibus quid dicit esse faciendum? scilicet quod animalibus imprudentibus. His enim comparationibus stultos homines veritati subiicit. Nam quod ait, *in freno*, ad equum pertinet. Frenum enim a fero retinendo dictum est. Ferum quippe antiqui caballum dixerunt. *In chamo*, ad mulum respicit. Ergo hæc duo animalia supradicta cohibent ista retinacula: vt ad arbitrium iubentis incedant, ne suis voluntatibus efferantur. Maxilla vero adminicula sunt animalium, quibus esca manditur, vt corporis vita procuretur. Ipsas ergo maxillas per figuram & allegoriam dicit inobedientibus debere constringi, id est, copias victuales parcius dari: vt ieiuniorum necessitate conclusi Creatoris subdantur imperio. Industria quippe humana diuersum animal coegit in coitu: sicque adulterina commixtione genus aliud [Gen. 30.] reperit, sicut in Iacob contra naturam colorum similitudines procurauit. Nam tales fætus oues illius concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Denique & hoc ipsum in equarum gregibus fieri fertur, vt generosos obiiciant equos vilibus concumbentium: quo eorum similes concipere & creare possint. Nam & columbarum species dilectores depictas ponunt pulcerrimas columbas hisdem locis, quibus illæ versantur: quo raptente visu similes generent. Inde est, quod quidam grauidas mulieres iubent vt nullius intueantur pessimos animalium vultus, vt cynocefalos & simias, ne visibus occurrentes similes fætus pariant. Hanc enim fæminarum esse naturam dicunt, vt quales conspexerint siue mente conceperint in extremo voluptatis æstu quando concipiunt, talem & sobolem procreent. Etenim animal in vsu venerio formas extrinsecus intus transmittit, eorumque satiata typis, rapit species in propriam qualitatem. In animantibus bigenera dicuntur, quæ ex diuersis nascuntur, vt mulus ex equa & asino, burdo ex equo & asina, ibride ex apris & porcis, tityrus ex oue & hirco, muscus ex capra & ariete. Est autem dux gregis.

EXPLICIT LIBER VII.

INCIPIT LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

De bestiis.

BESTIARVM vocabulum proprie conuenit leonibus, pardis, tigribus, lupis, vulpibus, canibusque, & simiis, & cæteris, quæ vel ore vel vnguibus sæuiunt, exceptis serpentibus. Bestiæ dictæ à vi, qua sæuiunt: feræ appellatæ eo, quod naturali vtantur libertate & desiderio suo ferantur. Sunt enim liberæ eorum voluntates, & huc atque illuc vagantur, & quo animus duxerit, eo feruntur. Leonis vocabulum ex græca origine inflexum est in latinum. Græce enim leon vocatur, & est nomen medium, quia ex parte corruptum est: leæna vero totum græcum est, sicut & dracæna. Vt autem leæna lea dicatur, vsurpatum est à poetis. Leo autem græce, latine rex interpretatur eo, quod princeps sit omnium bestiarum. Cuius genus trifarium dicitur, è quibus breues, & iuba crispa, imbelles sunt: longi, & coma simplici, acres. Animos eorum frons & cauda indicat: virtus eorū in pectore est: firmitas in capite. Septi à venatoribus terram contuentur, quo minus conspectis venabulis terreantur. Rotarum timent strepitus, sed ignes magis. Cum dormierint, vigilant oculi: cum ambulāt, cauda sua cooperiunt vestigia sua, ne eos venator inueniat. Cum genuerint catulū, tribus diebus & tribus noctibus catulus dormire fertur: tunc deinde patris fremitu vel rugitu veluti tremefactus cubilis locus suscitare dicitur catulum dormientem. Circa hominem leonis natura mitis est: vt, nisi læsi, nequiant irasci. Patet enim eorum misericordia exemplis assiduis. Prostratis enim parcunt, captiuos obuios in patriam redire permittunt, hominem non nisi magna fame interimunt. Leo enim, qui rex est bestiarum, per fortitudinem typum tenet Christi, qui est rex regum & dominus dominantium, de quo scriptum est in Apocalypsi: *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & soluere septem signacula eius.* [Apoc. 5.] Vnde & Iacob patriarcha dixit in benedictione Iudæ filij sui: *Catulus leonis Iuda. Ad prædam fili mi ascendisti*: [Gen. 49.] quoniam Christus nascendo paruulus factus est, & in crucem ascendens, captiuos populos de potestate diaboli redemit.

Qui bene catulo dormienti tribus diebus & tribus no-
ctibus comparatur. quia triduo in ſepulchro tricens ſo-
mnum mortis impleuit, & ipſa morte mortis impe-
Gen. 49. rium vicit. De quo in Geneſi ſcriptum eſt: *Quaſi catu-*
lus leonis, quis ſuſcitabit eum? Leones præpoſiti Eccle-
ſiæ intelliguntur. Vnde in templo Salomonis leones cum
bubus ex ære in baſibus templi fieri præcipiuntur. Item
leo per figuram ſanctorum doctorum impauidum cæ-
tum ſignificat, quorum rugitus, hoc eſt, prædicationis
Prov. 30 vox terret aduerſarios. Vnde ſcriptum eſt: *Leo fortiſſi-*
Amos 3. *mus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Et in Amos: *Leo*
rugiet. quis non timebit? Dominus locutus eſt: quis non prophe-
tabit? Item leo in contrariam partem ponitur, quan-
do ſæuitia eius demonſtratur, vt eſt illud Petri Apo-
1.Pet. 5. ſtoli. *Vigilate*, inquit, *& orate, quia aduerſarius veſter*
Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuo-
Iob. 4. *ret.* Ruſum in Iob ſcriptum eſt: *Rugitus leonis, & vox*
leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt. Leænæ au-
tem nomine aliquando ſancta Eccleſia, aliquando
Babylonia deſignatur. Pro eo enim, quod contra aduer-
ſarios audax eſt, leæna Eccleſia dicitur, ſicut eiuſdem
beati Iob vocibus approbatur, qui derelictam ab Eccle-
Iob. 28. ſia Iudæam indicans ait: *Non calcauerunt eam filij inſtitorum*
Iob. 39. *nec pertranſibit per eam leæna.* Leæna Eccleſia in Iob: *Nun-*
quid capies leænæ prædam? aut animas catulorum eius implebis?
Catuli leænæ, Apoſtoli vbi & ſupra. Aliquando leænæ
nomine huius mundi ciuitas, id eſt, Babylonia expri-
mitur, quæ contra vitam innocentium immanitate cru-
delitatis effrenatur: quæ antiquo hoſti, quaſi ſæuiſſimo
leoni, ſociata, peruerſæ perſuaſionis eius ſemina conci-
pit, & reprobos ex ſe filios ad ſimilitudinem illius quaſi
crudelis catulos gignit. Catuli autem leonum ſunt quili-
bet reprobi ad iniquam vitam malignorum Spirituum
errore generati: qui & ſimul omnes vniuerſam mundi
ciuitatem, quam prædiximus Babyloniam, faciunt, &
tamen idem ſinguli Babyloniæ filij quaſi non leænæ ple-
ne catuli vocantur. Sicut enim Sion tota Eccleſia dici-
tur, filij autem Sion ſanctorum ſinguli quique memo-
rantur: ita & filij Babylonis ſinguli quique reproborum,
& eadem Babylonia ſimul omnes reprobi vocantur.
Leo, Diabolus ob fortitudinem & crudelitatem, vt in
Pſal. 7. Pſalmo: *Ne quando rapiat, vt leo, animam meam.* & alibi:
Pſal. 10. *Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, ſicut leo in cubili ſuo.*
Ier 5. Leones ſunt poteſtates huius ſeculi, vt in Hieremia:
Grex diſperſus populus meus: leones eiecerunt eos. Catuli leo-
Pſal. 56. num, Dæmones ſiue praui homines, vt in pſalmo: *In me-*
Pſal. 103. *dio catulorum leonum dormiui conturbatus.* Et alibi: *Catuli*
leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi. Cu-
bile leonum, præſens mundus: vel quodlibet regnum
Nah 2. huius mundi: vt in Naum: *Vbi eſt cubile leonum, & paſcua*
catulorum leonum. Item cubile leonum, corda reprobo-
Pſal. 103. rum, vt in pſalmo: *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubi-*
libus ſuis ſe collocabunt. Tigris vocata propter velocem
fugam. Ita enim nominant Perſæ & Medi ſagittam. Eſt
enim beſtia varijs diſtincta maculis, virtute & veloci-
tate mirabilis. Ex cuius nomine flumen Tigris appel-
latur, quod is rapidiſſimus ſit omnium fluuiorum.
Has magis Hircania gignit. Tigris autem myſtice ſi-
gnificat aſtutiam Diaboli. Inde in Iob ſcriptum eſt:
Iob. 4. *Tigris periit eo, quod non haberet prædam, & catuli leonum*
diſſipati ſunt. Hunc vocabulo tigridis repetit, quem
leonis appellatione ſignauit. Sathan quippe & pro-
pter crudelitatem leo dicitur, & propter multiformis
aſtutiæ varietatem non incongrue tigris vocatur. Mo-
do enim ſe, ſicut eſt perditus, humanis ſenſibus obi-
cit: modo quaſi Angelum lucis oſtendit: modo ſtul-
torum mentes blandiendo perſuadet: modo ad cul-
pam terrendo pertrahit: modo ſuadere vitia aperte
nititur: modo in ſuis ſuggeſtionibus ſub virtutis ſpe-
cie palliatur. Hæc itaque belua, quæ tanta varietate
reſpergitur, iure tigris vocatur. Quæ apud ſeptuagin-
ta interpretes myrmicoleon dicitur, quod videlicet a-
nimal abſconſum puluere, formicas (vt diximus) fru-
menta geſtantes interficit. quia nimirum apoſtata An-
gelus in terram de cælis proiectus iuſtorum mentes,
quæ bonorum ſibi operum perfectionem præparant,
in ipſo actionis itinere obſidet, cumque has per inſi-
dias ſuperat, quaſi formicas frumenta geſtantes im-
prouiſus necat. Panther dictus ſiue quod omnium a-
nimalium ſit amicus, excepto dracone: ſiue quia & ſui
generis ſocietate gaudet, & ad eandem ſimilitudinem,
quicquid accipit, reddit. Pan enim græce omne dici-
tur. beſtia minutis orbiculis ſuperpicta, ita vt oculatis
ex fuluo circulis nigra vel alba diſtinguatur varietate.
Hæc ſemel omnino parturit. Cuius cauſæ ratio ma-
nifeſta eſt. Nam cum in vtero matris coaluerint catu-
li, maturiſque ad naſcendum viribus pollent, oderunt-
que temporum moras. Itaque oneratam fœtibus vul-
uam, tanquam obſtantem partui, vnguibus lacerant.
Effundit illa partum ſeu potius dimittit, dolore co-
gente. Ita poſtea corruptis & cicatricoſis ſedibus ge-
nitale ſemen infuſum non erit acceptum, ſed irritum
reſilit. Nam Plinius dicit animalia cum acutis vngui-
bus frequenter parere non poſſe; viciantur enim intrin-
ſecus ſe mouentibus catulis. Pardus ſecundus poſt pan-
theram, genus eſt varium ac velociſſimum, & præ-
ceps ad ſanguinem; ſaltu enim ad mortem ruit. Par-
dus autem myſtice ſignificat Diabolum diuerſis vitijs
pleniſſimum, vel peccatorem quemlibet maculis ſcele-
rum & diuerſorum errorum aſperſum. Vnde dicit pro-
pheta: *Æthiops non mutabit pellem & pardus varietatem ſuam.* Ier. 13.
Item pardus Antichriſtus malitiæ varietate aſperſus, vt
in Apocalypſi: *Et beſtia quæ aſcendebat de mari, ſimilis erat* Apoc. 13
pardo: de illis dicit, qui in nigredine peccatorum & va-
rietate perſeuerant. Alibi tamen ſcriptum eſt: *Habitabit* Eſa. 11.
lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Quod in aduen-
tu Chriſti completum eſt, quando illi, qui antea fero-
ces fuerunt, cum innocentibus vitam ducunt, & qui er-
rorum maculis polluti erant, pœnitentiam agentes ad
veritatem fidei conuertuntur. Leopardus ex adulterio
leænæ & pardi naſcitur, & tertiam originem efficit: ſic-
ut & Plinius in naturali hiſtoria dicit, leonem cum par-
do aut pardum cum leæna concumbere, & ex vtroque
coitu degenere partus creari, vt mulus ex equo & aſi-
na. Rhinocerota græce vocatus, latine interpretatur,
in nare cornu. Idem & monoceron, id eſt, vnicornis, eo
quod vnum cornu in media fronte habeat pedum qua-
tuor, ita acutum & validum, vt quicquid impetierit, aut
ventilet aut perforet. Nam & cum Elephante ſemper
certamen habet, & in ventre vulneratum proſternit.
Tantæ autem fortitudinis eſſe dicitur, vt nulla venan-
tium virtute capiatur: ſed, ſicut hi aſſerunt, qui de ſcriben-
dis naturis animalium laborioſa inueſtigatione ſudaue-
runt, virgo ei puella proponitur, quo venienti illa ſi-
num aperit, in quo ille, omni ferocitate poſtpoſita, ca-
put deponit, ſicque ſoporatus, ab eis, à quibus capi quæ-
ritur, repente velut inermis inuenitur. Buxei quoque co-
loris eſſe deſcribitur. Qui etiam cum Elephantis quando
certamen aggreditur, eo cornu, quod in nare ſingulari-
ter geſtat, ventrem aduerſantium ferire perhibetur, vt
cum ea, quæ molliora ſunt vulnerat, impugnantes ſe fa-
cile ſternat. Poteſt ergo per hunc rhinocerotem vel mo-
nocerotem ſcilicet vnicornem ille populus intelligi, qui
dum de accepta lege non opera ſed ſolam inter cunctos
homines elationem ſumpſit, quaſi inter cæteras be-
ſtias cornu ſingulare geſtauit. Vnde paſſionem ſuam
Dominus, Propheta canente, pronuncians ait: *Libera* Pſa. 21.
me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.
Tot quippe in illa gente vnicornes vel certe rhinocero-
tes extiterunt, quot contra prædicamenta veritatis de le-
gis operibus ſingulari & fatua elatione confiſi ſunt. Bea-
to igitur Iob ſanctæ Eccleſiæ typum tenenti dicitur:
Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi? Ac ſi apertius dicatur: Iob. 39.
Nunquid illum populum, quem ſuperbire in nece fide-
lium ſtulta ſua elatione conſideras, ſub iure tuę prædica-
tionis inclinas? ſubaudis, vt ego, qui & contra me illum
ſingulari cornu extolli conſpicio, & tamen mihi, cum
voluero, protinus ſubdo. Rhinocerotem ergo Paulo A-
poſtolo per ſimilitudinem comparare poſſumus, qui
prius perſecutor & blaſphemus extitit, ſicut de eo ſcri-

Act. 9. ptum eſt: *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres: vinctos perduceret in Hieruſalem.* Qui diuinæ legis eruditione præditus dum aliorum ingluuiem redarguit, cornu Elephantis in ventrem ferit. In ventrem
Phil. 3. quippe Elephantos percuſſerat, cum dicebat: *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus quorum Deus venter eſt, &*
Ibid. *gloria in confuſione ipſorum.* Et rurſum: *huiuſmodi*, inquit, *Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Cornu ſuo igitur rhinoceros iſte non iam homines, ſed beſtias percutit, quando illo Paulus doctrinæ ſuæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, ſed ſuperbos ventris cultores occidit. Quæ ergo in Paulo ſcripta cognouimus, ſuperem, vt facta & in aliis credamus. Multi quippe ad humilitatis gratiam ex illius populi elatione conuerſi ſunt, quorum ſæuiciam Dominus dum ſub iugo inſpirati timoris edomuit, nimirum rhinocerotis ſibi ſortitudinem ſubegit. Rhinoceros Chriſtus Dominus poteſt intelligi propter inuictam
Deut. 33. fortitudinem, vt in Deuteronomio: *Cum fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis* Rhinoceros, vt ſupra diximus fortes quo
Iob. 39. que ſiue poteſtates ſeculi huius in Iob: *Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi:* Monoceron, hoc eſt, vnicornis, Chri-
Pſal. 28. ſtus eſt, vt in pſalmo: *Et dilectus ſicut filius vnicornium*, id eſt, ſingularis potentiæ & vnum ſanctorum regnum. Vnicornis ſuperbi vel vnum habentes teſtamentum, vt in
Pſal. 21. pſalmo. *Et à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Elephantem græci à magnitudine corporis vocatum putãt, quod formam montis proferat. Græce enim mons elſio dicitur. Apud Indos autem à voce *barro* vocatur. Vnde & vox eius barritus, & dentes ebur. Roſtrum autem promoſcida dicitur, quoniam illo pabulum ori admouet, & eſt angui ſimilis vallo munitus eburneo. Hos boues *lucas* dictos ab antiquis Romanis: boues, quia nullum animal grandius videbant: lucas, quia in Lucania illos primos Pyrrhus in prælio obiecit Romanis. Nam hoc genus animantis in rebus bellicis aptum eſt. In eis enim Perſiæ & Indi ligneis turribus collocatis de muro tanquam iaculis dimicant. Intellectu autem & memoria multa vigent: gregatim incedunt: motu, quo valent, ſaltant, murem fugiunt, auerſi coeunt. Quando autem parturiunt, in aquis vel in inſulis dimittunt fœtus propter dracones, quia inimici ſunt, & ab eis implicati necantur. Biennio autem portant fœtus, nec amplius quam ſemel gignunt, nec plures, ſed tantum vnum. Viuunt autem trecentos annos. Apud ſolam Affricam & Indiam Elephanti prius naſcebantur: nunc ſola India eos gignit. Elephas autem ſignificat peccatorem immanem ſceleribus, & facinorum deformitate ſqualidum: attamen tales ſæpe ad Chriſtum conuertuntur. Vnde ſcriptum eſt in libro Regum, quod adducerentur ad Sa-
3. Reg. 10. lomonem ſimiæ & elephanti, quia *ipſe eſt pax noſtra, qui fe-*
Eph. 2. *cit vtraque vnum*, & in ſanguine ſuo mundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuorum. Gryphes vocatur, quod ſit animal pennatum & quadrupes. Hoc genus in hyperboreis naſcitur montibus. Omni parte corporis leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſti. Nam & homines viuos diſcerpunt. Hi poſſunt ſignificare ferocitatem perſecutorum, & elationem ſuperborum, qui infeſti ſunt hominibus, qui ſimplicitatem Chriſtianam ſequuntur & rationabiliter viuunt. Cameleon non habet vnum colorem, ſed diuerſa eſt varietate conſperſus, vt pardus. Dictus autem ita, quod huius cameleontis corpuſculum ad colores, quos videt, facillima conuerſione variatur, quod aliorum animalium non eſt ita ad conuerſionem facilis corpulentia. Cameleopardus dictus, quod, dum ſit, vt pardus, albis maculis aſperſus, collo equo ſimilis, pedibus bubalis, capite tamen camelo eſt ſimilis. Hunc Æthiopia gignit. Nec ab re eſt, quod beſtiarum harum color & factura ad ſignificationem variorum errorum atque vitiorum transferatur, ſi alicubi in ſcripturis illius mentio fuerit reperta. Lynx dicitur, quia in luporum genere numeratur, beſtia maculis culis terga diſtincta, vt pardus, ſed ſimilis lupo. Huius vrinam conuertere ſe in duriciam lapidis precioſi dicunt, qui ligurius appellatur. quod & ipſos linces ſentire hoc documento probatur. Nam egeſtum liquorem arenis, inquantum potuerint, contegunt, inuidia quadam naturali, ne talis egeſtio tranſeat in vſum humanum. Lynces dicit Plinius ſecundus extra vnum non admittere fœtum. Similiter & iſta beſtia typum tenet inuidorum hominum atque doloſorum, qui magis cupiunt nocere quam prodeſſe, & terrenis cupiditatibus intenti ea, quæ ſuperflua ſibi ſunt, & cæteris prodeſſe poterant, inutiliter ſeruant. Caſtores à caſtrando dicti ſunt. Nam teſticuli eorum apti ſunt medicaminibus. Propter quos cum perſenſerint venatorem, ipſi ſe caſtrant & morſibus vires ſuas amputant. De quibus Cicero in Scauriana: *Redimunt ſe a parte corporis: propter quod maxime expetuntur.* Iuuenalis: *Qui ſe eunuchum ipſe facit cupiens euadere damno teſticuli.* Ipſi ſunt & fibri, qui etiam & pontici canes vocantur. Mira ergo eſt animantium quorundam prudentia: ſed multo magis quorundam hominum ſtupenda eſt dementia, qui creaturam Dei in ſe condemnant æſtimant vitiorum eſſe efficaciam. Inde quidem hæretici extiterunt, qui genitalia membra ſibi amputauerunt, quo facilius ſeruare poſſent nubendi continentiam, illam ſententiam Domini male interpretantes, qua ait:
Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum: Matt. 19.
cum hoc magis intelligendum ſit pertinere ad voluptatum & libidinis amputationem, quam ad membrorum corporis detruncationem. Tales ergo canonica auctoritas excommunicare & ad pœnitentiam redigere percepit. Vrſus fertur dictus, quod ore ſuos formet fœtus, quaſi *orſus*. Nam aiunt eos informes generare partus, & carnem quandam naſci, quam mater lambendo, in membra componit. Vnde eſt illud. *Sic format lingua fœtum cum protulit vrſa* Sed hoc immaturitas partus facit. Denique tricesimo die generat. Vnde euenit, vt præcipitata fœcunditas informis procreetur. Vrſorum caput inualidum, vis maxima in brachiis & lumbis. Vnde interdum erecti inſiſtunt. Vrſus ergo aliquando iuxta allegoriam ſignificat Diabolum inſidiatorem gregis Dei, aliquando autem duces ſæuos & crudeles. Vn-
de in libro Regum ſcriptum eſt, quod pueros, qui He- 4. Reg. 2.
liſæum prophetam irridebant, duo vrſi egreſſi de ſilua comederant: quod ſignificat duos principes Romanorum, Veſpaſianum videlicet & Titum, egreſſos de ſaltu gentium deuorare Iudaicos pueros, qui irriſerunt Saluatorem noſtrum in caluariæ loco crucifixum. Et ite-
rum ibi: *Veniebat leo & vrſus & tollebat arietem de grege.* Lu- 1. Reg. 17.
pus græca deriuatione in linguam noſtram transfertur. Lupos enim illi lycos dicunt. Lycos autem græce à morſibus appellatur, qui rabie rapacitatis quæque inuenit trucidat. Alij lupos vocatos aiunt, quaſi leopos, quod quaſi leoni, ita ſit illi virtus in pedibus: vnde & quicquid preſſerit pede, non viuit. Rapax autem beſtia & cruores appetentes. De quo ruſtici aiunt, vocem hominem perdere, ſi eum lupus prior viderit. Vnde & ſubito tacenti dicitur, *lupus in fabula.* Certe ſi ſe præuiſum ſenſerit, deponit ferocitatis audaciam. Lupi toto anno non amplius quam dies duodecim coeunt. Famem diu portant, & poſt longa ieiunia multum deuorant. Lupos Æthiopia gignit ceruice iubatos, & tantum varios, vt nullum colorem illis dicant abeſſe. Lupus ergo raro inuenitur bonam ſignificationem habere, ſed ſæpius contrariam. Nam aut Diabolum ſignificat, vt eſt
illud in Euangelio: *lupus rapit & diſpergit oues:* aut hære- Ioan. 10.
ticos vel doloſos homines, de quibus Dominus ait:
Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis o- Matth. 7.
uium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et iterum. *Videt* Ioan. 10.
lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Legitur tamen Iacob patriarcha in benedictione Beniamin filij ſui di-
xiſſe ita: *Beniamin lupus rapax mane comedet prædam, veſpe-* Gen. 49.
re diuidet ſpolia. Quibus dictis Apoſtolus Paulus deſignatur, de Beniamin ſtirpe progenitus, qui mane rapuit prædam, id eſt, in primordiis fideles, quos potuit deuaſtauit: veſpere autem ſpolia diuiſit:

quia

quia fidelis postmodum factus sacra eloquia audientibus dispensatione mirifica dispensauit. Canis nomen latinum græcam etymologiam habere videtur. Græce enim * cinos dicitur: licet eum quidam à canore latratus appellatum existiment eo, quod insonat: inde & canere. Nihil autem sagacius canibus. Plus enim cæteris sensus animalibus habent. Namque soli sua nomina recognoscunt, Dominos suos diligunt, dominorum tecta defendunt, pro dominis suis morti se obiciunt, voluntarie cum domino ad prædam currunt, corpus domini sui etiam mortuum non relinquunt. Quorum postremo natura est, extra homines esse non posse. In canibus duo sunt expectanda: aut fortitudo, aut velocitas. Canis autem diuersas significationes habet. Nam aut diabolum vel Iudæum, siue gentilem populum significat. Vnde Propheta Dominum precatur dicens in psalmo: *Erue à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Nam in meliore parte canis ponitur, vt in Ecclesiaste, vbi scriptum est: *melior est canis viuus leone mortuo.* Hic leonem diabolum, canem vero gentilem vel hominem peccatorem accipiendum puto. Qui ideo melior dicitur, quod ad fidem & pœnitentiam possit venire. Hinc de Iudæis scriptum est: *Conuertantur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Canes intelliguntur muti sacerdotes vel improbi. vt in Isaia: *Canes muti non valentes latrare.* Canes, Iudæi. In psalmo: *Quoniam circundederunt me canes multi.* Canes, populus gentium, vt in Euangelio: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Canes, hæretici, vt in Deuteronomio: *Non inferes precium canis in domum Dei tui.* Et in Apostolo: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisiones.* Canis vero voracissimum animal atque importunum consueuit illas domus latratibus defendere, in quibus edacitatem suam nouit accepto pane satiare. His merito comparantur Iudæi, qui Christianæ fidei munere saginati, Ecclesiam Dei clamosa prædicatione defendere festinabunt: sicut Paulo Apostolo contigit, vt qui ante fuit persecutor Christiani nominis, postea diuino munere iungeretur Apostolis. Canes, homines rixosi vel detractores alterutro se lacerantes vt in Apostolo: *Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Catuli abusiue dicuntur quarumlibet bestiarum filii. Nam proprie catuli canum sunt, per diminutionem dicti. Lincisci vero dicuntur (vt ait Plinius) canes nati ex lupis & canibus, cum inter se forte miscentur. Solent & inde fœminas canes noctu in siluis alligatas admitti ad tigres bestias, à quibus insiliri & nasci ex eodem fœtu canes adeo acerrimos & fortes, vt in complexu leones prosternant. Catuli ergo significant gentiles. Vnde est in Euangelio, quod syrophænissa mulier, cui Dominus ait: *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*: respondit ei dicens: *etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Mensa quippe est scriptura sacra, quæ nobis panem vitæ ministrat, micæ puerorum, interna sunt mysteria scripturarum, quibus humilium solent corda puerorum refici. Non ergo crustas, sed micas de pane puerorum edunt catelli: quia conuersi ad fidem, qui erant despecti in gentibus non literæ superficiem in scripturis, sed spiritalium sensum, quibus in bonis actibus proficere valeant, inquirunt. Vulpis dicta, quasi volupis. Est enim volubilibus pedibus, & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis amfractibus currit: fraudulentum animal insidiusque decipiens. Nam dum non habuerit escam, fingit mortem, sicque descendentes quasi ad cadauer aues rapit & deuorat. Vulpis enim mystice diabolum dolosum, vel hæreticum callidum, siue peccatorem hominem significat. Vnde de Herode Dominus ait in Euangelio: *Ite, dicite vulpi illi.* Et alibi: *Vulpes*, inquit, *foueas habeant: & volucres cæli nidos*: in vulpibus hæreticos, & in volucribus cæli malignos Spiritus exprimens, qui in pectoribus humanis sibi latibula quærunt, vbi suggestiones suas peruersas intericiant, & voluntates suas pessimas expleant. Item vulpes Diabolus vel Dæmones, vt in psalmo: *Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* Psal. 62. Et in Hieremia: *propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo.* Thren. 5. Vulpes, hæretici in canticis canticorum: *Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas*, id est, plebes fidelium. Cant. 2. Et in libro Iudicum de Sampson dicitur: *Apprehendit trecentas vulpes, & ligauit faculas in caudis earum.* Iud. 15. Simiæ græcum nomen est, id est, pressis naribus. Vnde & simias dicimus, quod suppressis naribus sint, & facie fœda, rugis turpiter follicantibus: licet & capellarum sit pressum habere nasum. Alij simias latino sermone vocatas arbitrantur eo, quod multa in eis similitudo rationis humanæ sentitur: sed falsum est. In elementorum cognitione sagaces: noua luna exultant: media & calua tristantur: fœtus, quos amant, ante se gestant: neglecti circa matrem hærent. Harum genera quinque sunt. Ex quibus * circopetici caudas habent. *cercopitheci. Simia enim cum cauda est, quam quidam cruram vocant. Spingæ villosæ sunt comis, mammis prominentibus, dociles ad feritatis obliuionem. Cynocefali & ipsi similes simiis, sed facie in modum canis, vnde & nuncupati. Satyrici facie admodum grata, & gesticulatis motibus inquieti. Callitrices toto aspectu à cæteris distant. Sunt enim in facie producta barba, & lata cauda. Simiæ autem callidos mente, & peccatis fœtidos homines significant. Qui aliquando per conuersionem & pœnitentiam ad pacificum nostrum deducuntur, & eius agunt seruitium, sicut supra dictum est de Elephantis & simiis, qui adducebantur ad Salomonem. Enydros bestiola, ex eo nuncupata, quod in aquis versetur. & maxime in Nilo. Quæ si inuenerit dormientem crocodilum, volutat se in luto primum, & intrat per os eius in ventrem, & carpens omnia intranea eius, sic moritur. hinc enemon græce vocatus eo, quod odore suo & salubria ciborum & venenosa prodantur. De quo Dracontius ait: *Præstat fuillus vim cuiuscunque veneni.* Suillus autem à feris est nuncupatus. Hic etiam serpentes insequitur. Qui cum aduersus aspidem pugnat, caudam erigit, quam aspis maxime incipit obseruare quasi minantem, ad quam cum vim suam transfert, decepta corripitur. Melo, vel quod sit rotundissimo membro, vel quod fauos petat, & assidue mella captet. Musio appellatus, quod muribus infestus sit. Hunc vulgus capum à captura vocat. Alij dicunt, quod captat, id est, videat. Nam tam acute cernit, vt fulgore luminis noctis tenebras superet. Vnde à græco venit catus, id est, ingeniosus. Venator Christus est, vt in Esaia secundum lxx. *Ecce quemadmodum leo aut catulus leonis in venatione quam capit: ita veniet* Esa. 31. Venatores, Apostoli vel cæteri prædicatores, vt in Hieremia. *Mittam eis venatores, & venabuntur eos de omni monte.* Ier. 16. Venator Diabolus, in cuius figura Nembroth ille gigas venator coram Domino, vt in Genesi. Gen. 10. Venatores praui homines, vt in propheta. *Venantes ceperunt me, quasi auem, inimici mei gratis.* Thre. 3. Lamia Diabolus vel Dæmones, vt in Ieremia: *Sed & lamia nudauit mamillam, & lactauit catulos.* Thren. 4. Item lamia, hæreticus vel quilibet hypocrita, vt Esaias dicit: *Cubauit lamia, & inuenit sibi requiem.* Esa. 34.

Marginalia (left column): * Kyon. — Psal. 21. — Eccl. 9. — Psal. 58. — Esa. 56. — Psal. 21. — Matth. 15. — Deut. 23. — Phil. 3. — Gal. 5. — Matth 15. — Luc. 13. — Matth. 8.

CAPVT II.

De minutis animalibus.

MVs pusillum animal, græcum illi nomen est: quicquid vero ex eo trahitur, latinum fuit. Alij dicunt mures, quod ex humore terræ nascantur. Nam mus terra, vnde & humus. His in plenilunio iecur crescit, sicut quædam maritima augentur, quæ rursus minuente luna deficiunt. Sorex latinum est eo, quod rodat & in modum serræ præcidat. Antiqui autem sauricem dicebant, sicut & clodum claudum. Mustela dicta, quasi mus longus. Nam telum à longitudine dictum. Hęc ingenio subdola in domibus vbi nutrit, catulos suos transfert, mu-

tatq;

tatq; sedem, serpentes etiam & mures persequitur. Duo autem sunt genera mustelarum. Alterum enim siluestrum est, distans magnitudine, quod græci ictidas vocant: alterum in domibus oberrans. Falso autem opinantur, qui dicunt, mustelam ore concipere, aure effundere partum. Mustela est furti figura, vt in Leuitico demonstratur. Talpa dicta, quod sit damnata cæcitate perpetua tenebris. Est enim absq; oculis, semper terram fodit, & humum egerit, & radices sub frugibus comedit. Mystice autem mures significant homines cupiditate terrena inhiantes & prædam de aliena substantia surripientes. mustela vero eos per figuram demonstrat, qui ingenium naturale sub dolo malitiæ polluunt & totam vitam suam in insidiis & fraudibus ducunt. Talpa ergo, quæ cæcitate perpetua damnata est, aut idola significat cæca, surda & muta: aut etiam ipsos idolatras, qui ignorantiæ & stultitiæ tenebris semper errant. De quibus in Esaia scriptum

Esa. 2. est: *Vt adorent talpas & vespertiliones*, hoc est, cæci cæcos

Psal. 113. colant. De quibus alibi scriptura dicit: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis*. Aut etiam hæreticos siue falsos Christianos per figuram demonstrat: quoniam sicut talpa absque oculis semper terram fodit, & humum egerit, & radices sub frugibus comedit: sic & ipsi veræ scientiæ lumine priuati, terrenis actibus incumbunt, & desideriis carnis, & illecebris voluptatum deseruiunt, radicesque bonorum operum, in quibuscunque possunt, dente malitiæ corrodere & subuertere conantur. Glires dicti sunt, quia pingues eos efficit somnus? Nam glissere dicimus crescere. Hieme enim tota dormiunt, & immobiles, quasi mortui, iacent: tempore æstiuo reuiuiscunt. Isti ergo eos significare possunt, qui torpore pigritiæ inutiles fiunt, & laborare vtiliter

Prou. 20. nolunt, de quibus scriptum est: *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei*: quia qui nunc ociosus tempore præsentis vitæ torpescit, frustra in die iudicij, quando tempus est messis, mendicabit: quia cœlestis vitæ gaudium nullo modo cum iustis habebit. Ericius animal spinis coopertum, quod exinde dicitur nominatum eo, quod subrigit se quando spinis suis clauditur, quibus vndique protectus est contra insidias. Nam statim, vt aliquid præsenserit, primum se subrigit, atque in globum conuersus, in sua se arma recolligit. Huius prudentia quædam est. Nam dum absciderit vuam de vite, supinus sese volutat super eam, & sic eam exhibet natis suis. Ericius enim mystice peccatores aculeis vitiorum plenos & astutia nequitiæ callentes significat, & fraudibus & rapinis: qui per fraudem de alienis labori-

Esai. 34. bus sibi pastum quærunt. De quibus scriptum est: *Ibi habet foueam ericius, & catulos suos nutrit*. Item illud, quod in

Ps. 103. Psalmo scriptum est: *Petra refugium erinaciis*. Erinacius idem est, qui & ericius, animal omnino timidium, natura prouidente semper armatum, cuius cutem inuicem setarum sudes acutissimæ densissimæque communiunt. Cui tamen non sufficit natiua munitio, scilicet ne aliqua fraude possit intercipi, refugium habet semper in saxis. Huic competenter aptatur, qui peccatis suis hispidus, futura iudicia metuens, petram Christum firmissimum noscitur refugium habere. Grillus nomen à sono vocis habet. Hic retro ambulat, terram terebrat, stridet noctibus Venatur eam formica circumligata capillo, in cauernam eius coniecta, afflato prius puluere, ne se abscondat: ita formicæ complexibus trahitur. Formica dicta ab eo, quod ferat micas farris, cuius solertia multa. Prouidet enim in futurum, & præparat æstate, quod hieme comedar. In messe autem elegit triticum, hordæum non tangit: dum pluit eis super frumentum, totum eiicit. Dicuntur in Æthiopia esse formicæ ad formam canis, quæ harenas aureas pedibus eruunt, quas custodiunt nequis auferat, captantesque ad necem persequuntur. Iuxta allegoriam formica prouidum hominem, vel operarium v-

Prou. 6. tilem significat. Vnde Salomon in prouerbiis hortatur, dicens: *Vade ad formicam ô piger & considera vias eius, & disce ab ea sapientiam. Quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principem: parat æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat*. Hinc hortatur quemq; sui curam agere: & si tantillum animal sine præceptore, sed sola natura duce sibi in posterum præuidere studet: quantomagis ille homo, Deo præceptore, & doctoribus admonentibus, debet in messe huius vitæ operum colligere fructus, & horreo vitæ recondere, vt habeat in die frigoris, id est, iudicij, qua non potest laborare, vnde viuat? Formicaleon ob hoc vocatus, quia est vel formicarum leo, vel certe formica pariter & leo. Est enim paruum animal, formicis satis infestum, quod se in puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit. Proinde autem leo & formica vocatur, quia aliis animalibus, vt formica est: formicis autem, vt leo, est. Ranæ à garrulitatæ vocatæ eo, quod circa genitales strepunt paludes, & sonum vocis importunis clamoribus reddunt. Ranæ dæmones. In Apocalypsi: *Vidi de ore draconis spiritus tres immundos in modum ranarum*: sunt autem spiritus dæmoniorum. Ranæ hæretici, Apoc. 16. qui in ceno vilissimorum sensuum commorantes, vana garrulitate latrare non desinunt, vt in Exodo legitur.

Capit. III.

De serpentibus.

Anguis vocabulum, serpentum genus, quod plicari & contorqueri potest: & inde anguis, quod angulosus sit, & nunquam rectus. Angues autem apud gentiles pro geniis locorum habiti semper: vnde Persius: *Pinge duos angues pueri, sacer est locus*. Colubrum ab eo dictum, quod colat vmbras, vel quod in lubricos tractus flexibus sinuosis labatur. Nam lubricum dicitur, quicquid labitur, dum tenetur, vt piscis & serpens. Cerastes serpens dictus, eo quod in capite cornua habet similia arietum. Cerata græci cornua dicunt. Sunt autem illi quadragemina corniculа, quorum ostentatione veluti escas illiciens sollicitat, & animalia perimit. Totum enim corp° tegit arenis, nec vllum indicium sui præbet, nisi ex ea parte, qua inuitatas aues vel animalia capit. Est autem flexuosus plus quam alij serpentes, ita vt spinam non habere videatur. Coluber enim & cerastri nomine diabolus vel Antichristus significatur, vt est illud, quod Iacob patriarcha de Dan filio suo prophetauit, dicens: *Fiat Dan coluber in via, & cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro*. Non Gen. 49. solum enim coluber antichristus, sed etiam cerastes vocatur. Cerata enim græce dicuntur cornua, serpensque hic cornutus esse (vt supra memorauimus) perhibetur: per quem digne aduentus Antichristi asseritur: quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prędicationis armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse, quam viam? Fit ergo *coluber in via*: quia in præsentis vitæ latitudinem eos ambulare prouocat, quibus parcendo quasi blanditur: sed *in via mordet*, quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit iterum *cerastes in semita*: quia quos fideles reperit, & sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasionis impedit; sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. & quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur: cerastes ille equi vngulas mordere perhibetur. Vngulam quippe equi mordere est extrema seculi feriendo contingere. *Vt cadat ascensor eius retro*. Ascensor equi est, quisquis extollitur in dignitatib. mundi qui retro cadere dicitur, & non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur. In facie enim cadere est in hac vita suas vnumquemque culpas cognoscere, easq; pœnitendo deflere. Retro vero, quo non videtur, cadere est ex hac vita repente decedere, & ad quæ supplicia ducatur, ignorare. Et quia Iudæa erroris sui laqueis capta pro Christo Antichristum expectat: bene Iacob eodem loco repente in electorum voce conuersus est, dicens: *Salutare* Gen. 49. *tuum expectabo Domine*: id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum, qui in redemptionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum. Serpens autem nomē accepit, quia occultis accessib. serpit: non apertis passib°, sed squamarum minutissimis nisib. repit. Illa autem,

quæ quatuor pedibus nituntur, sicut lacerti & stelliones, non serpẽtes, sed reptilia nominãtur. Serpentes aũt reptilia sunt, quia pectore & ventre reptant, quorũ tot venena, quot genera, tot pernicies, quot species, tot dolores, quot colores habentur. Serpens aũt diabolum significat, vt est
Gen. 3. illud in Genesi: *serpens erat callidior cunctis animãtib. terræ*: aut
Psal. 13. malitiosos homines atq; hæreticos, de quib psalmista ait; *Acuerũt linguas suas, sicut serpentes: venenũ aspidũ sub labiis eorũ.* Pulcre hic malitia hæreticorũ, dolũsq; describit. Linguæ enim verba significant, quæ nequitiæ cotibus expolita vulnerare contendunt corda simplicium. Quæ merito serpentibus exæquantur: quia sermonibus suis virus euomunt. Vnde surdis aspidibus comparantur. Tali enim proposito contendunt, vt pertinacia mentis nunquam velint à veritate superari. Item in aliam partem serpentis
Ioan. 3. significatio trahitur, vt est illud in Euangelio: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ibi enim significat serpens mortem, Christũque saluauit genus humanum, quod astutia serpentis antiqui maligna suasione salute à conditore percepta priuauit. Draco, maior cunctorum serpentium siue omnium animantium super terram. Hunc græci draconta vocant. Vnde deriuatum est in latinũ, vt draco diceretur. Qui sæpe ab speluncis abstractus fertur in aerem, concitaturque propter eum aer. Est autem cristatus, ore paruo, & artis fistulis, per quas trahit spiritum, & linguam exerit. Vim autem non in dentibus, sed in cauda habet, & verbere potius quam rictu nocet. Innoxius autem est à venenis: sed ideo huic ad mortem faciendam venena non esse necessaria, quia si quem ligarit occidit. A quo nec elefans tutus est sui corporis magnitudine. Nam circa semitas delitescens, per quas elefanti soliti gradiuntur, crura eorum nodis illigat, ac suffocatos perimit. Gignitur autem in Æthiopia & India in ipso incendio iugis æstus. Mystice draco aut diabolum significat, aut ministros eius, vel etiam persecutores Ecclesiæ, homines nefandos, cuius mysterium in pluribus locis scripturæ inuenitur. Nam in Psalterio de hoc scriptum est, & in libro Iob, nec non in Apocalypsi Iohannis. Deniq; Psalmista dicit:
Psal. 73. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum super aquas.* Confirmauit enim rubri maris liquidos abyssos, quando in duobus lateribus sic aqua diuisa est, vt mare nauigerũ iter faceret esse terrenum. *Contriuisti capita draconum super aquas*, mysterium superioris miraculi decenter exponit: quia illa præfiguratio trãsitus maris rubri aquas sancti baptismatis indicabat, vbi capita draconum, id est, spiritus immundorum producuntur ad nihilum, quando animas, quas illi peccatorum sordibus inquinant, fons
Ibid. salutaris emundat. Quod autem additur: *tu confregisti caput draconis magni*, & cetera: cum superius dixerit plurali numero *capita draconum*, significare volens nequicias spirituales modo singulari numero ponit draconem, vt ipsum satan indicare videatur, qui quantũ fortior, tantum nequior: & cum singulari numero ponitur, inter malignos spiritus habitare penitus abnegatur. Confractum est enim caput eius, quando superbia eius de cœlo eiecta est, & natiuam claritatem retinere non meruit, qui se voluntaria obscuritate maculauit. Addidit: *dedisti eum in escam populo æthiopum.* Æthiopes bene peccatores aduertimus, qui ante fuerunt tenebrosa mente teterrimi, sed ad Deum conuersi eum ceperunt escam habere, cum de eius detractione satiantur. Nam hodieq; quem pessimum intelligi volumus, diabolum nominamus. Omnibus enim culpis exsufflator admissis, totius auctor erroris & sicut ille Christianos insequitur: ita ab omnibus execrabili errore discerpitur. Sic fit, vt qui paganis ante venerabilis nunc a Christianis detractionum morsibus corrodatur. Siue conuersi iam fideles escam possunt habere diabolum, quando per ipsius machinamenta temptationesq; proficiunt. Ipso enim persequente, martyres fiunt: ipso affligente, patientiæ munere coronantur. Quapropter merito diabolus illorum esca dicitur, quos fatigationibus crebris ad desideria nociua perducit. Aspis vocatur, quod morsu venena immittat & spargat. Ios enim græci venenũ vocant: & inde aspis, quod morsu venenato interimat. Huius diuersa genera & species, & dispar effectus ad nocendum. Fertur aũt aspis cum ceperit pati incantatorem, qui eam quibusdam carminibus propriis euocat, vt eam de caverna producat: illa cum exire noluerit, vnam aurem in terram premit, alteram cauda obturat & operit, atq; ita voces illas magicas non audiens non exit ad incantantem. De quo dicit Psalmista: *Ira illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas,* Psal. 57. *quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici, quæ incantantur à sapiente.* Cum serpenti ira Iudæorum per similitudinem nimis aptissimam diffinitur. Obstinatorum quippe hominum ira irreuocabilis est, qui ne docentium prædicationes exaudiant, procurant sibi voluntariam surditatem. Cui malo consuetudo aspidis comparatur, quæ ne verba incantantis exaudiat, suasq; latebras derelinquat, vnam aurem caudæ suæ inflexione dicitur obturare, alteram vero in terram deprimere. Cui merito Iudæi comparati sunt, qui, cordis auribus obturatis, sanctæ scripturæ audire noluerunt saluberrimam iussionem. Obturare enim a sacerdotibus tractum est. qui aures suas ture replebant, ne peregrinis verbis intercedentibus confusa carminum memoria turbaretur. Dipsa genus aspidis, qui latine situla dicitur: quia quẽ momorderit, siti perit. Hypnalis genus aspidis, quod somno necat. Hanc sibi Cleopatra apposuit & ita morte quasi somno soluta est. Emorrhois aspis nuncupatur, quod sanguinem sugat, qui ab eo morsus fuerit: ita vt dissolutis venis, quicquid vitæ est, per sanguinem euomat. Græce enim sanguis hæma dicitur. Prester aspis semper ore patenti & vaporanti currit, cuius poeta sic meminit: *Oraque distendens auidus fumantia prester.* Hic quem percusserit distenditur, enormique corpulentia necatur. Exuberatum enim putredo sequitur. Spectabificus aspis, qui dum momorderit hominem, statim eum consumit, ita vt liquefiat totus more serpentis. Basiliscus græce, latine interpretatur regulus eo, quod rex serpentium sit, adeo vt eum videntes fugiant: quia olfactu suo eos necat. Nam & hominem si vel aspiciat, interimit. Siquidem & eius aspectum nulla auis volans illæsa transit: sed quam procul sit eius ore combusta deuoratur. A mustelis tamen vincitur, quas illic homines inferunt cauernis, in quibus delitescunt. Itaq; ea visa fugit. Quem illa persequitur & occidit. Nihil enim parens ille rerum sine remedio constituit. Est autem longitudine semipedalis albis maculis lineatus. Reguli autem, sicut scorpiones, arentia quæque sectantur & postquam ad aquas venerint hydrophobos & lymphaticos faciunt. Sibilus idem est, qui & regulus: sibilo enim occidit antequam mordeat vel exurat. Basiliscus autem diabolum significat, qui nequiciæ suæ veneno palam interficit incautos: sed idem superatur, cum ceteris noxiis animantibus à milite Christi spem suam totam in ipso ponente, cuius virtus oẽs aduersarias potestates superat atq; cõculcat. De hoc quoq; Propheta in Psalmis dicit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psal. 90. Hic iam diuina virtus exprimitur, quæ tantis rebus sæuientibus imperabit. Nam omnia ista nomina diabolo congruenter aptantur. Aspis est, dum occulte perimit. Basiliscus, cum palam venena disseminat. Leo, dum persequitur innocentes. Draco, cum negligentes impia voracitate deglutit. Verum hæc omnia in glorioso aduentu Domini pedibus ipsius prostrata iacuerunt. Solus enim tam ferocia valuit subdere, qui Patri coæternus & consubstantialis secundum diuinitatem probatur existere. Hæc si diligenter sanctorum patrum prædicatione tractemus, nec aliqua dementium hæretica prauitate turbemur: & omnia nobis, sicut dicta sunt, absoluta veritate constabunt. Scorpio vermis terrenus, qui potius vermibus aptatur. Animal armatum aculeo & ex eo græco vocatum est, quod cauda figat, arcuato vulnere venena diffundat. Proprium est autem scorpionis, quod manus palmam non feriat. Scorpius diabolum significat vel ministros eius. Vnde est illud Dominicum in Euangelio. *Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes,* Luc. 10. *& scorpiones & super omnem virtutem inimici.* Nam & alibi

Luc. 11. Dominus in Euangelio ait: *Quis enim est ex vobis, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut si petierit ouum nunquid porriget ei scorpionem? Aut si piscem petit, nunquid serpentem dabit illi.* Tria sunt nobis maxime necessaria, id est, fides, spes caritas: fides, vt recte credamus. spes, vt semper cum bona patientia Dei præstolemur promissa: caritas, vt sedulo eum diligamus ex toto corde, tota mente, tota virtute, & proximos nostros, sicut nosmetipsos. In fide piscis signatur, in spe ouum, in charitate panis: & econtrario in lapide duritia, in serpente infidelitas, & in scorpione desperatio exprimitur. In Baptismo fides accipitur, vnde viuitur in sæculo: spes in ouo, quia in ouo nundum pullus videtur, sed hinc speratur: caritas autem, quia totum vincit pani comparatur. Vipera dicta, quod vi pariat. Nam & venter eius cum ad partum ingemuerit, catuli non expectantes naturæ solutionem, corrosis eius lateribus, vi erumpunt cum matris interitu. Lucanus. *Viperео coeunt abrupto corpore nodi.* Fertur autem quod masculus ore inserto viperæ semen expuat, illa autem ex voluptate libidinis in rabiem versa caput maris ore ceptum præcidit. Ita fit, vt parens vtraq; pereat. masculus dum coit fœmina, dum parturit. Vipera significat maliciosos homines, nec non hæreticos, qui venena nequitiæ intra se gerunt. Vnde Ioannes Baptista ad Iudæos qui ad eum dolose veniebant, dixit: *Progenies viperarum, quis demonstrabit* *Matt. 3.* *vobis fugere ab ira ventura?* Malæ ergo soboles malorum parentum actiones imitantes, progenies viperarum vocantur, quia per hoc, quod bonis inuident, eosq; persequuntur, quod quibusdā mala retribuunt, quod læsiones proximis exquirunt: quoniam in his omnibus priorum suorum carnalium vias assequuntur, quasi venenati filij de venenatis parentibus nati sunt. Enydris, coluber in aqua viuens: græci enim aquam ydros vocant. Ydros aquatilis serpens, à quo icti obturgescunt. Cuius morbum quidam boam dicunt eo, quod fimo bouis remedietur. Ydra draco multorum capitum, qualis fuit in Lerna palude prouinciæ Arcadiæ. Hæc latine excedra dicitur, quod vno cæso tria capita excrescebant: sed hoc fabulosum est. Nam constat ydram locum fuisse euomentem aquas vastantes vicinam ciuitatem. in quo vno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit, & sic aquæ clausit meatus. Nam ydra ab aqua dicta est. Celidros serpens, qui & cersidros quasi cerigni, qui & in aquis & in terris moratur. Nam cirson dicunt græci terram, ydros aquam, per quam labitur, terram fumare facit. Quam sic Macer describit: *Seu terra expirat spumantia virus: seu terra fumat, qua teter labitur anguis.* Salamandra vocata, quod contra incendia valeat. Cuius inter omnia venenata maxima vis est. Cætera enim singulos feriunt, hæc plurimos pariter interimit. Nam si arbori irrepsent omnia poma inficit venenis, & eos qui ederint, occidit. Quæ etiam si vel in puteo cadit, vis veneni eius potantes interficit. Ita contra incendia repugnans ignes sola animalium extinguit. Viuit enim in medijs flammis sine dolore & consummatione: & non solum quia non moritur, sed extinguit incendium. Et vt breuiter superiora recapitulem serpens est diabolus vel homines impij, vt in *Matt. 13.* Euangelio: *Serpentes genimina viperarum.* Serpens Christus propter sapientiam, cuius figuram serpens ille æreus gerebat, quem Moyses in ligno suspendit, cuius intuitu percussi à serpentibus sanabantur. Et in Euangelio: *Estote* *Matth. 10* *prudentes sicut serpentes.* Serpens diabolus in Genesi: *Sed &* *Gen. 3.* *serpens erat callidior cunctis animantibus, quæ fecerat Dominus Deus.* Caput serpentis, prima peccati suggestio, vt in Ge- *Ibid.* nesi: *Ipsa conteret caput tuum.* Pectus serpentis, typus su- *Ibid.* perbiæ, vel tumidi cordis malitia, vt est illud: *Supra pectus* *Psal. 103.* *tuum gradieris.* Draco diabolus, vt in psalterio: *Draco iste,* *Psal. 73.* *quem formasti ad illudendum ei.* Et alibi: *Tu confregisti caput* *Ibid.* *draconis magni.* Dracones, dæmones, vt in Psalterio: *Tu contribulasti capita draconum.* Dracones, principes genti- *Esai. 43.* um, vt in propheta: *Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones.* Leuiathan, id est, serpens diabolus. In Esaia. *Esai. 27.* *Et visitabit Dominus in gladio suo duro super leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui est in mari.* Coluber diabo- *Iob. 26.* lus, vt in Iob: *Et obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus,* id est, medicina, Domini nostri Iesu Christi proiectus est diabolus de cordibus hominum. Regulus diabolus vel dæmones flatu cogitationis corda hominum vulnerantes, vt in Hieremia. *Ecce ego mittam vobis regulos, qui-* *Ier. 8.* *bus non est incantatio, & mordebunt vos.* Et in Deuteronomio: *In quo erat serpens adurens.* Aspis s[c]uricia cordis pec- *Deut. 8.* catorum sanctis prædicationibus aurem cordis non accommodantes. In Psalmo. *Sicut aspidis surde, & obturantis* *Ps. 57.* *aures suas.* Et in aliam partem, vt in Iob pro impio. *Caput* *Iob 20.* *aspidum surget,* hoc est, inspirationes diaboli vel dæmonum. Aspis & basiliscus, peccatum & mors. In Psalmo: *Super aspidem basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem &* *Psal. 90.* *draconem,* id est, diabolum & Antichristum. Vipera, diabolus vel ministri eius in Euangelio: *Genimina vipera-* *Matt. 3.* *rum.* Et in Iob: *Et occidet eum lingua viperæ.* Scorpius dia- *Iob. 20.* bolus. In Euangelio: *Dedi vobis potestatem calcandi super* *Luc. 10.* *serpentes & scorpiones.* Sunt & alia serpentium genera, vt admoditæ, elefantiæ, camedracontes. Postremo quanti nominum, tantus mortium numerus. Omnes autem serpentes natura sua frigidi sunt, nec percutiunt, nisi quando calefiunt. Nam quando sunt frigidi, nullum tangunt. Vnde & venena eorum plus die quam nocte nocent. Torpent enim noctis algore. Et merito, quia frigidi sunt nocturno rore. In se enim adducunt corporis vaporem gelidæ pestes & naturæ frigidæ. Vnde & hieme in nodos torpent, æstate soluuntur. Inde est, quod dum quicunque serpentium veneno percutitur, primo obstupescit, & postea, vbi in illo calefactum ipsum virus exarserit, statim hominem extinguit. Venenum autem dictum eo, quod per venas vadit. Infusa enim pestis per venas vegetatione corporis aucta discurrit, & animam exigit. Vnde non posse venenum nocere, nisi hominis tetigerit sanguinem. Lucanus: *Noxia serpentum est admixto sanguine pestis.* Omne autem venenum frigidum est, & ideo anima, quia ignea est, fugit venenum frigidum. in naturalibus bonis quæ nobis & irrationabilibus animantibus videmus esse communia, viuaci quadam sensus subtilitate serpens excellit. Vnde & legitur in Genesi: *Serpens autem erat sapientior omnibus animantibus ter-* *Gen. 3.* *ræ.* Dicit autem Plinius, si creditur, quod serpentis caput, etiam si cum duobus euaserit digitis, nihilominus viuit. Vnde & totum corpus obiicit pro capite ferienti. Anguibus vniuersis hebes visus est, raro in aduersum contuentur: nec frustra, cum oculos non in fronte habeant, sed in temporibus, adeo vt citius audiant quam aspiciant. Nullum autem animal in tanta celeritate linguam mouet, vt serpens, adeo vt triplicē linguam habere videatur, cum vna sit. Serpentium nuda sunt corpora, adeo vt quacumq; eunt via, humore designent vestigia. Serpentium vestigia talia sunt, vt cum pedib. carere videātur, costis tamen & squamarum nisib. repunt, quas à summo gutture vsque ad imam aluum parili modo dispositas habent. Squamis enim, quasi vnguibus, costis, quasi cruribus, innituntur. Vnde si in qualibet corporis parte ab aluo vsque ad caput ictu aliquo collidatur, debilis reddita cursum habere non potest: quia vbicunque ille ictus inciderit, spinam soluit, per quam costarum pedes & motus corporis agebantur. Serpentes autem diu viuere dicuntur, adeo vt, deposita veteré tunica, senectutem deponere, atque in iuuentam redire perhibeantur. Tunicæ serpentum exuuiæ nuncupantur, eo quod his, quando senescunt, sese exuunt, quibus exuti in iuuentam redeunt. Dicuntur enim exuuiæ & induuiæ, quia exuuntur & induuntur. Pythagoras dicit, de medulla hominis mortui, quæ in spina est serpentem creari. Quod etiam Ouidius in Metamorfoseon libris commemorat dicens: *Sunt qui clauso putrefacta spina sepulcro mutari credunt humano sanguine medullas.* Quod si creditur, merito euenit: vt sicut per serpentem mors hominis: ita & hominis morte serpens. Fertur autem, quod serpens hominem nudum non sit ausus contingere. Prudens lector, cognitis hiis serpentium generibus atque effectibus, quando de eis in scripturis legas, non te pigeat temptare, si aliquid possis in spiritalem sensum inde redigere.

Capit. III.

De vermibus.

VErmis est animal, quod plerumque carne vel de ligno vel de quacunque re terrena sine vllo concubitu gignitur: licet nonnunquam & de ouis nascantur, sicut scorpio. Sunt autem vermes aut terræ, aut aquæ, aut aeris, aut carnium, aut frondium, aut lignorum, aut vestimentorum. Aranea, vermis aeris, ab aeris nutrimento cognominata, quia exiguo corpore longa fila deducit, & telæ semper intenta, nunquam desinit laborare, perpetuum sustinens in sua arte dispendium. Sanguisuga, vermis aquatilis, dicta, quod sanguinem sugit. Potantibus enim insidiatur. Cunque labitur faucibus, vel vbi vspiam adhæsescit, sanguinem haurit, & cum nimio cruore maduerit, euomit, quod hausit. ita vt recentiorem denuo sugat. Cantarida, vermis terrenus, qui cum humano corpori fuerit applicatus, statim sua adustione vesicas facit plenas humore. Multipes, vermis terrenus, ex multitudine pedum vocatus, qui contactus in globum complicatur, nascitur sub petris ex humore & terra. Limax, vermis limi, dictus, quod in limo vel de limo nascatur. Vnde & sordida semper & inmunda habetur. Bombyces, frondium vermes, ex cuius textura bombycinum conficitur. Appellatus autem hoc nomine ab eo, quod euacuetur, fila generat, & aer solus in ea remaneat. Eruca, frondium vermis, in olus vel pampino inuoluta, ab erodendo dicta. De quo meminit Plautus: *Imitatus nequam bestiam & maleficam inuolutam in pampino implicat.* Sed idem nec aduolat, vt locusta, vt huc illucque discurrens semipasta dimittat: scilicet permanet perituris frugibus, & tardo lapsu pigris morsibus vniuersa consumit. Teredonas græci vocant lignorum vermes, quod terendo edant. Hos nos thermites dicimus (ita enim apud latinos ligni vermes vocantur) quos tempore importuno cæsæ arbores gignunt. Tinea, vestimentorum vermis, dicta, quod teneat & eo vsque insideat, quo erodat. Vnde pertinax, quod in eandem rem identidem vrgeat. Vermes carnium, hemicraneus, lumbricus, ascaridæ costi peduculi. pulices, lendix, tarmus ricinus, vsia, cimex. Hemicraneus, vermis capitis vocatur. Lumbricus intestinorum dictus, quasi lumbicus, quia labitur, vel quod in lumbis sit. Ascaridæ costi peduculi, vermes cutis à pedibus dicti. Vnde & peduculosi dicuntur, quibus peduculi in corpore efferuescunt. Pulices vero vocati sunt, quod ex puluere magis nutriantur. Lendix idem, quod tarmus à lende. Tarmus vermis est lardi. Ricinus vermis canis vocatus eo, quod erit in auribus canum. Cenos enim græce canis est. Vsia est vermis porci, appellata, quia vrit. Nam vbi momorderit, adeo locus adet, vt ibi vesicæ fiant. Cimex de similitudine cuiusdam herbæ vocatus, cuius fœtorem habet. Proprie autem vermis in putredine carnis nascitur. Tinea in vestimentis, eruca in olere, teredo in ligno, tarmus in lardo. Vermis non, vt serpens, apertis passibus vel squamarum nisibus repit, quia non est illi spinę rigor, vt colubri, scilic. in directum corculi sui partes gradatim porrigendo, contractas contrahendo, porrectas motum explicat, sicque agitatus perlabitur. Vermis autem mystice Christus pro humilitate assumpti hominis intelligi

[Psal. 21.] potest, vt est illud in Psalmo: *Ego sum vermis & non homo.* Aut memoria animi peccatoris in inferni pœna constitu-

[Esai. 66.] ri, de quo scriptum est: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Aranea vero humanam fragilitatem

[Psal. 38.] significat. Vnde est illud in Psalmo: *Et tabescere fecisti, sicut araneam, animam eius.* Aranea vero corpus habet tenue, in terra non habitat, sed per loca altiora telas quasdam tenuissima viscerum digestione contexit: sicut & à quibusdam vermibus sericum dicitur exfiliari. Huic ergo exiguo corpusculo recte conuersi & afflicti anima comparatur, quæ longis obseruationibus vigiliisque fatigatur, terrena deserens, subtilissimas operationes virtutum diuino timore viuificatas efficit. Post hæc reuertitur ad illud suæ propositionis initium, quæ licet inerepetur, licet tabefiat: tamen fragilitate humanitatis sc. diuersarum varietate confunditur aduersitatum. Item a-

[Psal. 59.] ranea fraudem diaboli designat, vt in Esaia: *Telas araneæ texuerunt.* Sanguisuga vero diabolus est. Vnde est illud

[Prou. 30] in prouerbiis: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: affer, affer.* Diaboli ergo filiæ sunt luxuria & auaritia, quibus sanguinolentus hostis humanum genus infestat. Eruca similiter potest significare diabolum, qui germina virtutum in homine crescentia malis suasionibus rodere & viciis prauis extirpare non cessat. In scripturis ergo sacris, vbi de tinea & ærugine mentio fit, mysticus in eis quærendus est sensus. Nam iuxta allegoriam ærugo potest significare arrogantiam atque iactantiam. Quæ vbicunque fuerit, omnem decorem & robur virtutum obfuscat, ac thesaurum spiritalium donorum dissipat.

[Psal. 32.] Vnde propheta dicit: *Deus dissipat ossa hominum sibi pla-*

[Luc. 16.] *centium: & omnis arrogantia abominatio est apud Deum.* Tinea autem intestinum vicium animi significat. Vnde

[Matt. 6.] Dominus ait in Euangelio: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Tinea vero, quæ vestes latenter corrodit, designat inuidiam, quæ studium bonum lacerat, & comparationem vnitatis demoliri non cessat. Fures namque dæmones atque hæretici sunt, de quibus Veritas

[Ioan. 10.] ait: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.*

Capit. IV.

De piscibus.

PIsces inde dicti, vnde pecus, à pascendo scilicet. Reptilia dicuntur hæc, quæ natant eo, quod reptandi habeant speciem & naturam: quamuis se in profundum inmergant, tamen in natando repunt. Vnde & Dauid

[Psal. 103.] ait: *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus.* Anfiuia sunt quædam genera piscium, inde dicta eo, quod ambulandi in terris vsum, & natandi in aquis officium habeant. Anfi enim græce vtrunque dicitur, id est, quia & in aquis & in terris viuunt, vt focæ crocodili, hippotami, hoc est, equi fluuiales Pecoribus autem & bestiis & volatilibus antea homines nomina imposuerunt, quam piscibus, quæ prius visa & cognita sunt. Piscium vero postea paulatim cognitis generibus nomina instituta, aut ex similitudine terrestrium, vt ranæ, & vituli, & leones, & nigri meruli, & paui diuerso colore dorso & collo picti, & turdi albi & varij, & cerera, quæ sibi iuxta species terrestrium animalium nomina vendicauerunt ex moribus terrestrium, vt canes in mari à terrenis canibus nuncupati, quod mordeant: & lupi, quod improba voracitate alios persequantur. à colore, vt vmbræ, quia colore vmbreę sunt: & auritatæ, quia in capite auri colorem habeant: & varij à varietate, quos vulgo tructas vocant figura vt orbis, qui rotundus est, totusque in capite constat: vt solea, quod sit instar calciamentorum solida: à sexu, vt musculus, quod sit ballenæ masculus. Eius enim coitu concipere hæc belua perhibetur. Hinc musculi coclearum, quorum lacte concipiunt ostreæ. Ballenæ autem sunt immensæ magnitudinis bestiæ, ab emittendo & fundendo aquas vocatæ. Cæteris enim bestiis maris altius iaciunt vndas. Bal enim græce emittere dicitur. Cete dictæ, hoc est. ob immanitatem. Sunt enim ingentia genera beluarum, & æqualia montium corpora: qualis cetus excepit Io-

[Ioan. 2.] nam, cuius aluus tantæ magnitudinis fuit, vt instar obtineret inferni dicenti propheta; *exaudiuit me de ventre inferi.* Equi marini, quod prima parte equi sunt, postrema soluuntur in piscem. Bocas discunt esse boues marinos, quasi boacas. Cærulei à colore appellati: nam cæruleum est viride cum nigro, vt est mare. Delfines certum habent vocabulum, quod voces hominum sequantur, vel quod ad symphoniam gregatim conueniunt. Nihil in mari velocius istis: nam plerunque salientes naues transuolant. Quando autem præludunt in fluctibus, & vndarum se molibus saltu præcipiti feriunt, tempestates significare videntur. Hij proprie Simones nominantur. Est & delfinũ genus in Nilo dorso serrato, * ꝙ croco-

[* quo]

dilorum tenera ventrium secantes interimunt. Porci marini sunt, qui vulgo vocantur, vt suilli. Qui dum escam quærunt more suis, terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis inmergant, pastum non colligunt. Crocodilus a croceo colore dictus. Gignitur in Nilo, animal quadrupes in terra & in aquis valens, longitudine plerunq; viginti cubitorum dentium & vnguium immanitate armatum, tantæque cutis duritia, vt quamuis fortium ictus lapidum tergo repercutiat. Nocte in aquis, die humi quiescit. Oua in terra fouet, masculus & fœmina vices seruant. Hunc quidam pisces, serratam habentes cristam, tenera ventrium desecantes, interimunt. Solus ex animalibus superiorem maxillam mouere dicitur. Ippotamus vocatus, quod sit equo similis dorso, iuba & hinnitu, rostro resupinato à primis dentibus, cauda tortuosa, die in aquis commoratur, nocte segetes depascitur. Et hunc Nilus gignit. Mullus vocatus, quod mollis sit atque tenerrimus: cuius cibo tradunt libidinem inhiberi, aciem autem oculorum hebetari. homines vero, quibus sæpe pastus, piscem olent. Mullus in vino necatus hij, qui inde biberint, tædium vini habent. Mugillus nomen habet, quod sit multum agilis. Nam vbi dispositas senserit piscatorum insidias, confestim retrorsum rediens, ita transilit rete, vt volare piscem videas. Anguillæ similitudo anguis nomen dedit. Origo eius ex limo. Vnde & quando capitur, adeo lenis est, vt quanto fortius presseris, tanto citius elabatur. Ferunt autem Orientis fluuium Gangen anguillas tricenis pedibus gignere. Anguillæ vino necatæ: qui ex eo biberint, tædium vini habēt. Draco marinus aculeos in branciis habet ad caudam spectantes, qui dum percusserit, quaqua ferit, venenum fundit: vnde & vocatus. Mutenam græci minanam vocant eo, quod complicet se in circulos. Hanc fœminini tantum esse sexus tradunt, & concipere à serpente. Ob id à piscatoribus, tanquam à serpente, sibilo vocatur & capitur: ictu autē fustis difficulter interimitur: Conchæ & cocleæ hac ex causa vocatæ, quia deficiente luna cauantur, i.e. euacuantur. Omnium enim clausorum maris animalium atq; concharū incremento lunæ membra turgescunt, defectu euacuantur. Luna enim cum in augmento fuerit, auget humorem cum vero in defectus venerit, humores minuuntur. Hoc enim physici dicunt. Conchæ autem primæ positionis nomen, cocleæ vero per diminutionem quasi conchulæ. Concharum multa genera sunt, inter quas & margaretiferæ quæ cocleæ dicuntur, in quarum carne preciosus calculus solidatur. De quibus tradunt hij, qui de animantium scripsere naturis, eo quod nocturno tempore litora appetunt, & ex cœlesti rore margaretum concipiunt. Vnde & cœloe nominantur. Murice cochlea est maris, dicta ab acumine & asperitate, quæ alio nomine conchylium nominatur. Propter quod circumcisa ferro lacrimas purpurei coloris emittat, ex quibus purpura tinguitur, & inde ostrum appellatum, quod hæc tinctura ex teste humore elicitur. Cancros vocari, quæ conchæ sunt, crura habentes, inimica ostreis animalia. Eorum enim carnibus viuunt miro ingenio. Quæ cum validam testam eius apetire non potest, explorat, quando ostrea claustra testarum aperiat, tunc cancer latenter lapillum inmicit, atque impedita conclusione ostreæ carnes erodit. Tradunt quidam, decem cancris cum ozimi manipulo alligatis, omnes, qui ibi sunt, scorpiones ad eum locum coituros. Duo sunt autem genera cancrorum: fluuiales & marini. Ostrea dicta est a testa, * quibus mollicies interior carnis munitur. (* qua) Græci enim testam ostrea dicunt. Ostrea autem neutro, carnes eius fœminino genere dicuntur. Musculi sunt (vt prædiximus) cocleæ, à quorum lacte concipiunt ostreæ, & dicti musculi, quasi masculi. Spungia a fingere dicta, id est, nitidare & extergere. Vnde Cicero: *Et fingebatur spungiis sanguis*, id est, extergebatur. Animal autē esse docetur cruore inhærente petris. Vnde & dum abscidit, sanguinem remittit. Spungia enim caua mystice significat dolosam infidelitatem Iudæorum, de quibus scriptum est in Euangelio: *Illi autem spungiam plenam aceto hisopo circumponentes* Matt. 27 *obtulerunt ori eius.* Nam de ipsis animantibus alia sunt viuentia in aquis & discurrunt, vt pisces: alia, quæ stant fixa, vt ostreæ, icini, spungiæ. Ex his alias mares dici eo, quod tenues sint fistulę, spissioresq; alias feminas, qui maiorib. sunt ac perpetuis, alias duriores, quas græci appellant tragos, & nos hircos has dicere possumus ob asperitatē sui: mollissimum genus earum penecilli vocantur eo, quod aptæ sint ad oculorū tumores, & ad extergendas lippitudines vtiles. Candidæ spungiæ cura fiunt. Per æstatem n. ad solem sternuntur, &, sicut cera punica, candorem bibunt. Animalium omnium in aquis viuentium nomina cētum quadraginta quatuor Plinius ait diuisa in beluarū generibus, serpentium communium terræ & aquæ, cancrorum, concharum, locustarum, poleridum, poliporum, solearum, lacertorum, vt loligo, & huic similia. Ex quib. multa quodam nature intellectu ordinem tēporum suorum agnoscūt: quædam vero in suis locis sine mutatione vagantur. In piscib. autem fœminis aliæ commixtione masculi concipiunt & pariunt catulos: aliæ ponunt oua sine masculi susceptione concepta, quæ iterū insequentis sui seminis tactu perfunduntur: & quæ hoc munere fuerint afflata, generabilia fiunt: quæ vero perfusa non fuerint, sterilia perseuerant aut putrescunt. Pisciū autem vocabulo aliquando boni homines, aliquando vero mali in scripturis designantur, vt est illud in Euangelio, quo Saluator in parabola de sagena missa in mari narrat, dicens: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset, educentes & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua: malos autem foras miserunt.* Matt. 13. Sub qua parabola sancta Ecclesia sagenæ comparatur, quæ & piscatorib. est commissa, & per eam quisq; ad æternum regnum à præsentis sæculi fluctib. trahitur, ne in æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum veniā sapientes & fatuos, liberos & seruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat. Sed huius hoc finem mundi indicat, sagena sanctam ecclesiam, quam trahebat. Et quidem boni pisces, h.e. boni homines, tunc recipiuntur in vasa, hoc est, in æternas ducentur mansiones: mali autem foras mittentur, in caminum, videlicet ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Possunt & pisces sapientes istius mundi significare, vt est illud psalterij: *Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitam maris.* Psal. 8. Volucres cœli, superbi homines, qui inflati vento iactātiæ, quasi per inane aeris efferuntur, & humilia despiciunt, cum altius eleuātur. Volucres n. à volatu crebro dictæ sunt. Pisces n. maris Philosophos fortasse significant, qui huius mundi naturam erratica curiositate pertractant. Nam sicut illi posita frōte itinera sibi teserant pelagi in vndatione confusa: ita & isti capite dimisso venas rerum ratione humana assiduo labore perquirunt. Sed cum sint pisces & fluminum, non vacat, quod hic posuit, *maris*, propter eos, qui sibi videntur esse sapiētes: verum isti tales, eorumq; similes Domini pedibus feliciter subiciuntur, quando ad Christianæ venerunt religionis affectum. Piscatores, Apostoli vel cæteri prædicatores. Vnde in Euangelio legitur: *Ite post me, & faciam vos piscatores hominum fieri.* Matt. 4. Et in malam partem per Esaiam: *Lugebunt piscatores.* Esai. 19. Pisces sancti. In Euangelio. *Et traxerunt rete plenum piscibus magnis.* Ioan. 21. Pisces reprobi. In euangelio. *Malos autem foras miserunt.* Matt. 13. & in Amos: *Sed & pisces maris congregabantur.* Ose. 4. Piscis, Dominus Iesus Christus tribulationis igne assatus. In Euangelio: *Posuerūt coram eo partem piscis assi, & fauum mellis.* Luc. 24. Pisces duo coniuncti quinque panibus, duo testamenta legis, vel duo charitatis præcepta, siue duæ personæ, regia & sacerdotalis. In Euangelio: *Et acceptis quinq; panibus & duobus piscibus.* Matth. 14 Hamus diuinitas Filij Dei, quæ carne induta latuit hamus in esca. De quo hamo Dominus ad Iob loquens ait: *Nunquid abstrahere poteris Leuiathan hamo tuo?* Iob 40. quia idem hostis antiquus humani generis, dum more piscis escam corporis Domini per passionem momordit, enecatus est per patientiam diuinitatis. Item in malam partem pro diabolo per Abacuc: *totum in hamo suo leuabit.* Abac. 1.

Capit. V.

De auibus.

VNum nomen auium, sed genus diuersum. Nam sicut specie sibi differunt, ita & naturæ diuersitate. Nam aliæ simplices sunt, vt columbæ: aliæ astutæ, vt perdix: aliæ ad manum se subiiciunt, vt accipiter: aliæ reformidant, vt garamentes: aliæ hominum conuersatione delectantur, vt hirundo: aliæ in desertis secretam vitam diligunt, vt turtur: aliæ solo semine reperto pascuntur, vt anser: aliæ carnes edunt & rapinis intendunt, vt miluus: aliæ incuriæ, quæ manent in locis semper. Aliæ aduentitiæ, quæ propriis temporibus reuertuntur, vt ciconiæ, hirundines: aliæ congregæ, id est, gregatim volantes, vt sturni & coturnices: aliæ soliuagæ, id est, solitariæ propter insidias deprædandi, vt aquilæ, accipitres, & quæcunque ita sunt: aliæ vocibus strepunt, vt hirundines; aliæ cantus edunt dulcissimos, vt cygnus & merula: aliæ verba & voces hominum imitantur, vt psittacus & pica. Sunt & alia sicut genere, ita & moribus innumerabilia. Nam volucrum quot genera sint, inuenire quemquam posse difficile est. Neque enim omnia Indiæ & Æthiopiæ aut Scythiæ deserta quis penetrare poterit, qui earum genus vel differentias nosset. Aues dictæ eo, quod vias certas non habeant, scilicet per auia quæque discurrunt. Aliter, quod alis alta intendant, & ad sublimia remigio alarum conscendant. Volucres à volando. Nam vnde volare, inde & ambulare dicimus. Vola enim dicitur media pars pedis siue manus, & in auibus vola pars media alarum, quarum motu pinnæ agitantur, inde volucres. Pulli dicuntur omnium auium nati, sed & animalium quadrupedũ nati, pulli dicuntur, & homo paruus pullus. Recenter igitur nati pulli eo, quod polluti. Vnde & vestis nigra, pulla dicta est. Alæ sunt, in quib. pennę per ordinem fixæ volandi exhibent vsum. Vocatæ autem alæ, quod his aues complexos alant pullos ac foueant. Pennæ à pendendo, id est, volando dictæ: vnde & pendere. Volucres enim pennarum auxilio mouentur, quando se aeri mandant. Pluma, quasi piluma. Nam sicut pili in quadrupedum corpore ita pluma in auibus. Auium autem nomina multa à sono vocis constat esse composita, vt grus, coruus, cygnus, pauo, miluus, vlula, cuculus, graculus, & cetera. Varietas enim vocis eorum docuit homines, quid nominarentur. Volucres angeli sunt, sicut in Iob pro origine sapientiæ volucres cœli nidos habere. Volucres homines superbi.
Psal.8. In psalterio: *Oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris.* Volatilia, Apostoli, vel omnes
Matt. 22. sancti. In Euangelio: *Tauri mei & volatilia occisa sunt*, i. patres noui & veteris testamẽti. Volatus, sanctorum ad Dn. Deum ascensus, vel in scripturis intellectus. In psalterio:
Ps.17. *Volabo & requiescam.* Aues autem siue volucres diuersas significationes habent. Aliquando enim significant Ange-
Eccl.10. los, vt est illud: *Aues cœli annunciant vocem eius*: aliquando sanctos homines, vt est illud de grano sinapis testimoni-
Matt.13. um *quod minimum est quidem omnib. seminibus: cum autem creuerit, maius omnib. oleribus est: & fit arbor, ita vt veniant volucres & habitent in ramis eius.* Prædicatio Euangelij minima est omnibus disciplinis corã oculis sapientium istius mundi: sed crescit in arborem, ita vt volucres cœli, quas vel animas credentium vel fortitudines Dei seruitio mancipatas sentire debemus, veniant & habitent in ramis eius. Ramos puto euangelicæ arboris, quæ de grano sinapis creuerit, dogmatum esse diuersitates, in quibus supradictarũ volucrum vnaquæq; requiescit. Aues sunt dæmo-
Apoc.19. nes. Vnde & in Apocalypsi omnibus auibus dicitur: *Aues, quæ volatis per medium cœlum, venite ad cœnam magnam Dei, vt*
Prou. 10. *manducetis carnes regum, &c.* Et in Salomone: *Qui innititur mendacio, hunc pascit ventus.* idem autem ipse sequitur aues volantes. Auis, Saluator. Vnde in Iob de Iudæa, quę in eũ
Iob 28. creditura non erat, dicitur: *Viam ignorauit auis.* Auis plebs
Esa.16. Iudæa In propheta *Facta est Sion sicut auis volans* De hac ple-
Deut. 22. be figuraliter in Deuteronomio præcipitur: *Si ambulaueris per viam, & in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrẽ pullis vel ouis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris captos tenens filios.* Quod de Apostolis intelligitur, qui ex eadem plebe per Christum Dn. assumpti sunt, illa vero relicta. Auis diabolus in Iob. *Nũquid illudes ei quasi* Iob. 40.
aui? Aliquando vero volucres significant malignos Spiritus, qui tollunt sementem in via positum, iuxta parabolã
Euangelicam. Via ergo mens est sedulo malarum cogita Luc. 8.
tionum meatu trita atq; arefacta, ne verbi semẽ excipere ac germinare sufficiat. atque ideo quicquid boni seminis vicinia talis viæ contigerit, perit, quia improbo pessimæ cogitationis transitu conculcatum à dæmonibus rapitur. Qui recte volucres cœli, siue quod cœlestis spiritalisque sunt naturæ, siue quod per aera volitant, appellantur. Alæ quippe in scripturis significant duo præcepta charitatis, quibus ad cœleste regnum conscenditur, sine duo testamenta, sicut in duabus alis cherubin, & in Ezechiele animalium, quæ duabus alis velabant corpus suum, ostenditur. Alæ sex, prædicatio diuina per vtrunq; testamentum in hoc mundo, qui in sex diebus factus est, adnunciata. In
Esaia: *Sex Alæ vni, & sex Alæ alteri.* Alæ superbia, sicut in Iob Esa.6.
pro hæretico dicitur: *Cum tempus aduenerit, in altum alas eri-* Iob.39.
git. Pennæ quoq; significant scripturas sacras, vt est illud
in Psalmo: *Pennæ columbæ deargentatæ.* Pennæ, animæ san- Ps.67.
ctorum sunt, vel virtutes eorum. In Psalmo: *Et volauit super* Ps.17.
pennas ventorum. Et alibi: *Si sumpsero pennas ante lucem.* Ni- Psal. 138.
dus ergo ecclesiam aut requiem sanctorum significat in excelso, vt est illud in Psalmo: *Passer inuenit sibi domum, &* Ps.83.
turtur nidum, vbi reponat pullos suos, hoc est, filios suos. Aliter nidus bona conscientia, in qua bonarum cogitationũ fœtus fouentur atq; in opera pariuntur, vt postea filij ap-
pellentur: vt est in Psalterio: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in* Ps.127.
circuitu mensæ tuæ. Aliquando vero pulli in malam partem
accipiuntur. vt est illud in Salomone: *Et pulli aquilarum de-* Prou.30.
uorent eum. Ouum (vt quidam volunt) spem significat. Vn-
de legitur in Euangelio: *Aut quis ex vobis si petierit patrem o-* Luc.11.
uum, nunquid porriget ei scorpionem? Oua, hæreticorum disci-
puli. In Iob: *Relinquet oua sua in terra.* Item oua prædicatio Iob 39.
hæreticorum. In Esaia: *Qui comederit de ouis eorum, morietur.* Esa.59.
Pulli sancti. In Psalmo: *Et turtur nidum, &c.* Et alibi: *Et pullis* Ps.83
coruorum inuocantibus eum, id est, fideles de infidelibus gen- Ps.146.
tibus. Pulli Aquilæ, fideles in Ecclesia, vt in Iob: *Pulli eius* Iob 39.
sanguinem lingent, id est, sacramenta passionis Domini. Aquila ab acumine oculorum vocata. Tanti enim contuitus esse dicitur, vt cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus: de tanta sublimitate pisciculos natare videat, ac tormenti instar descendens raptam prædam pennis ad litus pertrahat. Nam & contra radium solis fertur obtutum non flectere. Vnde & pullos suos vngue suspensos radiis solis obiicit: & quos viderit immobilem tenere aciem, vt dignos genere, conseruat: si quos vero inflectere obtutum quasi degeneres abiicit. In scriptura sacra vocabulo aquilæ aliquando maligni spiritus raptores animarum, aliquando præsentis seculi potestates, aliquando vero subtilissimæ sanctorum intelligentiæ, vel incarnatus Dn. ima celeriter transuolãs, & mox summa repetens designatur. Aquilarum nomine insidiatores spiritus exprimuntur, Hieremia atte-
stante, qui ait: *Velociores fuerint persecutores nostri aquilis cœli.* Thren. 4.
Aquilæ vocabulo potestas terrena figuratur. Vnde per
Ezechiel prophetam dicitur: *Aquila grandis magnarum ala-* Ezech. 7
rum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium eius euulsit. Aquilæ vocabulo vel subtilis sanctorũ intelligen-
tia, vel volatus Dominicæ Ascensionis exprimitur. Vnde Ezech. 1.
idẽ propheta cum sub animaliũ specie Euangelistas quatuor se videre describeret, in eis sibi hominis, leonis, bouis & aquilæ faciem apparuisse testatur, quartũ procul dubio animal Ioan. per aquilã signans, qui volando terrã deseruit: quia p subtilẽ intelligentiã interna mysteria verborum videndo penetrauit. Cunctarũ quippe auiũ visus acies aquilæ superat: ita vt solis radiis fixos in nulla se eius oculos lucis suæ coruscatione verberans claudat. Ad præceptũ ergo Dei eleuatur aquila, dũ iussionib diuinis obtẽperans in supernis suspenditur fideliũ vita quæ & in arduis nidũ ponere dicitur, quia terrena desideria despiciẽs, spe iã de cœlestib. nutritur. In arduis nidũ ponit, quia habitationẽ mẽtis suæ in abiecta & infima couersatione nõ
cõstrauit. Aquila Dn. in Deuteronomio: *Sicut aqla protegit* Deut 32.

nidum ſuum ſuſcepit eos. Aquila, Diuinitas Filij Dei. In Sa-
Prou. 30. lomone: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro,*
Iob. 39. *&c.* Aquila ſancti in Iob: *Nunquid ad præceptum tuum eleua-*
bitur aquila, & in arduis ponet nidum ſibi? Et in Euangelio le-
Mat. 24. gitur: *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*
Ezech. 17. Aquila diabolus vel antichriſtus. In Ezechiel: *Et ecce a-*
quila vna grandis. Aquila, gens impia, vel ciuitas in aliorum
depredatione decurrens. Et per Michæam contra Sama
Mich. 1. riam dicitur: *Dilata, ſicut aquila, caluicium tuum.* Vultur à
volatu tardo nominatus putatur. Magnitudine quippe
præperes volatus non habet. Harum quaſdam dicunt cõ-
cubitu non miſceri, & ſine copula cõcipere & generare,
natoſq; earum pene vſque ad centum annos procedere.
Vultures autẽ ſicut & aquilæ, etiam vltra maria cadauera
ſentiũt altius quippe volantes, multa quæ montiũ obſcu
ritate celantur, ex alto illæ cõſpiciunt. Recte ergo Media-
tor Dei & hominũ, Redemptor noſter, vulturis appella-
tione ſignatur, qui manens in altitudine diuinitatis ſuæ
quaſi à quodã volatu ſublimi cadauer mortalitatis noſtræ
cõſpexit in infimis, & ſeſe de cœleſtibus ad ima ſubmiſit.
Fieri quippe propter nos homo dignatus eſt & dum mor
tuum animal petiit, mortem apud nos, qui apud ſe erat
immortalis, inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit ipſa
intentio noſtræ reſurrectionis: quia ipſe admortuus ab
æterna nos morte liberauit. Ille ergo perfidus Iudæorum
populus mortalem vidit: ſed quod morte ſua noſtram
mortem deſtrueret, minime attendit. Semitam igitur
ignorauit auis, nec intuitus eſt oculos vulturis: quia etſi
vidit eum, quem in morte tenuit, videre noluit, quanta
vitę noſtræ gloria de eius morte ſequeretur. Vnde ad cru-
delitatem quoq; perſecutio exarſit, verba vitæ percipere
renuit prædicatores regni cœlorũ, prohibendo, ſæuien-
do, feriendo repulit. Vultur peccator prædam de aliena
Leuit. 11. morte rapiens, vt in Leuitico: *Vulturem & ſimilem eius ne co-*
medas. Grues de propria voce nomen ſumpſerunt. Tali
enim ſuſurrant ſono. Hæ autẽ dum properant, vnam ſe-
quuntur ordine literato. De quibus Lucanus: *Et turbata*
perit diſperſis litera pennis. Excelſa autẽ petũt, quo facilius vi-
deant, quas petunt, terras. Caſtigat autẽ voce, quæ cogit
agmẽ. At vbi rauceſſit, ſuccedit alia. Nocte autẽ excubias
diuidunt, & ordinem vigiliarũ per vices faciunt, tenentes
lapillos ſuſpenſis digitis, quibus ſomnos arceant. Quod
cauendũ erit, clamore indicant. Ætatẽ in illis color pro-
dit: nam ſenectute negreſcũt. Grues quippe illos ſignifi-
care poſſunt, qui in cœnobiis communiter viuẽtes, vnius
tamen ductũ ſequi non ſpernunt vigilias exercent, & pro
inuicẽ ſolliciti nocturnos cantus in pſalmodiis edere nõ
ſegnes fiunt. Vnde dicitur: *grues vnã ſecuntur & literato or-*
dine volant. Ciconiæ vocatæ à ſono, quo crepitãt, quaſi ci-
caniæ, quem ſonũ oris potius eſſe q̃ vocis, quia eum qua-
riente roſtro faciũt. Hæ veris nunciæ ſocietatis comites,
ſerpentiũ hoſtes maria tranſuolãt, in Aſiã collecto agmi-
ne pergũt. Cornices duces eas præcedũt, & ipſe quaſi ex-
ercitus proſequitur. Eximia illis circa filios pietas. Nam
adeo natos impenſius fouent, vt aſſiduo incubitu plumas
exuant. Quantũ autẽ tempus impẽderint in fœtibus edu
candis, tantũ & ipſæ inuicẽ à pullis ſuis aluntur. Ciconia
igitur prouidos homines ſignificat & cautos ſeruos Dei
in cõuerſatione ſua, qui perſecuntur ſerpentes, & venena
eorũ pro nihilo ducũt: quia malignos ſpiritus cũ veneno-
ſis ſuggeſtionibus ſuis inſectantes ad nihilũ redigunt. De
Ierem. 8. quibus & Hierem. ait: *Turtur & hirundo & ciconia cognoue-*
rũt tempus aduentus ſui, h.e. tempus, quo S. Eccleſia in aduẽ-
tu Saluatoris cõgreganda erit in vnũ. Olor auis eſt, quem
græci cygnũ appellant. Olor autẽ dictus, q; ſit totus plu-
mis albus. Nullus enim meminit cygnũ nigrum. Olor e-
nim græce totũ dicitur. Cygnus autẽ a canendo eſt appel-
latus, eo q; carminis dulcedinẽ modulatis vocibus fundit.
Ideo autem ſuauiter eum canere, quia collum longum &
inflexum habet. & neceſſe eſt eluctantẽ vocem per lon-
gum & flexuoſum iter varias reddere modulationes. Fer-
tur in hyperboreis partibus præcinentibus citharœdis o-
lores plurimos aduolare, apteq; ad modũ concinere. O-
lores autem latinũ nomen eſt: nam græce cygni dicuntur.
Nautæ vero ſibi hunc bonã prognoſin facere dicunt, ſi-
cut Emilius ait: *Cygnus ſemper latiſſimus ales. Hunc optant nau-*
tæ, quia ſe non mergit in vndas. Cygnus ceruicis altæ, ſuperbia
exprimitur. Strutio græco nomine dicitur. Quod animal
in ſimilitudine auis pennas habere videtur, tamen de ter-
ra altius non eleuatur. Oua ſua fouere negligit, ſed proie-
cta tantummodo fotu pulueris animantur. Per ſtrutio-
nem myſtice hypocritæ ſignificantur. Vnde per Prophe-
tam dicitur: *Glorificauit me beſtia agri, dracones & ſtrutiones.* Eſa. 43.
Quid enim draconum nomine, niſi in aperto malitioſæ
mentes exprimuntur, quæ per terram ſemper infimis co-
gitationibus repunt? Quid vero per ſtrutionis vocabulũ,
niſi hii, qui ſe bonos ſimulant, deſignantur, qui ſanctitatis
vitam, quaſi volatus pennam, per ſpeciẽ retinent & per
opera nõ exercent? Glorificat; itaq; ſe Dominus à draco-
ne vel ſtrutione aſſerit, quia & aperte malos & ficte bo-
nos plerunq; ad ſua obſequia ex intima cogitatione con-
uertit. Vel certe agri beſtia dominũ, i. e. dracones ſtrutio-
neſq; glorificant, cum fidẽ, quæ in illo eſt, ea, quæ in hoc
mundo dudũ membrũ diaboli fuerat, gentilitas exaltat.
Quapropter malitiã draconũ nomine exprobrat, & pro-
pter hypocriſin vocabulo ſtrutionum notat. Quaſi enim
pennas accepit gentilitas, ſed volare non potuit, quæ &
naturã rationis habuit, & actionẽ rationis ignorauit. Po-
teſt etiam ſtrutio hæreticos vel philoſophos ſignificare,
qui cum pennis ſapientiæ ſe exaltare volunt, ſed tamen
nõ euolant. Vnde in Eſaia legitur: *Et erit cubile draconum, &*
paſcua ſtrutionum. Ardea vocata, quaſi ardua, i.e. propter Eſa. 34.
altos volatus. Lucanus: *quodq; auſa volare ardea*: formidat
enim imbres, & ſuper nubes euolat, vt procellas nubium
ſentire nõ poſſit: cum autẽ altius volauerit, ſignificat tem-
peſtatem. Hanc multi Tantalũ nominant. Hæc auis po-
teſt ſignificare animas electorũ, quę formidantes pertur-
bationẽ huius ſeculi, ne forte procellis perſecutionũ, in-
ſtigante diabolo, inuoluãtur, intentionẽ ſuam ſuper om-
nia temporalia ad ſerenitatem patriæ cœleſtis, vbi aſſiduẽ
Dei vultus cõſpicitur, mẽtes ſuas eleuant. Phœnix Arabię
auis, dicta, q; colorẽ phœniceum habeat: vel q; ſit in toto
orbe ſingularis & vnica: nam Arabes ſingularẽ phœnicẽ
vocant: hæc quingentis vltra annis viuens, dum ſe viderit
ſenuiſſe, collectis aromatũ virgultis rogum ſibi inſtruit,
& conuerſa ad radium ſolis alarum plauſu voluntariũ ſibi
incendiũ nutrit: ſicq; iterũ de cineribus ſuis reſurgit. hæc
etiam poteſt ſignificare reſurrectionẽ iuſtorum, qui aro-
matibus virtutum collectis inſtaurationẽ prioris vigoris
poſt mortem ſibi præparant. Cinnomolegus & ipſa Ara-
biæ auis, proinde ita vocata, quod in excelſis nemoribus
texerit nidos ex fruticibus cinnami: & quoniam nõ poſ-
ſunt ibi homines conſcendere propter ramorũ altitudi-
nem & fragilitatẽ, eoſdem nidos plumbatis appetunt ia-
culis, ac ſic cinnamaſilla deponunt, & preciis ampliori-
bus vendunt: eo q; cinnamũ magis quam alia mercatores
probent. Pſittacus in Indiæ litoribus gignitur, colore vi-
ridi, torque puniceo, grandi lingua, & ceteris auibus la-
tiore: vnde & articulata verba exprimit, ita vt ſi ea non
videris, hominem loqui putes: ex natura autem ſalutat,
dicens: aue, vel chære: cetera nomina inſtitutione diſcit.
Hinc eſt illud:

Pſittacus à nobis aliorum nomina diſcat:
Hæc per me didici dicere: Cæſar aue.

Alcyon, Pelagi volucris, dicta quaſi ales oceanea eo, quod
hieme in ſtagnis oceani nidos facit, pulloſque educit, qua
excubante fertur extento æquore pelagus ſilentibus ven-
tis ſeptem dierum tranquillitate mireſcere, & eius fœti-
bus educandis obſequium ipſa rerum natura præbere.
Onocraculus auis eſt roſtro longo, quam græci onocro-
colon vocant. Crocodilus genus volatile, dictum, quaſi
cor edens. Veſpertilio ex tempore nomen accepit eo, q;
lucem fugiens crepuſculo veſpertino circumuolat, præ-
cipitato motu acta, & tenuiſſimis brachiorũ membris ſu-
ſpenſa, animal murium ſimile, non tam voce reſonans
quam ſtridore: ſpecie quoq; volatilis ſimul & quadrupes,
quod in aliis auibus reperiri nõ ſolet. Veſpertiliones ſunt
idolorum monſtra tenebris dedita, vt in Eſaia legitur: *vt* Eſa. 2.
adoretis talpas & veſpertiliones. Noctua dicitur pro eo, q; no-
cte volat & per diem nõ poſſit videri. Nam exorto ſplen-

dore solis visus illius habeatur: hanc autem insula Cretensis non habet, & si veniat aliunde, statim moritur. Noctua à quibusdam dicitur coruus marinus. Noctua autem non est bubo. Nam bubo maior est. Noctua homines, veritatis lucem fugientes, tenebris obligatos significat. Vnde in Leuitico hæc auis vesci prohibetur. Bubo a sono vocis compositum nomen habet, auis feralis, onusta quidem plumis, sed grauis semper detenta pigritia in sepulchris die noctuque versatur, & semper commorans in cauernis. De qua Ouidius:

Fataque volucris venturi nuncia luctus.
Ignarus bubo dirum mortalibus omen.

Denique apud augures malum portendere fertur. Bubo tenebris peccatorum deditos & lucem iustitiæ fugientes significat. Vnde inter immunda animalia in Leuitico deputatur. Lucina auis inde nomen sumpsit, quia cantu suo significare solet diei surgentis exortum, quasi lucinia, eadem & acedula. De qua Cicero in prognosticis:

Et matutinis exercet acredula cantus.

Hæc forsan sanctos prædicatores typice significare potest, qui futuræ lucis exortum pronunciant & ad eius aduentum animo vigilanti intendere fideles quosque exhortantur. Vlula auis à planctu & luctu nominata. Cum enim clamat, aut fletum imitatur, aut gemitum. Vnde & apud augures si lamentetur, tristitiam: tacens ostendere fertur prosperitatem. Quæ auis significare potest vlulatum peccatorum in inferno. Vnde Propheta, quando fit mentio Babyloniæ vastationis. *Vlula in ædibus eius commorari perhibentur. sunt & onacraculus & ericius.* Esa. 13. Graculus à garrulitate nuncupatus, non (vt quidam volunt) pro eo quod gregatim volent, cum sit manifestum ex voce eos nuncupari. Est enim loquacissimum genus, & vocibus importunum. Quod vel philosophorum vanam loquacitatem, vel hæreticorum verbositatem noxiam significare potest. Picæ, quasi poeticæ, quod verba in discrimine vocis exprimant, vt homo. Per ramos enim arborum pendulæ importuna garrulitate sonantes. Et si linguas in sermone nequeunt explicare, sonum tamen humanæ vocis imitantur. De qua congrue quidam ait:

Pica loquax certe Dominum te voce saluto,
Si me non videas, esse negabis auem.

Picus à Pico Saturni filio nomen sumpsit, eo quod ea in auspiciis vtebatur. Nam fertur hanc auem quoddam habere diuinum illo indicio, quod in quacunque arbore nidificauerit, clauum vel quicquid aliud fixum diu hærere non potest, quin statim excidat, vbi ea insederit. Sed de hoc sentiat quisque, quod velit. Nam sonus vocis eius loquacitatem hæreticorum potest significare, vel philosophorum: sicut superius de graculo diximus. Pauo nomen de sono vocis habet. Cuius caro tam dura est, vt putredinem vix sentiat, nec facile coquatur. De quo quidam sic ait:

Miraris quotiens gemmantes expandit alas,
Si potes huns sæuo tradere cura coco.

Pauo quidem, qui Salomoni à longinquis regionibus ductus est, & diuersos colores in pennis habet, significat populum gentilem de longinquis partibus terræ ad Christum venientem, qui etiam eius gratia multarum virtutum ornatu resplendet. *Gallus* a castratione vocatus. Inter ceteras enim aues huic soli testiculi adimuntur. Veteres enim abscisos *gallos* vocabant. Sicut autem à leone leæna, à dracone dracæna: ita à gallo gallina. Gallus virum sanctum aut doctorem euangelicum significat, qui sub caligine istius mundi positus futuram lucem vitæ æternæ pronunciat. De quo per Salomonem dicitur: *Gallus accinctus, nec est rex, qui resistat ei.* Prou. 30. Et in Iob. *Quis dedit*, inquit, *gallo intelligentiam?* Iob. 38. Item in aliam partem gallus ponitur, vt est illud Isaiæ: *Asportari te faciam, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Esa. 22. Gallina significat sapientiam, siue sanctam ecclesiam, seu animal iustum, vt est illud Dominicum testimonium ad Hierusalem: *Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti.* Matt. 23. *Anser* ab assiduitate natandi aptum nomen sumpsit. Ex quo genere quædam germanæ dicuntur, quo plus ceteris nutriant. Anseris nomen anas dedit per continuationem, vel ad similitudinem, vel quod & ipsum natandi frequentiam habeat. Iste vigilias noctis assiduitate clangoris testatur. Nullum autem animal ita odorem hominis sentit, vt anser. Vnde & clangore eius gallorum ascensus in Capitolio deprehensus est. Hæc prouidos homines & erga custodiam suam bene vigilantes significare potest. *Mergus* ab assiduitate mergendi nomen hoc est quia sæpe dimisso capite in profundo aurarum signa sub fluctibus colligunt, & præuidentes æquoris tempestatem cum clamore ad litora tendunt. *Mergus* homo luxuriosus, libidini carnis semper intentus: quod in Leuitico demonstratur. Fulica mansueta auis & nigra est, anati quidem paruior, sed corporis compositione consimilis, quæ in stagnis delectabiliter commoratur. Est autem auis stagnensis, habens nidum in medio aquæ, vel in petris, quas aquæ circumdant, maritimoque semper delectatur profundo, quæ dum tempestatem persenserit, fugiens in vado ludit. Hæc ad baptizandos bene refertur, qui in sacratissimi fontis gratia perseuerant. Vnde scriptum est: Fulicæ domus dux est eorum scilicet qui omnium christianorum facet fons dux est, dum eos ad cœlorum regna perducit. *Turtur* de voce vocatur, auis pudica, & semper in montium iugis & in desertis solitudinibus commorans. Tecta enim hominum & conuersationem fugit & commoratur in siluis. Cuius econtrario columba hospitia humana diligit, domorum blanda semper habitatrix. Turtur corpus Christi significat, quod ecclesia est, propter gentium varietatem, de quo scriptum est: *Quam pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis!* Cantic. 1. Et in Psalmo: *Turtur nidum, vbi reponat pullos suos.* Psal. 83. Columbæ dictæ, quod earum colla ad singulas conuersiones colores mutent, aues mansuetæ, & hominum multitudine conuersantes, ac sine felle: quas antiqui venereas nuncupabant, eo quod nidos frequentant, & osculo amorem concipiunt. Columba Deus. In Hieremia: *A facie gladii columbæ vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient.* Ierem. 46. Columba Spiritus sanctus. In Euangelio: *Et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, super illum.* Matth. 10. Columba ecclesia propter simplicitatem cordis. In Canticis Canticorum: *Columba speciosa, auro gemmisque percincta.* Cant. 2. Columbæ Apostoli. In Isaia: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Esa. 60. Columba Iudæi. In Sophonia: *Væ prouocatrix columba non audiuit vocem.* Sophon. 3. Columba enim simplicitatem mentis significat. Duo pulli columbarum exprimunt duplex pœnitentiæ lamentum. Vnde legitur in Leuitico: *Si autem non valuerit manus eius offerre pecus, offerat vel duos turtures vel duos pullos columbarum.* Leuit. 5. Palumbes auis casta ex moribus appellatur, quod comes sit castitatis. Nam dicitur, quod, amisso corporali consortio, solitaria incedat, nec carnalem copulam vltra requirat. Turtur enim typum tenet sanctæ Ecclesiæ (sicut supra diximus) quoniam præter Christi Domini alterius nescit habere consortium. Similiter & columba Spiritum sanctum aut ecclesiam significat, de qua scriptum est: *Vna est columba mea, vna dilecta mea.* Cant. 6. Et iterum, *penna*, inquit, *columbæ deargentatæ*. Psal. 67. quia innocentiam habet columba, & diuinis eloquiis argenteo candore resplendet. Item in aliam partem columba ponitur, vt est illud Osee: *Effraim columba sine sensu, non habens cor.* Ose. 7. Rursum turtur Spiritum sanctum, aut virum sanctum, aut intelligentiam spiritalem designat, vt est illud in Canticis Canticorum: *Vox turturis in terra nostra audita est.* Cant. 2. Sed tunc columba Spiritus sanctus dicitur, quando scripturæ sacræ manifesta dissertio est: tunc vero turtur Spiritus sanctus intelligitur, cum scripturæ altis atque obscuris mysteriis eleuantur. Perdix de voce nomen habet, auis dolosa atque immunda. Nam masculus in masculum insurgit, & obliuiscitur sexum libido præceps. Adeo aut fraudulenta, vt alterius oua diripiens foueat: sed fraus fructum non habet. Denique dum pulli propriæ vocem genitricis audierint, naturali quodam instinctu hanc, quæ fouet, relinquunt, & ad eandem, quæ genuit, reuertuntur. Perdix ergo significat diabolum, de quo in Hieremia scriptum est: *Perdix fouet, quæ non peperit: facit diuitias suas non cum iudicio. In dimidio dierum suorum derelinquet eas.* Ierem. 17. Sic & diabolus per

principes hæreticorum congregauit populos, quos non peperit, & deceptorum sibi multitudinem consociauit, quos postea dimisit, & omnium iudicio stultissimus esse comprobatur. Coturnices à sono vocis dictas constat, quas græci ortygas vocant eo, quod visæ fuerint primum in Ortygia Insula. Hæc aduenīēdi habent tempora. Nam, æstate depulsa, maria transmeant. Ortygometra dicitur, quæ gregem ducit. Eam terræ propinquantem accipiter videns rapit: ac propterea cura est vniuersis, ducem sollicitare generis externi, per quem caueant prima discrimina. Cibos gratissimos habent semina venenorum. Quam ob causam eas veteres vesci interdixerunt. Solum enim hoc animal, sicut & homo, caducum morbum patitur. Coturnices quæ in Esu filiorum Israel datæ sunt, legis historicæ (vt quidam volunt) figuram habent: de quo legitur in Exodo. Passeres sunt volatilia à paruitate vocata: vnde & pusilli & parui. De quo in Psalmo scriptum est: (Psal. 83.) *Passer inuenit sibi domum.* Et alibi: (Psal. 101.) *Sicut passer vnicus in ædificio.* Et in aliam partem in Psalmo: (Psal. 10.) *Transmigra in montem sicut passer.* Item passeres sancti. In Psalterio: (Psal. 103.) *Illic passeres nidificabunt.* Passer est nimia velocitate celerrimus, qui in siluis habitare non patitur: sed domum sibi in parietum foraminibus desideranter exquirit, quam dum inuenerit, nimio gaudio lætus exultat, qui se diuersarum aduersitatum vlterius patere non credit insidiis. Sic anima iucundatur, dum in cœlorum regno mansionem suam senserit esse præparatam. Item passeres illi, qui in emundatione leprosi in Leuitico offerri iussi sunt sacramentū passionis Christi, in quo à sordibus peccatorum mundamur, designant. Quod ostendit Paulus dicens: (Rom. 6.) *Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* In hoc enim viuens passer & lignum cedrinum & coccinum tortum & ysopus tinguitur. Omnia enim hæc comprehenduntur in virtute baptismatis, quod diximus Dominicæ esse passionis figuram significationemque. Sed viuens passer, quem in vnigeniti necessariè diuinitate accipimus, in sanguine etiam hic occisi passeris & aqua tinguitur, id est, in gratia baptismatis: quia non in hominis passione, sed Dei & hominis baptizantur. Deinde post hoc viuens passer in agrum, vt volet, dimittitur. Ergo impassibilis diuinitas, & inseparabilis erat à carne, quæ passa est. Vnde & inseparabilis in sanguine baptizatur: vt inpassibilis viua in agrum auolet: ad latitudinem videlicet contemplationis emittitur, quo illum dimittente nostro videlicet intellectu, sub huius enim contemplatione tenetur. Est & alia passeris significatio, vt supra diximus. Vnde legitur: (Psal. 10.) *Transmigra in montem sicut passer.* Passerum quoque plura sunt genera. Alij gaudent ad foramina parietum. Alij valles roscidas requirunt: nonnulli montes appetunt squalentes. Sed de illis nunc dicit, qui ad altissima loca terrarum leuissima voluntate rapiuntur, vt his merito similes æstimentur, qui ad nequissimas prædicationes leuitate incōstantis animi transferuntur. Nam in Psalmo Propheta ita dicit: (Psal. 101.) *Similis factus sum pellicano in solitudine: factus sum sicut nocticorax in domicilio. Vigilaui & factus sum sicut passer vnicus in ædificio.* Per hæc nomina volucrum (vt arbitror) diuersa nobis pœnitentium genera declarantur. Pellicanus enim auis Ægyptia est, ciconiis corporis granditate consimilis, quæ naturali macie semper affecta est: quoniam (sicut physiologi volunt) renso intestino per viscera, quicquid escarum accipit, sine aliqua decoctione transmittit. Hinc fit, vt adipe proprio minime farciatur, quia paruissimo ciborum succo reficitur: quæ non gregatim, vt cæteræ aues volant, sed delectatione se solitaria consolatur. Eorum vnum genus dicitur esse, quod stagnis inhabitat: aliud (sicut dictū est) quod in desertis locis secretisq; versatur. Per hoc igitur auium genus pulcherrime significantur heremitæ, qui hominum consortio derelicto, timore Domini, remota se afflictione discruciāt. Sequitur: *Factus sum sicut nocticorax in domicilio.* Aliud genus introducitur pœnitentis. Nocticorax græco vocabulo dicitur noctis coruus, quem quidā bubonē, quidam noctuā esse dixerūt: alij magis coruo magnitudine & colore consimilem, quem specialiter in Asiæ partibus inueniri posse testatur. Istum sicut diei fulgor abscōdit, ita aduentus noctis producit: & contra consuetudines auium tunc magis vigilare & escas quærere incipit, quādo se in soporem animantia cuncta componunt. Ita & pœnitens iste nocturno tempore escas animæ sollicita curiositate perquirit, modo psalmodiæ operā dando, modo eleemosynas faciēdo, modo carceres occulte visitādo solū Deum vult habere testē, cui caligo noctiū nō tollit aspectū. Et nota, quia sicut pellicanus designat heremitā atq; solitariū: ita nocticorax illū declarat, qui se domicilio retinens à publica visione remotus est. Potest etiā nocticorax Christū vel virū sanctū significare in fidelibus despicabilē. Passer est auis parua, vt supra diximus: sed nimia sagacitate sollicita quæ nec facile laqueis irretitur, nec per ingluuiē ventris escarū ambitione decipitur. Hæc propter infirmitatem suam ne aut ipsa à prædatore capiatur, aut fœtus eius serpētinis deuorentur insidiis, inter aues vnica cautione munita ad domorū fastigia celsa concurrit: vt à suspectis casibus reddatur aliena, quæ multis periculis probatur obnoxia. Huic merito comparatur, qui diaboli insidias formidans specialiter ad ecclesiæ septa se cōferens, in eius fastigio vigilans tutissime perseuerat. *Vnicum* dixit propter caritatem, quæ ex multis vnum facit: *in ædificio* propter altitudinem fidei & fortitudinē mentis. Considerandū est etiam, quemadmodum iste supplicans à maioribus auibus, pellicano & nocticorace, cepit, & peruenit vsq; ad passeris minutissimam paruitatem: quoniam gradatim pœnitendo descendens primo loco grandis est, secundo mediocris, tertio consuetudine ipsa omnino tolerabilis. Hæ autem aues per figuram sunt parabolæ hominibus genere discrepantes, sed cōsuetudinum qualitate consimiles. Hirundo dicta, q cibos non sumat residens: sed in aere capiat escas & edat: garrula auis & per tortuosos orbes & flexuosos circuitus peruolans, & in nidis construendis educandisque fœtibus solertissima, habens etiam quoddam præscium quod lapsura deserat, nec appetat culmina: ab aliis quoq; auibus non impetitur, nec vnquam præda est. Maria transuolat, ibiq; hieme commoratur. Hirundo autem pœnitentium pro peccatis suis typum tenet, quæ stridore vocis ploratum magis quam melodiam sonat, & pro cantu gemitus edere solet, sicut & columba. Vnde Ezechias in oratione sua ait: (Esa. 38.) *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor, vt columba.* Lacrimis ergo suis pœnitens pascitur, & ad superna cor eleuans cœlestis cibi pabulum sibi quærit. Vnde & Propheta ait: (Psal. 41.) *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus.* Et iterum, (Psal. 101.) *sicut cinerem*, inquiens, *manducabam panem meum: & potum cum fletu temperabam à facie iræ & indignationis tuæ, quia eleuans elisisti me.* Vpupam græci appellant eo, quod stercora humana consideat, & fætenti pascatur fimo, auis spurcissima, cristis extantibus galeata, semper in sepulcris & humano stercore commorans. Hæc auis sceleratos & peccatores homines significat, qui sordibus peccatorum immorari assidue delectantur. Coruus siue corax nomen à sono gutturis habet, quod voce crocitet. Fertur hæc auis, quod editis pullis escam plene non præbeat, priusquam in eis per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris agnoscat. Postquam vero eos tetros plumis aspexerit in toto, agnitos abundantius pascit. Hic prior in cadaueribus oculum petit. Coruus nigredinem peccatorum vel dæmonum significat, vt est illud in Salomone: (Prou. 30.) *Effodiant eam corui de conuallibus.* Item coruus gentilem populum significat, vt est illud in Iob: (Iob. 39.) *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius ad Dominum clamant vagantes eo, quod non habeant cibos.* Pullis vero coruorum, filiis scilicet gentium, esca datur, cum eorum desiderium nostra conuersione reficitur. Rursum in bonam partem ponitur, vt est illud in Canticis Canticorum de sponso: (Cant. 5.) *Crines eius vt abietes nigri sicut corui.* Coruus Christus est in membris eius, hoc est, sanctis, vt in Canticis Canticorum: (Ibid.) *Coma eius sicut elata palmarum nigra quasi coruus.* Coruus nigredo peccati vel infidelitatis, vt in Psalmo: (Psal. 146.) *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* Coruus peccatoris tarditas ad pœnitentiam, & vana spe de die in diem differens, vt in Sophonia: (Sophon. 2.) *Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminaribus eius.* Cornix, annosa auis

apud latinos græco nomine appellatur, quam aiunt augures hominum curas significationibus agere, insidiarum vias monstrare, futura prædicere. Magnum ergo nefas est hæc credere, vt Deus consilia sua cornicibus mandet. Huic inter multa auspicia tribuunt etiam pluuias portendere vocibus. Vnde est illud:

Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Sed hæc incerta omittentes de certioribus scribere temptemus. *Milum* mollis & viribus & volatu, quasi mollis auis. Vnde & nuncupatus, rapacissimus tamen, & domesticis semper auibus insidiatur. Miluus significat vtpote rapacem vel elatum hominem, vt est illud in Psalmo secundum Hebræos: *Milui abies domus eius*. Accipiter auis animo plus armata quam vngulis, virtutem maiorem in minori corpore gestans. Hic ab accipiendo, id est, à capiendo nomen sumpsit. Est enim auis rapiendis aliis auibus auida: ideoque vocatur accipiter, hoc est raptor. Vnde
1. Cor. 11. & Paulus dicit: *sustinetis enim, si quis accipit.* * Vt enim di-
* Ne. cent, *si quis rapit*, dixit, *si quis accipit*. Ferunt autem accipitres circa pullos suos impios esse. Nam cum viderint eos posse temptare volatus, nullas eis præbent escas: sed verberant pennis & à nido præcipitant, atque teneros compellunt ad prædam, ne forte adulti pigrescant. Accipiter interdum sanctum virum significat, vtpote rapiens
Iob 39. regnum Dei. De quo scriptum est in Iob: *Nunquid in sapientia tua plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum?* id est, nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti, vt flante sancto Spiritu cogitationum alas expandat, quatenus pondera vetustæ conuersationis abiiciat, & virtutum plumas in vsum noui volatus sumat. Potest etiam per hunc accipitrem renouata gentilitas designari. *Capus* Italica lingua dicitur a capiendo. Hunc nostri falconem vocant, quæ & alio nomine dicitur herodius. Hæc auis etiam rapaces homines significare potest. Quod autem in Leuitico & in Deuteronomio quadam aues pro immun-
Leuit. 11. dis deputantur, ostendit scriptura dicens: *Omnes aues mun-*
Deut. 14. *das comedite: immundas ne comedatis, aquilam scilicet & grifen, & alietum, ixon & vulturem, ac miluum iuxta genus suum: & omne coruini generis, strutionem ac noctuam & larum atque accipitrem iuxta genus suum, herodium & cignum & ibin & mergulum, porphyrionem, & nycticoracem onacrotalum & caradrium, singula in genere suo: vpupam quoque & vespertilionem & omne quod reptat & pennulas habet immundum erit nec comedatur.* Inter illicita atque nimis euitanda connumerandum contemplationi vacantem quempiam tales habentem maculas quales per denumeratas aues legislator significat. Ait enim: *Aquilam & Grifen & alietum & miluum ac vulturem iuxta genus suum.* Rapaces & cibum alienum male sectantes, quæstibusque iniustis gaudentes per prædicta significat. Quia enim quidam inueniuntur in ecclesiis inter eos, qui putantur contemplationi operam dare, qui non quemadmodum debent ad hoc vacant, sed frustra
1. Tim. 6. inflantur: audi Paulum dicentem: *Si quis alia docet & non adquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum & qui à veritate priuati sunt, existimantes quæstum esse pietatem.* Hos ergo significant ea, quæ nunc denumerata sunt, animalia victum ex rapina conquirentia. Quædam autem ex his alias aues inuadunt & ex venationibus earum nutriuntur. Alia vero in domos
2. Tim. 3. ingredientia diripiunt, quæ repererint, ne quidē gerentium se obsoniis parcentia. Quibus sunt similes quidam, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quos Paulus arguit. Vultur rixis & bellis gaudet propter cadauera præliorum, intantum, vt etiam sequatur exercitum. Non ergo oportet aliorum casibus pasci atque nutriri eum, qui contemplationi dat o-
Genes. 8. peram. Coruini ergo generis animalia sunt affectionis expertia: quod manifestū est ex eo, quod emissus à Noe ex prima cum coruus auolatione transgressus est. Cui similis Iudas circa suum magistrum fuit & Dominum. Strutio auis quidem est, sed volare non potest, totamque vitam suam circa terram occupat: quales sunt quidam Deo militantes & seculi negotiis se implicantes. Noctuam vero, pro qua [illegible] glaucum dixerunt, hanc assirmant in nocte acuti esse visus, sole autem apparente minus vtilitate oculorum frui. Tales sunt qui legis gloriantur contemplatione & scientia, lucem euangelicæ conuersationis capere non valentes. Larus est animal in vtroque viuens, id est, aqua & terra: quia sicut auis quidem volat, vt aquatile autem natat. Cui non male comparantur hij, qui simul circumcisionem venerantur & baptisma. Ad quos Paulus dicit: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil pro-* Gal. 5.
dest. Accipiter autem inter rapaces aues est. Habet autem quiddam aliud, propter quod à legislatore positus est. Mansuescit quippe & cooperatur ad rapacitatem. Quem imitantur hii, qui mansueti quidem videntur esse, & sensu tranquilli: sunt autem cum potentibus & auaris atque rapacibus. Nycticorax animal est, quod in nocte tantummodo rapit atque operatur: sicut sunt gentes in intelligibilibus noctis operibus occupatæ: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia idolorum cultus & his similia. Ibis & porfirion, & quem 70. nominant pellicanus & cygnus & herodius & caradrius, longi esse colli, trahereque cibum ex altitudine terræ atque aquarum dicuntur. Quæ animalia imitari non debemus, nec de inferioribus euellere cibum, sed de cœlestibus. Ille siquidem contemplationi vacat, quia ad superiora mente contendit, & non solum intelligibilem, sed & sensibilem cibum
a Deo expectat. Vnde ait Dominus: *Nolite solliciti esse ani-* Matt. 6.
mæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Scit enim Pater vester cœlestis, quia omnibus his necesse habetis.
Vpupa lugubre animal, amansque luctum est. *Seculi au-* 2. Cor. 7.
tem tristitia mortem operatur. Propter quod oportet eum, qui diligit Deum, semper gaudere, sine intermissione orare, in omnibus gratias agere: quia gaudium spiritus fructus est. Vespertiliones circa terram volant: ita vt pennis pro pedibus vtantur, quando ambulant: quod indignum est in eis, qui contemplationi dant operam. Quorum enim est volatus circa terram, horum etiam contemplatio proculdubio in terrenis occupatur. Non ergo incredulus sis, nec dubites, quod etiam hæc, quæ nunc denumerata sunt, animalia ad ostensionem figuramq; eorum, à quibus abstinere debent contemplationi vacantes, posuit legislator. Sed inquies: Quomodo horum animalium non cibus, sed imitatio prohibetur, cum pellicano & nycticoraci Dauid Propheta semetipsum compara-
uerit, dicens: *similis factus sum pellicano in solitudine, factus sum* Psal. 101.
sicut nycticorax in domicilio. Per aquilam autem Moyses
ipsum significat Deum dicentem in Israel: *Quomodo por-* Deut. 32.
tauerim vos super alas aquilarum. Nam & Prophetæ leonem
Christum appellant. Leonem autem ediuerso esse Petrus 1. Pet. 5.
diabolum dicit: nec tamen secundum hoc leo Christus secundum quod diabolus dicitur. absit à nobis, absit ista impietas. Sed quia simul regium, nec non rapax atque immite est animal: cumque dignitatem laudabilem & vituperabilem tamen operationem generat: quod quidem laudabile habet, hoc in Christi regno accipitur: quod autem vituperabile in diabolo, id est rapacitas, immansuetudo. Quod & in aquila considerantes, sine aliqua dubietate reperimus. Propter altitudinem enim volatus figuram eius in Deum Moyses sumpsit. Quia vero rapax, à cibo eius abstinendum dixit. Propheta autem Dauid lugens hominem in peccato cōstitutum, nocticoraci hunc, sicut in nocte viuentem, comparauit. Per pellicanum autem, vtpote per animal amans solitudinē, figurauit eum, qui forsan amicis desolatus est, aut cognatis aliorumque similium societate destitutus. Augures autem dicunt, & in gestu & in motu & in volatu & in voce auium signa esse constituta. Oscines aues vocant, quæ ore cantuque auspicium faciunt, vt coruus, cornix, picus. Alites, quæ volatu ostendere futura videntur, quæ si aduersæ sunt inhebæ dicuntur, quod inhibeant, id est vetant: si prospere, præpetes: & ideo præpetes, quia omnes aues priora petunt volantes. Tertiam faciunt speciem augurorum in auibus, quam communem vocant, ex vtroque permixtam, id est, aues quæ ex ore & volatu auguria faciant. Sed fides Christi hæc non habet. Omnium autem genera vo-

fœtum bis nascuntur. Primum enim oua gignuntur. Inde calore materni corporis formantur & animantur. Oua autem dicta ab eo, quod sint vuida. Vnde & vua eo, quod intrinsecus humore sit plena. Nam humidum est, quod exterius humorem habet: vuidum, quod interius. Quidam autem putant ouum græcam habere originem nominis. Illi autem dicunt oa, v litera ablata. Oua autem quædam inani vento concipiuntur, sed non sunt generabilia, nisi quæ fuerint concubitu masculino concepta & seminali spiritu penetrata. Ouorum vim tantam dicunt vt lignum perfusum eo non ardeat. ac ne vestis quidem contincta adoratur. admixta quoque calce glutinare fertur vitri fragmenta.

CAPIT. VI.

De apibus.

APes dictæ vel quod se pedibus inuicem alligent, vel pro eo, quod sine pedibus nascuntur. Nam postea & pedes & pennas accipiunt. Hæ solertes in generandi mellis officio assignatas incolunt sedes, domicilia inenarrabili arte componunt: ex variis floribus fauum condunt, textisque ceris innumera prole replent: exercitum & reges habent: prælia mouent: fumum fugiunt: tumultu exasperant. Nam plerique experti sunt de boum cadaueribus nasci. Has pro his creandis vitulorum occisorum carnes verberantur, vt ex putrefacto cruore vermes creentur, qui postea efficiuntur apes. Proprie tamen apes vocantur ortæ de bubus, sicuti scrabrones de equis, fuci de mulis, vespæ de asinis. Castros græci appellant, qui in extremis fauorum partibus maiores creantur, quos aliqui reges putant: dicti, quod castra ducant. Fucus est maior ape, scrabone minor. Dictus autem fucus, quod alienos labores edat, quasi fagus. Depascitur enim quod non laborauit. De quo Virgilius:

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Apes formam virginitatis siue sapientiæ tenent, vt est illud in Salomone: *Vade ad apem, & disce, qualis operatrix sit.* Aliam autem significationem habet, vbi in Propheta legitur: *Sibilauit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminis Aegypti in deserto, & api, quæ est in terra Assur.* Ibi enim typice per muscam Pharaonem, & per apem Nabuchodonosor demonstrat: qui populum Iudæorum peccantem dignis flagellis castigauerunt. Et in Psalmo legitur: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Apes enim fauum circumdant, quando per domos cereas liquores dulcissimos recondunt: & cum sibi putant victualia reponere, faciunt, vnde homines possint sua desideria satiare. Quod Iudæos impleisse manifestum est, quando rem cuncto Orbi dulcissimam amaris conatibus affecerunt.

Spinæ seculi peccata designant, quibus Iudæorum populus ferociter incitatus in delictis suis, velut ignis concrepans, æstuauit. Sed in eis quoque gratia Domini vindicatum est, quando de illo melle, quod condiderant nescij, conuersi ad Dominum suauissime sunt repleti. Fuci enim, qui alienos labores edunt, ignauos & ocio torpentes homines significant, qui magis ex aliorum operibus sibi pastum, quam de proprio sudore, exhiberi expetunt. De quibus ad Thessalonicenses Paulus scribens ait: *Audiuimus autem quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent.*

Scrabones vocati à cabo, id est, caballo, quod ex eis creentur, vt quidam æstimant. Sicut autem scrabrones nascuntur de equorum carnibus putridis: ita ex eis iterum sæpe nascuntur scarabei, vnde & cognominati sunt.

Tauri sunt scrarabei terrestres siue siluestres ricino similes. Vespæ autem siue scrabrones significant hostes persequentes vel timores hostium, vt est illud Domini cum promissum in lege, quod ad Israel per Moysen ait: *Mittet Dominus ante introitum tuum antecessores tuos vespas, qui exterminant Cananæum, Aeuæum atque Pherezæum.* Non legitur alicubi historia veteris Testamenti, quod scrabrones vel vespas miserit Dominus ante filios Israel in hostes eorum: sed per hæc animalia, quæ aculeis pugnant, designat timores compunctionis in hostes eorum, quo terebantur atque fugabantur. De scarabeo autem in Propheta ita scriptum est: *Et scarabeus de ligno clamauit:* quod putant quidam de Domino dictum, qui in cruce suspensus pro persecutoribus exorauit, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quod faciunt:* vel de latrone, qui in cruce ad Christum clamauit dicens: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*

Locusta quod pedibus sit longis, velut hasta. Vnde & eam græci tam maritimam quam terrestrem astaco appellant. Locusta aliquando populos significat instabiles & vagos, vt est illud in Euangelio de Iohanne: *Esca autem eius erat locustæ & mel siluestre:* quia de conuersione populorum ad fidem Christi pastus ei fiebat delectabilis atque suauis. Item in Exodo octaua plaga legitur locusta missa esse in Ægyptum: per quod genus plagæ putatur à quibusdam dissidentis à se & discordantis humani generis inconstantia consutari. Locusta populus gentium, vt in Salomone: *Locusta regem non habet & egreditur vniuersa per turmas.* Item locustæ dæmones, vt in Apocalypsi: *Et de fumo egressæ sunt locustæ.* Et in libro Iudicum: *Cameli eorum vt locustæ.* Locusta superbia vel vegatio mentis, vt in Iohel: *Residuum erucæ comedet locusta.* Alio quoque sensu locustæ pro mobilitate leuitaris accipiendæ sunt, tanquam vagæ & salientes animæ in seculi voluptates. Item per significationem locustæ, quæ plusquam cetera minuta quæque animantia humanis frugibus nocent, linguæ adulantium exprimuntur, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt. Fructus quippe Ægyptiorum est opera cenodoxorum, quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbas vero locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium fauoribus extollunt. Poma quoque arborum deuorant, quando vanis laudibus quorundam tam quasi fortium opera eneruant.

Musca ex græco venit, sicut & mus. Hæ, sicut & apes, necatæ in aqua aliquotiens post vnius horæ spatium reuiuiscunt.

Cynomyia græce vocatur, id est, musca canina. Nam *cino græce canis vocatur. Muscæ inmundos spiritus vel peccatores squalores vitiorum sectantes significant, qui sordibus scelerum oleum misericordiæ atque caritatis corrumpunt. Vnde in Ecclesiaste scriptum est: *Muscæ morientes exterminant suauitatem vngenti:* quia malus mixtus bonis contaminat plurimos, quomodo muscæ si moriantur in vngento, perdunt odorem & saporem illius: sic & calliditas sapientiam, & prudentiam malitia sordidat. Quarto autem loco Ægyptus muscis percutitur. Musca enim insolens & inquietum animal est. In qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur. Ægyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda, qui hoc seculum diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur. Porro 70. interpretes cynomyiam, id est, caninam muscam posuerunt, per quam canini mores significantur: in quibus humanæ mentis voluntas & libido carnis arguitur. Potest quidem hoc loco significari etiam per muscam caninam forensis hominum eloquentia, qua velut canes alterutro se lacerant.

Culex ab aculeo dictus, quo sanguinem sugit. Habet enim in ore fistulam in modum stimuli, qua carnem terebrat, vt sanguinem bibat.

Scinifes muscæ minutissimæ sunt acu'eis permolestæ: qua tertia plaga superbus Ægyptiorum populus cæsus est. Hoc animal pennis quidem suspenditur per aera volitans: sed ita subtile & minutum, vt

oculi

Marginal notes: Esa. 7. Psal. 117. 2.Thess. 3. Sap. 12. Luc. 23. Ibid. Matt. 3. Exod. 10. Prou. 30. Apocal. 9. Iudic. 7. Ioel. 1. *cyon. Eccles. 10. Exod. 8.

oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat. Corpus autem cum insederit, acerbissimo terebrat stimulo: ita vt quem volantem videre quis non valeat, sentiat statim aduenien tem. Hoc ergo animalis genus subtilitati hæreticæ comparatur, quæ subtilibus verborum stimulis animas terebrat, tantaque calliditate circumuenit, vt deceptus quisque nec videat nec intelligat, vnde decipiatur: sed in Trinitate blasphemantes totius mundi dissipant fidem. Bruchus ingluuies ventris. Vnde & supra: Ioel. 1. *Residuum eruca comedet bruchus*. Rubigo iracundia cordis. In Iohel: Ibid. *Residuum bruchi comedet rubigo*. Eruca prurigo luxuriæ. De quo & supra. Ioel. 1. *Residuum eruca comedet locusta*.

FINIS LIBRI OCTAVI.

INDEX CAPITVLORVM LIBRI NONI.

INCIPIT LIBER NONVS.

De mundo & quatuor plagis eius.

IN sacro ergo eloquio intelligentiæ magnę discretio est. Sæpe enim in quibusdam locis illius & historia seruanda est & allegoria: & sæpe in quibusdam sola exquirenda est allegoria: aliquando vero sola necesse est vt teneatur historia. Nam in quibusdam locis (sicut diximus) historia simul tenenda & allegoria, vt & tardiores pascantur per historiam, & velociores ingenio per allegoriam. Vnde cum loquente Deo populis lampades & sonitum buccinæ & montem fumigantem cerneret, perterritus petiit, vt eis per Moysen Dominus loqueretur. Vnde scriptum est: Exod. 20. *Stetit populus de longe, Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus*. Turba quippe populi allegoriarum caliginem non valet penetrare: quia valde paucorum est spiritalem intellectum rimari. Quia enim mentes carnalium sola sæpe historia pascuntur, loquente Deo stetit populus à longe. quia vero spiritales quique allegoriarum nubem penetrant, vt spiritaliter Dei verba cognoscant Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus. Idcirco nos in hoc opere, vbi de rerum varietate varia significatione scribere disposuimus, res ipsas primum notamus: deinde significationem earum breuiter differemus, ita vt a mundo incipientes, partes eius subsequenter differendo ponamus. Mundus est cœlum & terra mare & quæ in eis opera Dei sunt. De quo dicitur: *Et mundus per eum factus est*. Ioan. 1. Mundus latine à philosophis dictus, quod in sempiterno motu sit, vt cœlum Sol Luna, Aer, Maria. Nulla enim requies eius elementis concessa est: ideoque semper in motu est. Græci vero nomen mundo de ornamento accommodauerunt propter diuersitatem elementorum, & pulchritudinem syderum. Appellatur enim apud eos *cosmos*, quod significat *ornamentum*. Nihil enim mundo pulchrius oculis carnis aspicimus. Mundus enim aliquando historialiter, id est, vniuersorum elementorum compactio accipitur: aliquando vero iuxta allegoriam in bonam partem, & aliquando in contrariam ponitur. Nam mundus historialiter in eo intelligitur, vbi Euangelista dicit: *In mundo erat, & mundus per eum factus est*. Ibid. Et illud vbi Dominus ait: *Ego lux in hunc mundum veni*. Ioan. 11. In mundo quippe erat, & mundus per ipsum factus est: quia Deus erat, totus vbique. quia suæ præsentia maiestatis sine labore regens, sine onere continens. quod fecit. In quo etiam mundo, quem prius per diuinitatem creauit, postmodum homo natus apparuit. Quod autem sequitur: *Et mundus eum non cognouit*: Ioan. 1. significat homines mundi amore deceptos atque inhærendo creaturæ ab agnoscenda Creatoris sui maiestate reflexos. Duobus autem modis (vt diximus) mundus intelligitur: aliter in peccatoribus, aliter in sanctis. Quod autem Dominus dicit ad Patrem: *vt mundus credat, quia tu me misisti*. Ioan. 17. Et alibi: *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem*: Ioan. 14. hic nominat mundum eos, qui credituri erant: vel quia tunc credebant Christum Filium Dei esse ad salutem humani generis missum à Patre in mundum. Quod autem ait: *Pater iuste mundus te non cognouit, ego autem cognoui te*: Ioan. 17. ideo non cognouit, quia damnatus est per iustitiam: ille vero, qui saluandus erat, mundus per misericordiam te cognouit: vtique ipse Christus reconciliauit pater non merito, sed gratia. Hinc dicitur Iesus Saluator mundi, hoc est, ecclesiæ Catholicæ: quia ipse Saluator omnium & maxime fidelium. Quod enim legitur Dominus dixisse: *venit enim princeps huius mundi, & in me non inuenit quicquam*: Ioan. 12. hic ostendit diabolum principem esse peccatorum hominum, non creaturarum Dei: & quotiescunque mundi figura in mala significatione ponitur, nihil ostendit, nisi mundi illius amatores, & non Dei. Absit enim, vt credamus, illum principem esse cœli & terræ & creaturarum omnium, quæ generaliter mundi nomine appellantur: totus itaque suo seruit Creatori, non deceptori, Redemptori non interemptori, & regitur dispensatione diuina. non inimici versutia subuertitur, præter homines partis illius, qui propria voluntate, non necessitate aliqua, se subiciunt diabolo. Aliquando etiam ipsa ambitio terrenarum rerum mundi nomine designatur. Vnde dicit Iohannes Apostolus: 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo: quia omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & superbia vitæ*. Omne quod in mundo, dicit omnes, qui mente inhabitant mundum, qui amore incolunt mundum; sicut cœlum inhabitant, quorum cor sursum est, quamuis carne ambulent in terra. Omne quod in mundo est, id est, mundi amatores non habent nisi concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ. Quibus vitiorum vocabulis omnia viciorum genera comprehendit. Concupiscentia carnis est, omne, quod ad voluptatem & delitias corporis pertinet, in quibus sunt maxima, cibus & potus & concubitus: quæ tria Salomon sanguisugis comparat. Concupiscentia oculorum, quæ fit in discendis artibus nefariis, in contemplandis spectaculis turpibus vel superuacuis, in adquirendis rebus temporalibus, in dinoscendis & carpendis proximorum vitiis. Superbia vitæ est, cum se quis iactat in honoribus. Per hæc tria cupiditas humana temptatur: per hæc Adam & Dominus ipse temptatus est. Quatuor autem esse climata mundi aiunt, id est, plagas: Orientem & Occidentem, Septentrionem & Meridiem. Oriens ab exortu solis est nuncupatus. Occidens, quod diem faciat occidere atque interire. Abscondit enim lumen

mundo & tenebras superinducit. Septentrio autem à septem stellis axis vocatur, quæ in ipso reuolutæ rotantur. Hic proprie vertex dicitur eo, quod vertitur, sicut poeta ait: *Vertitur interea cœlum.* Meridies, vel quia ibi Sol faciat medium diem, quasi *medidies*: vel quia tunc purius micat
Luc. 1. æther. Merum enim purum dicitur. Mystice autem Oriens Dominum significat Saluatorem, de quo in Luca
Zach. 6. scriptum est: *Visitauit nos Oriens ex alto.* Et in Zacharia Propheta: *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Oriens, populus Iudæorum, siue illuminatio fidei, sicut in Esaia ecclesiæ di-
Esa. 43. citur: *Ab Oriente adducam semen tuum.* Occidens, populus
Ibid. gentium. Vbi & supra: *Et ab Occidente congregabo te.* Occidens autem significat vitæ melioris defectum, vel occasum mortis. Vnde de peccatoribus in Propheta scriptum
Amos 8. est: *Occidet vobis sol in meridie.* Et Psalmista, *tunc*, inquit,
Psal. 67. *facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est ei.* Item occasus significat post temptationis ardores incentiuæ libidinis refrigerationem: sicut in Deuteronomio pro eo, qui nocturno polluitur somnio, hoc est, occulta cogitatione, vt non reuertatur prius in castra, quam lauet vestimenta sua, & occidat sol. Rursum Oriens designat initium bonæ vitæ nostræ: Occasus malæ conuersatio-
Psal. 103. nis affectus, vt est illud in Psalmo: *Quantum distat Oriens ab Occasu, elongabit à nobis iniquitates nostras.* In Occasu enim eramus, cum peccati vinculo tenebamur astricti: in Oriente autem sumus, quando per aquam regenerationis nos verus sol inuisitat & tenebras facit nostrorum discedere peccatorum. Tantum ergo iniquitates nostræ longæ sunt, cum nobis peccata nostra denotantur, quantum potest clara dies à tenebrosa nocte distare. Siue per Orientem significat regnum Dei, per Occasum vero gehennam, quæ tantum à beatorum sede dissotiata est,
Luc. 16. quantum dicit Abraham, loquens ad diuitem, *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* Septentrionalis autem pars mundi, vnde gelu & siccitas procedunt, per figuram ostendit diabolum vel frigus infidelitatis, de quo scri-
Psal. 88. ptum est: *Aquilonem & mare tu creasti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia*: per aqui-
Esa. 14. lonem designans diabolum, qui dixit: *Ponam sedem meam in aquilone, & ero similis altissimo.* Vnde alibi legitur. Aquilo durus est ventus, qui alio nomine dexter vocatur, eo quod diabolus nomen sibi dextri præsumat, tanquam boni: siue quod Occidentem, id est, peccatum respicientibus dextra fiat. Aquilo significat populum gentium,
Esa 43. vt in Esaia: *Dicam aquiloni da.* Et in Psalterio: *Latera aqui-*
Psal. 47. *lonis ciuitas regis magni.* Et in Iob: *Ab aquilone aurum venit.*
Iob 37. Meridiana autem plaga mundique & australis ab austro vento vocatur, calore suo frigus dissipat & glaciem soluit: significans gratiam Spiritus sancti, qui caritatis ardore frigus infidelitatis expellit, & peccatorum duritiam
Psal. 125. dissoluit. Vnde scriptum est: *Conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro.* Qui etiam ventus significat populum Iudaicum lumen scientiæ in scripturis legisque prophetarum habentem, sicut aquilo gentilem in tenebris infidelitatis & stultitia erroris degentem. Has quoque ambas gentes Christi gratia per euangelium ad se conuocauit. Item in aquilone aduersa mundi in austro blandimenta designantur. Qua gemina expugnatione probatur ecclesia & per constantiam fidei mirum odorem virtutum dispergit. Vnde sponsa in Cantico Can-
Cant. 4. ticorum dicit: *Surge aquilo & veni auster, persla ortum meum, & fluant aromata illius.* Consurge, permittentis vox est, non imperantis. Item in contrariam partem meridies ac-
Psal. 90. cipitur, vt est illud in Psalmo: *A ruina & dæmonio meridiano.* Dæmonium meridianum est inmane periculum feruote persecutionis accensum, vbi ruina plerumque metuitur. Auster, ecclesia, quæ ex Iudæis prior in Christo
Esa. 21. edidit, vt in Propheta: *Qui habitatis in terra austri, ferte a-*
Iob 37. *quam sitienti*, id est, baptismum credentibus. Et in Iob:

Ab aquilone aurum venit ab austro formidolosa laudatio
Auster sancta ecclesia est fides calore
accensa.

CAPIT. I.
De atomis.

PHilosophi atomos vocant quasdam in mundo corporum partes tam minutissimas, vt nec visui pateant: nec tomen, id est, sectionem recipiant. Vnde & atomi dictæ sunt. Hæ per inane totius mundi inquietis motibus volitant, & huc atque illuc ferri dicuntur. sic tenuissimi pulueres quæ fusi per fenestras radiis solis videntur. Ex his arbores & herbas & fruges omnes oriri, & ex his ignem & aquam, vniuersa gigni atque constare quidam philosophi gentium * pictauerunt. Sunt autem atomi *putauerunt. aut in corpore, aut in tempore, aut in numero. In corpore, vt lapis. Diuidis eum in partes, & partes ipsas diuidis in grana, velut sunt arenæ: rursumque ipsa arenæ grana diuide in minutissimum puluerem, donec, si possis, peruenias ad aliquam minutiam, quæ non iam diuidi potest, vel secari possit. Hæc est atomus in corporibus. In tempore vero sic intelligitur atomus. Annum (verbi gratia) diuidis in menses, menses in dies, dies in horas: adhuc partes admittunt diuisionem, quousque venias ad tantum temporis punctum, & quandam momenti particulam talem, quæ per nullam morulam produci possit, & ideo iam diuidi non potest. Hæc est atomus temporis. In numeris, vt puta octo diuiduntur in quatuor, rursus quatuor in duos, inde duo in vnum. * Vnde *Vnum. autem atomus est, quia insecabilis est, sic & iitam. Nam orationem diuidis in verba, verba in syllabas, syllabam in litteras. Littera pars minima atomus est, nec diuidi potest. Atomus ergo est, quod diuidi non potest, vt in geometria punctus. Nam tomus diuisio dicitur græce. atomus indiuisio. Nam quantum indiuisibilis vnitas valeat in rebus ad ostendendam mysticam significationem, manifeste scriptura designat: quia ipsam omnium rerum initium esse demonstrat, Apostolo dicente: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium, qui est* Ephes. 4. *super omnes & per omnia & in omnibus nobis, qui est benedictus in secula.* Vnde idem iubet nos sollicitos seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vt fiat vnum corpus & * cuius *vnus. Spiritus, sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ.

CAPIT. II.
De elementis.

YLen græci rerum quandam primam materiam dicunt, nullo prorsus modo formatam: sed omnium corporalium formarum capacem, ex qua visibilia hæc elementa formata sunt. Vnde & ex eius deriuatione vocabulum acceperunt. Hanc *Ylen* latini *materiam* appellauerunt: ideo quia omne informe, vnde aliquid faciendum est, semper materia nuncupatur. Prouide & eam *siluam* nominauerunt. Nec incongrue: quia materiæ siluarum sunt. Græci autem elementa στοιχεῖα nuncupant: eo quod sibi societatis concordia & communione quadam conueniant. Nam sicca inter se naturali quadam ratione iuncta dicuntur. vt intro originem ab igne repetentes vsque ad terram, intro à terra vsque ad ignem: vt ignis quidem in aera definat, aer in aquam densetur, aqua in terram crassescat: rursusque terra diluatur in aquam, aqua rarescat in aerem, aer in ignem extenuetur. Quapropter omnia elementa omnibus in esse: sed vnũ quodque eorum ex eo, quod amplius habet, accepisse vocabulum. Sunt autem diuina prouidentia propriis aminutibus distributa. Nam cœlum angelis, aerem volucribus, mare piscibus, terram hominibus, ecclesiasque animantibus Creator ipse impleuit.

CAPIT. III.
De cœlo.

COelum dictum eo, quod, tanquam cælatum vas, impressa lumina habeat stellarum, veluti signa. Cœlum autem in scripturis sanctis ideo *firmamentum* vocatum, quod sit cursus siderum & ratis legibus fixisque firmatum. Interdum & cœlum pro aere accipitur, vbi venti & nubes & procellæ & turbines fiunt. In scriptura sacra plerumque & ea, quæ accipi secundum historiam pos-

sunt, spiritaliter intelligenda sunt: vt & fides habeatur in veritate historiæ, & spiritalis intelligentiæ capiatur in mysteriis allegoria: sicut hoc quoque nouimus, quod
Psal. 8. Psalmista ait: *quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quas tu fundasti.* Ecce enim iuxta veritatem historiæ stat sermo rationis: quia & cœli opera Dei sunt, & luna ac stellæ ab eo creatæ atque fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista iuxta solam historiam & non etiam secundum intellectum mysticum asserit, qui cœlos opera Dei esse professus est, dicturus lunam & stellas: cur non etiam solem, quem scimus, quia eius opus est, pariter enumerauit? Si enim iuxta solam historiam loquebatur, dicturus luminare minus, prius luminare maius dicere debuit, vt ante solem & post lunam atque stellas fundatas esse perhiberet. Sed quia iuxta intellectum mysticum loquebatur, vt lunam sanctam ecclesiam, & stellas homines sanctos accipere deberemus: solem nominare noluit: quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur, de quo
Mal. 4. scriptum est: *Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur sol iustitiæ.* Cœlum autem iuxta allegoriam aliquando ipsum
Psal. 113. Dominum, Saluatorem significat, vt est illud: *cœlum cœli Domino:* quia sanctus sanctorum & Deus Deorum: ita etiam cœlum cœlorum recte ipse dicitur, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat. Aliquando vero angelicas po-
Genes. 1. testates significat, vt est illud in Genesi: *In principio fecit Deus cœlum & terram:* quod prius vocauit firmamentum: quia cœli fuerunt hij, qui prius bene conditi sunt, sed postmodum firmamentum appellati sunt: quia omnino iam ne caderent, virtutem incommutabilitatis accipiunt.
Esa. 1. Ad quos per Prophetam alibi dicitur: *Audite cœli, quia Dominus locutus est.* Item cœli nomine Prophetæ & Apostoli
Psal. 18. & sancti viri exprimuntur, vt est hoc: *Cœli enarrant gloriam Dei:* quia ipsi de aduentu Christi disserendo orbem terrarum sanctis admonitionibus impleuerunt. De qui-
Psal. 32. bus cœlis alibi dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum:* quia Christo post ascensionem desuper mittente Spiritum sanctum Apostoli in
Genes. 1. fide & scientia confortati sunt. Igitur *in principio fecit Deus cœlum,* id est, spiritales, qui cœlestia meditantur & quærunt in ipso: fecit & carnales, qui terrenum hominem necdum posuerunt. Aliquando etiam contempla-
Psal. 106. tionem supernorum cœlum significat, vt est illud: *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos.* Vsque ad cœlos quippe ascendimus, cum summa penetramus: sed abyssos vsque descendimus, cum repente à contemplationis culmine per turpia temptamenta decidimus. Plerumq; ergo in sancto Euangelio regnum cœlorum præsens ecclesia nominatur. Congregatio quippe iustorum regnum cœlorum dicitur. Quia enim per Prophetam
Esa. 66. Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum*
Prou. 15. *pedum meorum:* & Salomon ait: *anima iusti sedes sapientiæ:*
1. Cor. 1. Paulus etiam dicit Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: liquido comprobatur Deum, &c. hoc est regnare & iudicia sua decernere. Nam cœlum & aer iste (vt supra diximus) agnoscitur, in quo cœlo, hoc est, aereo Helias raptus describitur: & quo Apostolus de inmundis spiri-
Ephes. 6. tibus loquitur: *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Et alius
2. Pet. 3. Apostolus: *Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni, seruati in diem iudicii.* Aliquando ergo in cœ-
Psal. 103. li nomine sacra scriptura designatur de qua dicitur: *Extendens cœlum sicut pellem:* ex qua nobis & sol sapientiæ, & luna scientiæ, & ex antiquis patribus stellæ exemplorum atque virtutes lucent. Quod, sicut pellis extenditur: quia per scriptores suos carnis lingua formatum ante oculos nostros per verba doctorum exponendo displicatur. Cuius cœli superiora Dominus in aquis tegit: quia alta sacri eloquij, id est, ea, quæ de natura diuinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Nam alibi in Psalte-
Psal. 148. rio legitur: *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Quamuis in Genesi vnum cœlum fabricatum esse legerimus, tamen eos plurali nu-
1. Cor. 12. mero & Paulus Apostolus appellauit, qui refert in tertium se cœlum raptum, ibique talia cognouisse, quæ homini non liceat effari. & hic plurali numero nuncupantur. Quod tali forsitan ratione concordat. Dicimus vnum esse palatium, quod multis membris, multisque spatiis ambitur: ita forsitan & cœli partes dicimus cœlos, dum complexio atque sinus eius vnus esse monstretur. Aquas vero super cœlos esse Genesis refert. Ait enim: *diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ* Genes. 1.
erant super firmamentum. Firmamentum enim in ecclesia scripturæ diuinæ intelliguntur: quia cœlum plicabitur, sicut liber: distreuitque super hoc firmamento aquas, id est, cœlestes populos angelorum, qui non opus habent hoc suscipere firmamentum, vt legem legentes audiant verbum Dei. Vident enim eum semper & diligunt: sed superposuit ipsum firmamentum legis suæ super infirmitatem inferiorum populorum, vt sibi suscipientes cognoscant, qualiter discernant inter carnalia & spiritalia, quasi inter aquas superiores & inferiores.

CAPIT. IV.
De partibus cœli.

Appellatur autem idem locus æthra, in quo sidera sunt, & significat eum ignem, qui à toto mundo in altum separatus est. Sane æther est ipsum elementum, æthera vero splendor ætheris est. Consistunt enim luminaria in firmamento cœli, hoc est, in firmamento legis Dei infixa, euangelistæ videlicet & doctores scripturæ sanctæ disputando cohærentes & omnibus inferioribus lumen sapientiæ demonstrantes. Prodiit etiam simul, &c. micantium siderum turba, id est, diuersarum virtutum in ecclesia numerositas, quæ in huius vitæ obscuritate, tanquam in nocte, refulgentes diuidant in hoc firmamento scripturæ sensibilia & intelligibilia, quasi inter lucem perfectorum, & tenebras populorum: & sunt insignia virtutum & miraculorum.

CAPIT. V.
De ianuis cœli.

Ianuæ cœli duæ sunt: Oriens & Occasus. Nam vna porta sol procedit, alia se recipit. Significant autem ianuæ cœli testamenta diuina. Vnde Psalmista ait: *Man-* Psal. 77.
dauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit. Mandatum est enim nubibus, id est, prædicatoribus, vt per ianuas cœli, hoc est, scripturas sanctas prædicatione gloriosa ad uentum Saluatoris Domini nunciarent: qui vere manna sumitur, quando adorabili communicatione gustatur.

CAPIT. VI.
De cardinibus.

Cardines autem mundi duo: Septentrio & Meridies. In ipsis enim voluitur cœlum. Significant autem cardines ipsi præsentis ecclesiæ conuersationem, quæ per totum orbem dilatatur, & in duobus testamentis, siue in duobus præceptis caritatis conuersans ad futuram patriam tendendo cursum præsentis vitæ dirigit. Vnde scriptum est: *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super* 1. Reg. 2.
eos orbem.

CAPIT. VII.
De luce.

Lux post creationem cœli & terræ à Creatore primum formata est ad manifestanda & declaranda opera Dei. Lux ipsa substantia est: lumen à luce manat, id est candor lucis: sed hoc confundunt auctores. Lucis ergo nomine diuersæ significationes exprimuntur. Aliquando enim ipsum Deum, id est, totam simul sanctam Trinitatem ostendit: aliquando Filium Dei: aliquando sanctos viros significat: aliquando scripturam sacram: aliquando prædicationem Euangelij: aliquando sanctam ecclesiam. Sciendum nobis est, hoc nomen luminis toti' Trinitatis esse commune. Legitur enim: *Deus* 1. Ioan. 1.
lux est, & tenebræ in eo nullæ sunt. Ergo quia Pater, & Filius & Spiritus sanctus vnus est Deus: recte animaduertimus

de tota

Psal. 35. de tota Trinitate esse dictum: *Deus lux est, & tenebræ in eo*
nulla sunt. Vnde versus iste merito de Saluatore dicit: *In*
lumine tuo videbimus lumen. Quod autem Christus vera
Ioan. 8. lux sit, ostendit ipse in Euangelio dicens: *Ego sum lux mun-*
di. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lu-
Ioan. 1. *men vitæ.* De quo Iohannes Euangelista ait: *Erat lux ve-*
ra, quæ inluminat omnem venientem in mundum: omnem vi-
delicet, qui inluminatur siue naturali ingenio, seu sa-
pientia diuina. Sicut enim nemo à se ipso esse, ita etiam
nemo à se ipso sapiens esse potest: sed illo illustrante, de
Syr. 1. quo scriptum est: *Omnis sapientia à Domino Deo est.* Sancti
quidem homines lux sunt recte vocati, dicente ad eos
Matth. 5. Domino: *Vos estis lux mundi.* Et Apostolo Paulo. *Fuistis*
Ephes. 5. *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: sed multum di-
* illuminatur. stat inter lucem, quem * mihi luminatur, & lucem, quæ
illuminat: inter eos, qui partipatione veræ lucis acci-
piunt, vt luceant: & ipsam lucem perpetuam, quæ non
solum lucere in seipsa, sed & sua præsentia quoscumque
attigerit, illustrare sufficit. Aliquando autem scripturam
sacram lucem intelligimus, vt est illud: *Lucerna pedibus*
Psal. 118. *meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.* Sciens er-
go huius seculi noctem diuersis offensionibus irreti-
tam, vt alibi laqueos, alibi scopulos, alibi contineat
profundissimas vastitates: pedibus suis verbum Domini
lucere testatur, ne absentia veri luminis incidat ruinam,
quam per suam prouidentiam vitare non poterat. Sed
hoc verbum illud debet intelligi, quod per scripturas sa-
cras prophetarum ore seminatum est. Quod verbum
bene appellauit lucernam, quæ humanis visibus data est
ad depellendam noctis profundissimæ cæcitatem, sicut
2. Pet. 1. Petrus Apostolus dicit: *Habemus certiorem propheticum ser-*
monem, cui bene facitis intendentes, velut lucernæ lucenti in ob-
scuro loco. Item lumen illuminatio fidei est, vel donum
Psal. 4. Spiritus sancti, vt in Psalmo. *signatum est super nos lumen*
vultus tui, Domine. Item lux & tenebræ electi & repro-
Iob 38. bi, vt in Iob: *Nunquid nosti, quis locus sit lucis & tenebrarum,*
ducas vnum quodque ad terminos suos. Item lux & tenebræ,
1. Ioan. 2. iustitia & iniquitas, vt in Apostolo: *Qui diligit proximum*
suum, in lumine est: qui autem odit, in tenebris ambulat. Item
prædicationem euangelij lucerna significat. Vnde Sal
Luc. 11. uator ait: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio,*
sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Po-
nere ergo lucernam sub modio, superiora facere corpo-
ris commoda, quam prædicationem veritatis: vt ideo
quisque veritatem non prædicet, dum timet, ne aliquid
in rebus corporalibus & temporalibus molestiæ patia-
tur. Potest & lucerna hæc super de humanitate Salua-
toris interpretari. Ipse quippe lucernam accendit, qui
testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit,
quam profecto lucernam nec credentibus abscondere,
nec modio supponere, hoc est, sub mensura legis inclu-
dere, vel intra vnius Iudææ gentis terminos voluit cohi-
bere. Candelabrum ecclesiam dicit, cui lucernam su-
perposuit, quia nostris in frontibus fide suæ incarnatio-
nis affixerunt, vt qui ecclesiam fideliter ingredi volue-
rint, lumen veritatis palam queant intueri. Nam &
sancta ecclesia luminis vocabulo designatur, vt est illud:
Psal. 103. *Amictus lumine sicut vestimento.* Lumen enim ecclesiam
Cant. 3. significat, de qua scriptum est: *Quæ est ista, quæ ascendit de-*
albata: Dealbata enim intelligitur inluminata. Quæ re-
cte velut vestis aduertitur Domini Saluatoris, non ha-
bens maculam aut rugam. Ipsa est enim candida, hoc
est, dealbata. omni decore virtutum adornata. Ad
Gal. 3. quam dicit Apostolus: *Omnes, qui in Christo baptesati estis,*
Christum induistis: hanc etiam tunica illa significauit, quæ
non potuit diuidi tempore passionis. Hæc est, de qua di-
Psal. 103. citur: *Amictus lumine sicut vestimento.*

CAPIT. VIII.

De luminaribus.

LVminaria autem, quæ in cœlo sunt posita, diem no-
ctemque illuminant secundum Creatoris sui dispo-
sitionem, & cursus sui offici peragunt, hoc est, Sol, Lu-
na & stellæ iuxta qualitatem suam significationes allego-
ricas habent, quæ ad laudandum Dominum, postquam
angelicas virtutes ad laudem Dei Psalmista incitauit, sub-
sequenter prouocans ait: *Laudate eum Sol & Luna, lauda-* Psal. 148.
te eum omnes stellæ & lumen.

CAPIT. IX.

De Sole.

SOl ergo & Luna ac stellæ (vt quidam dicunt) & si ali-
quo proprio regantur: tamen quia carnalibus oculis
patescunt, inferiores esse virtutibus, quæ non videntur,
non absurda æstimatione colligitur, quamuis cœli spe-
ciem decoro lumine ornare videantur. Nam illa, ad
quæ peruenit noster aspectus, licet sint lucida atque sub-
tilia: tamen corpora esse manifestum est: & necesse est,
vt illis cedant, quæ inuisibili virtute subsistunt. Qua-
propter solem, lunam & stellas siue per propriam ratio-
nem, siue per alias sensibiles & iudicabiles substantias
Propheta laudare præcepit Dominum, quia Creatoris
beneficio existere meruerunt. Considerata enim tot
lumina ingentes admirationes possunt commouere,
quando & mortales oculos videre faciunt, & ipsa vitam
splendida claritate consistunt. Igitur Sol in scriptura sa-
cra aliquando significat Dominum Saluatorem: aliquan-
do sanctorum suorum claritatem: aliquando sapientiæ
fulgorem: aliquando decorem virtutum, & econtrario
aliquando æstum persecutionis, & tribulationem præ-
sentis vitæ. Nam sol Saluatorem in eo exprimit, quod
sicut ipse siue aliorum adminiculo ceteris sideribus, hoc
est, lunæ & stellis (vt quidam ferunt) fulgorem præstat:
ita & Christus propria virtute splendens & nullius ope
indigens sanctæ ecclesiæ, quibusque virtutem sanctis
splendorem sapientiæ, & virtutum tribuit. Vnde in
Propheta scriptum est: *Orietur vobis timentibus Dominum* Mal. 4.
Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Et alibi ex persona pec-
catorũ dicitur: *Sol iustitiæ, non est ortus nobis.* Quod autem Sap. 1.
splendorem claritatis sanctorum resurrectionem sol si-
gnificat, ostendit ipsa Veritas, in Euangelio dicens: *Tunc* Matt. 13.
fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. Nam solem sa-
pientiam significare testatur Psalmista dicens: *Solem in* Psal. 135.
potestatem diei, quoniam in seculum misericordia eius. Quod spi-
ritaliter ita intelligi potest, vt solem sapientiæ Dominus
sanctis suis miseratus infundat, quatenus illa videant,
quæ ad ipsius certum est pertinere iussionem. Decorem
autem virtutum & bonorum operum solem significare
illa Domini sententia demonstrat, qua ad Apostolos
loquens ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant* Matth. 5.
opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.
Sol significat acumen sapientiæ, sicut in Iob quibusdam
sapientibus, sed reprobis pro diabolo dicitur: *Radii solis* Iob 41.
sub ipso erunt, subauditur ecclesiæ fides, de quo per Iohel
Prophetam dicitur: *Sol conuertetur in tenebras*: quia fides Ioel. 2.
ecclesiæ nouissima persecutione in reproborum cordi
bus per infidelitatem obscurabitur. Sol manifesta ope-
ratio est, sicut in Psalterio dicitur pro corpore assumpto:
In sole posuit tabernaculum suum. Denique in contrariam Psal. 18.
partem solis significationem prolatam ostendit illa Eu
angelica parabola, quam de sementis diuersitatem Do-
minus protulit dicens: *Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi* Luc. 8.
non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non
habebant altitudinem terræ: sole autem orto æstuauerunt: & quia
non habebant radicem, aruerunt. Petrosa vero loca, quæ
tenui cespite contecta susceptum semen cito germinare
queunt, sed vim radicis figendæ non habent, illa nimi-
rum sunt præcordia, quæ nullis disciplinæ studiis erudi-
ta nullas temptationem probationibus emollita. dulce-
dine tantum auditi sermonis, ac promissis cœlestibus ad
horam delectantur, sed in tempore temptationis rece-
dunt. Sol prosperitas est, & luna aduersitas mundi.
Vt in Psalterio: *Per diem sol non vret te, neque* Psal. 120.
luna per noctem.

Capit. X.

De Luna.

Luna autem, quæ menstruis temporibus crescit & decrescit, & non proprio lumine lucet, sed solis mutuato splendore illustratur, aliquando in scripturis significat hanc mortalem vitam & miseram, aliquando præsentem ecclesiam. [Luc. 10.] Vnde in euangelica parabola legitur, quod homo ab Ierusalem descendens in Hiericho incidisset in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Hic ergo homo Adam intelligitur cum omni genere humano. Hierusalem autem ciuitas illa cœlestis accipitur, a cuius beatitudine Adam lapsus per prauationem, & eiectus in hanc mortalem vitam & miseram, quam bene Hiericho, quæ luna interpretatur significat, variis videlicet defectuum laboribus instabilis semper & caduca. Latrones autem dæmones intelligere possumus, qui seducendo Adam despoliauerunt eum gloria beatæ immortalitatis, & innocentiæ veste priuarunt. Lunam autem figurate ecclesiam ostendit ille versus: Fecit lunam in tempore, sol cognouit occasum suum. Luna ecclesia est, quam in temporibus factam aliquando minui contingit, aliquando crescere, quæ tamen sic minuitur vt semper redeunte integritate reparetur. Solem vero in hoc loco merito accipimus Dominum Saluatorem. Iste ergo cognouit occasum suum, id est, gloriam suæ passionis agnouit, cum discipulis suis diceret: [Matt. 26.] *Venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Item luna significat martyrum passionem, vt per Iohel prophetam dicitur. [Iohel. 2.] *Et luna vertetur in sanguinem*, hoc est, martyrum motum cruore perfusa. Item luna præsens seculum significat, eo quod semper mutetur. De quo in Apocalypsi dicitur de Ecclesia: [Apoc. 12.] *Et luna sub pedibus suis.* Aliquando autem lunam instabilem mentis humanæ qualitatem in scripturis reprehendit, vt est illud Sapientiæ: [Syr. 27.] *Stultus vt luna mutatur: quia vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Sed & hoc notandum, quod luna tempus paschalis festiuitatis maxima ex parte ordinat, quæ solemnitas tunc maxime celebratur, cum solis lumen animis proficiens incremento primam sumit de noctis vmbra victoriam. Deinde mensem primum anni, qui & nouarum vocatur, in quo pascha celebremus, attendimus. Ipse autem est mensis, in quo mundus iste formatus, & homo est primus in Paradisi sede locatus: quia per huius mysteria solemnitatis primam nos stolam recepturos, primum supernæ beatitudinis regnum, a quo in longinquam regionem discessimus, nos recepturos esse speramus. De cuius gloria regni beatus Apostolus Petrus, [2. Pet. 3.] *cælos autem nouos*, inquit, [* iuxta.] *& terram nouam * & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* [Apoc. 21.] Sed & Iohannes in Apocalypsi sua: *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce facio cuncta noua.* Deinde etiam tertiam mensis eiusdem septimanam in pascha obseruamus, quod Resurrectionis Dominicæ gaudiis aptissime congruit: quia & eodem sacro sancta eius resurrectio tertia die facta est, & tertio tempore seculi, id est, cum gratiæ cœlestis aduentu tota eius in carne dispensatio quæ per resurrectionis consummata est gloriam, mundo apparuit. Prima namque seculi tempora lege naturali per patres, media lege litterali per Prophetas, extrema charismate spiritali per se ipsum veniens illustrare dignatus est. Sed & ipsa tunc lunæ conuersio pulcherrimum nobis sacramenti cœlestis spectaculum præbet. Namque luna, quæ rotundi facta stemmatis a sole lumen (vt supra diximus) accipit, ideoque semper ex dimidio orbe, quem ad solem habet, lucida est ex altero autem dimidio semper obscura. A prima vsque ad quintamdecimam lucis crementum ad terras, detrimentum vero habet ad cœlos a quintadecima autem vsque ad nouissimum crementum [illegible] lux lucis a terris auertitur paulatim ad cœlestia reuertitur. Quæ [illegible] eius [illegible] paschalis [illegible] mysteria [illegible] gloriam a visibilibus auertere delictis, caducisque [illegible] lumen cœlestis gratiæ lucem [illegible] decernat. Vel si vtramque eius conuersionem in bonum delectat interpretari, possumus intelligere, quod crescens ad oculos humanos lumen lunæ [illegible] gratiam, quibus apparens in carne Dominus mundo illuxit, insinuet, de quibus dicitur: [Luc. 2.] *Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines*: decrescens vero ad cœlos resurrectionis ascensionisque illius gloriam designet, quæ in se quidem ipsa mox perfecta [illegible], sed in animo fidelium, quibus dea lucis suæ profectibus vsque ad finem seculi crescere non desinit. Resurgens enim Dominus a mortuis, primo singulis ac binis, ac deinde pluribus, modo septem, modo vndecim, & plusquam quingentis fratribus simul, ad vltimum discipulis omnibus apparuit: [1. Cor. 15.] quibus videntibus ascendit in cœlum, præcepit eos suæ dispensationis esse testes in Hierusalem, & in omni Samaria, & vsque ad vltimum terræ. [Actor. 1.] Et bene luna cum nostros crescit ad oculos, paulatim a sole recedit, cum vero ad cœlos, partibus ad eum spaciis redit. Hoc est enim, quod ipse dicit: [Ioan. 16.] *Exiui a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et quod de illo Psalmus ait: [Psal. 18.] *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Quia ergo luna eo suæ lucis incremento, quod exiens a sole ad nostros euoluit obtutus, Domini Saluatoris in carne, vsque ad tempora passionis, doctrinam virtutesque significat: eo autem, quo ad solem rediens, paulatim ad inuisibilem nobis cœli faciem recolligit, resurrectionis illius ac posterioris gloriæ miracula demonstrat: merito a quintadecima paschalis non gaudiis apta prædicatur. Huius quidem paschalis temporis a legis obseruatione sumptis iudiciis hæredes noui Testamenti etiam diem Dominicam, quam scriptura vnam siue primam sabbati cognominat, annectimus. Nec immerito quæ & conditione primitiuæ lucis excellens, & triumpho Dominicæ resurrectionis insignis, & nostra quoque nobis resurrectione manet semper exoptabilis. Septem quoque dies lunæ, id est, a quintadecima vsque ad vicesimam primam, per quos ea dominica naturali ordine discurrit, vniuersitatem ecclesiæ, quæ per totum mundum paschalibus est redempta mysteriis, a parte denuntiant. Nam & septenario sæpe numero vniuersitatem designare scriptura consueuit. Vnde quod ait Propheta: [Psal. 118.] *Septies in die laudem dixi tibi*: nil melius intelligitur quam quod alibi ait: [Psal. 33.] *semper laus eius in ore meo.* Et specialiter totam catholicæ ecclesiæ perfectionem eo figurari Iohannes testatur, qui ad septem Asiæ scribens ecclesias, vniuersalis per orbem ecclesiæ mysteria patefacit. Vnde & per omnia, quæ singulis septem scribit, hortamenta hunc versiculum intexere curauit: [Apocal. 2.] *Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis.* Quod vnicuilibet dixerat, hoc omnibus se dixisse probat ecclesiis. Nec minus etiam moralem nobis commendant paschalia tempora sensum: in nomine quidem paschæ, vt de viis ad virtutes transitum cottidie faciamus spiritalem. In mense autem nouarum, in quo adulti fructus aduentu suo prodeuntiant veterem cessationem, [Ephes. 4.] vt exuentes veterem hominem cum actibus eius, renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nouum hominem qui secundum Dominum creatus est in iustitia & sanctitate & veritate: & vt vegetati diuersarum varietate virtutum, earumque foliis, veluti amœnæ arboris adumbratione, velati, tanquam lætæ atque fructiferæ segetes pullulemus in plenilunio, vt perfectum splendorem fidei & sensus gerentes, a peccati tenebris segregemur: in reuelata eadem luce lunari ad cœlos quod a quintadecima luna fieri incipit, vt quanto magni sumus, humiliemur in omnibus, dicentes cum Apostolo singuli: [1. Cor. 15.] *Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Quæ profecto gratia mundi [illegible] quia tertia tempore seculi manifestius effusa est: pulcherrima figurarum consequentia tertia lunæ hebdomade lumen ipsius, quod eatenus ad terras [illegible] erat, ad cœlestia iam [illegible] pulchre [illegible] in pascha obseruare præcipimus [illegible]

pimus nunquam obliti, per ſingulos gradus ſpiritalis tranſitus largitori illius obediendo vicem rependere meminerimus. Vel certe in creſcente ad homines luna vitæ nobis actiuæ, in reuerſa vero ad cælos ſpeculatiuæ typus oſtenditur. Vel in hac nobis conuerſione dilectio proximi, in illa noſtri ſignatur auctoris: aut huc conuerſus lucis eius profectus, vt bona foras operemur, admonet: porro illuc, vt eadem bona opera ſolo supernæ *Matth. 5.* mercedis intuitu geramus: huc, vt luceat lux noſtra coram hominibur, vt videant bona noſtra opera: illuc, vt glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt.

CAPIT. XI.

De ſyderibus.

SIderum & aſtrorum hæc diſtantia eſt. Stellæ ergo & ſidera & aſtra ita inter ſe differunt. Nam ſtella eſt quælibet ſingularis: ſidera vero ſunt ſtellis plurimis facta, vt hyades, pleiades: aſtra autem ſtellæ grandes, vt Orion, boetes. Sed hæc nomina ſcriptores confundunt, & aſtra pro ſtellis, & ſtellas pro ſyderibus ponunt. Et ſtellas non habere proprium lumen, ſed à ſole illuminari dicuntur, ſicut & luna. Sidera vero aliquando in bonam partem, aliquando in contrariam accipiuntur. In bonam ergo partem accipiuntur, quando ſanctos & electos Dei ſignificant, qui ſunt in eccleſia. Vnde eſt il- *Gen. 22.* lud, quod ad Abraham Dominus ait: *Multiplicabo ſemen* *1. Cor. 15.* *tuum, ſicut ſtellas cæli.* Et Apoſtolus: *Stella*, inquit, *ab ſtella differt in claritate: ſic erit & reſurrectio mortuorum.* Stella *Apoc. 22.* Chriſtus eſt, vt in Apocalypſi: *Ego ſum ſtella ſplendida &* *Num. 24.* *matutina.* Et alibi: *Orietur ſtella ex Iacob.* Et in Apocalypſi: *Apoc. 1.* *Septem*, inquit, *ſtellæ Angeli ſunt ſeptem eccleſiarum.* Nam & Apoſtolus Paulus ſeptem ſcribit eccleſiis, non tamen hiſdem, quibus Iohannes. & ſeptem loca figura ſunt totius eccleſiæ, quæ ſeptiformis Spiritus ſancti gratiam *Pſal. 135.* habet. Hinc & Pſalmiſta de creatoris opere ait: *Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis, quoniam in ſeculum miſericordia eius.* Lunam (vt iam diximus) eccleſiam debemus accipere: ſtellas, diuerſos eius ordines ſanctitate pollentes, vt ſunt Epiſcopi, presbyteri, Diaconi, & ceteri, qui velut ſtellæ, cæleſti noſcuntur conuerſatione radiare. Hæc omnia in poteſtate noctis, id eſt, in ſeculi iſtius tenebris data ſunt, vt per eos caliginoſa reluceant corda mortalium. Item ſtellæ ſunt ſancti ſiue docti eo, quod virtutum operibus in hoc mundo reſplendent, vt in Pſalte- *Pſal. 146.* rio: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis no-* *Iob 38.* *mina vocat.* Aſtra ſunt ſancti Angeli, vt in Iob: *Cum me laudarent aſtra matutina.* In contrariam ergo ſignificationem ponuntur ſidera, quando aut peruerſos angelos ſignificant, aut hæreticos, ſiue hypocritas. Peruerſos ergo Angelos de cælo cecidiſſe teſtatur Apocalypſis, dum dicit draconem tertiam partem ſyderum ſecum traxiſſe in terram. Hæreticos autem ſub ſiderum nomine denotat Iudas Apoſtolus in epiſtola ſua, dicens: *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum in æternum ſeruata eſt.* Hypocritæ autem, qui per fictas ſpecies virtutum ſanctos imitari videntur, tamen ipſi velut ſtellæ de cælo in terram cadunt, dum à ſanctorum conſortio ſequeſtrati inter peccatores aſcribuntur.

CAPIT. XII.

De pleiadibus.

PLeiades autem & arcturus quid ſignificent, in ſententia, qua Dominus ad beatum Iob locutus eſt, animad- *Iob 38.* uerti poteſt. Ait enim: *Nunquid iungere valebis micantes ſtellas pliades: aut gyrum arcturi poteris diſſipare?* Pliades ſtellæ apo tu plista, id eſt, à pluralitate vocatæ ſunt: ita autem vicinæ ſibi & diuiſæ ſunt conditæ, vt & ſimul ſint & tamen coniungi nequaquam poſſint, quatenus in ciuitate quidem coniunctæ ſint, ſed tactu diſiunctæ.

CAPIT. XIII.

De arcturo.

ARcturus vero ita nocturna tempora illuſtrat, vt in cæli axe poſitus per diuerſa ſe vertat, nec tamen occidat. Neque enim extra currens voluitur, ſed in loco ſitus in cunctis mundi partibus nequaquam caſurus inclinatur. Quid enim micantes pliades quæ & ſeptem aliud, quam ſanctos omnes denunciant, qui inter præſentis vitæ tenebras ſpiritus ſeptiformis gratiæ nos lumine illuſtrant? quia ab ipſa mundi origine vſque ad eius terminum diuerſis temporibus ad prophetandum miſſi, iuxta aliquid ſibi coniuncti ſunt, & iuxta aliquid non coniuncti. Stellæ enim pliades (ſicut ſupra dictum eſt) in ciuitate ſibi cõiunctæ ſunt, tactu diſiunctæ: ſimul quidẽ ſitæ ſunt, & tamen lucis ſuæ vicinitatis radios fundunt. Ita ſancti omnes aliis atq; aliis ad prædicandum temporibus apparentes: & diſiuncti ſunt per viſionem ſuæ * magnus, & coniuncti per intentionẽ mentis. Simul micant, ** manus.* quia vnũ prædicant: ſed nõ ſemetipſos tangũt, quia diuerſis temporibus patiũtur. Quã diuerſis temporibus Abel, Eſaias, & Iohannes apparuerunt? diuiſi quidem tempore fuerunt, ſed non prædicatione. In arcturo autem, qui per gyrum ſuum nocturna ſpacia non occaſurus illuſtrat, nequaquam particulatim edita vita ſanctorum, ſed tota ſimul eccleſia deſignatur, quæ fatigationes quidem patitur, nec tamen ad defectum proprij ſtatus inclinatur. Gyrum laborum tollerat, ſed ad occaſum cum temporibus non feſtinat. Neque enim ad ima poli arcturus cum nocturno tempore ducitur, ſed dum ipſe voluitur, nox finitur: quia nimirum dum ſancta eccleſia innumeris tribulationibus quatitur, præſentis vitæ vmbra terminatur, eaque ſtante nox præterit: quia, illa in ſua incolumitate perdurante, mortalitas huius vitæ, excurrit. Poteſt ergo per arcturum, qui à plagis frigoris naſcitur, lex: per pliades vero, quæ ab Oriente ſurgunt, teſtamenti noui gratia deſignari. Quaſi enim ab aquilone lex venerat, quæ tanta ſubditos rigiditatis aſperitate terrebat, dum pro culpis ſuis alios præciperet lapidibus obrui, alios gladij morte mulctari: Pliades vero, quæ ipſe quoque (ſicut ſuperius diximus) ſeptem ſunt, teſtamenti noui gratiam tanto apertius indicant, quanto cuncti liquido cernimus, quod per illud fideles ſuos ſanctus Spiritus ſeptiformis muneris lumine illuſtrat. Quamquam ergo ſe arcturus vertit, pliades oſtendit: quia per omne, quod teſtamentum vetus loquitur, teſtamenti noui opera nunciantur: ſub textu enim litteræ regit myſterium prophetiæ.

CAPIT. XIV.

De Orione & hyadibus.

DE Orione autem & hyadibus ſimiliter Beatus Iob ſignificationem myſticam expreſſit, dicens: *Qui fecit* *Iob 9.* *arcturum & oriona & hyades & interiora auſtri.* Oriones quippe in ipſo pondere temporis hyemalis oriuntur, ſuoque ortu tempeſtates excitant, & maria terraſque perturbant. Quid ergo poſt arcturum per orionas niſi martyres deſignantur? qui dum ſancta eccleſia ad ſtatum prædicationis erigitur, pondus perſequentium, moleſtias quæ paſſuri ad cæli faciem quaſi in hyeme venerunt. Bene autem ſubdidit protinus hyades, quæ iuueneſcente verno ad cæli faciem prodeunt, & cum ſol iam caloris ſui vires exerit, extenduntur. Illius quippe ſigni viciis inhærent, quod ſapientes ſeculi taurum vocant, ex quo augeri ſol incipit, atque ad extendenda diei ſpatia feruentior exſurgit. Qui itaque poſt orionas hyadum nomine, niſi doctores ſanctæ eccleſiæ deſignantur? qui ſubductis martyribus eo iam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet, & repreſſa infidelitatis hyeme, altius præcordia fidelium ſol veritatis * calet, qui re- ** calefacit.* mota tempeſtate perſecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc ſanctæ eccleſiæ orti ſunt, cum ei iam per credulitatis vernum lucidior annus aperiretur. Nec inmerito ſancti doctores hyadum nuncupatione ſignantur.

tur. Græco quippe eloquio hyadas pluuia vocatur, & hyades nomen à pluuiis acceperunt, quia ortæ procul dubio imbres ferunt. Bene ergo hyadum appellatione expressi sunt, quia ad statum vniuersalis ecclesiæ quasi in cœli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fuderunt. Cum enim dixisset: *qui facit arcturum & orionas & hyadas*: protinus addidit: *& interiora austri*. Quid namque hoc in loco austri nomine, nisi feruor sancti Spiritus, designatur? Quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriæ spiritalis ignoscit. Interiora ergo austri sunt occulti illi angelorum ordines, & sacratissimi patriæ cœlestis sinus, quos implet calor Spiritus sancti. Illuc quippe sanctorum animæ & nunc corporibus exutæ & post corporibus restitutæ perueniunt, & quasi in austri abditis occultantur.

CAPIT. XV.

De Lucifero.

Lucifer ergo aliquando in bonam partem significationem trahit, aliquando in contrariam. Tunc enim in bonam partem ponitur, quando aut Dominum Saluatorem aut lumen sapientiæ significat. Nam, Dominum Saluatorem illa sententia libri Iob denotat, qua
Iob 38. dicitur: *Nunquid producas luciferum in tempore suo*. Luciferum ergo se Christus innotuit, quia diluculo à morte resurrexit, & fulgore sui luminis mortalitatis nostræ ca-
Apoc. 22. liginem pressit. Cui bene per Iohannem dicitur: *Stella splendida & matutina*. Viuus quippe apparendo post mortem matutina nobis stella factus est: quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicauit. Lucem ergo sapientiæ & boni intel-
2. Pet. 1. lectus illa sententia beati Petri ostendit, qua ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, donec dies lucescat & lucifer oriatur in cordibus vestris*. Lucifer ipse clarus intellectus noster est, qui illustrabitur lumine veræ sapientiæ perfectæ caritatis. In contrariam vero ponitur lucifer, vbi per Esaiam Prophetam in onere Babylonis sub typo regis Babyloniæ ad apostatam angelum di-
Esa. 14. citur: *quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris, &c.* Nam ibi ruina eius de claritate æterna in infernales tenebras ostenditur.

CAPIT. XVI.

De vespere.

Vespere vero autem finem mundi & aduentum antichristi significat, aut occubitum mortis Redemptoris nostri. aduentum antichristi vesper significat in illa superiore sententia Iob, qua post productionem luci-
Iob 38. feri subsequenter legitur: *Et vesperum super filios terræ consurgere facis*. Vesperum vero super terræ filios Dominus consurgere facit, quia infidelibus Iudæorum cordibus dominari antichristum, eorum merito exigente, permittit. Qui idcirco à Domino huic vesperi iuste subduntur, quia ipsi sponte sua filij terræ esse voluerunt. Terrena quippe & non cœlestia requirentes, à perspiciendo luciferi nostri claritatem cæcati sunt: & dum præesse sibi vesperum expetunt, subsequentes damnationis pœna merguntur.

CAPIT. XVII.

De aere.

Aer est inanitas lumen plurimum habens admixtum raritatis quam cætera elementa. De quo Virgilius: *longum per mane secutus*. Aer dictus ab eo quod ferat terram, vel quod ab ea feratur. Hic autem partim ad terrenam, partim ad cœlestem materiam pertinet. Nam ille subtilis, vbi ventosi ac procellosi motus non possint exsistere, ad cœlestem pertinet partem: iste vero turbu-
* exhalationibus humorū. lentior, qui * exaltationibus humilis corporescit, terræ deputatur, quique ex se multas species reddit. Nam commotus ventos facit, vehementius concitatus ignes & tonitrua, contractus nubila, cum spissatus pluuiam, congelantibus nebulis niuem. Turbulentus congelantibus densioribus nubibus grandinem: distemus * serenum efficit. * distentus. Nam aerem densum nubem esse, nubem rarefactam & solutam aerem. Aer autem significat inanitatem cuiuslibet rei. Vnde Apostolus ait: *Sic pungo, non quasi aerem verberans*, id est, non inania consectans. 1. Cor. 9.
Item aer significat tenuitatem mentium secularium, vt est illud in Iob: *Subito aer cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas*. Iob 37. Quid ergo per aerem, nisi mentes secularium designantur, quæ in numerus huius vitæ desideriis deditæ, huc illucque more aeris fluide disperguntur. Sed aer in nubes cogitur, cum flexæ mentes per superni * spectus gratiam virtutis soliditate roborantur: * Spiritus. ventus ergo transiens nubes fugat, quia mortalis vita percurrens prædicatores sanctos à nostris oculis corporaliter occultat. Aliquando autem prædicatores diuini verbi aer significat, vt est illud Psalmistæ: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Psal. 17.
Idem in Prophetis prædicatoribus verbi, quia quamuis se aliquis putet dicta eorum intelligere, ad ipsam, sicuti est, virtutem dictorum in totum vix peruenire potest, sicuti dicit Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem*: 1. Cor. 13. quando ipsum videt, quod credidit: ipsum cognoscitur respicere, quod sperauit.

CAPIT. XVIII.

De nubibus.

Nubes dictæ ab nubendo, id est, operiendo cœlum: vnde & nuptæ, quod vultus suos velent. vnde & Neptunus, quod nubat, id est mare & terram tegat. Nubes autem aeris densitas facit. Venti enim aerem conglobant, nubesque faciunt. Vnde est illud: *Atque in nubem cogitur aer*. Nubes autem mystice aliquando incarnationem Christi significant, nullo peccati pondere grauatam siue virginem maritam, aliquando protectionem Spiritus sancti, aliquando Prophetas & prædicatores sanctos. Nam incarnationem Christi significat illud Esaiæ: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & descendet in* Esa. 19.
Ægyptum. Et illud in Exodo: *Dominus*, inquit, *præcedebat* Exod. 13.
eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Nubes enim ista præcedens Christus, idem etiam columna, quia rectus & firmus & fulciens infirmitatem nostram: per noctem lucens, per diem non lucens, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Potest & sic non incongrue accipi, quod Christi sacramentum. tanquam in die, manifestum est in carne, velut in nube: in iudicio vero, tanquam in terrore nocturno: quia tunc erit magna tribulatio seculi. tanquam ignis, & lucebit iustis, & ardebit iniustis. Illud autem, quod in euangelio legitur. vbi Dominus coram tribus discipulis transfiguratus est in monte, *&* Matt. 17.
ecce nubes lucida obumbrauit eos: quia materiale tabernaculum Petrus quæsiuit nubis, accipit vmbraculum, vt discat, in resurrectione non tegmine domorum, sed Spiritus sancti gloria sanctos esse protegendos. Et notandum, quod sicut Domino in Iordane baptisato, sic & in Mat. 3. 17
monte clarificato, totius sanctæ Trinitatis mysterium declaratur. Nam ibi Pater in voce, filius in baptismate, & Spiritus sanctus in columba ostensus est: hic vero Pater in voce, Filius in clarificatione, Spiritus sanctus in nube demonstratus est: quia nimirum gloriam eius, quam in baptismo credentes confitemur, in resurrectione videntes eum laudabimus. Quod autem nubes Prophetas siue prædicatores diuini eloquij significent, ostendit illud in Psalmo: *Multitudo sonitus aquarum, vocem* Psal. 76.
dederunt nubes: quasi mare confragosum: ita in sanctis ecclesiis resonant diuersa vota populorum. Sed quare sit sonitus factus multitudinis aquarum, pulchre subnectit, quia vocem dederunt nubes. Nubes prædicatores significari, sæpe iam diximus, de quibus scriptum est: *Mandabo nu-* Esa. 5.
bibus ne pluant super eam imbrem. Qui vocem suam magnam dederunt, cum præcepta Domini vulgauerunt in toto orbe terrarum, sicut & alius Psalmus ante prædicauit: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eo-* Psal. 18.
rum. Nubes est protectio diuina, sicut in Exodo legitur tabernaculum federis nubes obumbrasse. Nubes ob-

Ps. 146. curitas est scripturarum, vt in Psalterio: *Qui operit cœlum nubibus.*

Capit. XIX.

De tonitru. Et fulgore. Et coruscationibus.

Tonitruum dictum, quod sonus eius terreat. Nam tonitrus sonus, qui ideo interdum tam grauiter concutit omnia ita vt cœlum dehiscisse videatur, quia cum procellæ vehementissimi venti nubibus se repente in miserint, turbine in valescente, exitumq; quærente nubem, quam excauauit, impetu magno rescindit ac sic cum horrendo * labore defertur ad aures. Tonitruum aliquando in scripturis diuinam vocem significat, vt est illud: *Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam*: quippe qui erat ingentia Sacramenta locuturus: ait enim in Euangelio vox omnipotens Patris: *& clarificaui, & iterum clarificabo*: vnde multi (sicut ibi legitur) tonitruum fuisse crediderunt. Altissimus autem dedit vocem suam, quando dictum est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Aliquando vero prædicationem designat Euangelij, vt est illud: *Vox tonitrui in rota.* In rota ergo, id est, mundo vox tonitrui eius egressa est, quando prædicatores Christi circulum totius orbis verbis tonantibus impleuerunt. Cum tonitruo autem simul & fulgur exprimitur: sed illud celerius videtur, quia clarum est: hoc autem, id est, tonitruum ad aures tardius peruenit. Fulgor & flumen ictus cœlestis iaculi à feriendo dicti fulgi enim ferire est atq; percutere: fulmina autem collisa lumina faciunt. Nam omnium rerum collisio ignem creat, vt in lapidibus cernimus: vel à territu rotarum simili modo in nubibus ignis, vnde & prius nubilia sunt, deinde ignis: ex vento autem & igne fulmina in nubibus fieri & impulsu ventorum emitti. Ideo autem fulminis ignem vim habere maiorem, quia subtilioribus elementis factus est quam noster, id est, qui nobis in vsu est. Tria sunt autem eius nomina: fulgus quia tangit; fulgor quia incendit & vrit: fulmen quia findit: ideo & cum ternis radiis pingitur.

*fragore
Psal. 17.
Ioan. 12.
Matt. 3. 17
Psal. 76.

Fulgura autem siue coruscationes mystice diuinos in scripturis exprimunt terrores, quæ in miraculo coruscantibus fiunt: vel * cōmunicationes, quæ scriptæ sunt in lege diuina vt est illud: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: vidit & commota est terra.* Coruscationes diuina præcepta dicit veritatis lumine radiantia, quæ tenebras hominum per totum mundum salutari illuminatione fugauerunt. Et * alibi ita dicitur: *fulgura multiplicauit, & conturbauit eos*: id est, miracula multa fecit, quę sic corda intuentium permouerunt, quemadmodum crebra solent fulgura visa terrere. *Conturbauit* eos: de his dicit, qui tunc conturbati sunt, quando eum resurrexisse manifestis probationibus agnouerunt.

* comminationes
Psal. 76.
* alibi ita
Psal. 17.

Capit. XX.

De arcu cœlesti.

Arcus cœlestis dictus à similitudine curuati * arcus. Iris huic nomen proprium est, & dicitur iris, quasi aeris, id est, quod per aerem ad terram descendat. Hic autem à sole resplēdet, dum cauæ nubes ex aduerso radium solis accipiunt, & arcus speciem fingunt. Cui varius color est: quia aqua tenuis, aer lucidus, & nubes caligantes inradiatæ illi varios creant colores. Arcus autem cœlestis est signum testamenti, quod posuit Deus inter se & homines atq; omnem animam viuam, ne perdat eam diluuio. Nam quod ille apparet in nubibus, & nunquam nisi de sole resplendet: significat, quia illi non pereunt diluuio, qui in prophetis & omnibus scripturis diuinis, tanquam Dei nubibus, virtutem agnoscunt Christi. Nam quod in eodem arcu color aquæ & ignis simul ostenditur, quia ex parte cæruleus est & ex parte rubicundus: apparet, quod vtriusq; iudicij testis sit: vnius videlicet faciendi, & alterius facti, id est, quia mundus iudicij igne cremabitur, non aqua diluuij vltra delebitur. Iris, id est, arcus duorum iudiciorum Dei figuram habere dicitur: hoc est, primi, quod per diluuium: secundi, quod per ignem, vt est illud in Apocalypsi: *Et iris in circuitu eius.* Serenitas est indulgentia delictorum per sanguinem Iesu Christi post tenebras peccatorum data, vt est illud in Euangelio: *Facta vespere dicitis: serenum erit: rubicundum est enim cœlum.*

* arcus
Apoc. 4.
Matt. 16.

Capit. XXI.

De igne.

Ignis ergo, qui quartum mundi est elementum, aliquando exprimit zelum Dei: aliquando Spiritum sanctum, aliquando caritatem: aliquando cupiditatem: aliquando malitiam: aliquando intellectum: aliquando tribulationem: aliquando iram: aliquando voluptatem. Zelum enim Dei sententia notat, qua dicitur. *Deus noster ignis consumens est.* Nam Spiritum sanctum demonstrat, qui in die pentecostes in linguis igneis super Apostolos apparuit, vbi eos luce sapientiæ illuminauit & zelo iustitiæ corda eorum accendit. Caritatem autem significat, vbi feruorem dilectionis exprimit, vt est illud in Euangelio: *Ignem mittere in terra: & quid volo, nisi vt ardeat?* Cupiditatem autem significat, quando ambitionem nimiam terrenarum rerum denotat. Vnde in Exodo Dominus præcipit de obseruatione sabbati: *non succendetis*, inquit, *ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* Ignem cupidiris tam in corporibus humanis, quam etiam in conuenticulis vniuersis vetat incendere. Malitiam autem significat ignis, quando cor malum ad inferiora semper incuruatum demonstrat. De quo igne dicitur: Hunc ignis aduersarium consumet, quia pessimum cor ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit: ita ignis malitiæ inuoluit. Tribulationem autem ignis significat, vt est illud in psalmo: *Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum.* Tunc autem iram significat, quando vindictam cœlestem ostendit, vt est illud: *Consumam eos igne iræ meæ, ait Dominus.* & alibi, *quia ignis*, inquit, *exarsit ab ira mea & ardebit vsq; ad inferos deorsum.* Tunc autem voluptatem ignis significat, quando libidinis ardorem ostendit, vt est illud: *omnes adulterantes sicut carbo ignis ardens corda eorum.* Quibus nisi subuenerit pœnitentiæ remedium, ignis pœnæ perpetuæ subsequentur, vbi erit fletus & stridor dentium, & cruciatus sempiternus. De quo in Esaia scriptum est: *Ecce omnes vos accensi igne, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri.* Habēt enim peccatores in se fœnum, ligna, stipulam, spinas & tribulos, soluimque: quæ æterno traduntur incendio Hi tamen prouocantur ad salutem, diciturq; eis: *ambulate in lumine ignis vestri & flammis*, & reliqua: vt in pœnis & suppliciis * distant Dei potentiam, & redeant ad salutem. Item ignis intellectus in sacris eloquiis accipitur bonus vel malus, sicut in Leuitico de filiis Aaron dicitur, qui ignem alienum in conspectu Dn. obtulerunt, & ibi consumpti sunt. Fumus autem aliquando in bonam partem, aliquando in contrariam ponitur. Nam quod dicit Psalmista: *ascendit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exardescit*: fumus hic in bono positus est: quia sicut iste terrenus inutiles lacrimas mouet: ita & ille pœnitentiæ calore succensus fructuosæ profundit fluentia lacrimarum in ira eius, hoc est, tempore, quo hic peccatores futuri iudicij timore conturbat, vt eos ad remedium conuersionis adducat. Ignis autem est caritas Dei, virtutum progressionib. crescens, quæ quanto magis concupiscitur, tanto efficacius ampliatur. Bene autem dixit: *à facie eius*: quoniam ipsius illuminatione caritas conceditur eis, qui peccata relinquunt. Quod autem alibi de peccatoribus dicitur: *sicut defecit fumus, deficient*: hic peccatorum pœna prædicitur. Fumus enim est ex flamma ista corruptibili surgens tenebrosa conglobatio, quæ quantum plus extollitur, tantum per inania tenuatur. Huic peccatores merito comparantur, quoniam ex flamma nequitiæ suæ producunt fumiferas actiones, quæ licet ad altiora, superbia faciente, consurgant, necesse est, vt sua magis, velut fumus, elatione deficiant.

Deut. 4.
Luc. 12.
Exod. 35.
Psal. 65.
Psal. 57.
Ps. 17.
Ose. 7.
* effugiant
Psal. 17.
Psal. 67.

CAPIT. XXII.

De prunis.

PRunæ autem significant illicitas concupiscentias animæ, quæ polluunt gressus operum humanorum. Vnde est illud:
Prov. 6. *dum ambulat super prunas, planta eius non comburentur.* Hinc in Iob de leuiathan scriptum est.
Iob. 41. *Halitus eius prunas ardere facit.* quid prunas, nisi succensas internis cõcupiscentiis reproborum mentes, appellat? toties enim Leuiathan halitus prunas accendit, quotiens occulta suggestio humanas mentes ad delectationes inlicitas pertrahit: & flamma de ore eius egreditur, quia quicquid per se, quicquid per prædicatores suos loquitur, ignis est. quo non aurum neque argentum, sed lignum, fœnum, stipula concrematur.

CAPIT. XXIII.

De carbonibus.

CArbones autem significãt nigredinem peccatorum.
2. Reg. 22. Vnde est illud: *Carbones succensi sunt ab eo.* Carbones vero succensos, peccatores dicit qui velut carbones mortui in mundi istius cæcitate tenebrantur, sed iterum pœnitentia inflammante reuiuiscunt, & ex mortuis prunis viui incipiunt esse carbones. Similiter & illud, quod in
Psal. 119. Psalmo legitur: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus.* Carbones autem desolatorios nonnulli peccatores teterrimos atq; malis actibus extinctos intelligere voluerunt, quorum formido & recordatio nostra vicia desolare noscuntur, dum metuimus talia committere, quæ illos cognouimus pertulisse: Potest autem & illud intelligi, vt carbones desolatorios orationes accipiamus charitatis igne succensas quæ nos viciis ita mũdant atq; purificant, vt quod in nobis diabolus constrinxerat, desolatum atq; euersum diuino beneficio sentiatur. Siue magis illud est,
Esa. 6. quod Esaias ait: *& volauit ad me vnus de seraphin, & in manu habebat carbonem ignis, quem forcipe acceperat de altari. & tetigit os meum & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & ait. ecce abstuli iniquitates tuas, & peccata tua circumpurgaui.* Quod nunc beneficio sanctæ crucis efficitur, quando labia nostra Dn. recordatione signamus. Nec inmerito forsitan signum crucis desolatorium dicimus esse carbonem, quando fugat
Prov. 10. peccata credentium, cum tamen perfidis videatur extinctum. Item illud vbi scriptum est: *sicut acetum dentibus, & fumus oculis: ita piger his qui miserunt illum.* Hic fumus vanitatem exprimit eorum, qui cupiditatem istius mundi magis sequuntur quam studium verbi Dei.

CAPIT. XXIV.

De cineribus.

CInis autem humanæ fragilitatis inanitatem signifi-
Eccl. 10. cat. Vnde in Salomone scriptum est: *Quid superbit terra & cinis?* Similiter & fauilla: Vnde in Iob dicit:
Iob. 42. *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* In fauilla etenim & cinere pœnitentiam agere est, contemplata summa essentia, nil aliud, quam fauillam se cineremq; cognoscere. Vnde & ciuitati
Matt. 11. reprobæ in Euangelio Dominus dicit: *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* In cilicio quippe asperitas & compunctio peccatorum: in cinere autem puluis ostenditur mortuorum: & idcirco vtrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in punctione cilicij cognoscamus, quid per culpam fecimus, & in fauilla cineris perpendamus, quid per iudicium facti sumus. Torris & titio humanum genus significat per Dominum Iesum Christum à perpetua combustione* se in iustum abstractum, vt in
Zach. 3. Zacharia: *Nunquid non iste torris erutus est de igne?* Titiones duo, potestates seculi huius atque hæretici ex vno
Esa. 7. consensu ecclesiam persequentes, vt in Esaia. *Noli timere a duabus caudis titionum fumigantium istorum.*

* semiustum

CAPIT. XXV.

De ventis.

VEntus est aer commotus & agitatus, pro diuersis partibus cœli nomina diuersa sortitus. Dictus autem ventus, quod sit vehemens & violentus. Vis enim eius tanta est, vt non solum saxa & arbores euellat, sed etiam cœlum terramque conturbet, maria commoueat. Ventorum quatuor principales sunt spiritus quorum primus ab Oriente subsolanus, à Meridie, auster, ab Occidente fauonius, à septentrione eiusdem nominis ventus aspirat habentes geminos hinc inde ventorum spiritus. Subsolanus à latere dextro vulturnum habet, læuo eurum: auster à dextris euroaustrum, à sinistris austroaffricum: fauonius à parte dextera affricum, à læua chorum: porro septentrio à dextris circum, à sinistris aquilonem. Hi 12. venti mundi globum flatibus circumagunt, quorum nomina propriis ex causis signata sunt, sicut illi ostendunt, qui de etymologiis nominum ipsorum scripserunt: sed nos de his solummodo narrare disponimus, quos celebriores in scripturis inuenimus. Ventus autem aliquando in bonam partem, aliquando in contrariam ponitur. In bonam ergo partem ventus ponitur, vt est illud: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Vbi non in- Psal. 134.
probe sentimus Apostolos expressos, quorum prædicatio totum mundum, tanquam ventus celerrimus, percurrit sicut & illud, quod alibi scriptum est: *Ascendit super cherubin, & volauit super pennas ventorum.* vbi exprimi- Psal. 17.
tur ascensio Domini super cœlos cœlorumque virtutes, vbi nunc ad dexteram Patris collocatus, cum Patre regnat & Spiritu sancto. Quod autem dicitur volare super pennas ventorum, celeritatem nimiam decenter ostendit, quando fama natiuitatis eius, passionis & resurrectionis per totum mundum discurrit. Quid enim dici potest velocius, quando, ipso in cunabulis iacente, Magis cum claritas stellæ nunciauit, & mox, vt natus, in alia mundi parte est conspectus. Item venti animas significant. Vnde scriptum est: *Qui fecit ventis pondus.* Veloci- Iob. 28.
tate ac sublimitate ventorum solent animæ designari Pondus ergo accipiunt animæ, vt ab intentione Dei non iam leui motu desiliant, sed in eum fixa constantiæ grauitate consistant. Vel certe ventis pondus facere est, concessam hic electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare. In contrariam vero partem ventus ponitur, vt est illud in Euangelio: *Descendit pluuia, & venerunt* Matt. 7.
flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam. Hic per pluuiam multimodas diaboli temptationes, per flumina apertas manifestasque persecutiones, per ventos malignos spiritus intelligi volunt. Similiter illud, quod in Iob legitur, in contrariam partem intelligendum est: *Tu-* Iob 27.
lit eum ventus vrens. Ventus vrens malignus Spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat, vt ad æternitatem suppliciorum trahat. Item venti superbiæ spiritus intelligũtur, velut in Osee de hæreticis dicitur: *Li-* Ose. 4.
gauit eum spiritus in alis suis. Item ibi: *Omnes pastores tuos* Ier. 22.
pascet ventus. & alibi: *qui nititur mendaciis, hic pascitur ventis.* Prov. 10.
Orientalis autem ventus subsolanus vocatur, quia sub solis ortu oritur: significat prædicationem Euangelij, quæ à sole vero processit, & totum mundum luce fidei Malach. 4.
atque sapientiæ illuminauit. Vnde scriptum est: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Auster ab hauriendo aquas vocatus. Vnde & crassum aerem facit, & nubila nutrit: hic græce nothus appellatur, propter quod interdum corrumpat aerem. Nam pestilentiam, quæ ex corrupto aere nascitur, auster flans in reliquas regiones transmiserit. Sed sicut auster pestilentiam gignit, sic aquilo repellit. Significat auster aliquando calorem fidei, vt in Psalmo: *sicut torrens in au-* Psal. 125.
stro: aliquando gratiam Spiritus sancti, vt in Cantico Cant. 4.
Canticorum dicitur: *surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum.* Aliquando feruorem dilectionis, vt in Psal- Psal. 77.
terio dicitur. *Excitauit austrum de cœlo, & induxit in virtute sua affricum.* Item in partem contrariam ponitur, quando ardorem cupiditatis significat, qui peste viciorum corripit hominum mentes, & ægritudinem peccatorum in humanum genus introducit. Occidentalis autem ventus, qui Zephyrus græco nomine appellatur eo, quod flores & germina eius flatu viuificentur. Hic latine fauonius dicitur, propter quod foueat, quæ nascuntur. Tunc autem hic ventus in bonam partem positus reperitur, cum mortis Christi & veri solis occubitum si-

gnificat, vnde omnium germina virtutum & bonorum operum in mundo nascuntur. Tunc autem in contrariam partem ponitur, cum meliores vitæ defectum significat. Amos. 8. Vnde in propheta peccatoribus dicitur: *occidet vobis sol meridie.* Aquilo dictus eo, quod aquas stringat, & nubes dissipet: gelidus est enim ventus & siccus. Significat aut vel diabolum vel homines infideles vt iniquitatis abundantiam, & defectum caritatis. Vnde Esai. 14. scriptum est in propheta: *Ab aquilone exardescent mala super terram.*

Capit. XXVI.

De aura & altano.

AVra ab aere dicta, quasi aeria, quod leuis sit motus aeris. Agitatus autem aer auram facit. Vnde & Lucretius dicit: *aerias auras.* Altanus cui in pelago est, per deriuationem in alto, id est, mari vocatur. nam alter est flatus in ripis, quem diximus auram. nam aura in terra est. Aura significat tranquillitatem bonæ mentis contemplantis Deum. Vnde Helias stans in monte coram Domino, cum videret ventum grandem subuertentem 3. Reg. 19 montes, ait: *Non in spiritu Dominus* & post commotionem ignis dixit: *non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum vidisset Helias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ.* Sed in spiritu commotionis & ignis non esse Dominus dicitur: esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur: quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfecte conspicere præualet, Deus non est. cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est, quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita degustamus. Tranquillitas autem pelagi, quam *alatanum* vocant, pacem Ecclesiæ significat in mundo: quæ, aura Spiritus sancti flante, prospero cursu post tempestatem in mundo factam ad optatum æternæ quietis portum studet secura peruenire: sicut in illa nauigatione Domini cum discipulis in naui, cum nauicula operetur fluctibus, Matt. 8. *surgens Dominus imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Tropologice autem & nos singuli catholica fide instructi, & signo Dominicæ Crucis imbuti dum seculum relinquere disponimus, nauem perfecto cum Iesu conscendimus, mare transire conamur: sed qui non dormitauit neque obdormiet, Israhel custodiens semper, nobis tamen sæpe nauigantibus, quasi inter æquoris fremitus, obdormit, quando, crebrescente inter medios virtutum nisus vel inmundorum spirituum vel hominum prauorum vel ipso nostrarum cogitationum impetu, fidei splendor obtenebrescit, spei celsitudo contabescit, amoris flamma refrigescit. Verum inter huiusmodi procellas ad illum, necesse est, gubernatorem curramus, illum sedulo excitemus, qui non seruiat sed imperet ventis. Mox tempestates compescet, refundet tranquillitatem, portum salutis indulgebit.

Capit. XXVII.

De turbine.

TVrbo est volubilitas ventorum, & turbo dictus à terra, quotiens ventus consurgit & terram in circuitum mittit. Turbo persecutionum vel tribulationum impetus significat, Esai. 25. vt in Esaia: *factus est fortitudo pauperi, spes à turbine.* Tempestas aut pro tempore dicitur, sicut vbique historiographi loqui solent, dum dicunt ea tempestate, aut ab statu cœli, quia magnitudine suæ multis diebus oritur. Turbo enim aut flagellum Domini in hominem missum designat, aut prauorum hominum per- Iob. 38. secutiones. Nam in Iob legitur: *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.* Notandum video: quia si sano atque incolumi loqueretur ex tranquillitate Dominica locutio fuisse diceretur: scilicet quia fracto flatu loquitur, de turbine locutus fuisse describitur. Aliter enim Dominus seruis suis loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem prouehit: aliter, cum per districtionem, ne extollantur, premit. Per blandam locutionem Domini amanda dulcedo eius ostenditur: per terribilem vero potestas eius metuenda monstratur. In illa persuadetur animæ, vt proficiat: in ista reprimitur, quæ proficit. In illa discit, quod appetat: in ista, quod metuat. Per illam dicit: *gaude & lætare filia Sion, quia ecce venio & habitabo in medio tui*: per istam dicitur: Nah. 1. *Dominus in tempestate, & in turbine via eius.* Blandus quippe est, qui, vt in medio inhabitet, venit: cum vero se per tempestatem & turbinem insinuat, nimirum quæ tangit corda, perturbat atque ad edomandam elationem se exerit, quando potens & terribilis innotescit. Hinc in Psalmo scriptum est: *Persequeris eos in tempestate tua, & in ira tua conturbabis eos.* Psal. 82. In tempestate dicit, hoc est, iudicij tempore. Item tempestas examen iudicij significat, vt in Psalmo: *In circuitu eius tempestas valida*: Psal. 49. quod tempestati merito comparatur, primum quia inprouisum est, deinde quod subito fragore conturbat. & locum tollit consilio repentina periculi magnitudo. Tempestas enim imbrium aeris est quædam concitata seditio, in qua vehementer terminatur, dum aquarum nimietate vexamur. Sequitur: *Et in ira tua conturbabis eos.* Sæpe iam diximus iram diuinitati non posse congruere: sed ab hominibus tractum est, qui quando sceleratos iudicant, seniore animi commouentur. nec aliter ad damnandum hominem veniunt, nisi de commissis eorum criminibus excitentur. Persecutionem autem prauorum ille versus significat ex persona Domini prolatus: *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Psal. 68 Ille, qui super maria fixis gressibus ambulauit, qui Petro dexteram, ne mergeretur, extendit, quemadmodum se tempestate dictum esse demersum. Hic altitudo maris copiosa populi significatur insania. Item tempestas est seditio concitata dementium. Ipsa enim demersit Dominum Saluatorem, quando eum peruenire fecit ad crucem.

Capit. XXVIII.

De procella.

PRocellæ enim aut de fluminibus aut de ventis fiunt. Nihil autem velocius ventis. Vnde & propter celeritatem tam ventos quam flumina alata fingunt poetæ, vt alata vis austri. Procella enim significat tempestuosos persecutorum furores, qui Ecclesiam Christi partim minis, partim flagris atque tormentis afficiunt. Sed aliquando ipsas persecutorum mentes Dominus in melius conuertit, vt per pœnitentiam a pristinis sceleribus se mundantes ad bonos actus conuertantur. Nam in Psalmo scriptum est: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Ps. 148. Ignis, grando, nix, glacies per allegoriam (sicut dictum est) homines significat, qui in hoc seculo ex turbulentis & pessimis ad deuotionis tranquillissima studia peruenerunt. Qui faciunt verbum eius: nisi qui ex tempestuosis & improbis ad confessionis ipsius gratiam venire meruerunt. Aliquando vero dum in prauis actibus perseuerant, æterna eos pœna cruciabit. Vnde scriptum est: *Pluit super peccatores laqueos ignis: sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Psal. 10. Ignis est, quando eos flammea cura consumit: sulphur, quia cogitationes eorum detestabili fætore sordescunt: spiritus procellarum, dum se tumultuosa mente confundunt: pars calicis eorum, id est, mensura, qua pollutis actibus ebriantur.

Explicit liber nonus.

INCIPIT

INCIPIT LIBER DECIMUS.

CAPIT. I.
De temporibus.

TEmpora igitur à temperamento nomen accipiunt: siue quod vnum quodque illorum spacium separatim temperatum sit: seu quod momentis, horis, diebus, mensibus annis, lustris, seculisq; & ætatibus omnia mortalis vitæ curricula temperentur. Constat ergo trimoda ratione computum temporis esse discretum. Aut enim natura, aut consuetudine, aut certe auctoritate decurrit. Et ipsa quidem auctoritate bifarie diuisa, humana videlicet, vt olympiades quatuor annorum, nūdinas octo dierum, indictiones 14 annorum ambitu celebrari. Diem quoq; qui ex quadrantibus conficitur, mense Februar. vel Augusto intercalari Græci, Ægyptij, Romani pro suo quiq; capitu iusserunt. Diuina autem, vt septima die sabbatum agi septimo anno à rurali opere vacari, quinquagesimum sub læum vocari Dominus in lege præcepit. Porro natura duce repertum est, solis annum trecentis sexaginta quinq; diebus & quadrante confici, lunæ vero annum, si communis sit, trecentis quinquaginta quatuor si embolismus, 384. diebus terminari, totumq; lunæ cursum decennouali circulo comprehendi. Sed & errantia sidera suisq; spacijs Zodiaco circumferri, quæ natura non iuxta ethnicorum dementiam dea creatrix, vna de pluribus, sed ab vno vero Deo creata est. quando sideribus cœlo inditis præcepit vt sint in signa & tempora & dies & annos. Tempus autem, quod græce chronos dicitur, ab initio mundi vsq; ad finem seculi decurrit: ita vt momentis, horis, diebus mensibus, annis, lustris, seculis, ætatibus (vt supra diximus) diuidatur. Significat autem oportunam distributionem diuinæ voluntatis. Vnde est illud: *Oculi omnium in te sperant*, Domine, *& tu das escam illis in tempore oportuno.* (Psal. 144.) nec non & illud tempus faciendi: *Domine dissipauerunt iniqui legem tuam.* (Psal. 188.) Spreuit ergo populus deuotus temporib. Antiochi a plebe Iudaica legem Domini cultu dæmonum polluendam: velut ad medicum clamat ægrotus, tempus esse subueniendi, ne morbis ingrauantibus, salus populi potuisset ad sumi: tempus est faciendi, non differendi, quod expedit. Iusserat enim per legem & prophetas, vt verus Dominus, quatenus eum homo reuerentissima deuotione coleret, sed quoniam hoc in suam perniciem contempsit obstinatio Iudæorum: clamat populus fidelis tempus faciendi, id est, vt mundo salutaris appareas, peccata dissoluas, mortem vincas, ipsumque diabolum cum sua cohorte prosternas. Hoc est enim Domini facere, prædictis temporibus aduenire. Vnde & per prophetam dictum est: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* (Esai. 49.) Et Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis.* (2. Cor. 6.) Omnia enim, quæ Dominus facit, aptissima dispositione complentur: vt ante fieri non debeant, nisi quando ille misericorditer indulserit. Hinc est, quod nobis semper expedit habere patientiam, et expectare, quæ iussa sunt, rogare, quæ prosunt. tempus autem faciendi nouit ille, qui rector est.

CAPIT. II.
De momentis.

MOmentum est minimum atq; angustissimum tempus à motu siderum dictum. Est enim extremitas horæ in breuibus interuallis, cum aliquid sibi cedit atq; succedit. Momentum ergo significat breuissimum temporis decursum, vt est illud Apostoli: *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi.* (1. Cor. 15.) Per ictum oculi nimiam breuitatem vult significare momenti: vt quanta sit Dei potentia, ex resurrectionis celeritate cognoscas. De quo alia editio habet: *in atomo & in ictu oculi.* Nimium autem omnium, & quod nulla ratione diuidi queat, tempus atomum græce, hoc est, indiuisibile siue insectibile nominant, quod ob sui pusillitatem tam grammaticis quam calculatoribus visibile est, quib. cum versum per verba, verbum per pedes, pedes per syllabas per tempora diuidant, & longæ quidem duo tempora, vnum breui tribuant, vltra quod diuidant, non habentibus: hanc atomum nuncupari complacuit.

CAPIT. III.
De horis.

HOra græcum nomen est & tamen latinum sonat. Hora enim finis est temporis, sicut & hora sunt fines, maris fluuiorum, vestimentorum. Hora, duodecima pars diei est, scil. * articularis, hoc est, à solis ortu vsq; ad occasum. non naturalis, qui constat à solis ortu vsq; ad alium solis ortum, & viginti quatuor horis completur. (* articulus.) Siquidem duodecim horæ diem complent, Do. attestante, qui ait: *Nonne duodecim horæ sunt diei? si quis ambulauerit in die,* non offendit. (Ioan. 11.) Vbi quamuis allegorice se diem, discipulos vero, qui à se illustrandi fuerant, horas appellauerit, solito tamen humanæ computationis ordine numerum definiuit horarum. Scilicet sciendum, quod hora aliquando pro tempore, pro ætate seculi ponitur. Nam pro tempore posita est hora in illa Pauli sententia, qua dicit: *Hora est iam nos de somno surgere.* (Rom. 13.) Quod ad illud spectat, vbi dictum est: *Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.* (2. Cor. 6.) Tempus enim Euangelij in hoc significatur, quod ad meritum proficere debeamus, hoc est, de somno surgere, operari bonum, quasi in die, hoc est, palam, & dari operam vt pure viuentes ad promissum præmium veniamus excusso somno ignorantiæ siue negligentiæ. Hora ergo pro ætate seculi posita est in epistola Iohannis, vbi ait: *Filioli, nouissima hora est.* (1. Ioan. 2.) Nouissimam horam nouissimum seculi tempus quod nunc agitur dicit iuxta illam parabolam Domini vbi operarios in vineam conductos narrat. Prima hora est vsq; ad tempora Noe, à temporibus Noe hora tertia, à temporibus Abraham hora sexta, à data lege hora nona, à Christo in finem seculi hora vndecima, in qua Antichristus futurus est prophetatus. Item hora prima infantia siue pueritia, hora tertia adolescentia, hora sexta iuuentus, hora nona senectus, hora vndecima extrema senium: vnde & supra exemplum datum est.

CAPIT. IV.
De diebus.

DIes est aer sole illustratus nomen inde sumens, quod tenebras disiungat ac diuidat. Nam cum in primordio creaturarum tenebræ essent super faciem abyssi: *Dixit Deus: fiat lux. & facta est lux. Et vocauit Deus lucem diem:* (Gen. 1.) quæ definitio bifarie diuiditur, hoc est, vulgariter & proprie. Vulgus enim omnem diem solis præsentiam supra terras appellat: proprie autem dies viginti quatuor horis, id est, circuitu solis totum orbem lustrantis impletur. qui scilicet cum semper & vbique lumen diurnum circumferens non minore aerum spacio noctu sub terras quam supra terras interdiu creditur exaltari. Ante vero huius creationem, primituræ lucis circuitu, quod nunc per solem fit, agebatur. primo quidem secundoque die aquas abyssi, quæ omnem terram texerat, tertia vero terra va... nouit

sua circumnagatione lustrantis. Quantum ergo nobis vestigia patrum sequentibus conijcere datur, cùm diceret Deus: *Fiat lux*: mox tenebræ, quæ abyssum texerant, abierunt: & lux, ab Oriente medias inter vndas emergens, cunctam terræ superficiem operuit latitudine sui fulgoris, boreales simul australesque, nec non & occiduas oras attingens, paulatimque se completo Diei vnius spacio subducens, inferiora terræ gyrando subiit. atque aurora præcedente diem secundum tertiumq; simili ordine compleuit: hoc tantum à solari luce differens, quod caloris fotu carebat: & quia sidera nondum erant, priscis ad huc tenebris noctes illas relinquebat obscuras. Dies autem iuxta allegoriam plures significationes habet. Aliquando significat Dominum Saluatorem: aliquando sanctos eius: aliquando scientiam sanctarum scripturarum: aliquando charitatem, aliquando virtutum fulgorem: aliquando prosperitatem temporalem: aliquando diem iudicij: aliquando æternam beatitudinem. Dies autem Dominum significat in illa sententia euangelij:
Ioan. 11. *Qui ambulat in die, non offendit*: quia quisquis doctrinam eius sequitur saluatoris, peccatorum offendicula non timebit. Item dies Dominum Iesum Christum significat, vt est il-
Psal. 117. lud Psalmi: *Hæc est dies, quam fecit Dominus*. Item dies Apo-
Psal. 18. stolos & sanctos Dei significare in illo psalmistæ versu intelligitur: *dies diei eructat verbum*, id est, Dominus Apostolis diuina claritate irradians verba cœlestis luminis intimabat: sicut econtrario in illo, quod sequitur: *nox nocti in-*
Ibidem. *dicat scientiam*: Iudas Iudæis Christum prodidisse cognoscitur. Item diem scientiam sanctarum scripturarum in hoc intelligi possumus, quia ibi lumen iustitiæ & veræ sapientiæ bene intelligentibus lucet. Vnde Apostolus admonet, vt intenti simus ad meditandam legem Dei,
2. Petr. 1. *donec dies illucescat, & lucifer in cordibus nostris oriatur.* Quod autem lux diurna caritatem significet, ostendit Iohannes
1. Ioan. 2. in Epistola sua dicens: *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.* Item & dies euangelium demonstrat: vt est illud
Cant. 2. in Cantico Canticorum: *donec aspiret dies & amoueantur*
Ioan. 9. *vmbræ.* Item dies vita præsens, vt est illud Euangelij: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.* Rursum di-
Esai. 60. es futura vita iustis, vt in Esaia: *Non est tibi amplius sol ad lucendum per diem.* Dies & nox iusti & peccatores, iusti-
1. Thess. 5. tia & iniquitas in Apostolo: *Non sumus noctis neque tenebrarum, Omnes enim vos filij lucis estis & filij Dei.* Dies & nox
Ps. 41. prosperitas est & aduersitas vt in Psalmo: *In die mandauit Dominus misericordiam suam & nocte declarauit.* Item ibi:
Ps. 21. *Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Nam virtutum fulgorem & honestatem conuersationis bonæ dies significat in illa Pauli sententia, vbi ait: *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & indua-*
Rom. 13. *mur arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus*: quia si ignorantias nostras scientiæ ratio fugat, & indignos actus declinantes pia quæque & honesta sectemur, in luce inmus positi, & quasi in die honeste ambulamus. In eo er-
Psal. 42. go, quod scriptum est: *in die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit*: diem ocium debemus accipere, in quo Domini præcepta discuntur. Nam lex eius in spacio tranquillitatis ebibitur. Tunc enim vacat discere, quando non est, quod debeat impedire. Sequitur: *Et nocte declarauit*: illud vtique, quod dicitur in quiete, in tribulatione declaratur: prius enim ocioso tempore legis verba discuntur: sed eorum fructus in afflictione monstratur. Quod autem diei vocabulum tempus iudicij si-
1. Thess. 5. gnificet, ostendit illa sententia Euangelij, qua dicitur: *Di-*
1. Cor. 3. *es Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* & illud Apostoli, *dies,* inquit, *Domini declarabit.* Diem autem pro æternitate po-
Psal. 83. situm ostendit Propheta ad Dominum dicens: *quia melior est dies vna in atrijs tuis super milia* ita sunt atria Domini, in quibus superius concupisse se & defecisse testatus est. In quibus vna dies iuste desideratur: quia semper æterna, quæ solis aduentu non oritur, nec eius finitur occasu, quam non sequitur crastina, nec præcedit hesterna: sed immutabilis manens, constat vnitate perpetua. *Super milia* mundum istum significat, vbi milia dierum sustinent
Psal. 89. finem. *Dies vnus mille anni*, vt in Psalmo: *Quomodo mille anni ante oculos tuos tanquam dies vna.* Dies duo vetus & nouum testamentum quibusdam figurare videntur, vt in
Psalmo: *Bene nunciare de die in diem salutare eius.* Dies cognitio Trinitatis, vt in Exodo: *Ibimus viam trium dierum, & sacrificemus Domino Deo nostro.* Item dies tres passionis sepulturæ & resurrectionis Saluatoris typum continent, vt in Osee: *Viuificabit nos Dominus post duos dies, die tertio suscitabit nos, & viuemus.* Dies sextus, præsens mundus, qui in his sex diebus factus perhibetur. Vnde dies sex, sex milium annorum figuram habere dicuntur, sicut est illud in Apostolo: *Quoniam dies vnus apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vna.* Septimus vero dies, qui in requiem Dei sanctificatus scribitur, requiem significat omniū sanctorū post excursum vitæ præsentis. Dies septē omne tempus & opus vitæ præsentis. quod in his septem diebus voluitur, continent Sacramentum, in quibus præcipitur pascha celebrari, id est, de prioribus ad meliora per emendationem vitæ transire. & fermentum, quod est corruptio peccati, non comedere, sed in azymis sinceritatis & veritatis ambulare. Dies octaua Resurrectionis Dominicæ obtinet sacramentum. Item dies octaua futuram omnium resurrectionem & diem iudicij, cuius mysterio sexta psalmi titulatio præsignatur hoc est, *pro octaua.* Hodie æternitas diuinitatis intelligitur, nec initio cepta nec fine claudenda. Vnde in Psalmo Pater ad Filiū loquitur dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Apud Dominum enim nec heri nec cras, sed semper est hodie. *Hodie* omne præsens tempus significat, vt in psalmo: *Hodie si vocem eius audieritis.* velut si dicatur: quocunq; *in tempore.* Cras futurum tempus, vt in euangelio: *Nolite cogitare de crastino, quid manducetis aut quid bibatis.* Item ibi: *si enim fenum*, id est, peccatores, *quod hodie in agro est, & cras in clibanum*, hoc est in combustionem perpetuam mittitur, *Deus sic vestit.* & alibi: *ne forte dicant filij vestri filiis nostris cras, non est vobis pars in Israele.*

Psal. 95. Exod. 35. Osee 6. 2. Pet. 3. 1. Cor. 5. Psal. 2. Psal. 94. Matt. 6. Ios. 22.

CAPIT. V.

De partibus Dei.

PArtes diei tres sunt: mane, meridies, suprema. Mane, lux matura & plena, nec iam crepusculum: & dictum mane à manu. Manu enim antiqui bonū dixerunt. Quid enim melius luce? Mane autem significat tempus regenerationis in baptismate, quo incipit homo esse filius lucis: vel lumen bonorum actuum: vel tempus resurrectionis. Vnde est illud: *Quoniam ad te orabo Domine mane, & exaudies vocem meam.* Ecclesia enim, quæ se cognoscit habuisse tenebras peccatorum, & de nocte mundi istius congregata, tunc se merito exaudiri credit, cum in lucem vitæ resurrectionis erumpit. Tempus autem resurrectionis significat, vt est illud, quod sequitur. *Mane astabo tibi, & videbo quoniam non volens Deus iniquitatem tu es.* In die iudicij quando resurgunt omnes homines à sopore mortis, tunc apparebit æquitas iudicij Dei, quando vnicuiq; reddet secundum opera sua. Meridies dicta, quasi *medidies*, hoc est, medius dies: vel quia tunc purior dies est. Merum enim purum dicitur. Significat autem planam doctrinam cum claritate bonorum actuum, vt est illud in Cantico Canticorum, vbi sponsa dicit ad sponsum: *indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Et alibi meridies in contrariam ponitur, vt est illud in Psalmo: *A ruina & dæmonio meridiano.* Dæmonium meridianum est immane periculum feruore persecutionis accensum, vbi ruina plerunq; metuitur, quando infirmitas humana superatur. Item *a dæmonio meridiano* accipitur pro manifesto, non occulto. Suprema est postrema pars diei, quando sol cursum suum in occasum vertit, dicta, quod superest ad partem vltimam diei, quod declinat ad vesperum. Vespera ergo vel finem vitæ humanæ vel seculi terminum vel pœnitentiam futuram significat. Nam quod vespera significet occubitum mortis Christi, illud Psalmistæ declarat: *ad vesperū demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Fletus demoratus est vespere quādo Christus Dn noster peremptus est: tunc enim vere demoratus est fletus, dū per triduū fidelium turba congemuit, & mundi peri ipsius occubitum natura cōcussa est. In ma-

Psal. 5. Ibid. Cant. 1. Psal. 90. Psal. 29.

tutino

tutino quoq; orta est lætitia, quando tempore matutino
Resurrectio Domini, Euangelio testante, vulgata est,&
discipuli præsentia Domini sui immortalitatem cerne-
re meruerunt. *Vespere* ergo finem mundi significat, quan-
Ioan 9. do iam tempus operandi finitum est. Vnde dicitur: *Venit*
nox quando iam nemini licet operari. Pœnitentiam autem fu-
turam significat, vbi peccatores in tenebras exteriores
proiiciendi describuntur. Hæc tria tempora in vno versu
Psal. 54. Psalmista comprehendit, dicens: *Vespere, mane & meridie*
narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Hæc verba
magna nobis Sacramenta denuciant. *Vespere* significat
tempus traditionis, quando eum Iudas cohortibus no-
scitur prodidisse se quærentibus. *Mane*, cum ad Pontium
Pilatum productus est audiendus. *Meridie*, quia hora sex-
ta, vt Euangelista dicit, in cruce suspensus est. *Narrabo*,
pertinet ad vesperam, quia tunc omnia locuta esse con-
stat, quæ Iudas nequissimus facere disponebat. *Adnuncia-*
bo ad mane respondit, quando dicente Pilato, *tu es rex Iu-*
daeorum, adnunciauit. *In hoc natus sum*, & cetera, quæ ibi di-
cuntur à Domino. iunxit etiam, *& exaudiet vocem meam.*
Ad meridiem pertinet, quando in cruce dixit, *Consummia-*
tum est. & emisit spiritum. Item *vespere* passionem signifi-
cat, *mane* resurrectionem, *meridies* ascensionem eius in
cœlum.

Capit. VI.

De nocte.

NOx dicta, quod noceat aspectibus vel negociis hu-
manis. siue quod in ea fures latronesq; nocendi aliis
occasionem nanciscantur. Est autem nox solis absentia
terrarum vmbra condita, donec ab occasu redeat ad ex-
ortum: iuxta quod naturam eius & Poeta describens in-
nuit inquit, *oceano nox involuens vmbra magna terramq; po-*
Cant. 6. *lumque.* Et Salamon sacris litteris expressit: *Qui pascitur in-*
ter lilia, donec aspiret dies & inclinentur vmbræ: eleganti vtiq;
sensu decessionem noctis, inclinationem appellans vm-
brarum. Nam quomodo pro conditionibus plagarum,
quibus solis cursus intenditur, & splendorem eius à no-
bis obiectio terrenæ molis excludit, inumbratio illa, quæ
noctis natura est, ita erigitur, vt ad sidera vsq; videatur
extendi Merito contraria vicissitudine, id est, lucis exor-
tu vmbras inclinari, noctem videlicet deprimi pelliq; si-
gnauit. Quam videlicet vmbram noctis ad aeris vsq; &
ætheris confinium philosophi dicunt exaltari, & acumi-
natis instar pyramidum tenebris lunam, quæ infima pla-
netarum currit, aliquando contingi atque obscurari nul-
lumque aliud sidus taliter eclipsin, hoc est, defectum sui
luminis pati, eo quod circa fines telluris solis splendor v-
tiq; diffusus ea libere, quæ telluri procul absunt, aspiciat.
ideoq; ætheris quæ vltra lunam sunt spacia, diurnæ lucis
plena semper efficiat, vel suo videlicet, vel siderum radia-
ta fulgore. Est autem noctis vmbra mortalibus ad requi-
em corporis data, ne operis auida continuato labore de-
ficeret ac periret humanitas: & vt animantibus quibus-
dam, quæ lucem solis ferre nequeunt, ipsis etiam bestiis,
quæ præsentiam verentur humanam, discurrendique vbi
Psal. 103 ac victum quæritandi copia suppeterent, iuxta quod in
Dei laudibus Psalmista decantat: *sol cognouit occasum suum:*
posuisti tenebras, & facta est nox in ipsa pertransibunt omnes bestiæ
siluarum, & cetera. Sicut enim dies lucem fidei & iustitiæ
æquitatem & prospera atque felicia in scripturis mystice
significat: ita & nox iniustitiam & infidelitatem atque ad-
uersa quæque designat. Nam nox infidelitatem significat
1. Thess. 5. in illo Apostoli testimonio, quo ait: *Non sumus noctis filij*
neq; tenebrarum Iniquitas autem in noctis significatione
Iob. 3. exprimitur in illa sententia beati Iob: *pereat dies in qua na-*
Psal. 50. *tus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo.* Vnde Psal-
mista in iniquitatibus conceptum se esse & in delictis
natum testatur. Perire ergo optat beatus Iob spem ab a-
postata angelo illatam, qui diem simulans & promissio-
ne diuinitatis emicuit, sed noctem se exhibens lucem no-
bis nostræ immortalitatis obscurauit. Pereat antiquus
hostis, qui lucem promissionis ostendit: sed pecca-
ti tenebras contulit, qui quasi diem subblandiendo in-
notuit. sed vsq; ad tenebrosam noctem ex impressa com-
modis cæcitate perduxit. Aduersa ergo in noctis nomi-
ne exprimuntur, vbi Psalmista se in nocte clamare testa-
tur, hoc est, in tribulatione, nec tamen exauditum esse.
Item Psalmista dicit: *In die tribulationis meæ Dominum ex-* Psal. 5[?]
quisiui manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus. In *no-*
ctis nomine mundi istius signifiat vitam, quæ quamuis lu-
cem habere videatur, peccatorum tamen obscuritate fu-
scata est. Item per *noctem* significauit inferni claustrum,
cum dicit: *forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illumina-* Ps. 138.
tio mea in deliciis meis. Quomodo ergo poterat à tenebris
conculcari, cui erat nox illuminatio in deliciis suis? o-
stendit enim tunc inferni claustrum reuera illuminatum,
quando potestatem diaboli contriuit, & hominem sua
miseratione liberauit. Nox vita præsens, vt in psalmo:
In noctibus extollite manus vestras in sancta. Item ibi: *nocte co-* Psal. 13[?]
ram eo. & non sum deceptus. Nox futurum seculum de pec- Ps. [?]8.
catoribus significat, vt in Euangelio: *Veniet nox, quando* Ioan. [?]
nemo potest operari. Nox est vita peccatorum, vt in Apo-
stolo. *Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte e-* 1. Thess. [?]
brij Nox cæcitas cordis, vel vana securitas est sicut in Iob
pro impio dicitur: *Nocte opprimet eum tempestas.* & in Eu- Iob 27.
gelio: *stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, quæ autem* Luc. 12.
parasti. cuius erunt? Nox futura tribulatio, vt in euange-
lio: *In illa nocte duo erunt in agro; vnus assumetur, & vnus re-* Luc. 17.
linquetur. Nox tribulatio vitæ præsentis in tempore, vt
in Euangelio: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum* Luc. 11.
media nocte, dicit illi. Amice commoda mihi tres panes, hoc est,
scientiam Trinitatis. Media nox occultum Domini iu-
dicium significat, vt in Euangelio: *Media nocte clamor fa-* Matt. 2[?]
ctus est ecce sponsus venit. Media nox mors eximprouiso ad-
ueniens, sicut in Iob de reprobis: *Et in media nocte auferen-* Iob 34.
tur. Prima vigilia, prima hominum ætas, id est, infantia si-
ue pueritia: secunda vigilia adolescentia & iuuentus: ter-
tia vigilia senectus, vt in Euangelio: *& si in tertia vigilia ve-* Luc. 1[?]
nerit & ita eos invenerit: beati sunt serui illi.

Capit. VII:

De septem partibus noctis.

NOctis autem partes septem sunt: crepusculum, con-
ticinium, intempestum, gallicinium, matutinum,
diluculum. Crepusculum est dubia lux. Nam creperum
dubium dicimus, hoc est, inter lucem & tenebras. Ve-
sperum à stella occidentali vocatum, quæ solem occidu-
um sequitur, & tenebras sequentes præcedit. De qua
Virgilius: *Ante diem clauso componit vesper olympo.* Conti-
cinium est, quando omnes silent. Conticescere enim
silere est. Intempestum est medium & inactuosum
noctis tempus quando agi nihil potest, & omnia sopo-
re quieta sunt. Nam tempus per se non intelligitur, ni-
si per actus humanos. Medium autem noctis actu caret:
ergo tempestas inactuosa, quasi sine tempore, hoc est,
sine actu, per quem dinoscitur. Vnde est: *intempestiue*
venisti: ergo intempesta dicitur, quia caret tempore, id
est, actu. Gallicinium propter gallos lucis prænuncios
dictum. Matutinum est, vt in abscessum tenebrarum,
& auroræ aduentum: & dictum matutinum, quod hoc
tempore inchoante mane sit. Diluculum, quasi iam in-
cipiens parua diei lux: hæc & aurora, quæ solem præ-
cedit. Est autem aurora diei clarescentis exordium, &
primus splendor aeris, qui græce *eos* dicitur, quam nos
per diriuationem *auroram* vocamus, quasi *eororam*. Vn-
de est illud: *Et latus eous currus equus eoasque acies.* Vespera
ergo & initium noctis significat vel initium tribulationis
quæ post prosperitatem seculi sequitur: vel exordium
auersionis iniquorum, qui auersi à luce vera mandato-
rum Dei, incidunt in tenebras peccatorum. Quando e-
nim quis à veritate & iustitia recedit, & in tenebras erro-
rum atque peccatorum corruit: merito vesperi nomine
vocatur, quia antichristi, qui vesper in scripturis appella-
tur, consors efficitur. Intempestum autem, h.e. mediū
noctis vel profunditatem peccatorum significat, vel re-

cessum a mundanis & ad laudandum Dominum bonorum hominum studium. Vnde propheta ait in psalmo: Psal. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* Non vacat quod dicit: *media nocte surgebam.* Scitenim hoc tempore primogenita Ægyptiorum fuisse percussa: scit etiam ea tempestate, Petri Pauli & Silæ in carcere positorum vincula resoluta: scit quoque sponsum media nocte esse venturum: ideoque eodem tempore surgit ad laudes, ne inter fatuas virgines ianua clausa remaneat. Nec vacat, quod dicit: *surgebam:* quia semper surgitur, cum ad Dominum præconia festinatur. *Ad confitendum,* hic significat ad laudandum: quia sequitur: *super iudicia iustitiæ tuæ.* Nam si pœnitentiæ confessionem voluisset intelligi, *super misericordiam tuam,* diceret: non, *super iudicia iustitiæ tuæ.* Gallicinium autem conuersionem peccatorum significat. Vnde eodem tempore Petrus, qui Dominum negando in tenebris obliuionis errauit, & speratæ iam lucis rememoratione correxit, & eiusdem veræ lucis adepta præsentia plene totum, quicquid mutauerat, erexit. Hunc opinor gallum aliquem doctorum intelligendum, qui vos iacentes excitans & somnolentos increpat, dicens: *Euigilate iusti & nolite peccare.* Matutinum ergo siue diluculum Resurrectionis Dominicæ tempus significat, vel hominis à peccatis ad iustitię plenam conuersionem. Psal. 62. Vnde Psalmista ad Dominum ait: *Ad te de luce vigilo: & in matutinis meditabor in te, quia factus es adiutor meus.* Ad ipsum vigilatur, quotiens in mundi ambitione dormitur. Nam illa sic consequimur, si ista deserere festinemus. Bene autem Psal. 107. adiecit *in matutinis meditabor in te,* & alibi: *exurgam diluculo:* quando tempus Dominicæ Resurrectionis eluxit, & tunc eius laudes cerneret, quando genus humanum exemplo suæ resurrectionis animauit. *Matutinum iudicij,* Psal. 100. dies siue resurrectio mortuorum, vt in psalmo: *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Aurora est Ecclesia eo, quod post tenebras peccatorum luce fidei illustrata Iob. 38. sit, vt in Iob: *Et ostendisti auroræ locum suum.*

Capvt VIII.

De tenebris.

Tenebras autem dictas, quod teneant vmbras. Tenebræ autem significant aliquando profunditatem scripturarum diuinarum: aliquando ignorantiam: aliquando infidelitatem peccatorum: & aliquando pœnam gehennæ. Profunditatem ergo scripturarum illud Ps. 17. significat propheticum testimonium, quo ait: *Posuit tenebras latibulum suum* Psal. 138. & alibi: *tenebræ non obscurabuntur abs te: & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Tenebras enim dicit mystica quæque & profunda Pronerb. 6. scripturarum diuinarum iuxta illud, quod legimus in prouerbiis: *Intelliget quoque parabolam & tenebrosum sermonem.* Ps. 17. Sic & in alio psalmo legimus. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris:* ergo istæ tenebræ non obscurabuntur, sed potius illuminantur à Domino, quoniam prædicatio prophetarum ipso veniente completa est. Ignorantiam autem significant tenebræ in illa apostolica sententia, qua dicit de pecEph. 4. catoribus: *Tenebris obscuratum habentes cor.* Infidelitatem autem iniquorum illa euangelica sententia denotat, vbi diIoan. 1. citur: *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Lux quippe est hominum Christus, qui omnia qui illuminari merentur corda hominum suæ præsentia cognitionis illustrat. tenebræ autem stulti sunt & iniqui, quorum cæca præcordia lux * (* æterna) & veræ sapientiæ, qualia sint, manifeste cognoscit: quamuis ipsi radios eiusdem lucis nequaquam capere per intelligentiam possint: veluti si quilibet cæcus iubare solis obfundatur, nec tamen ipse solem, cuius lumine perfunditur, aspiciat. Tenebræ, Diabolus Nah. 1. vel dæmones, vt in propheta: *Inimicos eius,* id est, Dominum, *persequentur tenebræ.* Pœna autem gehennæ in tenebris significatur in illa Euangelij sententia, vbi de peccaMatth. 22. tore ita legitur: *ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Quicunque ergo in præsenti vita infidelitatis & peccatorum interioribus tenebris obscuratur, necesse est, si et condigna pœnitentia non subueniat, vt in exteriores tenebras post exitum præsentis vitæ mittatur, vbi est pœna mortis & sempiternus horror inhabitat. Vmbra ergo aliquando in bono, aliquando in malo ponitur. Tunc vero in bono, quando custodiam Dei & protectionem Spiritus sancti significat, vt est illud in psalmo *Sub vmbra alarum tuarum spero, donec transeat iniquitas.* Psal. 56. Et alibi: *custodi me Domine vt pupillam oculi sub vmbra alarum tuarum protege me.* Psal. 16. Aptissime itaque petit custodiri se, vt pupillam oculi, quando & per ipsam res visuales discernimus, & in nostro corpore nihil præstantius inuenitur. Sequitur: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Hic aliud introducitur * scena, (* schema.) quod græce parabola, latine comparatio dicitur, quando sibi genus dissimile in aliqua commonitione sociatur. Paternis enim protectionibus alæ sunt comparatæ. Misericordia quippe & charitas quasi alæ sunt Patris, quibus se protegi congruenter expostulat. Et in Euangelio: *Et ecce nubes* Matth. 17. *lucida obumbrauit eos.* Et alibi: *Sub vmbra eius viuemus in gentibus.* Thr. 4. Vmbra testamentum vetus, vt in Salomone: *Donec a-* Can. 4. *spiceret dies & amoueantur vmbræ.* Vmbra vita hominis, vt in Iob: *Fugit velut vmbra.* Iob. 14. Vmbra mors carnis, vt in psalmo: *Operuit nos vmbra mortis.* Ps. 43. Tunc autem in malo vmbra ponitur, quãdo vel corporis mortem significat, vel pœnam gehennæ, vt est illud: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis* Psal. 22. *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ps. 87. Et alibi: *posuerunt me in lacu inferiori in tenebris & in vmbra mortis:* peccatorum indicat locum, quia mors delinquentium vmbrosas ac tenebrosas patitur manes, dum eis gaudium non relucet, qui perpetua tristitiæ suæ obscuritate demersi sunt: & ideo pro locorum qualitate verbum hoc multifaria significatione variatur. Caligo vmbra est de spissitudine aeris effecta: & dicta caligo, quod maxime aeris calore gignatur. Iuxta allegoriam vero significat caligo diuinorum secretorum operimentum. Vnde legitur in Exodo: *stetit populus de lõge, Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Exod. 20. Turba quippe populi allegoriarũ caliginem non valet penetrare: quia valde paucorum est spiritalem intellectum rimari. Quia enim mentes carnalium sola sæpe historia pascuntur: loquente Deo stetit populus de longe: quia vero spiritales quique allegoriarũ nubem penetrant & spiritaliter Dei verba cognoscunt: Moyses accessit ad caliginẽ, in qua erat Deus. Hinc & in psalmo dicitur: *Caligo sub pedibus eius.* Ps. 17. quia non ea claritate Deus ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. Quæ sententia & aliter intelligi potest: caligo vero hic Diabolus est, qui hominum mentes innubilat, dum veritatis splendorem non facit videre, quas possidet *Sub pedibus eius.* quia sine dubio maiestate Domini Saluatoris conculcatur dæmoniorum execranda nequitia, sicut in nonagesimo psalmo dictum est: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* Psal. 90. Item caligo significat cæcitatem cordis persecutorum. Hinc Dominus ad Iob ait: *Quis clausit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem.* Iob. 38. Mare sæuiens nube induitur, quia crudelitas persequentium stultitiæ suæ velamento vestitur: & perspicuam veritatis lucem videre non sufficit, & id, quod agitur per crudelitatem, per cæcitatem non agnoscit. Quia ergo persecutores Ecclesiæ instabilitate cordis inquieti atque huic seculo dediti non grandia, sed puerilia sapiunt: superno iudicio constringuntur, ne tantum persequi valeant, quantum volunt. Item vmbra & caligo aliquando peccata significat, vnde dicitur: *sedentes in tenebris, & in vmbra mortis:* Luc. 1. aliquando delectationem peccatorum, vt est illud in Iob de diabolo dictum: *sub vmbra in secreto calami & iunci & locis virentibus.* Iob. 40. Et quia vmbra non longe est ab aere, cuius est vmbra: ita & mors non longe est à pœna. Hinc & in Iob dicitur: *Vbi vmbra mortis, & nullus est ordo, & sempiternus horror inhabitat.* Iob. 10.

Capvt IX.

De hebdomadibus.

Hebdomada græce à septenario numero nomen accepit, humana quidem consuetudine septenis solũ acta diebus: sed scripturæ sacræ auctoritate multis speciebus insignis, quæ tamen cunctę (ni fallor) ad vnum finem spectant, nos scilicet ammonentes post operum bonorũ perfectionem in Spiritus sancti gratia perpetuam sperare quietem. Prima ergo singularis illa hebdomada, & à qua cæteræ formam capessunt, diuina est operatione sublimis: quia Dominus sex diebus mundi ornatum cõplens, septima requieuit ab operibus suis: vbi notãdum, quod non ideo senarius numerus est perfectus, quia Dominus in eo mundi opera perfecerit: sed (sicut Augustinus ait) ideo Dominus, qui omnia simul creare valebat, in eo dignatus est operari: qa numerus est ille perfectus, vt etiam per hunc opera sua probaret esse perfecta, qui suis partibus primus impletur, id est, sexta & tertia dimidia, quę sunt vnum, duo & tria, & simul sex fiunt. Ad huius exemplum diuinæ hebdomadis secunda hominibus

Exod. 20. obseruanda mandatur, dicente Domino: *sex diebus operaberis & facies omnia opera tua septimo autem die sabbathi Domini Dei tui non facies omne opus. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: & requieuit in septimo*: quæ à populo hebdomada Dei ita computabatur antiquitus: Prima sabbathi vel vna sabbathi siue sabbathorum, secunda sabbathi, tertia sabbathi, quarta sabbathi, quinta sabbathi, sexta sabbathi, septima sabbathi, vel sabbathum: non quod omnes sabbathorum, hoc est, requietionum dies, quæ suo nomine & cultu singularis excellebat prima vel secũda vel tertia vel cæteræ suo quæq; censerentur ex ordine. Tertia species hebdomadis in celebratione Pentecostes agitur, septem videlicet septimanis dierum, & monade, hoc est, quinquaginta diebus impleta: qua die & Moyses ardentem conscendens in montem, legem de cælo accepit, & Christus in linguis igneis Spiritus sancti gratiam de cęlo misit. Quarta septimi mẽsis erat hebdomada, qui solemnitatibus præclaris pene totus expendebatur, inter quas præcipue dies propitiationis eminebat, qua sola per annum pontifex, derelicto foris populo, sancta sanctorum intrabat, añuis antea fructibus, hoc est, frumenti, vini & olei ex ordine collectis: significans Iesum pontificem magnum impleta dispensatione carnis per proprium sanguinem cælestis regni ianuas ingressum vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, q foris adhuc positi præstolamur & diligimus aduentum eius: vbi notandum, quia sicut quidam inmundi per legẽ prima tertia & septima die videbantur lustrari: sic & primus, tertius ac septimus mensis suis quiq; cerimoniis extitere solemnes. Quinta hebdomada septimi anni, quo toto populus ab agricolãdi opere legis imperio vacabat,

Leu. 25. dicente Domino: *sex annis seres agrum tuum, septimo cessabis.* Sexta anni iubilæi, hoc est, remissionis hebdomada est, quæ septem hebdomadibus annorum, hoc est, xlvix. annis texitur: qua expleta, hoc est, quinquagesimo demum anno incipiente, tubæ clarius resonabant, & ad omnes iuxta legem possessio reuertebatur antiqua. Septima species hebdomadis est, qua propheta Daniel vtitur, more quidem legis, septenis annis singulas cõplectens hebdomadas, sed noua ratione ipsos annos abbreuians, duodenis videlicet mensibus lunæ singulos determinans, embolismos vero menses, qui de annuis vndecim epactarũ diebus accrescere solent, in lege patria tertio vel altero anno singulos adiiciens: sed vbi ad duodecimum numerum augescendo perueniret, pro integro anno pariter inferen[s]. Hoc autem fecit non veritatis cognitionem quærentibus in videndo: sed prophetiæ more ipsum quærentium exercendo ingenium, malens vtiq; suas margaritas a [...] clausas fructuoso sudore inuestigari, quam profusas à porcis fastidiosa despectione calcari. Verum vt hæc ap[er]tius elucescant, ipsa iam angeli ad prophetam edicta

Dan. 9. videamus: *septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, impleatur visio & prophetia & vngatur sanctus sanctorum.* Nulli dubium, quin hæc verba Christi incarnationem designent, qui tulit peccata mundi, legem & prophetas impleuit, vnctus est oleo lætitiæ p̃ participib. suis: & quod hebdomades lxx. per septenos annos distinctę, quadringentos & nonaginta annos insinuent. Sed notandum, quod easdem hebdomadas nõ simpliciter annotatas siue computatas, sed abbreuiatas asserit, occulte videlicet lectorem commonens, vt breuiores solito años nouerit indicatos. *Scito ergo*, inquit, *& animaduerte ab exitu sermonis, vt iterũ ædificetur Ierusalem vsq; ad Christum ducem hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursus ædificabitur platea & muri in angustia temporũ.* *Ibid.*

Esdra narrante didicimus, quod Neemias cum esset pincerna regis Artaxerxis vicesimo anno regni eius, mense Nisan, impetrauit ab eo restaurari muros Ierusalem, templo multo ante, Cyro permittente, constructo ipsumq; opus (vt dictum est) in angustia temporis perfecerit: adeo scilicet à finitimis gentibus impugnatus, vt structores singuli gladio renes accincti vna manu pugnasse, altera murum recuperasse narrentur. Ab hoc ergo tempore vsq; ad Christum ducem hebdomades lxx. computa, hoc est, annos duodenorum mensium lunarium quadringẽtos nonaginta: qui sunt anni solares quadringenti septuaginta quinq.: siquidem Persæ à præfato vicesimo anno regis Artaxerxis vsq; ad mortem Darij regnauerunt annis trecentis: inde Romani vsq; ad septimum decimum Tiberij Cæsaris annum monarchiam tenuerunt annis lix. qui sunt simul (vt diximus) anni cccc lxxv. & continentur circulis decennouenalibus xxv. Decies nouies enim vicem & qui fiunt cccc. lxxv. Et quia singulis circulis embolismi vii. accrescunt: multiplica xxv. per vii. fiũt clxxv. qui sunt embolismi menses quadringentorum lxxv annorum. Si ergo vis scire quot annos lunares facere possint, partire clxxv. per xii. duodecies deni & quaterni xiv. annos faciunt, & remanent menses vii. Hos iunge ad suprascriptos cccc. lxxv. fiunt simul cccc lxxxix. adde & menses superfluos vii. partemque octaui decimi anni imperij Tiberij, quo Dominus passus est: & inuenies à tempore pręfinito ad eius vsq; passionẽ hebdomadas lxx. abbreuiatas, hoc est, annos lunares cccc. xc. ad eius vero baptismum, quando vnctus est sanctus sanctorum, descendente super eum Spiritu sancto, sicut columba, non solum hebdomadas vii. & lx. duas fuisse completas, sed & partem iam septuagesimæ hebdomadis inchoatã: *& post hebdomadas*, inquit, *lx. duas occidetur Christus & non erit eius populus qui eum negaturus est.* Non statim post lx. duas hebdomadas, sed in fine septuagesimę hebdomadis occisus est Christus: quam ideo (quantũ conicere possumus) segregauit à cęteris: quia de hac erat plura relaturus: nam & Christus in illa crucifixus, & à populo perfido non modo in passione, verum continuo ex quo à Ioanne prædicari cepit, negatus est.

Ibid. Quod a. sequitur: *& ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas & post finem belli statuta desolatio*: non ad lxx hebdomadas pertinet. Prædictum enim fuerat, quod ipsæ hebdomades ad Christi vsq, ducatum pertingerent: sed scriptura, prædicto aduentu & passione ipsius, quid etiam post hanc populo, qui eum recipere nollet, euenturum, ostendit. Ducem enim venturum Titum dicit, qui quadragesimo anno Dominicæ passionis ita cum populo Romano ciuitatem & sanctuarium dissipauit, vt nõ remaneret lapis super lapidem. Verum, his per anticipationem prælibatis, mox ad exponẽdum hebdomadæ, quam omiserat, redit euentum.

Dan. 9 *Confirmabit a. pactũ multis hebdomada vna* hoc est, ipsa nouissima, in qua vel Ioannes Baptista, vel Dominus, & apostolus in pręedicando multos ad fidẽ conuerterunt.

Ibid. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificiũ* Dimidium hebdomadis huius quintus decimus añus Tiberij Cęsaris erat, quãdo, inchoato Christi baptismate, hostiarũ purificatio fidelib[us] paulatim vilescere cepit.

Ibid. Item q̃ sequitur: *& in templo erit abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem & fine perseuerabit desolatio*: ad sequentia tempora respicit. cum

prophetiæ veritatem & historia veterum, & nostrorum hodieq; temporum testatur euentus. Octaua species hebdomadis vniformis & sola, sine circuitu reuolutionis, extans ad figuratum per omnia primæ hebdomadis labentibus huius seculi conficitur ætatibus. Prima enim die facta est lux, & prima ætate homo in Paradisi amœnitate locatur: diuisa luce a tenebris factum est vespere, & separatis Dei filiis a semine nequam, nō longe post, natis gigantibus, corrupta est omnis terra, donec Creator pœnitens se hominem fecisse, mundum diluuio perdere disponeret. Secunda die firmamentum in medio libratur aquarum: secunda ætate arca in medio fertur aquarum, hinc fontes abyssi supportata, illinc cæli cataractis compluta. quæ habuit vesperam, quando filij Adam pedes ab Oriente mouentes, qui in construenda superbiæ turre conuenerunt, linguarum diuisione mulctati, & ab inuicem sunt dispersi. Tertia die aquis in congregationē vnam coactis, apparuit arida, filuis herbisque decora: & tertia ætate, * firmitatis in cultu * demum nationibus, Abraham patriarcha cognationem patriamque deserens sanctorum semine fœcundatur. Huic aduenit & vespera, quando gens hebræa malis coacta præmentibus contra Dei voluntatem regem sibi petiit: qui mox ordinatus primo Domini sacerdotes prophetasque trucidat: postmodum ipse cum tota gente gladio periit allophylorum. Quarta die cælum luminaribus ornatur: quarta ætate gens illa cælesti fide inclyta, regno Dauid & Salomonis gloriosa, Templi etiam sanctissimi altitudine totum nobilitatur in orbem: sed accepit & vesperam, quando, crebrescentibus peccatis, regnum illud à Chaldæis dissipatum, templum dirutū, & tota gens est Babyloniam translata. Quinta die pisces auesq; aquis eductæ: hi in patriis manent vndis, illæ aera terramq; peruolant: quinta ætate multiplicatus in Chaldæa populus Israel, pars cælestium desideriorum pēnis fulta, Hierosolymam petiit: pars volatu destituta virtutum, inter Babyloniæ fluenta resedit. Successit & vespera, quando, imminente iam Saluatoris aduentu, gens Iudęa propter scelerum magnitudinem Romanis tributaria facta, insuper & alienigenis est subacta regibus. Sexta die terra suis animantibus impletur, & homo primus ad imaginem Dei creatur, moxq;, eius latere dormientis sumpta costa, fœmina fabricatur: sexta ætate præconantibus prophetis Filius Dei in carne, qui hominem ad imaginem Dei crearat, apparuit: qui dormiens in cruce sanguinem & aquam de latere, vnde sibi Ecclesiam consecraret, emanauit: huius ætatis vespera cæteris obscurior in Antichristi est persecutione ventura. Septima die, consummatis operibus suis, Deus requieuit: eamq; sanctificans, *Sabbathum* nuncupari præcepit, quæ vesperam habuisse nō legitur: septima enim ætate iustorum animæ post optimos huius vitæ labores in alia vita perpetuo requiescunt, quæ nulla nunquam tristitia maculabitur, sed maiori insuper resurrectionis gloria cumulabitur. Hęc ętas hominibus tunc cepit, quando primus martyr Abel corpore quidem tumulum, Spiritu autem sabbathum perpetuæ quietis intrauit: perficietur autem, quādo receptis sanctis corporibus in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis: & ipsa est octaua, pro qua sextus psalmus inscribitur: credo, quia in sex huius seculi ætatibus pro septima vel octaua illius seculi est ætate supplicandum, in qua quia iusti gaudia, sed reprobi sunt supplicia percepturi. Psalmus hinc ingenti pauore incipit, currit, finitur: *Domine, ne in ira tua arguas me*, & cætera.

*firmatur. * demonum.*

Psal. 6.

Capvt X.

De mensibus.

MEnses dicti à mensura, quia quisq; eorum mensuratur: sed melius à luna, quę græco sermone mene vocatur. Nam & apud hebręos, Hieronymo teste, luna, quoniam mene nominant, mensibus nomen dedit. Vnde & Iesus filius Sirach, qui vtiq; hebraice scripsit, de luna loquens ait: *mensis secundum nomen est eius*. Antiqui enim menses suos non à solis sed à lunæ cursu computare solebant.

Sir. 43.

Vnde quoties in scriptura sacra, siue in lege, seu ante legem, quota die mensis quid factum dictumue sit, indicatur, non aliud quam lunæ ætas significatur, à qua semper hebræi, *quibus credita sunt eloquia Dei*, antiquo patrum more menses obseruare non cessant: primum mensem nouorum, qui post hæc cerimoniis sacratus est, Nisan appellantes, qui propter multiuagum lunæ discursum, nunc in Martium mensem, nunc incidit in Aprilem, nunc aliquot dies Maij mensis occupat. Sed rectius Aprili deputatur: quia semper in ipso vel incipit vel desinit vel totus includitur, ea dumtaxat regula (cuius & supra meminimus) obseruata, vt quæ quintadecima post æquinoctium luna extiterit, primum sequentis anni mensem faciat: quæ vero antea, nouissimum præcedentis: hic quod per ordinem secundus eorū mensis Iar Maio, tertius Siuan Iunio, quartus Thamul Iulio, quintus ab Augusto sextus Elul Septēber, septimus Thesri October, quem propter collectionem frugum & celeberrimas in ipso festiuitates nouum annum appellant: octauus Marc suam Nouember: nonus Casleu Decēber: decimus Debeth Ianuario: vndecimus Sabat Februario: duodecimus Adar Martio similitudine comparatur. Quos videlicet menses propter lunæ circulum, qui xxix. & semis diebus constat, tricenis vndetricenisq; diebus alternantes, secūdo demum vel tertio anno exacto, mensem superfluum, qui ex annuis vndecim epactarū diebus confici solet, intercalant. Vnde non nullo moueor scrupulo, quomodo maiores nostri diem, qua lex data est, quæ est tertia mensis tertij, quinquagesimam ab agni occisione computent, ponentes videlicet primi mensis residuos dies numero decem & septem: quia tredecim priores fuerant ante pascha transacti, secundi xxx. tertij tres, qui fiunt simul dies quinquaginta: cum cōstet duos menses lunares non lx. sed quinquaginta noueni diebus terminari: ideoq; si paschalis mensis xxx. diebus * computatur xxix. sui cursus dies post pascha retinuerit, secundum iam mensem non triginta, sed vndetriginta diebus debere concludi: ac per hoc in summa temporis memorati non plusquam vndequinquaginta dies inueniri: nisi forte putandum est synecdochicos (quæ est regula sanctæ scripturæ frequentissima) à parte totum computari. Verum hæc vtcumq; acta vel computata fuerint, claret tamen hebræos ad lunæ cursum suos menses obseruare consuesse, nec aliter in Genesi recte senciendum, vbi Noe cū suis septimodecimo die secundi mensis arcam ingressus, & xxvii. eiusdem mensis die post diluuium egressus asseritur: quam annum solis integrum, hoc est, trecentorum sexaginta quinq; dierum esse descriptum: quia videlicet luna, quę præsenti anno, verbi gratia, per Nonas Maias septima decima existit, anno sequenti vicesima viii. pridie Nonas Maias occurret. Notandum sane, quod nimium fallantur, qui mensem definiendum vel ab antiquis definitum autumant, quamdiu luna Zodiacum circulum peragit. quæ nimirum (sicut diligentior inquisitio naturarum edocuit) Zodiacum quidem septem viginti diebus, & octo horis sui veri cursus ordinem viginti nouem diebus & duodecim horis salua sui saltus ratione conficit: ideoq; rectius ita definiendum, quod mensis lunæ sit luminis lunaris circuitus ac redintegratio de noua ad nouam: solaris autem mensis digressio fit solis per duodecimam partem Zodiaci, id est, signiferi circuli, quæ triginta diebus decem & semis horis impletur: viginti duabus videlicet horis, ac dimidia, lunari mense productior e quibus vndecim epactarum dies & quadrans annuatim succrescere solet. Duodecies enim viceni & bini ducentos sexaginta quatuor faciunt, quas esse horas vndecim dierū hinc facile patet: quia vndecies viceni & quaterni eandē summam conficiunt. Porro duodecies seni sex faciunt, quæ annuæ sunt horæ quadrans. Siquidem luna duodecim suos menses vndecim diebus (vt dictum est) & quadrante breuiores totidem solis mensibus agens, in his tādem peragendis tredecies Zodiaci ambitū lustrat. Iuxta allegoriam vero mensis, qui à luna nomē & ordinem accepit, significat sanctæ Ecclesiæ coadunationem siue profectum. Vnde Iob ait: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos*: qd nonnune signat *mensium*, nisi collectiones ani-

Rom. 3.

** computatus.*

Iob. 29.

marum, siue aliquan[illegible]o mensis pro perfectione. Reminiscatur ergo per vocem Iob Ecclesia perfectionis pristinę, & reducat ad memoriam, quanta perfectio prædicationis suæ collectis animabus reportabat lucra. Menses duodecim eiusdem numeri sunt Apostoli, vt in Apocalypsi:
Apoc. 22. *Per singulos menses reddentes fructum suum.* Item mensis, sicut & sabbathum, pro requie sempiterna posita inueniuntur
Esa. 66. vt est illud Esaiæ: *Et erit mensis ex mense & sabbathum ex sabbatho* vt de carnalibus sabbathis mensibusq; fiant spiritalia sabbatha delicata. Qui sabbatismus Dei populo reseruatur, & mensis spiritalis, quando à puncto vsq; ad punctum luna complebitur, & suo currit ordine, vt efficiat mensem integrum calendarium. Quod autem luna, quę à sole illuminatur, significet Ecclesiam à Christo illuminatam: non indiget explanari. sabbathum requiem significat. Veniunt ex neomeniis & sabbathis, qui sex diebus, in quibus factus est mundus, transcensis festinant ad septimum diem, id est, sabbathum, in quo vera est requi-
Esa. 66. es: *veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea*, dicit Dominus non populus Iudæorum tantum, nec in sola Hierusalem: sed omne humanum genus vbiq, in toto orbe ad-
Ioan. 4. oret Patrem in Spiritu & veritate.

CAPVT XI.

De vicissitudinibus temporum quatuor.

TEmporum autem vicissitudines quatuor sunt: Ver, Æstas, Autumnus & Hiems. Dicta sunt autem tempora à communionis temperamento, quod inuicem se humore, siccitate, calore & frigore temperent. Hæc & curricula dicuntur, quia non stant, sed currunt. Constat autem, post factum mundum ex qualitate cursus solis tempora in ternos menses fuisse diuisa, quorum temporum talem veteres discretionem faciunt, vt primus mensis ver nouus dicatur, secundus adultus, tertius præceps. Sic & æstas in suis tribus mensibus: noua, adulta & præceps. Sic & autumnus: nouus, adultus, & præceps. Item hiems: noua, adulta & præceps siue extrema. Vnde & est illud extremæ sub casu hiemis. Ver autem dictum, quod viret: tunc enim post hiemem vestitur tellus herbis, & in florem cuncta rumpuntur. Æstas dicitur, quasi vsta, id est, exusta & arida: nam calor aridus est. Autumnus à tempestate vocatus, quando & folia arborum cadunt, & omnia maturescunt. Hiemem ratio hemisphærij nuncupauit, quia tunc breuiori sol voluitur circulo. Vnde &
* brachys. hoc tempus bruma dicitur, quasi * braxin, id est, breuis: vel à cibo, quod maior sit tunc vescendi appetitus. Edacitas enim græce bruma appellatur. Vnde & imbrumati dicuntur, quibus fastidium est ciborum. Hibernus autem inter hiemem & vernum, quasi hieuernus, qui plerumq; à parte totam hiemem significat. Hæc tempora singulis etiam cæli partibus ascribuntur. Ver quippe Orienti datur, quia tunc ex terris omnia oriuntur. Æstas vero Meridiano eo quod pars eius calore flagrantior sit. Hiems Septentrioni, quod frigoribus & perpetuo gelu torpet. Autumnus Occiduo propter graues morbos, quos habet: vnde & tunc omnium folia arborum defluunt. Vt autem autumnus abundet morbis, facit hoc confinium frigoris & caloris, & compugnantia intra se contrariarum rerum. Mystice autem ver Baptismi nouitatem significat, aut renouationem vitæ post frigus infidelitatis, & pigritiæ torporem: siue resurrectionem corporum post mortis occubitum. Vnde Dominus præcepit in lege mensem nouarum obseruare & verni principium, quando eduxit Do-
Exod. 14. minus filios Israel de terra Ægypti per mare rubrum, in quo & celebrare pascha iussit: quo etiam tempore Saluator post passionem à morte surrexit, & spem nobis resurrectionis tribuit. Æstas autem venturæ iucunditatis præfiguratio est, & feruore charitatis exprimitur. Vnde est il-
Psal. 73. lud in psalmo: *Æstatem & ver tu fecisti ea.* Et in Salomone:
Cant. 2. *Iam enim hiems transiit & recessit, flores apparuerunt in terra.* Æ-
Prou. 20. stas [illegible] beatitudo, vt in Salomone: *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Et hæc duo [illegible] diuersa [illegible] qualitate pol-
lent. Alij enim sunt [illegible] æstas, [illegible] feruentes ad martyrium sque perducta, alij mansuet[illegible] temperati, tanquam ver [illegible] Domino deuotione famulantes. Omnia enim & ista & alia ipse fecit, cuius gratia conceditur, quod in hominum bona voluntate monstratur. Autumnus etiam, in quo colliguntur fruges, & tempus est messis atque vindemiæ, tempus vniuersalis iudicij significat, quando vnusquisque operis mercedem recipiet, & metet fructum laboris sui, iuxta illud Apo-
stoli: *Omnes nos oportet stare ante tribunal Christi vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum:* 2. Cor. 5. Gal. 6.
quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Si-
cut enim Dominus in Euangelio ait: *Messis vero consummatio seculi est: messores autem Angeli Dei.* Et alibi: *Sic est regnum Dei,* Matth. 13. Mar. 4
quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & increscat, dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxerit fructus, statim mittat falcem, quo-
niam adest tempus messis. *Tunc enim mittet Filius hominis* Matth. 13
angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, alligantque zizania fasciculis ad comburendum: triticum autem congregant in horrea sua. Item autumnus aliquando transacta talium
tempora significat, vt in Michea: *Væ mihi, quia factus sum* Mich. 7.
sicut qui colligit racemos in autumno. Hiems vero tribulationem significat vel terminum mortalis vitæ. Vnde Do-
minus præcepit in Euangelio discipulis, dicens: *orate vt* Matt. 24
non fiat fuga vestra hieme vel sabbatho. Si de captiuitate Hierusalem hanc sententiam voluerimus accipere, quando à Tito & Vespasiano capta est: orare debent, ne fuga eorum hieme vel sabbatho fiat: quia in altero duritia frigoris prohibet ad solitudinem pergere, & in montibus desertisque latitare: in altero autem transgressio legis est, si fugere voluerint, aut mors imminens, si remanserint. Si autem de consummatione mundi intelligitur: hoc præcepit, vt non refrigescat fides nostra, & in Christum caritas: neq; vt ociosi in opere Dei torpeamus virtutum sabbatho.

CAPVT XII.

De anno.

ANnus vel ab innouando cuncta, quæ naturali ordine transierant, vel à circuitu temporis nomen accepit: quia veteres annum per circumponere solebant, vt Cato dicit in originibus, oratorum annum, id est, circum, terminum: & ambire dicitur pro circuire. Est autem annus lunaris, est & solaris, est & errantium discretus stellarum: est & omnium planetarum vnus, quem magnum specialiter nuncupant. Sed lunaris annus quadrifarie accipitur. Primus est namq;, cum luna XXVII. dieb. & octo horis Zodiacum percurrens, ad id signum, ex quo egressa est, reuertitur. Secundus duobus diebus & quatuor horis prolixior, qui cōsuete mensis appellatur, cum solē à quo noua digressa est, XXIX. dibus & duodecim horis exactis, iam defecta repetit. Tertius, qui XII. mensibus huiusmodi, id est, diebus CCCLIV expletur, & vocatur communis eo, quod duo sæpissime tales pariter currant. Quartus, qui embolismus græce dicitur, id est, superaugmentum, & habet XIII. menses, id est, dies CCC.LXXXIV qui vterq; apud hebręos à principio mensis paschalis incipit, ibidemque finitur: apud Romanos vero ab incipiente luna mensis Ianuarij sumit initium, ibiq; terminatur. Item solis est annus, cum ad eadem loca siderum redit peractis trecentis sexaginta quinq, diebus & sex horis, id est, quadrante totius diei: quæ pars quater ducta cogit interponi vnum diem: quod Romani bissextum vocant, vt ad eundem circuitum redeatur. Quartus solaris gyri annus bissextilis est, cæteris tribus vno die prolixior, quo [illegible] ad cuncta signorum loca eisdem dierum noctiumque [illegible] quibus ante quadriennium, reuertitur horis. Annus errantium stellarum est, quo illarum quæq, Zodiaci ambitum peragrat, de quo supra diximus. Annus magnus est, [illegible] errantia sidera ad sua quęq; loca simul habuerint [illegible]

currunt, quem etiam circulus magnus paschæ ostendit. Circulus paschæ magnus est, qui multiplicato per inuicem solari ac lunari cyclo qngentis triginta duobus conficitur annis. Siue enim decies nonies viceni & octoni, seu vicies octies deni ac noueni multiplicentur: quingentorum xxxii. numerum complent, vnde fit, vt idem circulus magnus decennouennalis lunæ circulos viginti octo, solis autem, qui vicenis octonisq; consummari solet annis, decem & nouem habeat circulos bissextos decies nonies septenos, id est, centum triginta tres menses solares vicies octies ducentos viginti & octo, id est, sex milia trecentos octoginta quatuor. Menses autem lunares vicies octies ccxxxv.i. sex milia d. lxxx. dies, exceptis bissextis vicies octies vi.d.ccc.xxxv. id est, cxxctv. lxxx. appositis autem bissextis cxctv, ccc.xiii. Qui vbi memoratam ex ordine mésium dierumq; summam compleuerit, mox in se ipsum reuolutus cuncta, quæ ad solis vel lunæ cursũ pertinent, eodem, quo præterierant, semper tenore restaurat. Tantum anni Dominicæ Incarnationis suo certo tramite proficiunt in maius: & indictiones, quoquo serã tur in ordine, nil siderum cursum, atq; ideo nil paschalis calculi ordinem mouent: anni enim iuxta allegoriam aliquando æternitaté, aliquando breuitatem humanæ vitæ significant: in illo enim prophetico, vbi ad Deum dicitur:
Psal. 101. *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*: natura eius sub breuitate declaratur: quia ipse solus nouit esse, qui vt sit, alio non egeret adiutore. Alibi autem, vbi scriptum est:
Psal. 89. *anni nostri, sicut aranea meditabuntur*: malignitaté vitæ nostræ posita similitudo declarat. Aranea est enim animal debile ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis ad escam sibi procurandam quædam retia dolosa contexit. Sic ãni eorum: qui sceleratis operibus dediti sunt, in artibus & subdolis machinationibus occupantur. Quod auté subsequenter dicitur: *dies annorum nostrorum in ipsis lxx. anni: si autem in potentatibus, lxxx. anni* & cætera: si annos istos ad literam velimus aduertere, multos hominum & nonagenarios bene viuentes inuenies, & iterum necdum septuagenarios debilitate confectos: vt, quod hic dicitur, constare minime posse videatur: sed numerum septuagenariũ legi potius decenter aptamus, quo sabbathi diem obseruandum esse præcepit: octogenarium vero populo Christiano aptissime deputamus, qui octauum diem Resurrectionis Dominicæ sancta festiuitate veneratur. Octogenarium vero addidit in potentatibus: quia rũc reuera cepimus habere potentiam, quando nobis Dominus Saluator apparuit. Isti ergo sunt dies annorum, qui nobis probabilis vitæ conferunt claritatem. Annus Dominus Iesus
Psal. 64. Christus à quibusdam putatur, vt in psalmo: *Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* Annus, præsens tempus ab aduentu Domini vsq; in finé mundi, in quo pœnitentia & remissio peccatorum prædicatur, vt est illud in Esaia:
Esa. 61. *Prædicare annum placabilem Domino, & diem retributionis.* Hinc & in Euangelio agricola
Luc. 13. ad Dominum suum ait: *Dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam cophinum stercoris.* Anni sex, de quibus in lege præcipitur, vt si puer hebræus emptus pre-
Exod. 21. cio fuerit, Domino suo seruiat, & in septimo ad libertaté exeat, præsens significant tempus: quia mundus sex diebus factus est Iubilæus interpretatur remissionis annus. Est enim hebraicus sermo, & numerus, qui septenis annorum hebdomadibus, id est xlvi v. annis texitur, in quo clangebantur tubæ, & ad omnes reuertebatur antiqua possessio, debita absoluebantur, confirmabantur libertates. Hunc numerum etiam in diebus pentecostes & ipsi celebramus post Domini resurrectionem, remissa culpa, & totius debiti chirographo euacuato, ab omni nexu liberi, suscipientes aduenientem in nos gratiam Spiritus sanct.

Caput XIII.

De seculo.

SEcula generationibus constant, & inde secula, quod se sequantur. Abeuntibus enim aliis alii succedunt. Hinc quidam quinquagesimum annum seculum dicũt, quem hebræi iubelæum vocant. Ob hanc causam & ille hebræus, qui propter vxorem & liberos amans Dominũ Exod. 21. suum, aure pertusa aut seruitio subiugatus, seruire iubetur in seculum, hoc est, vsq; ad annum quinquagesimum. Aliquando pro præsenti vita positum est, vt est illud: *Confitemini Domino quomodo bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Psal. 135. Seculum, huius vitæ significat cursum, vbi miseri sunt, quicumq; delinquunt: vbi fas est corda nostra conuerti, & misericordiam postulari. Ibi enim damnatio est confiteri peccatum, vbi constat esse iudicium. Aliquãdo pro æternitate ponitur, vt est illud: *Memor fuit in seculum testamenti sui*: Psal. 104. quia quicquid Dominus promisit, * per eum * perenni. firmitate mansurum est. Aliquãdo preteritum tempus significat, vt est illud: *Misericordia Domini à seculo*, Psal. 40. hoc est, à primordio mundi declarata est in fidelibus suis: *& vsq, in seculum seculi*, hoc est, in præsenti & in futuro seculo. Sic ergo ter hic positum seculum æternitatem Domini absolute designat: quoniam & ille ante seculum, & in seculo, & post illud seculum misericors esse mostratur. Ætas plerumq; dicitur & pro vno anno, vt in annalibus: & pro septem, vt hominis: pro centum, vt pro quouis tempore. Vnde & ætas tempus, quod de multis seculis instruitur: & dicta ætas, quasi æuitas, id est, similitudo æui. Nam eius est ætas perpetua, cuius neq; initium neq; extremum nascitur. quod græci vocant æonas: quod aliquando apud eos pro seculo, aliquando pro æterno ponitur. Vnde & apud latinos est deriuatum. Ætas autem prope duobus modis dicitur. Aut est enim hominis, sicut infantia, iuuẽtus, senectus: aut mundi, cuius prima ætas est ab Adam vsq; ad Noe: secunda à Noe vsq; ad Abraham: tertia ab Abraham vsq; ad Dauid: quarta à Dauid vsq; ad migrationem Iuda in Babyloniam: quinta deinde vsq; ad aduentum Saluatoris in carne: sexta, quæ nunc agitur, vsq; quo mundus iste finiatur. Sic ergo potest mundi ætas ad similitudinem æui hominis comparari.

Caput XIV.

De sex ætatibus seculi.

DE sex huius mũdi ętatibus à septima vel octaua quietis vitæque cælestis & supra in comparatione primæ hebdomadis, in qua mundus ornatus est, aliquanta perstrinximus: & nunc in comparatione æui vnius hominis, qui *microcosmos* græce à philosophis, hoc est, *minor mundus* solet nuncupari, de eisdem aliquanto latius exponemus. Prima est ergo mundi huius ætas ab Adam vsq; ad Noe, continens annos, iuxta hebraicam veritatem, mille sexcentos quinquaginta vel iuxta lxx. interpretes, ii.cc. & xlii. generationes, iuxta vtramq; editionem numero decem: quæ vniuersali est deleta diluuio, sicut primam cuiusq; hominis obliuio demergere consueuit ætaté. Quotus enim quisque est, qui suam recordetur infantiam? Secunda ætas à Noe vsq; ad Abraham, generationes iuxta hebraicam auctoritatem complexa decem, annos autem ccxxii. porro iuxta interpretes anni mille lxxii. Generationes vero xi. Hęc quasi pueritia fuit generis populi Dei, & ideo in lingua inuenta est, id est, hebræa. A pueritia nãque homo incipit nosse loqui post infantiam, quæ hinc appellata est, quod fari non potest. Tertia ab Abraham vsq; ad Dauid, generationes iuxta vtramq; auctoritatem xiv. annos vero dc.ccc. xlii. complectens. Hæc quædam velut adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate quia incipit homo posse generare, propterea Matthæus Euangelista generationum ex Abraham sumpsit exordium, qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum no- Gen. 17. men accepit. Quarta à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis, annos habens, iuxta hebraicam veritatem, cccc. lxxiii. Iuxta lxx. translationem duodecim amplius

generationes: iuxta vtrosque codices xviii. quas tamen Euangelista Matthæus certi mysterij gratia xiv. ponit, à qua, velut iuuenali ætate, in populo Dei regum tempora cœperunt. Hæc namque in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno. Quinta, quasi senilis ætas, a * transmigrari Babylonis vsque ad aduentum Domini Saluatoris in carne, generationibus & ipsa xxiv. porro annis dlxxxviv. extenta. In qua, vt graui senectute fessa, malis crebrioribus plebs hebræa quassatur. Sexta, quæ nunc agitur, ætas nulla generationum vel temporum serie certa: sed, vt ætas decrepita ipsa, totius seculi morte consumenda. Has ærumnosas, plenasque laboribus, mundi ætates quique felici morte vicerunt, septima iam sabbathi perennis ætate suscepti octauam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

* tr. nsm i-gratione.

Caput XV.

De festiuitatibus.

FEstiuitas dicta à festis diebus, quasi *festiditas* eo, quod in eis sola res diuina fit, quibus contrarij sunt fasti, in quibus ius fatur, id est, dicitur. Solemnitas à sacris dicitur, ita suscepta, vt mutari ob religionem Christi non debeat absolutio, id est, firmo atque soli Deo nominata. Celebritas autem vocatur quod non ibi terrena, sed cælestia tantum aguntur. Paschæ festiuitatum omnium prima est, de cuius vocabulo iam superius dictum est. Pentecosten, sicut & pascha, apud hebræos celebris dies erat, quod post quinque decadas paschæ celebratur, vnde & vocabulum sumpsit. Pente enim græce quinque. In quo die secundum legem panes propositionis de nouis frugibus offerebantur: cuius figuram annus iubelæus in testamento veteri gessit, quæ nunc iterum per figuram repromissionis æternam requiem præfigurat. Epiphania græce, latine apparitio siue manifestatio vocatur. Eo enim die Christus sideris indicio magis apparuit adorandus: quod fuit figura præmitiæ credentium gentium. Quo die Dominicum Baptismatis Sacramentum & permutatæ aquæ in vinum factorum per Dominum signorum principia extiterunt. Duæ sunt autem Epiphaniæ: prima, in qua natus Christus pastoribus hebræorum, angelo nunciante, apparuit: secunda, in qua ex gentium populo, stella indice, ad præsepis cunabula magos adoraturos exhibuit. Scenophegia solēnitas hebræorum de græco in latinum tabernaculorum dedicatio interpretatur, quæ celebrabatur à Iudæis in memoriam expeditionis, cum ab Ægypto promoti in tabernaculis agebant, & ex eo Scenophegia. Scena enim græce tabernaculum dicitur: quæ solemnitas apud hebræos Septembri mense celebratur. Neomenia apud nos Calendas, apud hebræos autem quia secundum lunarem cursum menses supputantur, & græce men luna appellatur: inde neomenia, id est, noua luna. Erant enim apud hebræos ipsi dies calendarum ex legali institutione solennes, de quibus in psalterio dicitur: *Canite in initio mensis tuba, in die insigni solennitatis vestræ.* Encænia, noua templi dedicatio. Græce enim dicitur nouum. Quando enim aliquid nouum dedicatur, encænia dicitur. Hanc dedicationis templi solemnitatē Iudæi Octobri mense colebant. Dies palmarum ideo dicitur, eo quod in eo Dominus & Saluator noster, sicut propheta cecinit, Hierusalem tendens, asellum sedisse perhibetur: tunc gradiens cum ramis palmarum multitudo plebium obuiam ei clamauerunt: *osanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Vulgus autem ideo hunc diē *capitilauium* vocat, quia tunc moris est lauandi capita infantium, qui vngendi sunt, ne obseruatione quadragesimæ sordidata ad vnctionem accederent. Hoc autem die symbolum competentibus traditur, propter confinium Dominicæ paschæ solemnitatis, vt qui iam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, quam confiteantur, agnoscant. Cæna dominica dicta est eo, quod in eo die Saluator pascha cum suis discipulis fecerit. Quod & hodieq;, sicut est traditum, celebratur, sanctumq; in eo die chrisma conficitur, atq; initium noui testamenti, & veteris testamenti cessatio declaratur.

Psal. 80.

Zach. 9.

Matth. 21.

Caput XVI.

De Sabbatho.

SAbbathum ab hebræis ex interpretatione vocabuli sui requies nominatur: quod Deus in ipso, perfecto mundo, requieuisset. Siquidem in eo die requieuit Dominus in sepulchro, vt quietis illius mysterium confirmaret. Quam Iudæis obseruandum in vmbra futuri præceptum est: postquam Christus in sepulchro suo eius figuram adimpleuit, obseruatio eius quieuit.

Caput XVII.

De Dominico die.

DOminicus dies proinde vocatur, quia in eo resurrectio Domini nostri declarata est. Qui dies non Iudæis, sed Christianis in resurrectione Domini declaratus est, & ex illa habere cepit festiuitatem suam. Illis enim solum celebrandum sabbathum traditum est: quia erat antea requies mortuorum: resurrectio autem nullius erat, quam qui resurgens a mortuis non moreretur. Postquam autem facta est talis resurrectio in corpore Domini, vt periret in capite, quod corpus Ecclesiæ speraret in fine: iam Dies Dominicus, id est, octauus, qui & primus, celebrari cepit.

EXPLICIT LIBER DECIMVS.

INCIPIT LIBER VNDECIMVS.

INDEX CAPITVM LIBRI VNDECIMI.

Capitvlvm Primvm.

De diuersitate aquarum.

AQVARVM naturæ diuersitas multa est. Aliæ enim salis, aliæ nitri, aliæ aluminis, aliæ sulphuris, aliæ bituminis, aliæ curam morborum adhibentes: de quo historici plura narrasse reperiuntur. Nam fertur iuxta Romā Albulæ aquę vulneribus mederur. In Italia fons Ciceronis oculorū vulnera curat. In Æthiopia locus est, quo pfusa corpora velut oleo nitescūt. Zæme fons in Africa canoras voces facit. Ex Clinaterio, lacu Italiæ, q bibernt, vini tędiū habent. In Chio insula fontē * esse, quo hebetes fiant. In Boetica duo fontes, alter memoriā, alter obliuionē afferat. Cizici fons amorē Veneris tollit. B-

* ...

hecitæ lacus furialis est; de quo qui biberit, ardore libidinis exardescit. In Campania sunt aquæ, quæ sterilitatem fœminarum & virorum, infamiam abolere dicuntur. In Æthiopię fonte rubro qui biberit, lymphaticus fit. Lechnus fons Arcadiæ abortus fieri non patitur. In Sicilia fontes sunt duo, quorum vnus sterilem fœcundat, alter fœcundam sterilem facit. In Thessalia duo flumina, ex vno bibentes oues, nigras fieri, ex altera albas, ex vtroque varias. Clitumnus lacus in Vmbria maximos boues gignit. Reatinus paludis aquis iumentorum vngulas indurari: in Asphalite lacu Iudææ nihil mergi potest, quicquid animam habet. Minidissidem vocari stagnum, in quo nihil innatat, sed omnia merguntur. At contra in Alce lacu per Poscidanium omnia fluitant, nihil mergitur. Matlide fons in Phrygia saxa gerit, in Achaia aqua profluit è saxis. Styx appellata, quod ilico potata interfecit. Celoconium stagnum Siciliæ tetro odore abigit proximantes. Fons est in Africa circa templum Ammonis, qui humoris nexibus humum stringit: fauillas etiam in cespidem solidat. Fons Iob in Idumæa quater in anno colorem mutare dicitur, id est, puluerulentum, sanguineum, viridem, limpidum, ternis mensibus in anno tenens ex his vnum colorem. In Fracotidis lacus est, ter in die fit amarus, & deinde totiens dulcis. Fons Siloa ad radicem montis Sion non iugibus aquis, sed in certis horis diebusque ebullit. In Iudęa quondam riuus sabbatis omnibus siccabatur. In Sardinia fontes calidi oculis medentur, fures arguunt: nam cæcitate detegitur eorum facinus. In Epiro esse fontem, in quo faces extinguuntur accensæ: accenduntur extinctæ. Apud Garamantas fontem esse, ita algentem die, vt non bibatur: ita ardentem nocte, vt non tangatur. Iam vero in multis locis aquæ manant perpetim, feruentes tantum, vt balnea calefaciant. Quædam terræ sunt, quæ multum sulphuris & aluminis habent. Itaque cum per venas calentes aqua frigida venit, vicino sulphuris calore contacta excandescit: nec talis ab origine effluit, sed permutatur, dum venit. Sulphurem alumenque secum ferunt aquæ vtramque materiem igne plenam, nimisque montibus incalescentem. Diuersæ enim species aquarum diuersos effectus habentes, congruas significationes in scripturis, vbi necesse est, exprimere possunt. Illarum enim rerum, quæ in scripturis inueniuntur, conuenit, vt significationes diligenter exquirantur: quæ autem alias, non est necesse exponi. Aquæ in scriptura sacra aliquando Spiritum sanctum, aliquando scientiam sacram, aliquando scientiam prauam, aliquando tribulationem, aliquando defluentes populos, aliquando mentes fidem sequentium demonstrare solent. Per aquam quippe sancti Spiritus infusio designatur, sicut in Euangelio dicitur: (Ioan. 7.) *Qui credit in me* (sicut dicit Scriptura) *flumina de ventre fluent aquæ viuæ.* Vbi Euangelista subiunxit: (Ibid.) *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Rursum per aquam sancta scientia designatur, sicut dicitur: (Syr. 15.) *Aqua sapientiæ salutaris potauit eos.* Per aquam quoque praua scientia appellari solet, sicut apud Salomonem mulier, quæ typum hæreseos tenet, callidis suasionib. blanditur, dicens: (Prou. 9.) *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Aquarum ergo nomine nō nunquam solent tribulationes intelligi, sicut per Psalmistam dicitur: (Psal. 68.) *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Per aquam populi designantur, sicut per Iohannem dicitur: (Apoc. 17.) *Aquæ vero sunt populi.* Per aquam quoque non solum fluxus decurrentium populorum, sed etiam bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium designantur, sicut Propheta ait: (Esa. 32.) *Beati, qui seminatis super omnes aquas.* Et per Psalmistam dicitur: (Psal. 28.) *vox Domini super aquas.* Aquæ sunt Angeli, vt quidam volunt, vt est illud Psalmi: (Psal. 148.) *& aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Aquæ gentes sunt, vt in Apocalypsi: (Apoc. 17.) *Aquæ, quas vidisti, populi sunt & gentes.* Aqua, Dominus Iesus Christus eo, quod sordida abluat, & reficiat sitientes, vt in Hieremia: (Ieremi. 2.) *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Et in Psalmo: (Psal. 21.) *Sicut aqua, effusus sum.* Aqua, fluenta diuinæ prædicationis, vt in Esaia: (Esai. 43.) *Dedit in deserto aquam*, id est, in populo. Aqua, sanctorum obscura prędicatio, vt in Psalmo: (Psal. 17.) *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Et alibi: (Psal. 76.) *A multitudine sonitus aquarum vocem dederunt nubes.* Aqua baptismus, vt in Esaia: (Esa. 55.) *Omnes sitientes venite ad aquas.* Et in Ezechiele: (Ezech. 36.) *Effundam super vos aquam mundam.* Item ibi: (Ezech. 47.) *& ecce aqua de latere dextro egrediebatur* id est, Domini Iesu Christi. Aqua effusio lachrymarum, vt quidam volunt: (Iob. 9.) *Si lotus fuero quasi aquis niuium.* Aqua doctrina iusti, vt in Salomone: (Prou. 18.) *Aqua profunda verba ex ore viri.* Item ibi: (Prou. 5.) *Bibe aquam de tua cisterna.* Aqua charitas à quibusdam putatur, vt in Psalmo: (Psal. 103.) *Qui tegit in aquis superiora eiusdem*, cœlum diuinæ scripturæ, quia secundum Euangelium in duobus præceptis charitatis tota lex pendet & Prophetæ. Aquæ persecutiones huius mundi, vt in Iob: (Iob. 38.) *Nunquid eleuabis in nebula vocem, & impetus aquarum operiet te.* Aquæ, temptationes diaboli, vt in Psalmo: (Psal. 80.) *Probaui te ad aquas contradictionis.* Aquæ baptismum hæreticorum, vt in Psalterio: (Psal. 143.) *Libera de aquis multis.* Aquæ multiplicatio peccatorum, vt in Psalterio: (Psal. 17.) *Misit ex alto, & accepit me, & assumpsit me de multitudine aquarum.* Aqua, dogma hæreticorum, vt in Salomone: (Prou. 9.) *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Et in Esaia: (Esai. 1.) *Caupones tui miscent aquam vino.* Aqua, immoderata locutio, vt in Salomone: (Prou. 17.) *Qui dimittit aquam*, id est, linguam, *caput est iurgiorum.* Aqua luxuria carnis, vt in Salomone: (Prou. 30.) *Terra, quæ non satiabitur aqua*, id est, caro hominis, quæ non expletur luxuria. Et in Euangelio pro quodam lunatico dicitur: (Matth. 17.) *Sæpe cadet in ignem, crebro autem in aquam.*

Capvt II.

De mari.

MAre est aquarum generalis collectio: omnis enim congregatio aquarum, siue salsæ, siue dulces, abusiue maria nuncupantur; iuxta illud: (Gen. 1.) *Et congregationes aquarum vocauit maria.* Proprie autem mare appellatum eo, quod aquę eius amaræ sint. Ideo autem mare incrementum non capere, cum omnia flumina, omnes fontes recipiat, hæc causa est,* paruin, quod influentes vndas ipsa magnitudo eius non sentiat: deinde, quia amara aqua dulce fluentum consummat: vel quod ipsæ nubes multum aquarum ad se trahant: siue quod illam partim auferant venti partim sol exsiccet: postremum, quod per occulta quædam terræ foramina percolatus, & ad caput omnium fontesque reuolutus recurrat. Hinc & in ecclesia scriptum est: (Eccl. 1.) *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Vbi metaphorice aquæ nomine & flumina homines intelliguntur, qui in terram, vnde sumpti sunt, reuertuntur: sed terra eorum multitudine non impletur.

* primum

Capvt III.

De Oceano.

OCeanum græci & latini ideo nominant eo, quod in circuli modo ambiat Orbem. Item quia vt cœlum purpureo colore nitet: Oceanus, quasi cyaneus. Iste est, qui oras terrarum amplectitur, alternisq; æstibus accedit atque recedit. Respirantibus enim in profundum ventis, aut reuomit maria, aut resoluit.

Capvt IV.

De mediterraneo.

MAre magnum est, quod ab occasu ex Oceano fluit, & in meridiem vergit: deinde ad Septentrionem tendit. Quod inde magnum appellatur, quia cetera maria in comparatione eius minora sunt. Iste & mediterraneus; quia per mediam terram vsq; ad Orientem profunditur, Europam & Africam Asiamque disterminans.

Caput V.

De rubro mari.

Rubrum autem mare vocatum eo, quod sit roseis vndis infectum. Non tamen talem natiuum habet, qualem videtur ostendere: sed vicinis littoribus vitiatur gurges atque inficitur; quia omnis terra, quæ circumstat pelago, rubra est, & sanguineo colori proxima: ideoque inde minium acutissimum cernitur, & alij colores, quibus pictura variatur. Ergo cum terra habeat naturam, fluctibus subinde diluitur, & quicquid adhæsum est, in colorem cadit. Ob hoc etiam in his littoribus gemmæ rubræ inueniuntur. Lapillus enim eiusmodi humo inuolutus, cum inter arenas attritus est, & terræ colorem habet, & maris. Hoc mare in duos sinus scinditur: & is, qui ab Oriente est, Persicus appellatur, quia oram illius Persæ inhabitant; alter vero Arabicus dicitur, quod sit circa Arabiam. Mare autem iuxta allegoriam aut baptismum significat, aut mundanam sapientiam, aut seculum præsens æstuans vndis persecutionum aut peccatores fluctibus vitiorum tumultuantes. Nam mare Baptismum significat, vt est illud Apostoli: *Omnes baptizati*
1.Cor.10. *sunt in nube & in mari:* vbi verus Pharao cum exercitu suo submergitur, & verus Israelita à persequente hoste liberatur. Item mare Baptismum significat in Apocalypsi:
Apoc.4. *Et ante sedem tanquam mare vitreum.* Huius Baptismi mare illud aëreum figuram habuit, quod Salomon in templo Domini fecit. Item mare Scriptura diuina est propter inæstimabilem eius scientiam, vt in Ezechiele:
Ezech.1. *Et visio earum,* id est, rotarum, *sicut visio maris.* Item mare Orientale, populus Iudæorum: mare nouissimum, populus gentium. Vnde legitur in Zacharia, quod propter
Zach.14. aquam Baptismi dicitur: *Medium earum ad mare nouissimum.* Nam mare mundanam sapientiam designat, vt est
Psal.8. illud in Psalmo: *Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Pisces vero maris Philosophos fortasse significant, qui huius mundi naturam erratica curiositate pertractant. Nam sicut illi, posita fronte, itinera sibi referant, pelagi inundatione confusa: ita & isti capiunt, rete misso, venas rerum ratione humana assiduo labore perquirendo. Sed cum sint pisces & fluminum, non vacat, quod hic posuit, *maris,* propter eos, qui sibi videntur esse sapientes. Item mare præsens seculum si-
Matth.13. gnificat, vt est illud in Euangelio: *Simile est regnum cæ-*
Abac.3. *lorum sagenæ missæ in mare.* In Abacuc: *Misisti equos tuos in mare* id est, Apostolos, *turbantes aquas multas,* id est, gentes. Item mare desertum, præsens mundus est. In Esaia:
Esai.21. *Onus maris deserti.* Rursum mare gentium populus est, vt
Psal.45. in Psalterio: *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes,* id est, Apostoli, *in cor maris.* Et in
Luc.13. Euangelio: *Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro: eradicare & transplantare in mare & obediret nobis.* In hoc etiam mari diabolicæ sine numero serpere probantur insidiæ malitiæque dæmonum, velut quibusdam fluctibus animarum voluntas instabilis commouetur, vt
Psal.103. est illud Psalmistæ: *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla & magna, illic naues pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Mare enim spaciosum ipsæ reddunt, dum naufragare compellunt: quia dubium non est, illum vndas immanissimas pati, qui mergitur gurgite peccatorũ. Mare quippe a meando dictum est, quod semper eat ac redeat. Sed iste spiritus innumerabiles nobis à Deo comprehensi sunt, qui arenam maris, & pluuiarum guttas enumerat. Et ne omnino incomprehensibiles linquerentur, quantitate non qualitate ea diffiniuit. Denique de eis dicitur: *Animalia pusilla & magna:* quoniam inter ipsos & maiores esse nequitiæ probantur omnimodis, & minores. *Illic,* in mundo scilicet, quem superius dixit mare. *Naues* autem merito significantur Ecclesiæ, quæ periculosos fluctus mundi per lignum gloriosæ crucis euadunt, portantes populos, qui ligno fidei crediderunt. Vbi & draco malignus & pestifer inhabitat, qui illuditur ab angelis Dei per iustissimas increpationes, vel etiam & a fidelibus viris, dum incentiua spirituum eius detestabili errore refugiunt. Nam quod mare peccatores significet, ostendit Psalm. dicens: *Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum.* Mare frequenter diximus peccatores istius seculi debere suscipi, qui more vndarum tumidis cogitationibus fluctuant. Iordanem vero pro quolibet flumine debemus accipere: qui variis desideriis homines rapiunt & in mare illud magnum nefanda præcipitatione deducunt. Ista enim duo, quæ genus humanum diuersa delectatione rapiebant, aduentu Domini respectus, à suis consuetudinibus retrorsum præcipitata redierunt. Cor maris, hominum corda, vt in Psalterio: *Transferentur montes in cor maris.* Cor maris, Iudæa eo, quod in medio mundo sita esse dicatur. Vnde in libro Hesdræ pro Saluatore dicitur: *Vidi virum ascendentem de corde maris.* Et in Ezechiele: *O Tyre, quæ sita es in corde maris.* Profundum maris sempiterna damnatio, vt in Euangelio: *Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius demergatur in profundum maris.* Lingua maris Ægypti, philosophia huius mundi, vt in Esaia: *Et sic auit Dominus linguam maris Ægypti.* Litus maris finis mundi, vt in Euangelio: *Et secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Oceanum autem, qui circuiuit Orbem terræ, maris nomine vocatum illa sententia beati Iob denotat, qua ait: *Nunquid mare ego sum, aut cetus? quia circumdedisti me carcere.* Cetum ergo Cosmographi maxime in Oceani profunditate conuersari dicunt: cuius sententiæ tales esse potest sensus, quod mare allegorice mundum dixerit, & cetum diabolum, qui intra mundi istius claustra tenetur: in illius etiam conclusione ipse damnandus sit. Carcerem ergo pro cruciatibus poni sæpe legimus: quia ad carcerem omnes pertinent pœnæ. Pro omnibus ergo malis, quæ patiebatur beatus Iob, ipsa domum tormentorum nominauit, veluti si eadem domo fuisset inclusus. Mare ergo rubrum siue Baptismi significat sacramentum, seu etiam seculi istius fluentum ac turbidum statum, per quem sancti transeunt illæsi, & peccatores obruuntur examine diuini iudicij. De quo legitur in Psalmo: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, & eduxit Israhel per medium eius,* excussit *Pharaonem & exercitum eius in mare rubrum.* Priscæ auctoritatis viri mare rubrum in duodecim diuisiones dixerunt esse partitum, quantas tribus fuisse Iudæorum, ideoque hic plurali numero positum est *in diuisiones:* ne putaremus mare rubrum vno itinere fuisse transmissum. Sed potest hoc & spiritaliter congruenter aduerti. Rubrum mare est seculi istius permixta profunditas, quam multis diuisionibus transimus, quando conuersi ad terram viuentium Domini munere festinamus. Aliter enim per eleemosynas, aliter per assiduam supplicationem, aliter per virginitatem, aliter per excellentissimam charitatem: sic multis diuisionibus per seculi huius mare transitur ad Dominum, qui diabolum cum ministris suis in fonte salutis excutit: quando eum à nobis potentiæ suæ virtute remouet. *Excutit* autem, dixit, tanquam mulierem proiicit: vt de hac celeritate & virtutem diuinitatis ostenderet, & illos terrenas sordes esse monstraret.

Psal.113. Psal.45. 4.Esdr.13. Ezech.27. Matth.18. Esai.11. Matth.13. Iob.7. Psal.135.

Caput VI.

De Abysso.

Abyssus profunditas est aquarum impenetrabilis, siue speluncæ aquarum latentium, quibus fontes & flumina procedunt, vel qui & occulte subtereunt. Vnde & abyssus dictus. Nam omnes aquæ torrentes per occultas venas ad matricem abyssum reuertuntur. Abyssus intelligitur profunditas scripturarum, vt est illud in Psalmo: *Abyssus abyssum inuocat,* id est, vetus testamentum nouum annunciat, & nouum vetus in testimonium inuocat. *In voce cataractarum tuarum,* hoc est, in prædicatione sanctorum. Item abyssus aquæ immensitas est, vt in Genesi legitur: *Et rupti sunt fontes abyssi magnæ.* Item

Psal.41. Ibid. Gen.7.

Psal. 35. abyssus multa iudicia Dei designat, vt est hoc: *Iudicia tua abyssus multa.* Item abyssus infernum significat, vt Rom. 10. Apostolus ait: *Aut quis descendit in abyssum? id est, Christum a mortuis reducere.* Item abyssus corda hominum denotat Iob 28. facinoribus tenebrosa, vt est illud beati Iob: *Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur, non est mecum.* Nec nō & abyssus superstitiosis atque persecutorib. ecclesiæ comparatur: quia sicut pallium subiecta cooperit ita illi mundum fœdissima superstitione texerunt: vt non solum mediocres homines, sed in perniciem suam ipsos quoq; sanctos viros atque eminentissimos tormētis corporum obruere viderentur, vt est illud in Psalmo: Psal. 103. *Abyssus sicut pallium amictus eius: & super montes stabunt aquæ.* Item abyssus corda hominum facinoribus tenebrosa, vt in Amos: Amos 7. *Vocauit iudicium Dominus, & deuorauit abyssum multam.* Abyssus damnatio peccatorum sempiterna, vt in Iob: Iob 41. *Æstimauit abyssum quasi senescentem:* id est, diabolus per ministros suos putabit, quod pœna impiorum finem habitura sit. Abyssus infernus, vt in Euangelio: Matth. 8. *Et deprecabantur eum spiritus,* id est, dæmones, *ne in abyssum eos mitteret.*

CAPVT VII.

De æstibus vel fretis.

ÆStus ad Oceanum pertinet, fretum ad vtrumque mare. Nam æstus est maris accessus vel recessus, id est, inquietudo: vnde æstuaria dicuntur, per quę mare vicissim tam accedit quam recedit. Fretum autem appellatum, quod ibi semper mare ferueat. Nam fretum est angustum & quasi feruens mare, ab vndarum feruore nominatum. Iuxta allegoriam æstuat mundus vndis persecutionum, & per varia loca aut accedit aut recedit, feruet etiam odiis, & tumultus excitat, nec vnquam perfectæ tranquillitatis in altero valet habere statum. Vnde & in Marc. 6. Euangelio legitur, misisse Dominum ascendere discipulos suos in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, ipsosque remigando laborare propter contrarium ventum. Quod mystice labores varios Ecclesiæ sanctæ designat, quæ inter vndas seculi aduersantes & immundorum flatus spirituum ad quietem patriæ cœlestis, quasi ad fidam litoris stationem, peruenire conatur. Sed prius non cessat ventus, quam Saluator ascendit in nauem: quia in quocunq; corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox immensa vitiorum & aduersantis mundi siue spirituum malignorum bella compressa quiescunt.

CAPVT VIII.

De lacis & stagnis.

SVnt autem & quædam maria, quæ non miscentur Oceani fluctibus aut mari magno, & dicuntur lacus & stagna. Lacus est receptaculū, in quo aqua retinetur nec miscetur fluctibus, vt lacus Asfalti, vt lacus Benacus, & ceteri, quos Græci limen, id est, stagna vocant. Nam fontes labuntur in fluuios, flumina in freta discurrunt. Lacus stat in loco, nec profluit, & dictus lacus, quasi aquæ locus. Lacus autem idem & stagnum, vbi immensa aqua conuenit. Nam dictum est stagnum ab eo, quod illic aqua stet, nec decurrat. Lacus Asfalti, idem & mare mortuum vocatum, propter quod nihil viuum gignit, nihil recipit ex genere viuentium. Nam neque pisces habet, neque assuetas aquis & lætas mergendi vsu patitur aues: sed & quæcunque viuentia mergenda temptaueris, quacunque arte demersa, statim resiliunt; & quamuis vehementer illisa, confestim excutiuntur; sed neque ventis mouetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur: neq; nauigationis patiens est, quia omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiem vllā sustinet, nisi quæ bitumine illustratur. lucernam accensam ferunt supernatare, extincto demergi lumine. Hoc & mare salinarum dicitur, siue lacus Asfalti, id est, bituminis: & est in Iudæa inter Hiericho & Zoran: longitudo eius vsque ad Zoaras Arabiæ dirigitur stadiis septingentis octoginta, latitudo stadiis centum quadraginta vsq; ad viciniam Sodomorum. Stagna philosophiam huius mundi significant, vt in Esaia: *Ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam.* Esai. 42. Mystice autem mare mortuum, quod nihil gignit viuum, nihil recipit ex genere viuentium: sed omnia vita carentia in profundum mergit. & terræ Sodomorum atq; Gomorræ imminet (quas ciuitates, ignē & sulphur de cœlo pluens, Dominus subuertit) significat præsentis seculi peruersitatem, vbi diabolus in perditis regnat, & cum his, qui in Deo vita viuunt, nullo consortio iungitur: sed vera vita carentes in profundum mergit inferni. In sulphure fœtor carnis, & per ignem ardor desiderij carnalis exprimitur. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserāt, dignum fuit, vt simul sulphure perirent & igne, quatenus ex iusta pœna discerent, & iniusto desiderio quid fecissent. Lacus Tiberiadis ab oppido Tiberiade vocatus, quod quondā Herodes in honorem Tiberij Cæsaris condidit. Est autem in Iudæa omnib. lacis salubrior & ad sanitatem corporum quodam modo efficacior. Genasar lacus amplissimus in Iudæa, longitudine centum quadraginta extenditur stadiis, latitudine quadraginta diffunditur, crispantibus aquis auram non ventis, sed de se ipso sibi creans. Vnde & Genesar dicitur greco vocabulo, quasi generans sibi auram. Denique diffusiora spacia lacus frequentibus auris spirantibus agitantur, vnde & purior haustus eius, & ad potandum dulcis & habilis. Denique si sciremus, quid in latina lingua resonet Genesar: intelligeremus, quomodo Iesus per typum Apostolorum & nauis Ecclesiam de persecutionis naufragio liberatam transducat ad litus, & in tranquillissimo portu requiescere faciat. Interpretatur autē Genesar, ortus principium, vt in libro de nominibus Hebraicis inuenimus. Tunc enim plena nobis tribuetur tranquillitas, quando Paradisi per Christum nobis restituetur hæreditas, ac primæ stolæ reddetur iucunditas. Lacus enim generali vocabulo aut pro inferno ponitur, aut pro sepultura foueali, aut illius mundi profundissima calamitate. Dicitur enim inde lacus, quod sub ipsa terra lateat. Nam lacus pro inferno notatur, vt est illud Psalmistę: *Posuerunt me in lacum inferiorem, in tenebris & vmbra mortis.* Psal. 87. Sic & in illo testimonio Zachariæ Prophetæ, quo ad ipsum Dominum ait: *In sanguine testamenti tui * eduxit vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Zach. 9. * eduxisti Quod ita intelligitur: In sanguine passionis tuæ, ô Saluator, eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Item lacus pro sepultura ponitur, vt est illud Psalmistæ: *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.* Psal. 87. Culpat eos, qui putabant, Dominum Saluatorem mortuum fuisse communiter, & illam singularem & mirabilē passionem morientibus reliquis hominibus comparem. Rursum in laci nomine profundissima calamitas istius mundi exprimitur, vt est illud: *Ad te Domine clamaui, Deus meus ne sileas a me, & ero similis descendentibus in lacum.* Psal. 142. Lacus enim hoc seculum est, quod quasi delectabile ac tranquillum creditur, sed quas profunditates & mensuras habeat, ignoratur. Lacus dolor vel lapsus in mortem, vt in Psalterio: *Lacum aperuit & effodit eum.* Psal. 7. Et alibi: *laqueos parauerunt pedibus meis.* Psal. 56. Lacuna, hæretici, vt in Propheta: *Qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.* Esai. 19.

CAPVT IX.

De Fontibus.

VAscho nomen est fontis in tribu Beniamin, & interpretatur, *conuersio generationis.* Rogel nomen est fontis in tribu Beniamin: & interpretatur, *deorsum ferens.* Sames fons est in tribu Beniamin, & interpretatur, *sol.* Arech fons, apud quem Gedeon castrametatus est, interpretatur, *artifex.* & merito, quia ibi Domini Iudic. 7. mandato probabatur populus, iuxta aquas, qui cum Gedeone pugnaturus erat. Fons quoque aut Dominum

Christum

Christum mystice significat, aut gratiam Spiritus sancti, aut Baptismi lauacrum, aut originem virtutum. Nam Christum significat in eo, quod in Genesi legitur (*Gen. 2.*), fontem esse in medio Paradisi, vnde quatuor flumina procedebant, hoc est, quatuor Euãgelia de fonte salutaris procedentia ad irrigationem generis humani. Item fons spiritus sancti gratiam designat in eo, quod Dominus dicit in Euangelio (*Ioan. 4.*): *Qui biberit aquam, quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Baptismi vero sacramentum ostendit illud Zachariæ Prophetæ, quo ait (*Zach. 13.*): *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoru & menstruatæ.* Hic fons de domo Dei egrediens fertur ad ecclesiam, & ad scientiam Scripturarum, vt omnes renascamur in Christo, & in aqua Baptismatis, nostra nobis peccata donentur. Nihil immundius menstruata, quæ quicquid attigerit, immundum facit: & iniustorum sordes Christi abluuntur Baptismate. Fons Saluator, vt in Hieremia (*Ierem. 2.*): *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Fons Baptismum in Iohel (*Ioel 3.*): *Et fons de domo Domini egredietur & irrigabit omnem terram.* Et in aliã partem, vt in Propheta (*Esa. 19.*): *Desiccabitur fluuius a fonte suo.* Fontes sancti prædicatores; vt in Esaia (*Esa. 12.*): *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Et in aliam partem per Iohel: *Sed & bestiæ suspexerunt ad te, exsiccati sunt fontes aquarum.* Fontes, hæretici in epistola Petri (*2. Pet. 2.*): *Hi sunt fontes sine aqua.* Fons origo generis humani in Salomone (*Eccl. 12.*): *Antequam rumpatur funis argenteus, & recurrat* (* *vitta.*) *vitta aurea, & conteratur hydria super fontem*, id est, caput hominis per mortem. Fons ergo originem virtutum significat in illo Psalmistæ (*Psal. 35.*): *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Christo Domino dicit: *quoniam apud te est fons vitæ*, id est, initium omnium bonorum, & origo virtutum, vnde perfectissime complemur, quando aliquod munus ab eius pietate suscepimus. Similiter & illud intelligendum est (*Psal. 103.*): *Qui emittis fontes in cõuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ*: quia omnipotens Deus dona spiritalis gratiæ humilibus præstat, quo loco hic conuallium ponuntur, & aquæ diuinæ ibi semper exæstuant: quæ *inter medium montium*, hoc est, superborum hæreticorum sine aliquo fructu pertransibunt.

CAPVT X.

De Fluminibus.

FLuuius est perẽnis aquarum decursus, à fluendo perpetim dictus. Proprie autem flumen aqua ipsa: fluuius, cursus aquæ. Prius autem flumen quam fluuius, id est, prior aqua quam decursus. Duo sunt autem fluminum genera: vnum torrens, alterum viuum. De quo Virgilius: *Donec me flumine viuo abluero.* Torrens est aqua veniens cum impetu. Dictus autem torrens, quia pluuia crescit, siccitate torrescit, id est, arescit. Allegoria fluuij seu fluminis aliquando in bonam partem, aliquando in contrariam vertitur. In bonam partem flumina accipiuntur, vbi Saluator dicit (*Ioan. 7.*): *Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, id est, gratiæ spiritales de cordis secreto emanant. Sic etiam in Psalterio (*Psal. 45.*): *Fluminis*, inquit, *impetus*, hoc est, gratia Spiritus sancti, *lætificat ciuitatem Dei* id est, ecclesiam Dei. Et alibi (*Psal. 64.*): *Flumen Dei repletum est aqua* Similiter & illud Psalmistæ (*Psal. 41*), vbi ait; *Excelsa tua & fluctus tui super me transierunt.* Excelsa vero & fluctus ad scripturas sacras competenter aptamus. Ipsæ sunt enim, quas superius abyssos vocauit, vbi & parabolarum quidem fluctus alludit, (* *vt*) & altitudo sensuum per perscrutatione grandescat. Hæc ergo supra se dicit transisse iustus, quia in eorum notitia auidus se perscrutator immisceat. Aliquando autem flumina significant Apostolorum & Euangelistarum doctrinam cum bonis operibus, vt est illud (*Psal. 92.*): *Eleuauerunt flumina vocem suas.* Et (*Psal. 97.*): *flumina plaudent manibus in idipsum.* Item Esaia (*Esa. 42.*): *Ponam flumina in insulas.* In contrariam vero partem flumina ponuntur, quando sæculi huius turbidum cursum & peccatorum inundationem significant, vt est illud (*Psal. 136.*): *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus.* Contemplandum autem, quod non dicit, *in fluminibus: sed, super flumina.* Nam qui adhuc in fluminibus positi sunt, peccatorum inundatione voluuntur; qui vero super ripas salui sedent, iam ab illis fluctibus diuino munere sunt liberati. Vnde de Sanctis alibi dicit (*Psal. 65.*): *Flumina pertransibunt pede*, hoc est, mundi huius turbida fluenta per gratiam Christi securo virtutum transibunt gressu ad futuram patriam, vbi gaudij nostri est & salutis æternæ origo præparata. Flumina impetus persecutionis in Canticis canticorum (*Cant. 8.*): *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem,* (* *nec*) *ne flumina* (* *obruent*) *obruerent illam.* Flumen Philosophia huius mundi vel dogma hæreticorum in Psalterio (*Psal. 73.*): *Tu exsiccasti flumina Ethan*, qui interpretatur, *fortis*, id est, diabolus, de quo in Euangelio dicitur (*Luc. 11.*): *Cum fortis armatus custodit atrium suum* & cetera. Item alio modo in Iob (*Iob. 40.*): *Absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habebit fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Fluuij nomine humani generis decursio signatur, quæ velut a fontis sui origine nascendo surgit, & ad ima defluens moriendo pertransit. Iordanis autem appellatione baptizati designantur. Quasi ergo diceret: Ante mundi Redemptorem mundum Vehemoth non miratus absorbuit: sed (quod est acrius) etiam post Redemptoris aduentum, quosdam, qui baptizati sunt, deglutire se posse confidit. Quidam autem fluuiorum proprijs ex causis nomina acceperunt. Ex quibus nonnulli notandi sunt, qui in historiis celebres memorantur. Geon fluuius de Paradiso exiens, atque vniuersam Æthiopiam cingens, vocatus hoc nomine, quod incremento suæ exundationis terram Ægypti irriget. Ge enim terram significat græcis. Porro apud Ægyptios Nilus vocatur propter limum, quem trahit, qui efficit fœcunditatem. Vnde & Nilus dictus est, quasi nilon. Nam antea Nilus latine Melo dicebatur. Apparet autem in Nili effluxu de lacu, de quo in meridiem versus excipitur Ægypto, vbi a pelonis flatibus repercussus aquis retro luctantibus intumescit & vndationem Ægypti facit. Ganges fluuius, quem Phison sancta Scriptura cognominat, exiens de Paradiso, pergit ad Indiæ regiones. Dictus autem Phison, id est, caterua; quia decem fluminb. magnis sibi adiunctis impletur & efficitur vnus. Ganges autem vocatus à Gangaro rege Indiæ; fertur autem Nili modo exaltari, & super Orientis terras erumpere. Tigris fluuius Mesopotamiæ de Paradiso exoriens, & pergens contra Assyrios, & post multos circuitus in mare mortuum influens. Vocatus autem nomine propter velocitatem, instar bestiæ Tigridis nimia pernicitate currentis. Eufrates fluuius Mesopotamiæ, de Paradiso exoriens, copiosissimus gemmis, qui per mediam Babyloniam influit. Hic à frugibus vel ab vbertate nomen accepit Nam Hebraice *eufrata, fertilitas*, interpretatur. Mystice autem hij quatuor fluuij (vt supra dictum est) quatuor Euangelia significant, quæ quatuor Euangelistæ conscripserunt. Nam Geon Fluuius, qui interpretatur, *pectus*, siue *præruptum* significat Euangelium Matthæi, quod primum conscriptum est ab ipso auctore Hebraica lingua, & à genealogiis Saluatoris incipiens, breuiter natiuitatem Domini notat, magnorumque aduentum ad ipsum Saluatorem, & paruulorum ab Herode occisionẽ postea baptismum eius commemorãs, & in deserto ieiunium atque tentationes, quibus à diabolo tentatus est, mox ad prædicationem Euangelij, & miraculorum facturam transit; sicque ad passionem eius perueniens, resurrexisse eum a mortuis ostendit, & discipulis in Galilæa apparuisse, & ad prædicationem Euangelij eos misisse: & terram Æthiopiæ & spiritales Ægypti quatuor fluentis dogmatum irrigat, qua fructum fidei & bonorum operum proferat. Vnde & ipse Euangelista in ecclesiastica historia describitur in Æthiopiæ partibus ipsum Euangelium prædicasse & martyrio consummatus esse. Ganges vero, hoc est Phison, qui interpretatur, *caterua* siue *oris mutatio*, significat Euangelium Marci, quod de genealogia Saluatoris secundum carnem pauca narrat: de prędicatione autem eius, & de miraculis cæterarum atque cæteri Euãgelistæ plenius narrant, in vnum codicem colligit: & sic ad passionem Christi perueniens

nemque à mortuis, in cœlum cum ascendisse, & Apostolos post ascensionem eius mundo prædicasse demõstrat. Tigris quoque bene potest conuenire Euangelio Lucæ, qui primum à sacerdotio Zachariæ, & de natiuitate Iohannis incipiens, annunciationem angeli ad Mariam virginem, & natiuitatem Saluatoris consequenter enunciat, sicque genealogiam eius circa Baptismatis narrationem commemorans transit ad exponendum prædicationem eius, & miraculorum facturam: & velociter transcurrens omnia, atq; passionem Domini & resurrectionem describens, eũ ascendisse ad cęlos, discipulosq; Dominum collaudasse in templo, breuiter & succinctè omnia comprehendit. Eufrates enim fluuius, qui interpretatur, *frugifer* siue *crescens*, optime conuenit Euãgelio Iohannis, qui de diuina generatione Saluatoris inchoãs, maxime, quæ ad diuinam eius naturam exponẽdam pertinebant, descripsit, & sic terram ecclesiæ ad germen spiritale & fructum virtutum proferendum irrigauit, scientiæque spiritalis illi opes contulit. Iordanisq; fluuius à duobus fontibus nominatur, quorum alter vocatur Ior, alter Dan. His igitur procul à se distantibus in vnum alueum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur. Nascitur autem sub Libano monte, & diuidit Iudæam & Arabiã: qui per multos circuitus iuxta Hiericho in mare mortuũ influit. Mystice autem Iordanis, qui interpretatur, *descensio eorum*, & in quo Saluator baptizatus est, Baptismi gratiam significat: vbi deponere debemus veterem hominem cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis: vbi & descendere de superbia diabolica debemus, & humilitatis ac mansuetudinis Christi participes esse. Triplicem ergo ob causam Saluator ab Iohãne accepit baptismum; primum, vt quia homo natus erat, omnem iustitiam & humilitatem legis impleret; secundo, vt baptismate suo Iohannis Baptisma comprobaret: tertio, vt Iordanis aquas sanctificans per descensionem columbæ, Spiritus sancti in lauacro credentium monstraret aduentum. Quod autem in Ihesu Naue scriptum est, vbi de transitu filiorum Israel per Iordanis alueum commemoratur, quod sacerdotes, qui portabãt arcam fœderis Domini, cum posuerũt vestigia pedum suorum in aquis Iordanis, aquę, quæ inferiores sunt, decurrerent atq; deficerent; quæ autem desuper venerunt, in multa mole consisterẽt; illa pars hominum, qui postq̃ sanctum Baptisma consequuntur, se ipsos rursus ad negotia seculi, & illecebras libidinum tradũt, & cum auaritia salsum poculum bibunt, in ea parte aquarũ designatur, quæ in mare profluit atq; in salsis fluctibus deperit: pars vero illa, quæ cũ stabilitate permanet & dulcedinem suã seruat, designat eos, qui acceptum Dei munus indeclinabiliter tenent. Laboch fluuius est & interpretatur, *arena*, vel *luctamẽ*: quo transmisso, luctatus Iacob aduersus eũ, qui sibi apparuerat, vocatus est Israhel. Fluit autem inter Amman, h. est, Philadelphiam & Gatasan in quarto eius miliario, & vltra procedens Iordani fluuio commiscetur. Luctamen viri, qui cum Iacob luctabatur, iuxta allegoriam significat passionem Christi: vbi visus est Iacob in Iudęorum typo, h. est, in corporis sui sobole præualuisse Deo, & quasi cum infirmo, ita cum carne eius luctamen inire & inualescere in passione eius, sicut scriptum est, cum dicerent: *Crucifige.* Iuxta tropologiam vero Iacob, qui cum angelo contendit, vniuscuiusq; perfecti viri & in contemplatione positi animam exprimit: quia videlicet anima cũ contemplari Dominum nititur, velut in quodam certamine posito, modo quasi exuperat, quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat. Ella, Aber, Gozam nomina fluminum in terra Medorum, ad quorum montes captiuus ductus est Israhel. Ella interpretatur, *infirmitas*: & Aber interpretatur, *liuor*, aut *vultus*: & Gozan, *tonsio eorum*, interpretatur: quod significare potest eorum læsionem, qui de terra Ecclesiæ educti in voluptatibus seculi viuunt, vbi diuersa vulnera vitiorum patiuntur. Abana fluuius Damasci, & interpretatur, *lapides eius*, designans duritiam sterilitatis prauorum, qui virtutum gignere nesciunt fructum. Chobar fluuius, iuxta quem Ezechiel Propheta positus visionem vidit, interpretatur, *grauitudo*: Ezechiel vero, *fortitudo Dei*. Venit ergo Ezechiel iuxta fluuium Chobar; quia fortitudo Dei per incarnationis suę mysterium propinquare dignata est peccatorum suorum pondere portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem. Fons autem siue natatoria Siloa ad radicem montis Sion (vt supra dictum est) vt iugibus aquis sed incertis horis diebusque ebullit, significat Baptismi sacramentum: vnde Dominus cœci nati oculos sputo cum luto mixto desuper liniens dicit ei: *Vade & laua te in natatoria Siloe*, quod interpretatur, *missus*: quod fecit Dominus, perspicuum est. Illuminatio enim facta est in cæco, sed magnum mysterium commendatur in humano genere: *expuit in terram, de saliua lutum fecit*: quia *Verbum caro factum est*: *& vnxit oculos cæci.* *Ioan. 1.* Inunctus erat & nondum videbat: mittit illum ad piscinam, quæ vocatur Silo. Pertinuit autem ad Euangelistam, commẽdare nobis nomen huius piscinæ, & ait, quod interpretatur, *missus*. Iam, quis est missus, agnoscitis. Nisi enim ille fuisset missus: nemo nostrũ fuisset ab iniquitate dimissus: lauit ergo oculos in ea piscina, quę interpretatur, *missus*, baptizatus est in Christo. Sic ergo quãdo eum in seipso quodammodo baptizauit, tunc illuminauit; quando inunxit, fortasse catechumenum fecit.

Eph. 4. *Matth. 3.* *Ios. 3.*

Capvt XI.

De torrentibus.

TOrrens est (vt supra diximus) aqua veniens cum impetu. Sunt autem quædam nomina propria torrentium, quæ, iuxta interpretationem suam, mysticam significationem habent: vt est torrens Cison, qui interpretatur, *duritia eorum*, & est iuxta montem Thabor vbi contra Sisaram dimicatum est, & significat contumaciam superborum, quæ Domini virtute conteritur. Cademi torrens est, iuxta quem Debbora bellum gessit. Interpretatur autem, *resurrectio inutilis*: quod significat peccatorum resurrectionem qui non ad vitam, sed ad pœnam perpetuam resurrecturi erunt. Corathi torrens est trans Iordanem, in quo absconditus est Helias è regione eiusdem fluminis: interpretatur autem, *diuisio*, vel *cognitio*. Chimarus, id est, torrens Chedron inter montem est oliueti, & Hierusalem, vbi Dominum Saluatorem Iohannes Euangelista narrat traditum: interpretatur autem Cedron, *tenebra* vel *dolor*: & significat cæcitatem Iudæorum, qui cum tumultu venerunt comprehendere Iesum: Nam torrens fluuius hibernis imbribus concitatur subito: qui & rapidus cognoscitur & cœnosus, quia non puro fonte profunditur, sed terrenis infectionibus sordidatur. Huic merito comparatur seculi istius turbidus cursus, qui nullo veritatis fonte defluit, sed malorum omnium tempestate coalescit. Vnde dicitur: *Torrentem pertransiuit anima nostra.* *Psal. 123.* Et item: *de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* *Psal. 109.* Merito ergo & Israel ipsum pertransisse se perhibet: vnde caput eius potasse prædicatum est. Sed in his omnibus vna est vera confessio, quoniam de tantis periculis sola Domini miseratione liberamur. Item torrens, doctrina prauorum in Psalterio: *Tu disrupisti fontes & torrentes.* *Psal. 73.* Rursum torrens, tentationis impetus in Psalterio: *Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* *Psal. 17.* Inuenitur & torrens positus in bonam partem, vt est illud: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* *Psal. 35.* Torrentem vero diximus esse fluuium velocem, qui subita pluuiarum inundatione descẽdit, cui bene comparatur sapientia Christi: quia & subita est, & ita rapida, vt ad finem, quem vult, sine aliqua tarditate perueniat. Riui dicti, quod diriuentur ad irrigandum, id est, ad inducendum aquas in agris. Nam rigare inducere est. Significat autẽ fluentum atque irrigationem cœlestis gratiæ: quia corda humana ad proferẽdum fructum doctrinæ & bonorum operum irrigantur. Vnde & illud: *Petra profudit mihi riuos olei*, *Iob. 29.* hoc est, Christus dona Spiritus sancti. In Psalmo: *Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, in stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur.* *Psal. 64.* Riuos etiam hic dicit Apostolos,

vel alios fideles, qui de illo Dei repleto semper flumine biberũt. Sed ne potum ipsum crederes esse tenuissimum, dicit riuos ipsos inebriandos, vt ad tantam satietatem permeniant, quanta & ipsis abunde sufficiat, & aliis pro futura concedat. Redit igitur ad singularem numerum, quem ecclesiasticæ vnitati diximus conuenire. Dixit enim, *multiplica generationes eius*, illius scilicet riui, qui de flumine sancto profluxit, vt per generationes succedentes prædicatio beata non deficiat, sed multiplicet: vnde Catholica semper crescat Ecclesia, vt qui modo imbuuntur sacro dogmate, post alios docere videantur. Stillicidia enim sunt guttæ, quæ de tectis cadunt, non pondere, sed assiduitate penetrantia: quæ quantum distent à riuis, etiam visualis nobis ratio patefecit. Ergo in primordiis suis lętabitur omnis fidelis, cum exoritur: & aqua & Spiritu sancto vere renascimur, & gloria Domini ipsius dignatione præparamur. Est enim nobis tunc magna lætitia, quando antiqui hominis vetustate deposita, in nouæ regenerationis gaudia committamur.
Esa. 30. Riui, prædicatio sanctorum in Esaia: *Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem eleuatum riui currentium aquarum.*

Capvt XII.

De Puteis.

PVteus est lacus defossus, ex quo hauritur aqua, à potatione dictus: qui & in bonam significationem positus intelligi potest, & in contrariam. Puteus iuramenti, quem fodit Abraham, id est, Bersabee in regione Gerar-
Gen. 21. itica. Puteus visionis est in deserto, apud quem habitauit Isaac. Puteus iudicij est vsque in præsentem diem in regione Geraritica. Rursum puteus iuramenti, vbi iurauerunt Isaac & Abimelech, vocaturque oppidum Isaac. Sunt & alij plures putei in sanctis Scripturis, qui in regione Geraritica, & iuxta Ascalonem demonstrantur. In bonam ergo significationem illud accipi potest,
Gen. 26. quod in Genesi legitur Isaac fodere puteos, quos foderunt pueri patris eius Abraham: sed inuidentes ei Palæstini obstruxerunt eos implentes humo, & reliqua. Quis est iste Isaac, nisi Saluator noster? Qui dum descendisset in istum torrentem Gerara, primo omnium illos puteos fodere voluit, quos foderant pueri patris sui, id est, Moyses puteum legis foderat, Dauid, Salomon & Prophetæ libros scripserunt veteris testamenti: quos tamen terrena & sordida repleuerat intelligentia Iudæorum. Et eorum os cum vellet purgare Isaac, vt ostenderet, quia quæcunque lex & Prophetæ dixerunt, de ipso dixerunt: rixati sunt cum eo Palæstini, id est, Iudæi a regno Dei alieni: sed descendit & discedit ab eis, & non potest esse cum his, qui in puteis aquam nolunt habere,
Matth. 23. sed terram, & dicit eis: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Fodit ergo Isaac nouum puteum, immo pueri Isaac fodiunt. Pueri sunt Isaac, Matthæus, Marcus, Lucas, & Iohannes, Petrus & Iacobus, Iudas & Apostolus Paulus: qui omnes testamenti noui puteum foderunt, & inuenerunt aquam viuam, quæ fit aquæ fons salientis
Ioan. 4. in vitã æternam. Pro his adhuc altercantur illi, qui terrena sapiũt, nec noua cõdi patiuntur, nec vetera purgari, Euangelicis puteis contradicunt, Apostolis aduersantur: & quoniam in omnibus contradicunt litigantes,
Act. 13. dicitur ad eos: *Quoniam indignos vos fecistis gratia Dei, ex hoc iam ad gentes ibimus.* Post hæc fodit tertium puteum Isaac, & appellauit nomen loci illius latitudo, dicens:
Gen. 26. *Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Vere dilatatus est Isaac, & impleuit omnem terram scientia Trinitatis, & in toto Orbe latitudinem Ecclesiæ collocauit. Prius tantum in Iudæa notus erat Deus Is-
Psal. 75. rahel nominabatur: nunc autem *in omnem terram exiuit*
Psal. 18. *sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* In contrariam vero significationem positus est puteus ille, super
Ioan. 4. quem legitur Saluator fatigatus ex itinere sedisse, & mulier Samaritana cum hydria aquam haurire velle. Hydria enim forsan amorem seculi huius significat, id est, cupiditatem, quam ibi homines de tenebrosa profunditate, cuius imaginem puteus gerit, hoc est, de terrena conuersatione hauriunt voluptatem, qua percepta iterum in eius appetitum inardescunt, sicut de aqua illa qui biberit, sitiet iterum. Oportebat autem vt Christo credens seculo renunciaret, &, relicta hydria, cupiditatem secularem se reliquisse monstraret, non solum credens
corde ad iustitiam, sed etiam ad salutem ore confitens Rom. 10.
prædicaret, quod credidit. Item puteus vel diabolum significat, vel infernum, vt est illud; *neque vrgeat super me* Psal. 68.
puteus os suum. Vrgeni quoque peccatores os suum concludere, cum vsque ad mortis suæ tempus in pessima voluntate persistunt. Cisterna, recta intelligentia, vt in
Salomone: *Bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui.* Prou. 5.
Cisterna hęretici vel praua intelligentia, vt in Hieremia:
foderunt sibi cisternas dissipatas. Ierem. 2.

Capvt XIII.

De Gurgitibus.

GVrges est proprie lacus altus in flumine, significat allegorice turbines persecutionum, quæ aduersantur electis in hoc mundo. Unde in Iona scriptum est:
Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt. Quod Ion. 2.
super Ionam tumentes fluctus maris transierunt, & detonuerit sæua tempestas, nulli dubium est, mysterium esse Christi. Nullus enim est hominum, qui cunctas sustinere queat tentationes absque Christo. Et quomodo omnes persecutiones, & vniuersa quæ accidunt, absque Dei non ingeruntur voluntate: idcirco Dei gurgites dicuntur, & fluctus, qui non oppresserunt Iesum, sed transierunt per eum, minantes tamen naufragium, non inferentes. Vniuersæ ergo persecutiones & turbines, quibus vexatur humanum genus, & cunctæ naniculæ eorũ, quæ frangebantur, super meum (inquit) detonuere caput. Ergo sustinui tempestates, & fregi turbines sœuientes, vt securius nauigarent.

Capvt XIV

De Pluuiis.

PLuuiæ dictæ eo, quod fluant, quasi fluuiæ. Nascuntur enim de terræ & maris anhelitu. Quæ cum altius eleuatæ fuerunt, aut solis calore resolutæ, aut vi ventorum compressæ stillantur in terris. Imbres autem & ad nubes & ad pluuias pertinent, dictæ græco vocabulo, quod terram inebrient ad germinandum. Ex his enim cuncta creantur. Significant autem pluuiæ vel imbres dona cœlestia, & præcepta vel mandata Dei, quæ terram, hoc est, homines irrigant & excitant ad proferendum germen
bonorum operum. Vnde est illud in Psalmo: *Pluuiam vo-* Psal. 7.
luntariam segregabis Deus hereditati tuæ: exponit illud, quod Ibid.
superius dixit: *cæli distillauerunt.* Ipsa enim pluuia voluntaria, quam tunc comedendi auida gens Iudæa promeruit, manna. Nam vt voluntati eius satisfieret, inexpertum miraculum mundus accepit. Pluuia siquidem illa voluntaria fuit, non ista quæ generaliter vbique descen-
ditur. Et alibi: *mandabo*, inquit, *nubibus meis ne pluant su-* Esa. 5.
per illam imbrem: non in istis visibilibus, quæ aut aquas depluunt, aut corpulenta qualitate densantur: sed aliquas potestates Domini intellectuali conditione famulentur. Multis enim significationibus sermo iste repletus est: quod etiam respicit ad Apostolos & Prophetas. Imber matutinus & serotinus, vetus testamentum & nouum intelligitur, vt in Iohel Propheta: *descendere faciet ad* Iohel 2.
vos imbrem matutinum & serotinum in principio, hoc est, in Christo. Aliquando vero pluuia in malam partem posita reperitur, vt est illud, quod Saluator dicit, pluuiam super domum in arena fundatam descẽdisse & eam sub-
uertisse. Pluuia ista, diabolus; flumina omnes Antichri- Matth. 7.
sti, qui contra Christum sapiunt: venti, spiritales nequitiæ quotidie hominum pestem moliuntur.

Capvt XV.

De Gutta.

GVtta, quæ stat: stilla, quæ cadit. Hinc est stillicidium, quasi stilla cadens. Stira enim græcum est, id est, gutta: inde fit diminutiuum, vt dicamus, *stilla*. Nam gutta significat doctrinam spiritalem: vnde est illud Sponsi in Cantico canticorum, quod ad sponsam dicit:
Cant. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Caput Christus Deus, cincinni sunt fidelium collectiones. In rore & guttis noctium frigens charitas in multis ostēditur, quam in Deum & proximos habere debuerunt. Ideo necessarie excitat Dominus fideles quosq; ad prędicationis studium. Stillicidia autem significant lenia
Psal. 64. documenta, de quibus dicitur: *In stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur.* Quæ ad inchoantes respiciunt Christianos, quando angusta primordia latissima non potest introire doctrina. De quibus dicit Apostolus:
1. Cor. 3. *Non potui vobis loqui, quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*: primum enim ariditas fidei quibusdam stillicidiis animatur, post riuis affluentibus irrigatur. Deinde, sicut dicit versus superior, ad fluminis illius plenitudinem, iuuante Domino, perueniamus: & sic per hæc tria diuini muneris ordo declaratur.

Capvt XVI.

De Niue.

NIx à nube, vnde venit, dicitur, & significat aliquando candorem iustitiæ, vt est illud in Psalmo:
Psal. 50. *lauabis me, & super niuem dealbabor.* Et item:
Psal. 67. *dum discernit cœlestes reges super terram, niue dealbabuntur in Selmon.* Reges sunt Apostoli, sanctique Pontifices, cæterique fideles, qui probabiliter regere corpora sua diuino munere meruerunt. Hi super niuem dealbabuntur in Selmon, id est, super candorem niuis elucescunt: quia Ecclesiam regere fideliter atque ordinarie noscuntur in Selmon, qui interpretatur, *vmbra*, hoc est, sub protectione diuina. *Dealbabuntur* autem aliquando ponitur in malo, sicut & in
Act. 23. Actib. Apostolorum: *Percutiet te Dominus, paries dealbate.*
Matth. 23 Hoc & in Euangelio testatur: *Similes estis monumentis dealbatis, quæ plena sunt ossibus mortuorum.* Niues Baptismi profusionem significant, vt in Iob:
Iob 6. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*: pruinam vero in loco præsentē tribulationē intellexerunt. Item in Iob ita legitur:
Iob 38. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grādinis aspexisti?* In frigore niuis, vel in duritia grādinis quid aliud accipitur, quā vita prauorum, quæ & torpore frigescit, & per duriciam malitiæ
Ibid. percutit: *quæ præparaui* (inquit) *in tempus hostis, in die pugnæ & belli*: vt cum aduersarius noster diabolus tentare nos nititur, eorum motibus, quasi suis contra nos armis, nititur. Siue in niue vel grandine thesauri habentur: quia plerique iniquitatis torpore frigidi ad supernam gratiam assumpti in sancta Ecclesia fulgescunt luce, & prauam scientiam doctrinæ suæ ictibus cudunt. Vnde aperte sequitur: *Quæ præparaui in tempus hostis in diem pugnæ & belli.* Saulus quippe nix & grando contra aduersariorum pectora factus est vel candore iustitiæ, vel districti eloquij correptione. Sed & hoc notandum, quod in niue aliquando blandimentum candoris exprimitur, sicut in fulgore terror. Vnde & angelus, qui gloriam Resurrectionis Dominicæ nunciabat, & terribilis ad damnandum improbos, & benignus erat ac blandus ad consolandum electos. Nam idem angelus, qui apparuit, vt custodes sepulchri impios timore perterreret, ac mortuorum instar terræ prosterneret: is visitatrices eiusdem sepulchri purissimas benigna consolatione refouet.

Capvt XVII.

De Glacie.

GLacies à gelu & aqua, quasi gelacies, id est, gelata aqua: gelus autem, quod eo stringatur tellus. Ge quippe terra dicitur. Tunc autem maiori gelu stringitur terra, cum fuerit nox serena. Nam glacies duritiam peccatorum significat, vt est illud in Salomone: *Sicut in* Syr. 33.
sereno glacies, ita soluentur peccata tua. Et in Psalmo: *Ignis,* Psal. 48.
grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius. Quibus rebus per allegoriam homines significat, qui in hoc seculo ex turbulentis & pessimis ad deuotionis tranquillissima studia peruenerunt. Qui faciunt verbum eius, nisi qui ex tempestuosis & improbis ad confessionis ipsius gratiam venire meruerunt. Nam Dominus ad Iob ita loqtur: *De cuius vtero egressa est glacies,* Iob. 38.
& gelu de cælo quis genuit? In gelu vel glacie, frigida & perfidiæ torpore constricta accipimus corda Iudæorum, qui per mysteria legis & prophetiæ sic intra sinum gratiæ, quasi intra vterum creatoris, habebantur. Sed quia, veniente Domino, constricti frigore perfidiæ feruorem charitatis amiserunt, quasi glacies de vtero creatoris egressi sunt. *Et gelu*, inquit, *de cælo quis genuit*: quasi de cœlo gelu exiit: quia de sublimi prole sanctorum processit frigida plebs infidelium: idcirco autē Dominus genuisse dicit, quia frigidos à se exire permisit.

Capvt XVIII.

De Pruina & Grandine.

PRuina est matutini temporis frigus, qui inde pruinę nomen accepit, quia sicut ignis vrit. Pyr enim ignis græce dicitur. Vere enim & ad frigus & ad solem pertinet. Nam vno sermone duo diuersa significantur, pro eo, quod vnum effectum habent. Similis enim vis est & caloris & frigoris: vnde & vtraque saxa rumpunt. Nam & calor vrit, vt est illud: *Vritur infelix Dido.* Item frigus vrit, vt est illud: *Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.* Iuxta allegoriam significat abstinentiam eo, quod per hoc frigescat calor corporis. De quo in Psal- Psal. 118.
mo: *factus sum sicut vter in pruina.* Pruina vero significat malitiam peruersorum. Vnde legitur in Psalmo: Psal. 77.
Occidit in grandine vineas eorum & moros eorum in pruina. Item pruina est præcurrens anticipansque malitia, quæ alienos labores peruenire non permittit ad fructus. Grando comminatio Dei, qua contumaces verberat, vt in Psalmo: *Grando & carbones ignis.* Et in aliam par- Psal. 17.
tem: *Occidit in grandine vineas eorum.* Grando futura per- Psal. 77.
cussio est, vt in Esaia: *Allidet in turbine & in lapide grandi-* Esai. 30.
nis. Et alibi: *Dabo lapides prægrandes desuper irruentes.* Ezech. 13.

Capvt XIX.

De Rore.

ROs græcum est, quod illi drosos dicunt: alij putant ros dictum, quia rarus est & non spissus, vt pluuia. Ros significat verbum Domini: ideo quod madida faciat corda hominum terrenorum ad proferendum fructum, vt est illud in Psalmo: *Sicut ros Hermon, quod de-* Psal. 132.
scendit in montem Sion. Ros est tenuis ac leuis pluuia non per guttas veniens, sed per quasdam minutissimas partes duritiam terrenæ ariditatis infundens. Per hunc cuncta germinantia coalescunt, & in varios fœtus temperationis munere perducuntur. Hermon Hebræum nomen est montis vltra Iordanem fluuium constituti: interpretatus, sicut à patribus traditum est, significat anathema. Ros ergo montis istius nutriens peccatores, qui sub anathematis execratione latuerunt, descendit in montem Sion, quando ad conuersationis remedium, Domino largiente, peruenerint. Sion enim significat Ecclesiam Catholicam, quæ recipit gentes, quæ erant

sub anathematis periculo constitutæ. Item ros prædicatorum doctrinam, vt est illud in libro Iob: [Iob. 38.] *Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris?* ac si diceret; nisi ego? qui siccam terram humanæ cordis guttis [s]entiæ gratuito aspergo rore. Stillæ autem roris Christi sancti prædicatores sunt, qui arua pectoris nostri inter mala vitæ præsentis, quasi inter tenebras siccæ noctis arentia, gratia supernæ largitatis perfundunt.

Capvt XX.

De Nebula.

NEbula inde dicta, vnde & nubila, ab obnubendo scilicet, hoc est, operiendo terram; siue quod nubes volare faciat. Exaltant enim valles humidæ nebulas, & fiunt nubes, inde nubilum, inde niues, nebulæ. Nebulæ autem ima petunt, cum serenitas est: summa, cum nubilum. Mystice nebula significat aut obscuritatem scripturarũ aut erroris caliginem. Vnde in dedicatione Templi [3. Reg. 8.] cum nebula impleuit domum Domini, non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam. Hæc sententia superbos Iudæorum pontifices ac doctores insinuat qui dum natiuitatis Christi sacramenta inuestigare despiciunt, debitum fidei sui ministerium per erroris nebulam perdiderunt. Nebula ergo Synagogam, id est, domum Domini impleuit, & sacerdotes propter nebulam ministrare non poterant: quia dum in testamẽto veteri sensus mysticos literæ velamine coopertos inter obscuras allegoriarum caligines inuestigare despiciunt, debitum fidei siue ministerium propter nebulam perdiderunt. Vnde ad Iob Dominus ait: [Iob 38.] *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam?* In nebula ergo Iudæis vocem doctrinæ suæ Dominus protulit, cum de se etiam aperta narrauit. Quid est enim apertius, quam: [Ioan. 10.] *Ego & Pater vnum sumus?* quid apertius, quam: [Ioan. 8.] *ante Abraham ego sum*: sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo compleuerat: quasi emissum solis radium nebula interiacens abscondebat. Nebula velamentum mysteriorum Dei, quod doctores sancti meditando scrutantur. Vnde legitur in Propheta: [Nah. 1.] *Nebula puluis pedum eius*. Item nebulæ, hæretici, de quibus Petrus Apostolus: [2. Pet. 2.] *Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ.*

Capvt XXI.

De Diluuio.

DIluuium dictum, quod aquarum clade omnia, quæ inundauerit, deleat. Primum diluuium exstitit sub Noe,* hominum sceleribus offensus omnipotens, toto orbe contecto, deletis cunctis, vnum spacium cœli * fuit ac pelagi; cuius indicium hactenus videmus in lapidibus, quos in remotis montibus, conchis & ostreis concretos, sæpe etiam cauatos aquis videre solemus. Secundum diluuium fuit in Achaia, Iacob Patriarchæ & Oggi temporibus, qui Eleusinæ conditor & rex fuit, nomen & a loco & tempore dedit. Tertium diluuium in Thessalia Mare vel Amphyctionis temporibus fuit, qui tertius post Cecropem regnauit. Cuius temporibus aquarum illuuies maiorem partem populorum Thessaliæ abs[u]mpsit, paucis per refugia montium liberatis, maxime in [m]onte Parnaso, in cuius circuitu Deucalion tunc regno potiebatur, qui tunc ad se ratibus confugientes susceptos per gemina Parnasi iuga fouit & aluit. A quo propterea genus hominum græcorũ fabulæ ex lapidibus reparatum ferũt propter hominum insitam cordis duritiam. Sed & flumina cum insolitis aucta imbribus vltra consuetudinem vel diuturnitate vel magnitudine redundant, multaque prosternunt: & ipsa diluuium dicuntur. Sciendum autem, flumina cum supra modum crescunt, non tantum ad præsens inferre damna, sed etiam & aliqua significare futura. Mystice diluuium quando in bonam partem accipitur, Baptismum significat: quando vero in contrariam, errorem hæreticorum. Nam illa sententia Psalmistæ, qua dicit: *Dominus diluuium inhabitat, & sedebit Dominus rex in æternum.* [Psal. 82.] Ibi decursus virtutib spiritus septiformis, in tertio vero ordine ad Trinitatis cõplexionem mirabili dispositione peruenit. Dicendo enim in his duobus versiculis tertio, *Dominus*, ostendit sanctam Trinitatem diluuio, id est, aquis Baptismatis inhabitare, sicut in Euangelio dictum est: *Euntes baptisate omnes gentes In nomine* [Matth. 28] *Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Sed quæramus, cur hic diluuium pro sacris fontib. positum est? Merito; quoniam illud quod factum est sub Noe, baptismatis sacri gerebat imaginem. Nam sicut istud purgat animas peccatorum sordibus; ita & illud diluuium mundi crimina probrosa deleuit. Merito ergo pro Baptismate diluuium positum est, ad cuius similitudinem constat effectum. Nam quod tertio, *Dominus* repetiit sine distinctione personarum, licet intelligi primum dictum de Spiritusancto: *Dominus diluuium inhabitat.* Sequitur: *Et sedebit Dominus rex in æternum.* Hoc autem de filio recte intelligimus. *Dominus virtutem populo suo dabit*: [Psal. 28.] de Patre competenter aduertimus. Populo suo significat Christiano, quem de sacri baptismatis munere conquisiuit. Subiunxit etiam: *& benedicet populum suum in pace.* Non dixit, *benedicent*, sed; *benedicet*: quia vnus est Dominus Deus noster: *in pace*, propter illud Euangelium: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquam* [Ioan. 14.] *vobis.* Vna est enim pax Patris & Filij, & Spiritussancti. Item in contrariam partem ponitur diluuium in illo versu, quo Propheta ait: *In diluuio aquarum multarum ad eum* [Psal. 3[?]] *non approximabunt.* Diluuium enim aquarum multarum est error hominum pessimorum, qui variis prauitatibus fluctuantes, multiplices sibi doctrinas constituunt, quas à vero magistro nullatenus acceperunt. Quæ sententia maxime hęreticos arguit, qui in diluuio peruersitatis suę tempestuosas & naufragas excitant quæstiones.

EXPLICIT LIBER VNDECIMVS.

* quo
* fecit

INCIPIT LIBER DVODECIMVS.

INDEX CAPITVM LIBRI DVODECIMI.

CAPITVLVM PRIMVM.

De Terra.

TErra est in media mundi regione posita, omnibus partibus cœli in modum centri æquali interuallo consistens: quæ singulari numero totum orbem significat, plurali vero singulas partes. Cuius nomina diuersa dat ratio. Nam terra dicta à superiori parte, qua teritur: humus ab inferiore: vel humida terra, vt sub mare: tellus autem, quia fructus eius tollimus. Eadem & arua ab arando & colendo vocata. Proprie autem terra ad distinctionem aquæ *arida* nuncupatur. Sicut
Gen. 1. scriptura ait, quod vocauerit Deus terram, *aridam*. Naturalis enim proprietas siccitas est terris. Nam vt humida sit, hoc aquarum affinitate sortitur. Cuius motum alij dicunt ventum esse in concauis eius, qui motus eam mouet. Salustius: *Venti per caua terræ citati rupti aliquot montes tumuliq; sedere.* Alij aquam dicunt generalem in terris moueri, & eas simul concutere, sicut vas, vt dicit Lucretius. Alij fungum eandem terram vocant, cuius pleræque latentes ruinæ superposita cuncta concutiunt. Terræ quoque iactus aut motu aquæ inferioris fit, aut crebris tonitruis, aut de concauis terræ erumpentibus ventis. Terra enim mystice plures significationes habet. Aliquando significat patriam cœlestem vt est illud: *cre-*
Psal. 25. *do videre bona Domini in terra viuentium.* Et illud Euange-
Matth. 5. lium: *beati mites* inquit, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Aliquãdo carnem Domini Saluatoris significat, vt est illud:
Psal. 84. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.* Iacob enim Patriarcha significat populum fidelem, qui liberatus est à captiuitate diaboli per incarnationem Saluatoris. Item terra significat sanctam Mariam virginem, de qua Dominus nasci dignatus est. Vnde est illud:
Psal. 84. *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* Potest & aliter hic sensus intelligi. Veritas de terra oritur, quando confessio peccatorum offertur: iustitia de cœlo prospexit, qñ fit remissio peccatorũ: Quod in Publicani illius
Luc. 18. oratione prouenit. Veritas enim de terra orta est, quando ma respiciens, confitendo peccata sua, Dominum rogauit; iustitia vero de cœlo prospexit, cum descendit iustificatus Publicanus magis, quam ille Pharisæus. Item terra Ecclesiam significat, vt est illud: *Domini est terra.*
Psal. 23. Quamuis terram & in bono & malo poni sæpe nouerimus: hic tamen Ecclesiam debemus aduertere, quæ Domino specialiter pura mente famulatur. Nam licet omnia ab ipso sint condita; tamen illud ipsius esse proprie dicimus, quod eum veneratur auctorem: & ideo ecclesia non immerito fructifera bonorum terra suscipitur, quia
Ibid. nutrit & continet populum. Sequitur: *Et plenitudo eius*, id est, multitudo sancta, qua repletur Ecclesia. Sed ne terram, quam superius dixit, angustam putares aliquando
Ibid. fortasse regionem: nunc dicit: *orbis terrarum* hoc est, vniuersalem ecclesiam, quæ totius mundi ambitu continetur. Intende vero, quod dicit: *Qui habitant in ea*, id est, non qui veniunt & recedunt: sed qui fixa mentis stabilitate perdurant. Habitare enim manere dicimus, quod errantium non est; quod mutabilitati non conuenit, sed ille solus Ecclesiam inhabitat, qui vsque ad obitum suum in fide rectissima perseuerat, sicut & alius Psalmus dicit: *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Psal. 12.
Terra homo ipse, vt in Euangelio: *Aliud cecidit in terram bonam.* Luc. 8. Item in Genesi, *arida*, terra nominatur, Gen. 1. vt est illud: *Et vocauit aridam terram*, populum scilicet fontem fidei sitientem, & bonorum operum germen proferentem. Terra vero in malum posita est, vbi corruptionem humanæ naturæ, vel peccatores, vel perditos homines significat. Corruptionem autem naturæ illa Domini sententia demonstrat, qua ad hominem peccantem ait: *Terra es, & in terram ibis.* Peccatores quo- Gen. 3.
que terræ nomine ibi notantur, vbi Dominus ad serpentem ait: *Terram comedes cunctis diebus*, hoc est, peccatores ibid.
in sortem tuam & perditionem trahes, & eorum iniquitatibus pasceris. Similiter & illud, quod alibi legitur: *Recedentes à te in terra scribentur*, id est, qui per apostasiam Hierem. 17.
à te auertentur, inter peccatores connumerabuntur. Terra, carnalis potentia, vt in Ecclesiastico: *Quid superbit terra & cinis?* Syr. 10.
terra deserta populus Iudæorum, siue omnes peccatores, vt in Hieremia: *Terra deserta & inhabitabilis, in qua nullus habitat, nec pertransit per eam filius hominis*, Ierem. 6.
id est, Dominus Iesus Christus. Puluis peccatores sunt, sicut in in Esaia dicitur pro diabolo: *& serpenti puluis panis eius.* Es. 65.
Et alibi: *non sic impij non sic: sed tanquam puluis.* Psal. 1.
Lutum medicinæ cœlestis glutinum, vt in Euangelio: *lutum fecit, & liniuit oculos meos.* Ioan. 9.
Aliter peccatorum glutinum, vt in Psalmo: *Eripe me de luto, vt non infigar.* Psal. 68.
Lutum adulatio deceptoris, siue hæreticorum falsa delinitio, vt in Ezechieli: *ipsi ædificabant parietem: illi autem liniebant eum luto absque temperamento.* Ezech. 13.

CAPVT II.

De Orbe.

ORbis à rotunditate circuli dictus, quia sicut rota est. Inde breuis etiam rotella orbiculus appellatur. Vndique enim circumfluens Oceanus eius in circuitu ambit fines. Significat ergo aut totum mundum iuxta historiam, aut, iuxta allegoriam, vniuersalem Ecclesiam, aut in contrariam partem impios, qui frequenter terræ appellatione declarantur. De quibus Psalmista ait: *Iudicabit orbem terræ in iustitia.* Psal. 9.
A Domino iudicandi sunt, qui pertinacia sua nulla remissione liberantur. Populus autem significat eos, qui ex Hebræis fideles probati sunt, & qui deuoti ex gentibus aduenerunt. Requirendum est sane, quod & hic orbem terrarum dicat, & in Psalmo ponat: *illuxerunt fulgura eius orbi terræ*, Psal. 76.
& in aliis plurimis locis ipso schemate terram prohibeat esse conclusam. Iterumque centesimus sextus Psalmus quatuor cardinibus terræ spacia comprehendit, dicens: *A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari.* Psal. 106.
Cuius rei euidentissimum quoque Euangelij exstat exemplum, vbi dicit: *Emittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabit à quatuor angulis terræ.* Matth. 24.
Vnde merito æstimo perquirendum, quemadmodum terræ possit, & quadratio & circulus conuenire, dum schemata ipsa (sicut geometrici dicunt) iudicantur esse diuersa. Formam terræ ideo Scriptura orbem vocat, eo, quod respicientibus extremitatem eius circulus semper apparet, quem circulum Græci horizonta vocant. Quatuor autem cardinibus eam formari dicit; quia quatuor cardines quatuor angulos quadrati significant, qui intra prædictum terræ circulum continentur. Nam si ab Orientis cardine in Austrum & in Aqui-

lonem singulas rectas lineas ducas: similiter quoque & si ab Occidentis cardine ad prædictos cardines, id est, Austrum & Aquilonem singulas rectas lineas tendas: facis quadratum terræ intra orbem prædictum. Sed quomodo quadratus iste demonstratiuus inter circulum scribi debeat, Euclides in quarto libro elementorum euidenter insinuat: quapropter recte scriptura sancta faciem terræ & Orbem vocat, & quatuor eam dicit cardinibus contineri. Diuisus est autem trifarie, à quibus vna pars Asia, altera Europa, tertia Africa nuncupatur: quas tres partes Orbis veteres non æqualiter diuiserunt. Nam Asia à meridie per Orientem vsque Septentrionem peruenit: Europa vero à Septentrione vsque Occidentem: atque Africa ab Occidente vsque ad meridiem. Vnde euidenter Orbem dimidium duæ tenent, Europa & Africa: alium vero dimidium sola Asia. Sed istæ duæ ideo partes factæ sunt, quia inter vtrasque ab Oceano mare magnum ingreditur, quod eas interfecat. Quapropter si in duas partes Orientis & Occidentis Orbem diuidas, Asia erit in vna, in altero Europa & Africa. Istæ tres partes totum humanum genus cum insulis, quæ his adiacent, continent. Et bene tribus partibus distinctus est Orbis, qui sanctæ Trinitatis fide imbuendus erat, & Euangelico documento instruendus.
Matth. 13. Vnde legitur in parabola Saluatoris, quod mulier acceptum fermentum abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum, id est, sancta Ecclesia humano generi, quod ex tribus filiis Noe seminatum fuit in mundo, fermentum Euangelicæ doctrinæ in cordibus fidelium abscondit, donec natiuum saporem totum per rectam fidem & scientiam spiritalem conuerteret in cultum & seruitium Dei.

CAPVT III.

De Paradiso.

PAradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cuius vocabulum ex græco in latinum vertitur, *hortus*. Porro Hebraice Eden dicitur, quod in linguam nostram *delicias*, interpretatur: quod vtrumque iunctum facit hortum deliciarum. Est enim omni genere ligni & pomiferarum arborum consitus, habens etiam & lignum vitæ: non frigus, non æstas, sed perpetua aeris temperies, ex cuius medio fons prorumpens, totum nemus irrigat, diuiditur in quatuor nascentia flumina. Cuius post peccatum hominis aditus interclusus est. Septus est enim vndique romphæa flammea, id est, muro igneo accinctus: ita vt eius cœlo pene iungat incendium. Cherubin quoque, id est, angelorum præsidium arcendis spiritibus malis super romphæa flagranti ordinatum est: vt homines flammæ, angelos vero malos angeli submoueant, ne cui carni vel spiritui transgressionis aditus Paradisi pateat. Paradisus, id est, hortus delitiarum mystice aut Ecclesiam præsentem significat, aut terram viuentium, vbi illi qui merentur per fidem rectam & bona opera victuri sunt in perpetuum. De quo Dominus ad latronem
Luc. 23. in cruce confitentem ait: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Aliter autem paradisus (vt diximus) signifi-
Gen. 2. cat sanctam Ecclesiam, de qua in Genesi scriptum est: *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* Paradisus ecclesia est: sic de illa legitur in Canticis cantico-
Cant. 4. rum: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* A principio autem plantatur Paradisus: quia Ecclesia Catholica à Christo, qui est principium omnium, cōdita esse cognoscitur. Fluuius de Paradiso exiens imaginem portat Christi de paterno fonte fluminis, qui irrigat ecclesiā suam verbo prædicationis, & dono Baptismi. De quo bene per Prophetam dicitur: *Dominus Deus noster fluuius gloriosus exiliens in terram sitientem.* Quod quatuor fluminibus de Paradiso egredientibus terra rigatur: solidum mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia continet: quia quatuor virtutibus tota boni operis structura coniungit. Quatuor ergo Paradisi flumina terram irrigant, quia dum in his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Item allegorice quatuor Paradisi flumina quatuor sunt Euangelia ad prædicationem in cunctis gentibus missa. Ligna fructifera omnes sancti sunt: fructus eorum, opera eorum. Lignum vitæ, sanctus sanctorum vtique Christus, ad quem quisque si porrexerit manum, viuet in æternum. Lignum autem scientiæ boni & mali, proprium est voluntatis arbitrium; quod in medio nostri est positum ad dignoscendum bonum vel malum. De quo qui, relicta gratia Dei, gustauerit, morte morietur.

CAPVT IV.

De Regionibus.

INdia vocata ab Indo flumine, quo ex parte Occidentali clauditur. Hæc à meridiano mari porrecta vsque ad Ortum solis, & Septentrionem, vsque ad montem Caucasum peruenit, habens gentes multas & oppida: insulam quoque Taprobane gemmis & elephantis refertam, Chrysam & Argyrem auro argentoque fœcundas, vtilem quoque arboribus foliis nunquam carentem. Habet & fluuios Gangen & Nidan & Ipanem illustrantes Indos. Terra Indiæ fauonij spiritu saluberrima; in anno bis metit fruges, vice hyemis etesias patitur; gignit autem tincti coloris homines, Elefantes ingentes, Monoceron bestiam, psitacum auem, ebenum quoque lignum & cinnamum, & piper, calamum aromaticum, mittit & ebur, Lapides quoque pretiosos beryllos, chrysoprasos, & adamantem, carbunculos, lygirios, margaritas & vniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio. Ibi sunt & montes aurei, quos adire propter dracones & grifes, & immensorum hominum monstra impossibile est. Parthia ab Indiæ finibus vsque ad Mesopotamiam generaliter nominatur; propter inuictam enim virtutem Parthorum & Assyria, & reliquæ proximæ regiones eius nomen traxerunt. Sunt enim in ea Aracusia, Parthia, Assyria, Media & Persida, quæ regiones inuicem sibi coniunctæ initium ab Indo flumine sumunt, Tigri clauduntur, locis montuosis & asperioribus sitæ, habentes fluuios Idaspem & Arbem. Sunt etiam inter se finibus suis discretæ, nomina à propriis auctoribus trahentes. India enim, quæ in Orientali parte consistit, & solis Ortum prima suscipit, primitiuam potest designare ecclesiam in gente Iudæa constitutam; quæ aduentum solis iustitiæ prima aspexit, & lumen verum huic Orbi exortum per doctores suos in toto Orbe prædicauit: ipsa etiam aurum sapientiæ & argentum eloquentiæ gemmasque omnium virtutum sufficienter habuit, arboresque semper virentes, hoc est, homines rectæ fidei viriditate pollentes non paucos habuit; sed tamen bestiarum multitudine non caruit omnino, quia persecutores Christianitatis nominis plures inuenit, & hæreticorum venenosa documenta exoriri præsensit: sed omnia figmenta diaboli, Christi virtute superauit. Assur interpretatur deprimens, id est, diabolus humanum genus deprimens in Psalmo: *Etenim*, inquit, *Assur simul venit cum illis.* Item Assur diabolum vel Psal. 88.
potestates huius seculi significat, vt est illud Esaiæ: *Væ Assur virga furoris mei.* Item ibi: *noli timere popule meus ha-* Esa. 10.
bitator Sion ab Assur. In virga enim percutiet te. & baculum ibid.
suum leuabit super te in via Ægypti. Rursum Assur Antichristum significat, vt est illud Micheæ Prophetæ: *Tunc erit* Mich. 5.
pax terra nostra, cum surrexerint in ea pastores septem & octo primates hominum, id est, prædicatores legis & Euangelij: *& indagabunt Assur,* hoc est, Antichristum, *in fossa Nembroth,* hoc est, in damnatione diaboli. Assyria vocata ab Assur, filio Sem, qui eam regionem post diluuium primū incoluit. Hæc ab ortu Indiam, à meridie Mediam tangit, ab occiduo Tigrim, à septentrione montē Caucasum, vbi portæ Caspiæ sunt. In hac regione primus vsus inuentus est purpuræ. Vnde primum crinium & corporum vnguenta venerunt, & odores, quibus Romanorum atque græcorum effluxit luxuria. Assyria, quæ ab Assur, qui interpretatur, vt quidam volunt, *dirigens*, vel *gradiens*,

denomi-

denominata est, quæ etiam primum principatum per insolentiam in mundo arripuit, significat fastum imperij mundani. De quo etiam in Genesi scriptum est: *De terra* Gen. 10.
illa exiuit Assur, & ædificauit Niniuen & Roboth ciuitatem. De hac terra Assyriorum pullulauit imperium, qui ex nomine Niniueli filij Nini condiderunt vrbem magnam, quam Hebræi appellant Niniuen, ad cuius vel ruinam, vel pœnitentiam tota Ionæ pertinet prophetia. Assyrij interpretantur, *deprimentes* id est, impij vel dæmones, vt
Ierem. 2. est illud Hieremiæ: *Quid tibi cum * illa Assyriorum, vt bibas a-*
* via *quam fluminis?* Et in bonam partem intelliguntur Assy-
Esa. 19. rij, vt dicit Esaias: *erit Israhel tertius Ægyptio, & Assyrio benedictio in medio terræ.* Cedar Hebræum nomen est, quod nostra lingua interpretatur, *tenebræ.* Hoc ad seculi huius pertinet amatores; qui tenebrosis actibus inuoluti, illa magis diligunt, vnde petire noscuntur. Sed vt verbi huius breuiter noscamus originem, Cedar Ismahel filius fuit, qui genti suæ nomen dedit, cuius fines vsque ad medos Persasque prolati sunt: hi nunc Sarraceni appellantur. Quo vocabulo competenter significantur peccatores, inter quos se adhuc habitare Ecclesia suspirat. Media & Persida à regibus Medo & Perso cognominatæ, qui eas prouincias bellando aggressi sunt, ex quibus Media ab Occasu transuersa Parthia regna amplectitur, à Septentrione Armenia circumdatur, ab Ortu Caspios videt, à meridie Persidem. Huius terra medicam arborem gignit, quam alia regio minime parturit. Sunt autem Mediæ duæ, maior & minor. Persida tendens ab ortu ad Indos ab occasu rubrum mare habet, ab Aquilone vero meridiem tangit, ab Austro Armeniam, quæ Persidæ adnectitur, quibus est Susa oppidum nobilissimum: in Perside primum orta est ars magica, ad quam Nembroth gigas post confusionem linguarum abiit, ibique Persas ignem colere docuit. Nam omnes in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua *el* dicitur. Persæ & Medi, qui regnum post Assyrios tenuerunt, significant principatum gentium, quæ aliquando solatiis fouent populum Dei. Vnde legitur in historiis veterum, quod Cyrus rex Persarum atque Medorum, qui in Esaiæ
Esa. 44. 45. vaticinio prædictus fuerat, soluerit captiuitatem Iudaicam, & Templum Dei construi iuberet. Ob hoc etiam seruus Dei nuncupatus est, ob quod etiam auxilium Domini illi promissum est, vt subiiciat coram eo gentes & dorsa regum vertat: & merito. Nam Medi & Persæ, *mensurantes*, siue *mensurati*, interpretantur. Mensura, qua mensi sunt, remetiebatur eis. Mesopotamiam græcam etymologiam possidet, quod duobus fluuiis ambiatur. Nam ab oriente Tigrim habet, ab occiduo Eufraten. Incipit autem à Septētrione inter montem Taurum & Caucasum, cui à meridie sequitur Babylonia, deinde Chaldæa, nouissime Arabia Eudæmon. Mesopotamia, quæ interpretatur, *eleuata*, vnde Iacob duxit vxo-
Eph. 5. rem, significat gentilitatem. vnde Christus exquisiuit sibi ecclesiam sponsam, nō habentem maculam ac rugam. Nam sicut Iacob, relicta domo patria vel parētibus, perrexit in regionem longinquam, vt acciperet sibi vxorem: non aliter Christus reliquit parentes secundum carnem, id est, populum Israheliticum, & patriam, id est, Hierosolymam & omnes regiones Iudææ, & abiit in gentes, accepitque sibi inde Ecclesiam, vt impleretur quod dictū
Ose. 2. est: *Vocabo non plebem meam, plebem meam. & non dilectam, dilectam.* Babyloniæ regionis caput Babylon vrbs est, à qua etiam nuncupata est tam nobilis, vt Chaldæa & Assyria & Mesopotamia in eius nomen aliquando transierint. Hanc vrbem primum Nembroth gigas fundauit. Hanc Semiramis regina Assyriorum ampliauit murumque vrbis bitumine & cocto latere fecit. Vocabulum
Gen. 11. autem sumpsit à confusione eo, quod ibi confusæ sint atque permixtæ linguæ ædificantium turrim. Babylonia, quæ interpretatur, *confusio*, in qua principatus erat Chaldæorum, qui interpretantur, *quasi dæmonia*, vel *quasi feroces*, significat ciuitatem diaboli, in qua sempiterna confusio est, & vbi dæmoniorum ferocitas in subuersione hominum apparet. In qua regnauit Nabuchodonosor, qui interpretatur, *prophetia lagunculæ angusta* & significat diabolum. Ipse enim vastauit ciuitatem Dei, & templum incendit: quia sanctam Ecclesiam insectatur odiis, & homines, qui templum Dei fuerunt, incendio mundanæ concupiscentiæ subuertere cupit. Nam ita de eo legitur: *Venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylo-* 4. Reg. 25.
nis, Hierusalem, & succendit domum Domini, & domum regis, & domos Hierusalem, omnemque domum combussit igni, & muros Hierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Caldæorum, qui erat cum principe militum: reliquam autem populi partem, qui remanserat in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiæ, & reliqua. Venit Nabuzardan, qui interpretatur, *ventilabrum*, siue *prophetia alieni iudicij*, & significat Antichristum; iusto Dei iudicio super peccatores princeps vtique exercitus regis Babylonis Hierusalem intelligibilem, & succendit domum Domini, cum antiquus hostis, qui & rex confusionis, & princeps omnium iniquorum est, tam malignorum spirituum, quam etiam impiorum hominum, plebem inuadit fidelium, & domum regis, & domos Hierusalem, id est, rectores & eos, qui videbantur in visione pacis manere, inflammatos cupiditate subuertit, omnemque domum combussit igni, cum vniuscuiusque conscientiam per flammam illiciti amoris perturbauit; & muros Hierusalem in circuitu destruxit, cum intentionem orationis & virtutum studia, quæ contra se valere nouit, in desperantibus dissoluit, ne per spem veniæ ad diuina recurrant auxilia, & correctioris vitæ apprehendant munimina: populumq; in captiuitate ducens, de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas, quia eos, qui vtiles verbo & exemplo esse poterant, per vitia captiuans, stultis & hebetibus commendat agriculturam, quatenus non vinum gratiæ spiritalis & frumentum sanæ doctrinæ in vineis & agris populorum fructificet, sed spinæ magis & tribuli vitiorum excrescant. Babylon quoque mundus aut Roma est, vt in Apocalypsi legitur: *Et Babylon magna venit* Apoc. 16.
in memoriam ante Dominum, dare calicem vini indignationis iræ eius. Et in Esaia: *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis inclita* Esa. 13.
in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorram, non habitabitur vsque in finem. Et in Hieremia: *calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram,* Ierem. 51.
subito cecidit Babylon, & contrita est. Arabia appellata, id est, *sacra.* Hoc enim significat interpretata, eo, quod sit regio thuriferos odores creans: hinc n. græci eudæmon, nostri beatam nominauerunt, in cuius saltib. & myrra & cinnamum prouenit. Ibi nascitur auis Phœnix, Sardonyx gemma, & hirus molocides & pedorata ibi inueniuntur. Ipsa est Saba appellata à filio Chus, qui nuncupatus est Saba. Hæc autem angusto terræ tractu ad Orientem versus ad Persicum sinum extenditur, cuius septentrionalia Caldæa claudit, Occasum sinus Arabicus. Arabia, quæ interpretatur *humilis*, siue *campestris*, terrenam significat delectationem. Vnde scriptum est in Psalmo: *Reges*
Arabum & Saba dona adducent. Arabum ponitur pro hominibus suaui & terrena se delectatione tractantibus. Nam Psal. 71.
sicut illa patria diuersis aromatibus sensum varium mulcet; ita isti ad delectationes mollissimas illecebris secularibus inuitantur. Reges ergo Arabiæ sunt, qui blandimenta corporum rigidæ subiiciunt disciplinæ. Similiter Saba, vnde Sabæi dicti sunt, quamuis corporali delectatione præualeat, & iocundis odoribus sit referta: suauiora tamen conuersi eius populi offerunt dona virtutum. Syriam Syrus quidam perhibetur indigena suo vocabulo nuncupasse. Hæc ab oriente fluuio Eufrate, ab occasu mari nostro & Ægypto terminatur, habens à Septentrione Armeniam, & Cappadociam; A meridie sinum Arabicum; situs eius porrectus in immensam longitudinem, in lato angustior. Syria enim significat superbiam gentium, quæ sæpius affligebat populum Dei. Vnde scriptum est, quod Benedab rex Syriæ congregauerit omnē 3. Reg. 20
exercitum suum, & 32. reges secum, & equos, & currus, & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsidebat eam, & reliqua. Mystice Benadab, hostis Israhel, significat diabolum, omnium bonorum inimicum, qui diuersos exercitus malignorum spirituum ad subuertendum

populum Dei contrahit. Sed per pueros principium Israel vincitur, cum per bonos auditores sanctorũ doctorum, qui id, quod aure audiunt, factis implere nituntur, iniquus hostis in fugam vertitur: omnisq; suus exercitus à militibus Christi turbatur. Fugit quoq; Benedab rex Syriæ in equo cum equitibus: nec non egressus rex israel percussit equos & currus, & percussit Syriã plaga magna. Quid est, quod Benadab rex Syriæ in equo cum equitib. fugere describitur, nisi quod princeps omnium iniquorum, diabolus quorum oculi sublimes sunt; Syria enim interpretatur, *sublimis*, in equo suæ superbiæ confidens cũ equitibus suis, scil. omnibus superbis, quia est caput super omnes filios superbiæ, ab exercitu Christi, hoc e. humilibus & Deum timentib. superatus in fugam vertitur. Habet autem Syria in se prouincias; Commagenam, Phœniciam, & Palæstinam, cuius pars est Iudæa absque Sarracenis & Nabathenis. Commagena prima prouincia Syriæ, à vocabulo Commage vrbe nuncupata, quæ quondam ibi metropolis habebatur: huius est à Septentrione, ab ortu Mesopotamia, à meridie Syria, ab Occasu mare magnum. Phœnix Cadmi frater de Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus apud Sigonem regnauit, eamq; prouinciam ex suo nomine Phœniciã appellauit. Ipsa est *vbi est Tyrus, ad quam Esaias loquitur. Habet autem ab oriente Arabiam, à meridie mare rubrum. Palæstinæ prouincia Philistim vrbem metropolim habuit, quæ nunc dicitur Ascalon, ex qua ciuitate omnis circa eam regio Palęstina est nuncupata. Huius ab oriẽte mare rubrum occurrit, à meridiano latere Iudæa excipitur, à septentrionali plaga Tyriorum finib. diuiditur, ac occasu Ægyptio limite terminatur. Iudæa regio Palæstinæ ex nomine Iudæ appellata, ex cuius tribu reges habuit. Hæc prius Chanaan dicta à filio Cham, siue à decem Chananæorum gentibus, quibus expulsis eandem terram Iudęi possederunt. Initium longitudinis eius à vico Arsa vsq; ad vicum Iuliadem porrigitur; in quo Iudæorum pariter ac Tyriorum communis habitatio est. Latitudo autem eius à monte Libani vsque ad Tiberiadis lacum extenditur. In medio autẽ Iudææ ciuitas Hierosolyma est, quasi vmbilicus regionis & totius terræ, variarum opum diues, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis. Vnde secundum elementorum gratiam existimauerunt Iudæi eam promissam patribus terram fluentem melle & lacte, cum hic illis Deus resurrectionis prærogatiuam pollicentur. Iudæi, *confessores*, interpretantur: & Iudæa interpretatur, *confessio*. Mystice sanctam Ecclesiam significat: in qua Dominus recta fide, pia confessione & bonis operibus semper laudatur. Cuius etiam typum Hierusalem quæ interpretatur, *visio pacis*, tenet: quia ille inde conspicitur, qui *est pax nostra, & fecit vtraq; vnum*. Sed & hoc notandum, quod & Hierusalem secũdum historiam ipsa est vrbs, in qua Dominus crucifixus est & sepultus, & resurrexit à mortuis, ad quam Saluator in Euangelio ait: *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*, &c. ipsam gentem exprimens, quæ in Hierusalem, & in confinibus eius habitat. Allegorice autem significat præsentem Ecclesiam, de qua scriptum est: *Hierusalem, quæ ædificatur, vt ciuitas*. Tropologice autem significat fidelem animam, quæ pura mente Dominum contemplatur: iuxta anagogen ergo cœlestem patriam, & sanctorum angelorum atque hominum habitationem in cœlis, de qua dicit Apostolus: *Hierusalem quæ sursum est quæ est mater nostra*. De qua Iohannes Apostolus in Apocalypsi sua sufficienter narrat, & structuram eius de lapidibus preciosis, hoc est, hominibus sanctis mystice describit. Samaria regio Palæstinæ ab oppido q̃dam nomẽ accepit quę vocabatur Samaria, ciuitas quõdam regalis in Israhel, quæ nunc ab Augusti nomine Sebastia nuncupatur. Hæc regio inter Iudęam & Galilæam media iacet, incipiens à vico, cui nomen est Oleas, deficiens in terra Arateth: suis eius natura cõsimili, nec vllo differens à Iudæa. Samaria enim, *custodia*, interpretatur: inde nuncupata, quod translatis decem tribubus à Chaldeis aliæ gentes ab eis substitutæ sunt, quæ terram custodirent. Solent autem Samariam idolatriæ imaginem sumere. Ipsi enim separati à populo Iudęorum simulacris multorum animalium, id est, vaccis aureis animatũ suarum decus addixerant. Possunt etiam in Samaritanis & hæretici accipi, qui videntur legis Dei notitiam habere, sed errorum suorum simulacra non cessant colere, & ideo separati à populo Dei nullam possunt cõmunionem habere. Ituræa & Draconites regio, cuius tetrarcha fuit Philippus, sicut in Euangelio legimus. Traconitis autem dicitur terra iuxta desertum Arabiæ, quod Bostræ iungitur. Ituræa Syrum est, & interpretatur, *montana*. Galilæa regio Palæstinæ, vocata, quod gignat candidiores homines, quam Palæstina. Hæc autem duplex est: superior & inferior, sibi tamen connexæ, Syriæ & Phœniciæ adhærentes. Terra eorum opima & ferax & fructib. satis fœcunda. Interpretatur autem Galilæa, *rota*, siue *transmigratio facta reuelatio* quæ aliquando significat præsentis vitæ cursum, vt est illud in Euangelio, vbi de Saluatore dictum est: *reliquit Iudaam, & iterũ venit in Galilæam*. Quid est, *reliquit Iudæam* nisi reliquit infidelitatem illorum, qui eum recipere noluerunt, & lapidem, quem ædificare debuerunt, reprobauerunt: & abiit per Apostolos in Galilæam, id est, inuolubilitatem huius mundi, præcipiens Apostolis: *Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Quid aũt Galilæa in transmigratione significet, ostendit illud, quod angelus ad monumentum Domini post resurrectionem eius mulieribus ait: *Præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis ecce dixi vobis* Iam quippe Redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem transmigrauerat. Prius post resurrectionem in Galilæa à discipulis videtur, quia resurrectionis eius gloriam post læti videbimus, si modo à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo nunciatur in sepulchro, in transmigratione ostenditur; quia is, qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur. Secundum illud autem, quod Galilæa interpretatur, *reuelatio*, nõ iam in forma serui intelligendum est, sed illa, in qua æqualis est Patri, quam promisit apud Iohannem dilectoribus suis, cum diceret. *Et ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi*: non vtique secundũ id, quod iam videbant, & quod iam resurgens cum cicatricibus non solum videndum, sed etiam tangendum postmodum ostendit; sed secundum illam ineffabilem lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, secundum quam *lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt* Illuc nos præcessit, vnde ad nos veniens non recessit, & quo nos præcedens non deseruit. Illa erit reuelatio, tanquam vera in Galilæa, cum similes ei erimus Ibi eum videbimus sicuti est. Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto seculo in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, vt ad eius dexteram segregari mereamur. Pentapolis regio in confinio Arabiæ & Palæstinæ sita, dicta à quinque ciuitatibus impiorum, quæ cœlesti igne consumptæ sunt: terra amplius ab Hierusalem olim vberrima, nunc autem deserta atque exusta. Nam pro scelere incolarum de cœlo descendit ignis, qui regionem illam in cineres æternos dissoluit; illic vmbra quędam & species in fauillis & arborib. ipsis etiam adhuc videtur. Nascuntur enim ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, vt edendi desiderium gignant; si carpas, fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem, fumumq; exalant, quasi adhuc ardeant. Nam Pentapolis à numero denarum nomen, quasi quinque ciuitatum regio. Deniq; hæ vero ciuitates in ea consitæ sunt, hoc est, Sodoma, quæ interpretatur, *pecus silens* Gomorra, quę interpretatur, *populi timor*, vel *seditio* Adama, quæ interpretatur, *humus*, siue *terra*, siue *terrena* Seboim, quæ interpretatur, *caprearum*, vel *damularum*, siue *statio eius mare*, vel *statio maris*: Segor, quæ interpretatur, *parua*. Hæc autem regio quia diuino iudicio propter scelera sua exusta est, significat eos, qui quinque sensibus corporis suis abutuntur in luxuria & voluptate terrenarum rerum, rei sunt æterni incendij, si non eis pęnitentia & correctio peruersorum motuum ante subuenerit. Ægyptus, quæ prius *aeria* dicebatur, ab Ægypto Danai fratre

postea

Margin notes (left): *vrbs — Eph. 2. — Matth. 23. — Psal. 121. — Gal. 4.
Margin notes (right): Ioan. 4. — Matth. 28 — Ibid. — Ioan. 14. — Ioan. 1. — 1. Ioan. 3.

postea ibi regnante nomen accepit. Hęc ab oriente Syrię ac rubro mari coniuncta, ab occasu Libyam habet, à septentrione mare magnum, à meridie vero introrsus recedit, pertendens vsq; ad Æthiopes: regio cęli imbribus insueta, & pluuiarum ignara. Nilus solus eam circumfluens irrigat, & inundatione fæcundat: vnde & ferax frugibus multam partem terrarum frumento alit, cæterorum quoque negociorum adeo copiosa, vt im leat necessariis mercibus etiam Orbem terrarum. Interpretatur autem Ægyptus, *tribulatio coangustans*: & significat vanum laborem, quem iniqui exercent in hoc mundo æstuantes per auaritiam, lucra seculi sectando, & negotia mundi exercendo: vbi nunquam animabus suis requiem inuenient, sed de tribulatione huius vitæ in angustiam peruenient sempiternam. Potest autem Ægyptus mundum significare ad Deum conuersum, vt in psalmo:
Psal. 67. *Venient legati ex Ægypto.* Et in Esaia: *In die illa erit altare o-*
Esa. 19. *mini in medio terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatorem qui liberet eos.* Item in malam partem intelligitur, vt est illud
Ezech. 29. Ezechiel: *Cum ded ro terram Ægypti desolatam. Deseretur autem terra à plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores eius.* Item Amos dicit: *Ægyptus in desolatione erit, & Idumea*
Ioel. 3. *in desertum perditionis.* Scythia, sicut & Gotta à Magog, filio Iafet, fertur cognominata: cuius terra olim ingens fuit. Nam ab oriente Indiæ, à septentrione per palu-
* Maotides des * metocides inter Danubium & oceanum vsque Germaniæ fines porrigebatur. Postea vero minor effecta à dextra orientis parte, qua oceanus Syricus tenditur vsque ad mare Caspium, quod est ad occasum: dehinc à meridie vsque ad Caucasi iugum deducta est: cui subiacet Iscania ab occasu habens pariter multas gentes propter terrarum infæcunditatem late vagantes, ex quibus quædam agros incolunt, quædam portentuosæ ac truces carnibus humanis & eorum sanguine viuunt. Scythiæ plures terræ sunt locupletes, habitabiles tamen plures. Nam dum in plerisque locis auro, gemmis affluant: grifforum immanitate accessus hominum rarus est: smaragdis autem optimis hæc patria est. Cianeus quoque lapis & crystallus purissimus Scythiæ est. Habet & flumina magna Oscorum Fasiden atque Araxen. Scythia enim, quæ calore caret, & frigore semper durescit, illos significare potest, qui à calore Spiritus sancti extranei sunt, & sub illius regno consi-
Esa. 14. stunt, qui dixit: *Ponam thronum meum ad a quilonem & ero*
Matth. 24. *similis altissimo*: de quibus Christus ait: *Abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*: quorum truculentia carnibus humanis vescitur, & eorum sanguine viuit, dum innocentes lædere non desistunt, & per auaritiam eorum necessarios sumptus in proprium quæstum conuertunt. Illi autem, qui ex his in locuplete terra & habitabili degēt, eos significant, qui de errore gentilium & idololatria conuersi ad terram Ecclesiæ veniunt, ibique sincera fide lucidi, & preciosarum virtutum gemmis semper virentes, cælesti conuersatione futuræ patriæ viuunt. Quo-
Phil. 3. rum (iuxta Apostolum) conuersatio semper in cælis est: & in carne ambulantes non secundum carnem militant, sed ea, quæ sursum sunt, quærunt, vbi & Christus est, in dextera Dei sedens: & quæ sursum sunt sapiunt, non quę super terrā. Armenia nuncupata ab Armeno Iasonis Thessali comite, qui amisso rege Iasone & collecta multitudine eius, quæ passim vagabatur, Armeniam cæpit & ex suo nomine nuncupauit. Sita est autem inter Taurum & Caucasum, à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa: habens à septētrione Cetaunios montes, è quibus Tigris fluuius nascitur, & in cuius montibus arca diluuio sedisse perhibetur. Interpretatur autem Ararath, *Armenia*, siue *mons bellicatus*. Ararath ipsa est Armenia. Siquidem in montibus Ararath arca post diluuium sedisse perhibetur, & dicuntur ibidem vsq; hodie eius manere vestigia. Meminit horum montium & Hieremias in visione contra Babylonem: Iosephus quoq; in primo antiquitatum iudaicarum libro, secularium literarum historiam proferens: *anim aduer ēs*, inquit, *Noe terram diluuio liberatam septem alios dies abire permisit & vniuersa animalia bestiasque patentibus claustris eiiciens, ipse cum sua prole egressus est, immolans Deo hostias gaudensque cum liberis. Hunc locum Armeni exitum vel egressum vocant. Siquidem ibi cultores illarum regionum arcam primum sedisse testantur, & lignorum quadam superesse monimenta arca huius & diluuij. omnes, qui barbaras scripsere historias, recordantur*, quorum est Berosus chaldæus, *qui super diluuio referens hæc locutus est: Dicitur huius nauis in Armenia propter montem Carduenorum pars aliqua permanere, & quosdam bitumen ex ea auellentes circumferre, quo vtuntur vel maxime hi, qui lustrantur & se expiant.* Sed & Hieronymus Ægyptius, qui antiquitates phœnicum pulchro sermone conscripsit, & Naseas & multi alij, Nicolaus quoque Damascenus in xxvii. libro refert. Est in Armenia super Immadem mons nomine Beris, ad quem multos in diluuio confugisse autumant, ibique esse saluatos: alios vero in arcæ alueo supernatantes, ad eius verticem peruenisse, & vsque ad multas ætates ligna arcæ monstrari solita: quos quidem ego puto non esse alios, nisi eos, quos Moyses legifer Iudæorum in suis voluminibus edidit. Mystice aut Ararath siue Armenia mundi istius principatum vel populum gentium significare potest. Qui bene mons bellicatus dicitur, quia ab altitudine superbiæ & idolatriæ errore auulsis, sanctæ se subdit Ecclesiæ, quæ est arca Dei viui: & omnium animantium, hoc est, hominum continet in se genera: & in celsitudine virtutum consistens deuotionē futuram expectat in regno cælesti. Cappadocia vrbs proprie nominatur. Hæc in capite Syriæ sita ab oriente Armeniam tangit: ab occasu Asiam minorem: ab aquilone mare Cimericum & Hemister. os campos, quos habuere Amazones: à meridie Taurum montem, cui subiacet Cilicia & Isauria vsq; ad Calicium suū, qui spectat contra insulam Cyprum. Terra eius ante alias nutrix equorum. Alis amnis per eam fluit, qui quondam Lydiæ regna disiunxit à Persis. Cappadocia autem interpretatur, *manu redempta*. Hæc quoque typice significare potest sanctam Ecclesiam, quæ Christi Domini nostri operatione à potestate Diaboli redempta est. Asia minor ab oriente Cappadocia cingitur: ab aliis partibus vndiq; mari circumdatur. Nam à septentrione pontum Euxinum habet, ab occasu Propontidem, à meridie Ægyptiū mare. Habet prouincias: Bithyniam, Phrygiam, Gallicam, Lediam, Cariam, Pamphiliam, Isauriam, Lyciam. Habet autem hęc in se vii. ciuitates istas, hoc est, Ephesum, Smirnam, Pergamum, Thiatiram, Sardis, Philadelphiam, Laodiciam. Interpretatur vero Asia, *eleuata* siue *gradiens* Ecclesiam significans ad superna virtutum gradibus proficientem: vnde Ioannes in Apocalypsi prænominatis septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Nam Ephesus interpretatur, *voluntas* siue *consilium meum*: quod est Ecclesia voluntate & consilio Dei electa. Smirna interpretatur, *canticum eorum*: hoc est, fidelium confessio. Pergamus interpretatur, *diuidens cornua eorum*, id est, Ecclesia hæreticorum errores vel aeriarum potestatum temptamenta dissecans. Thiatira interpretatur, *illuminata*, Ecclesia videlicet sole iustitiæ illuminata. Sardis interpretatur, *principium pulchritudinis*, hoc est, Ecclesia Domini nostri Iesu Christi, qui est principium pulchritudinis. Sed Philadelphia interpretatur, *saluans*, id est, Ecclesia proprios saluans populos. Laodocia, quæ interpretatur, *tribus amabilis*, significat Ecclesiam, quæ est amabilis Deo. Gallatia dicta à priscis gallorum gentibus, à quibus extitit occupata. Nam Galli in auxilium à rege Bithyniæ euocati regnum cum eo parta victoria diuiserunt, sicq; deinde gręcis adinixti, primum Gallogræci nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, & eorum regio Galatia nuncupatur. Interpretatur autem Galatia, *magnifica*, siue *translata*: & merito, quia ab errore translata, in fidei virtute facta est magnifica. Phrygia dicta à Phrygia Europis filia. Hæc & Dardania à Dardano Iouis filio dicta, de quo Homerus ait: *Quem primus calesti Iupiter arce.* Hic enim profectus de Corintho ciuitate primus venit in Phrygiam. Est autē regio Troadi superiecta, ab aquilonis parte Galatiæ, à meridiana vicina est Lycaoniæ, ab oriēte Lydię adhæret, ab occidente Hellesponto mari termina-

ut. Huius regio Troia est, quam ex suo nomine appellauit Tros Troianorum Rex, Ganymedis Pater. Duæ sunt autem Phrygiæ: maior & minor. Maior Phrygia Smirnam habet: minor Phrygia Ilium & Lycaoniam. Interpretatur autem Phrygia, *scissio pectorum*: Lycaonia vero interpretatur, *ad suscitandum*. Lydia autem à Lydo regis fratre, qui in prouincia remãserat, cognominata est. Coniungitur autem ab occidente minori Phrygiæ, ab ortu Smirnam vrbem habet, quam Elles fluuius cingit, cuius campos Pactolus & Thermus circumfluunt, arenis aureis ditissimi. Lydia autem interpretatur, *desiccata*. Isauria ex situ loci perhibetur cognominata, quod vndique aperta aurarum flatibus pateat. Metropolim vrbem Seleuciam habet. Cilicia à Cilice quodam nomen traxit, quem ortum Phœnice dicunt, antiquioremque Ioue fuisse asserunt. Plurima iacet campis recipiens ab occiduo Lyciam, à meridie mare succum, à tergo montis Tauri iuga. Hanc Cignus intersecat, matrem vrbium habet Tharsum. In ea & Coriscos oppidum est, vnde crocum plurimum & optimum venit spi-
* fragrantius. ramine * Flagrantior, & colore plus auro. Interpretatur autem Cilicia, *cœtus*, aut *luctus*, vel *assumptio*, vel *sonitus eius*. Hæc typice personam pœnitentium gerit, qui peccata sua quotidie in ieiunio & oratione deplorant, & à Domino veniam deprecantur. Licia nuncupata, quod
* Ciliciæ. ab oriente adiuncta * ciliæ sit. Nam habet ab ortu Ciliciam, ab occasu & meridie mare, à septentrione Cariam. Ibi est mons Cimera, qui nocturnis æstibus ignem exalat, sicut in Sicilia Æthna, & Vesuuius in Campania. Interpretatur autem Licia, *lachrymans*. Albus regio Idumęorum, quæ nunc Gabalene dicitur, vicina Petræ ciuitati. Amalechites regio in deserto ad meridiem Iudææ, tenẽs vrbem Petram euntibus Aílam, cuius & scriptura recor-
Num. 13. datur, dicens: *Amalech habitat in terra ad austrum*: sed & iuxta eum alius Chananęus habitauit, qui & dimicauit cõ-
Num. 14. tra filios Israel in deserto, de quibus ita scribitur: *Amelech autem & Chananaus habitant in valle*. Argob regio regis Basan supra Iordanen in sorte dimidiæ tribus Manasse, & est vsque hodie vicus circa Getasa vrbem Arabię xv. ab ea milibus distans contra occidentem, qui Arga appellatur, quod interpretatur Symmachus, *mensuram*. Interpretatur autem Argob, *maledicta sublimitas*. Et quæ est maledicta sublimitas, nisi fastus superbiæ, quæ interpretatur anathema tristitiæ? Ermon regio hebræorum est, quam obtinuit Iesus. Hebræus vero, quo prælegente scripturas didici, affirmat montem Hermon Paneade inminere, quam quondam tenuerunt Euæi & Amorræi, de quo nunc æstiuæ niues Tyrum ob delicias deferuntur. Cene regio principum Idumæorum interpretatur, *possessio*: Euila, vbi aurum purissimum, quod hebraice dicitur Zaab, & gemmæ preciosissimæ, carbunculus smaragdusque nascuntur. Est autem regio ad orientem vergens, quam circuit de Paradiso Phison egrediens, quem nostri mutato nomine Gangen vocant. Sed & vnus de minoribus Noe Euila dictus est, quem Iosephus refert cum fratribus suis à flumine Cosene & regione Indiæ vsq; ad eum locũ, qui appellatur Hicira, possedisse. Sed & Ismahel in solitudine Euila habitasse scribitur, quam sancta scriptura ait esse in deserto Sur contra faciem Ægypti, & tendere vsq; ad terram Assyriorum. Interpretatur autem Euila, *dolens*, siue *parturiens*. Efratha regio Bethleem, ciuitas Dauid, in qua natus est Christus. Est autem in tribu Iuda, licet plerique male æstiment in tribu Beniamin iuxta viam, vbi sepulta est Rachel, quinto miliario ab Hierusalem, in eo loco, qui à lxx. vocatur *Hippodromus*, sicut legimus in libro Paralipomenon. Interpretatur autem Effratha, *vbertas*, siue *pulueruleuta*. Elath regio principum Edom, & ciuitas Esau in decimo à Petra miliario contra orientem. Interpretatur enim Elath *ad solum*, vel *solitarius*, aut *vnum*. Philistim, quæ nunc dicitur Ascalon, & circa eam regio est Palestinæ. Philistim enim interpretatur, *ruina duplex*. Gerara, ex cuius nomine Geratinea, vocatur regio transdoromam procul ab Eleuteropoli, milibus xxv. ad meridiẽ. Erat autem olim terminus Cananæorum ad australem partem, & ciuitas metropolis Palestinæ. Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades & Sur, hoc est, inter duas solitudines, quarum vna Ægypto iūgitur, ad quam populus trans fretum rubri maris peruenit. Altera vero Cades vsque ad Sarracenorum heremum extenditur. Interpretatur autem Gerara *ruminationem vidit*, siue *macherias*. Gesse regio Ægypti, in qua habitauit Iacob cum liberis suis. Gesse interpretatur, *appropinquans adpalpationi eorum*, siue *vicinitas*. Idumæa regio Esau, quæ ex eo, quod ille Edom vocabatur, nomen accepit. Est autem circa vrbem Petram, quæ nunc dicitur Gabalene. Iotheth regio principum Edom in eadem, de qua & supra diximus, Gabalene. Messe regio Indiæ, in qua habitauerunt filij Iectan filij Eber Messe quippe interpretatur, *aqua rara*, vel *elatio*. Theman regio principum Edom in terra Ge-
baletica,* Theman filio Elifam Esau sortita vocabulum, * à
sed vsque hodie est villa, Theman nomine, distans ab vrbe Petra v. milibus, vbi & Romanorũ militum præsidiũ. Sed de quo loco Elisas rex Themanorum, vnusquisq; filiorum Ismahel appellabatur Theman Sciendum autem, quod omnis australis regio hebraice Theman dicitur. Interpretatur autem theman, *auster*, vel *affricus*. Cedar, de quo in Ezechiele principes Cedar leguntur: sed & Hieremias & Esaias in visione Arabiæ, huius vocabuli recordantur. Est autem regio in heremo Sarracenorum, à filio Ismahelis Cedar ita cognominata. Cedar autem interpretatur, *tenebræ*, vel *mæror*. Gotha regio Assyriorum: Gotha interpretatur, *principium*. Decapolis, sicut in Euangelio legimus, decem vrbium regio est trans Iordanem circa Hippum & Pellam & Gadaram. Fathures regio Ægypti iuxta Hiezechielem & Hieremiam, in qua profugi habitauere Iudæi. Fathures vero interpretatur, *oris exploratio*, siue *bucella luminis*, vel *os turturis*. Gellam Sur regio allophylorum: porro gela interpretatur *migra* vel *transmigranti*. Gessur regio alienigenarum in Syria: nam gessur interpretatur, *iuxta lumen meum*, vel *applicans se lumini meo* Galilæa dicitur regio. Nam duæ sunt Galilęæ, è quibus vna Galilæa gentium vocatur, vicina finibus Tyrorum, vbi & Salomon xxv. ciuitates donauit Hiram regi Tyri in sorte tribus Neptalim: altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem, & stagnum Genesareth in tribu Zabulon. Interpretatur autem Galilæa, *volutabilis*, aut *transmigratio perpetrata*, vel rota. Gamela regio Idumæorum, pro qua Aquila & Symmachus interpretantur, *vallem salis*. Macha regio regis Gessur, interpretatur macha, *mollitus*, siue *confractus*. Masagam regio Moabitarum, vt scribit Hieremias. Masaga interpretatur *requirentem* siue *retinentem*. Misor regio Moab iuxta Hieremiam, interpretatur *directa* siue *campestris* vel *tribulatio*. Masfath regio Moabitarum, sicut in Hieremia legimus. Posita est autem & supra in Esaia. Interpretatur autem Masfath, *aquarum impetus habens tempora*. Maon regio Moabitarum iuxta Hieremiam. Maon interpretatur, *habitaculum* Magedan, ad cuius fines Matthæus Euangelista scribit Dominum peruenisse: sed & Marcus eiusdem nominis recordatur, nunc autem regio dicitur Magedana circa Gerasan. Magedon enim interpretatur, *pomorum eius*, siue *cenacula eius*. Nebeoth regio, de qua scribit Esaias. Nam Nebeoth interpretatur, *prophetans*. Osyr est locus, vnde (sicut in Regnorum libris legimus) aurum afferebatur Salomoni: fuit autem vnus de posteris Eber, nomine Osyr, ex cuius stirpe venientes à fluuio, Cosene vsque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Hieria, habitasse refert Iosephus, à quo puto & regionem vocabulum consecutam. Osyr autem interpretatur, *ignominia*. Reblatha regio est Babyloniorum, siue vrbs, quam nunc Antiochiam vocant. Reblatha vero interpretatur, *multa ista*, siue *multitudo*. Saron,
cuius & Esaias meminit, dicens: *in paludes versus est Saron*. Esa. 35.
Vsque ad præsentem autem diem regio inter montem Thabor & stagnum Tyberiadis appellatur: sed & Cæsaria Palestinæ vsque ad opidum Ioppe, omnis terra, quæ cernitur, dicitur Saronas. Interpretatur vero Saron, *principis mæroris*. Sefela, sicut scribit Esaias, pro qua Aquila *campestrem*, Symmachus *vallem* interpretantur, vsq; hodie omnis regio iuxta Eleutheropolim campestris & plana, quæ vergit ad aquilonem & occidentem, Sefela dicitur. Thalassar regio est Syriæ: Thalassar autem interpretatur,

appensus

appensus princeps: Æthiopum regio ab Indo flumine consurgens iuxta Ægyptum in Nilum & oceanum in meridie sub ipsa solis vicinitate iacet. Chanaan, filius Cham, obtinuit terram à Sidone vsq; ad Gazam, quam Iudæi deinceps possederunt, eiectis Chananæis. Interpretatur autem Chanaan, *motus eorum* vel *negociator*, aut *humilis*. Significat autem Chanaan cupidos & auaros infirmarum rerum & sectatores secularium negotiorum, quos amouendos à suis sedibus constat, quia *mundus transit & concupiscentia eius*. Pontus regio multarum gentium iuxta mare Ponticum, quod Asiam, Europamque disterminat. Pontus vero interpretatur, *inclinans*. Saronas, quæ interpretatur, *campestris*, regio est Palestinæ vsque ad oppidum Ioppe pertingens. Sarona quoque interpretatur, *cantans tristitiam*. Post Asiam ad Europam stylum vertimus. Europa quippe (vt gentiles ferunt) Agenoris regis Libyæ filia fuit quam Iupiter ab Affrica raptam Cretam aduexit, & partem tertiam orbis ex eius nomine appellauit. Iste est autem Agenor Libyæ filius, ex qua Libya, id est, Affrica fertur cognominata. Vnde apparet prius Libyam accepisse vocabulum, postea Europam. Europa autem in tertiam partem orbis diuisa incipit à flumine Tanai, descendens ad occasum, et septentrionalem oceanum vsque in fines Hispaniæ: cuius pars orientalis & meridiana à Ponto consurgens, tota mari magno coniungitur, & in insulis Gadis finitur. Prima Europæ regio Scythia inferior, quæ à Mæotidis paludibus incipiens, inter Danubium & oceanum septentrionalem vsque ad Germaniam porrigitur: quæ terra generaliter propter barbaras gentes, quibus inhabitatur, barbarica dicitur. Huius pars vna Alania est, quæ ad Mæotidas paludes pertingit: post hanc Dacia, vbi & Gothia: deinde Germania, vbi plurimam partem Sueui incoluerunt. Germania post Scythiam inferiorem à Danubio inter Rhenum fluuium oceanumque conclusa cingitur. A septentrione & occasu oceano, ab ortu vero Danubio, à meridie Rheno flumine dirimitur: terra diues virium, ac populis numerosis & immanibus. Vnde & propter fœcunditatem gignendorum populorum Germania est dicta. Gignit aues ircanias, quarum pennæ nocte perlucent. Vnisontes quoque feras & vros atque alces parturit. Nutrit & gemmas, crystallum & succinum, gallaicum quoque viridem, & ceraunium candidum. Duæ sunt autem Germaniæ: superior iuxta septentrionalem oceanum, inferior circa Rhenum. Prouincias autem, quas Danubius à barbarico ad mediterraneum mare secludit, prima est Messia, à messium prouentu vocata. Vnde & eam veteres Cereris horreum nuncupabant. Hæc autem ab Oriente ostiis Danubij iungitur, ab euro vero Trachiæ, à meridie Macedoniæ: ab occasu Istriæ copulatur. Post Messiam autem Pannonia est: inde Noricus ager frigidus & parcius fructuosus: post quem Reticus frugibus ferax, qui excipit Galliam * bellicam. Thraciæ Thiras Iafeth filius veniens nomen dedisse perhibetur: alij à fæuitia incolarum Thraciam appellatam dixerunt. Huic ab oriente Propontis & vrbs Constantinopolis opposita est. A septentrione vero Ister obtenditur: à meridie vero Ægæo mari adhæret: ab occasu Macedonia illi subiacet, cuius regionem olim diuersi populi Massagetæ, Sarmatæ, Scythæ & aliæ plurimę nationes incoluerunt. Ampla est enim, ideoq; plurimas continuit gentes. Ebrum fluuium Thracia fudit, qui etiam gentes barbarorum plurimas tangit. Græcia à Græco rege vocata, qui cunctam eam regionem incoluit. Andromacha de Pyrrho Molosum genuit, à quo pars Epiri Molosia dicta est. Sũt autem prouinciæ Græciæ VII. quarum prima ab occidente Dalmatia, inde Epirus, inde Elladas, inde Thessalia, inde Macedonia, & duæ in mari: Creta & Cyclades. Illyricus autem generaliter omnis Græcia est. Dalmatia à Delim, maxima eiusdem prouinciæ ciuitate, traxisse nomen perhibetur: adhæret autem ab oriente Macedoniæ: à septentrione Messię: ab occasu Histria terminatur: à meridie vero Adriatico sinu clauditur. Epirus à Pyrrho Achillis filio cognominata, cuius pars Caonia, quæ ante Molosia dicta est à Moloso filio Pyrrhi, quẽ de Andromacha habuit: sed postquam occisus est Pyrrhus Orestis insidiis, Andromacham Helenus suscepit: tenuitque regnum priuigni, qui successerat patri, à quo Molosia dicta est pars Epiri, quam Elenus postea à fratre Caone, quẽ in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Caoniam nominauit, quasi ad solatium fratris extincti. Elladis dicta à rege Ellano Deucalionis & Pyrrhę filio, à quo & prius grçci ellenes nuncupati sunt. Ipsa est Attica terra, Atte prius dicta. Nam Granus quidam Græciæ indigena fuit, ex cuius filia, Attes nomine, Attica terra est vocata: hæc inter Macedoniam & Achaiam media iacet, Arcadię a septentrionali parte coniuncta. Ipsa est vera Græcia, vbi sunt Athenæ ciuitas, mater liberalium literarum, & philosophorum nutrix, qua nihil habuit Græcia clarius atq; nobilius. In ea est & Marathonius campus, opinione quondam prælij cruentissimus. Ellados autem duæ sunt prouinciæ: Boetia & Peloponensis. Boetia autẽ dicta hac ex causa. Dum Cathmus Agenoris filius Europam sororem à Ioue raptam ex præcepto genitoris quæreret, nec reperiret: patris iram formidans, confirmato animo elegit exilium. Nam bouis forte conspectæ secutus vestigia, amplexus est sedem, vbi illa recubuerat: sicque locum de nomine bouis Boetiam, vbi & Thebas vrbem construxit, in qua olim ciuilia bella detonuerunt, & vbi nati sunt Apollo & Hercules maior ille Thebanus. Eadẽ est Econia vocata à fonte quodam Apollini & musis consecrato, qui in eadem Boetia est. Peloponensis vero secũda pars elladis à Pelopo rege nata atq; vocata. Thessalia à Thessalo rege cognominata, quæ ad meridianam plagã Macedoniæ coniuncta est: cuius à tergo Pieria est. Multa in Thessalia flumina & opida, inter quæ præcipue Thessalonica. Ibi est & mons Parnasus quondam Apollini cõsecratus. Thessalia patria Achillis, & origo Lafitarũ fuit, de quibus fertur, quod hi primo equos frenis domuerant. Vnde centauri dicti sunt. In Thessalia primum solidi aurei facti sunt, domandorum quoq; equorum vsus repertus est. Macedoniæ in exordio ab Emachio rege Emachia nomen erat: sed Macedo, Deucalionis maternus nepos, post quam ibi accepit principatum, mutauit vocabulum, Macedoniamq; à suo nomine dixit. Est autem confinis ab oriente Ægæo mari: à meridie Achaiæ: ab occasu Dalmatiæ: à septentrione Messiæ patriæ Alexandri Magni, & regio aureis venis argentiq; optima, lapidem, quẽ peanitem vocant, ista gignit: mons Olympus in ea est, qui excellenti vertice tantus attollitur, vt in cacumine eius nec nubes nec venti sentiantur. Achaia ab Achęo rege & vrbe & prouincia appellata est. Hęc pene insula est. Nam absq; septentrionali parte, qua Macedoniæ iungitur, vndiq; septa est mari. Ab oriẽte enim habet Mirtheum mare, ab euro Creticum, à meridie Ionium, ab Affrico & occasu Cassiopas insulas, à sola septentrionali parte Macedoniæ vel Atticæ terræ adiungitur. Huius caput est vrbs Corinthus, Græcię decus. Machus Achaię fluuius. Arcadia sinus Achaię est, vt platani folium, inter Ionium & Ægęum mare exposita, quam Arcas Iouis & Calistę filius, Pelasgis in declinationem redactis, ex suo nomine Arcadiam nuncupauit. Ipsa est Sicyonia à Sicyone rege, à quo & regnũ Sicyniorum est dictum. Habet autem Arcadia fluuiũ magnum Erimantum, asbeston quoque lapidem, qui semel accensus nunquam exstinguitur: candidissimę etiam merulę ibi nascuntur. Pannonia ab Alpibus Apenninis est nuncupata, quib. ab Italia secernitur: regio vero fortis & solo lęta, duobus satis acribus fluuiis, Drauo Sauoq;, vallata. Coniungitur autem cum Norico & Retia, habent: b. ab oriẽte Messiam, ab euro Istriam, ab affrico vero Alpes Apenninas. Haber ab occasu Galliam Belgicam, à septẽtrione Dambu fontem vel limitem, qui Germaniam Galliamq; secernit. Italia olim à grçcis populis occupata, magna Grçcia appellata, deinde a regis nomine Saturnia, mox & Latium dicta, eo quod idem Saturnus, à Ioue sedibus suis puls*, ibi latuerit. Postmodũ ab Italo rege ibi regnãte nuncupata est. Cuius situs longitudine amplius quam latitudine à cincio in eurum extẽditur, à meridie tirreno mari, ab aquilonę Adriatico clauditur, ab occiduo Alpiũ iugis finitur: terra omnibus in rebus pulcherrima, soli fertilitate, pabuli vbertate gratissima. Habet lacus, Ve-

nacum

1. Ioan. 2.

** Belgicam.*

nacum atque Lucrinum: Fluuios, Eridanum & Tiberim & repentes fontibus vel fontes baias, gignit gemmas, sirtitem, ligurium & corallium. Boani quoque serpentem, lyncem feram & diomedias aues. Italia autem & Hispania ideirco Hesperię dictæ, quod græci Vespero stella nauigent & in Italiam & in Hispaniam. Quæ hac ratione discernuntur. Aut enim Esperiam solam dicis, & significas Italiam: aut addis vltima, & significas Hispaniã, quia in occidentis est fine. Tuscia pars Italiæ, Vmbria vero vt historiæ narrant) eo quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt, & ob hoc Vmbria græce cognominata. Est enim in iugis Apennini montis sita, in parte Italiæ iuxta meridiem. Ethruria pars Italiæ dicta, quod eius fines tendebantur vsq. ad ripam Tiberis quasi.

Nam ire oris significat, altera ferori finis vocatur. Romæ enim finis antea vnam tantum Tiberis ripam tenebat. Alij Etruriam dictam ab Etrusco principe putant. Item & tyrenia à Tirreno Lidij fratre, qui ex oriente cum populi parte de Mœnia venit ad Italiam. Hæc est & Tuscia, sed Tusciam dicere non debemus, quia nusquam legimus. Tuscia autem a frequentia sacrificij & turis dicta est. Gallia à candore populi nuncupata. Gala enim grece lac dicitur. Montes & rigor cæli ab ea parte solis ardorem excludunt. Quo fit, vt candor corporum non coleretur. Hanc ab oriente Alpium iuga tuentur, ab occasu oceanus includit, à meridie præcupta Pyrenæi, à septentrione Rheni fluenta atq; Germania, cuius initium Belgica finis. Aquitania est regio gleba vberi & populosa, & ad vsum animantium apta, fluminibus quoq. & fontibus irrigua, perfusa duobus magnis Rheno & Rhodano fluuiis. Belgis autem ciuitas est Galliæ, à qua Belgica prouincia dicta est Cisalpina: quia circa Alpes vel citra alpina, id est, trans Alpes contra septentrionem. Retia vero terra hieme atque æstate vernat, sol ibi mitis, grata temperies, purus aer & blandus: inde vocata, quod sit iuxta Rhenũ. Aquitania autem ab obliquis aquis Ligeris fluminis appellata, qui ex plurima parte terminus eius est, eamq; pene in orbem cingit. Hispania prius ab Ibero amne Iberia nuncupata est. Postea ab Hispano Hispania cognominata est. Ipsa est vera Esperia a Vespero stella occidentali dicta: sita est autem inter Affricam & Galliam, à septentrione Pyrenæis montibus clausa, à reliquis partibus vndiq; mari conclusa, salubritate cæli æqualis, omnium fructuũ generibus fæcunda, gemmarum metallorumque copiis ditissima. Interfluunt eam flumina magna: Betis, Mineus, Iberis & Tagos, aurum trahens, vt Pactolus. Habet pro-
** Tarraconensem.* uincias sex:* terram conensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galliciam, Beticam, & trans freta in regione Affricæ Tingitaniam. Duæ sunt Hispaniæ: citerior, quæ in septentrionis plagam à Pyrenæo vsq; ad Carthaginem porrigitur: vlterior, quæ in meridiem à Celtiberis vsque ad Gaditanum fretum extenditur: citerior & vlterior dicta, quasi citra & vltra: sed citra, quasi citra terras, & vltra: vel quod non sit post hanc vlla, hoc est, alia terra. Hæc de Europæ regionibus dicta sufficiant: nunc de partibus Affricæ breuiter dicamus. Libya est dicta, quod inde Libs flat, hoc est, Affricus: alij aiunt Epaphum Iouis filium, qui Memphim in Ægypto condiderat, ex Cassiora vxore procreasse filiam Libyam, quæ postea in Affrica regnum possedit: cuius ex nomine terra est illa Libya appellata; Affricam autem nominatam quidam inde existimant, quasi *apricam*, quod sit aperta cælo vel soli, & sine horrore frigoris: alij dicũt Affricam appellari ab vno ex posteris Abrahæ de Cethura, qui vocatus est Afer, de quo supra meminimus. Incipit autem a finibus Ægypti, pergens iuxta meridiem per Æthiopiam vsq; ad Athlantem montem, à septentrionali vero parte mediterraneo mari coniuncta clauditur, & Gaditano freto finitur: habens prouincias, Libyam Cirenensem, Pentapolim, Tripolim, Bizanciũ, Carthaginem, Numidiam, Mauritaniam Sitifensem, Tingitaniam, & circa solis ardorem Æthiopiam. Libya Cirenensis in parte Africę prima est à Cirene vrbe metropoli, quæ est in eius finibus nuncupata. Huic ab oriente Ægyptus est, ab occasu Syrtes maiores & Troglodytæ: à septẽtrione mare Libycum: à meridie Æthiopia & barbarorũ variæ nationes & solitudines inaccessibiles, quæ etiã basiliscos serpẽtes creant. Pentapolis græca lingua à quinq; vrbibus nũcupata, id est, Berenice & Ceutria, Apollonia, Ptolomais, ex quib. Ptolomais & Berenice à regibus nominatæ sunt. Est autem Pentapolis Libyæ Cirenensi adiuncta & in eius finibus deputata. Tripolitanam quoque prouinciam græci lingua sua signant de numero triũ magnarum vrbium: Peoa, Sabrete, Leptis magna. Hęc ab oriente Syrtes maiores & Troglodytas: à septentrione mare Adriaticum: ab occasu Bizancium: à meridie Getulos & Garamantas vsq; ad oceanum Æthiopicum pertendẽtes vel potium tendentes. Bisacena regio ex duob. nobilissimis opidis nomẽ sortita est, ex quib. vna Achumetus vocatur. Hæc sub Tripoli est patens passuum ducenta milia vel amplius, fæcunda oleis, & glebis ita præpinguis, vt iacta ibi semina incrementa pene centesimæ frugis renascantur Zeugis, vbi Carthago magna ipsa est, & vera Affrica inter Bizancium & Numidiam sita: à septentrione mari Siculo iuncta: & à meridie vsq; ad Getulorũ regionẽ porrecta: cuius proxima quæq; frugifera sunt, vlteriora a. bestiis & serpentib plena, atq; onagris magnis in deserto vagantibus. Gethulia autem Affricæ pars mediterranea est, Numidia ab incolis passim vagantib. sic vocata, quod nullam certam haberent sedem. Nam lingua eorum incertæ sedes & vagæ, *numidæ* dicuntur. Incipit a. à flumine Amphiscam in Zeugitanum limitem desinit, habens ab ortu Syrtes minores. à septentrione mare, quod intendit Sardineum: ab occasu Mauritaniam Sitifensem: à meridie Æthiopum gentes: regio campis prępinguis: vbi autẽ siluestris est, feras educat: vbi iugis ardua, equos & onagros procreat. Eximio etiam marmore præditatur, quod numidicum dicitur. Habet a. vrbes præcipuas, Ipponi regium & Trusicadam. Mauritania vocata à colore populorum: græci n. nigrum mauron vocant. Sicut n. Gallia à candore populi: ita Mauritania à nigro nomen sortita est. Cuius prima prouincia Mauritania Sitifensis est, quæ Sitifiæ habuit opidum, à quo & vocabulum traxisse regio perhibetur. Mauritania vero Cæsariensis coloniæ. Cæsaria ciuitas fuit & nomen prouinciæ ex ea dictum. Vtræq; igitur prouinciæ sibi coniunctæ ab oriente Numidiam habent, à septentrione mare magnum, ab occasu flumen Maluam, à meridie montem Astrixim, qui discernit inter fæcundam terram & arenas iacentes vsque ad oceanum. Mauritania Tingitana, à Tingitania metropoli huius prouinciæ ciuitate vocata est. Hæc vltima Affricæ exurgit à montibus septem, habens ab oriente flumen Maluam, à septentrione fretum Gaditanum, ab occiduo oceanum Athlanticum, à meridie gaulalum gentes vsq; ad oceanũ esperum pererrantes: regio gignens ferocissimos dracones & strutiones: olim etiam & elephantibus plena fuit, quos sola nunc India parturit. Garamantis regionis caput Gataman opidum fuit. Est autem inter Cirenensem Æthiopiam, vbi est fons, qui & calore diei frigescit, & calet frigore noctis, Æthiopia dicta à colore populorũ, quos solis vicinitas torret. Deniq. vim sideris prodit color hominum. Est enim ibi iugis æstus. Nam quidquid eius est, sub meridiano cardine est: circa occiduum a. montuosa est. arenosa in medio, ad oriẽtalem vero plagam deserta, cuius situs ab oriente vsq; in Ægypti fines porrigitur. A meridie oceano, à septentrione Nilo flumine clauditur: plurimas habens gentes diuerso vultu & monstruosa specie horribiles, ferarum quoq; & serpentiũ referta est multitudine. Illic quippe rhinoceros bestia & camelopardus, basiliscus, dracones ingentes, ex quorum cerebro gemmæ extrahuntur: hyacinthus quoq; & chrysoprasus ibi reperiuntur, cinnamomum illic colligitur. Duæ sunt a. Æthiopiæ: vna circa ortum solis, altera circa occasum in Mauritania. Extra tres a. partes Orbis quarta pars trans oceanũ interior in meridie, quæ à solis ardore incognita nobis est, in cuius finibus antipodas fabulose inhabitare produntur. Proxima autem Hispaniæ Mauritania est, deinde Numidia, inde Carthaginenses, post quam Getuliam accipimus, postea Æthiopiam, inde loca exusta solis ardoribus. Sciendũ sane, q; quædam prouinciæ primum de nomine auctoris appellatæ erant. postea à prouincia gẽti

nomen

nomen est factum. Nam ab Italo Italia, & rursus ab Italia Italus. & sic vtimur ipsa nomina gentis, quomodo fiunt ipsum nomen auctoris, vnde diriuatum est nomen prouinciæ. Ex quo accidit, ex vno nomine nominare ciuitatem & regionem & gentem. Prouinciæ autem ex causa vocabulum acceperunt. Principatus namq; gentiũ quia ad reges alios pertinebant, cum in ius suum Romani vincendo redegerũt, procul positas regiones prouincias appellauerunt. Patria autem vocata, quod communis sit omnium, qui in ea nati sunt. Terra autem significat (vt præ diximus) elementum: terras vero singulas partes, vt Affrica, Italia, eadem & loca. Nam loca & terræ spacia in orbe terrarum multas in se continent prouincias: sicut corpore locus est pars vna multa in se continens membra, sicut & domus multa in se habens cubicula, sic terræ & loca dicuntur spacia, quorum partes sunt prouinciæ: sicut in Asia Phrygia: in Europa Gallia, Recia: in Hispania Betica. Nam Asia locus est, prouincia Asiæ, Phrygia: Troia regio Phrygiæ, Ilium ciuitas Troiæ. Item regiones partes sunt prouinciarum, quas vulgus conuentus vocat: sicut in Phrygia Troia: sicut in Gallicia, Cantabria, Asturia. A rectoribus autem regio nuncupata est, cuius partes territoria sunt: territorium autem vocatum, quasi tauritorium tritum bubus & aratro. Antiqui enim sulco ducto & possessionum & territoriorum limites designabant.

Capvt V.

De insulis.

INsulæ dictę, quod in salo sint, id est, in mari positę: quę in plurimis locis sacræ scripturæ aut Ecclesias Christi significant, aut specialiter quoslibet sanctos viros, qui tunduntur fluctibus persecutionum: sed non destruuntur, quia à Deo proteguntur. Nam in psalterio scriptum
Psal. 96. est: *Dominus regnauit, exultet terra lætentur insulæ multæ.* Regnante itaque Domino per totum mundum dispositæ lætentur Ecclesiæ: quæ merito insulis comparantur, quia mundi fluctibus ambitę circumlatrantium persecutionũ numerositate tunduntur: sed sicut istæ sæuientib. fluctib. nesciunt lædi: ita nec sanctæ Ecclesiæ perturbationibus aduersariorum probantur immunes: quin potius illos suis cautibus frangunt, qui in eas vndosis culminibus irruerunt. Et vide, quia dicit, *multa*, non omnes, propter hæreticas prauitates, qui erroribus suis Ecclesiarum no-
Ezech. 39. men imponunt. Item insula, plebs Iudæa, vt in Ezechiele: *fili hominis loquere ad habitatores insulæ.* Sunt quidem plurimæ insulæ propriis nominibus vocatæ, sed paucis locis in scripturis sacris earum nomina posita reperiuntur: ideo non credimus in hoc opere necessarium esse earum nomina reperire posse. Attamen quarundam earum hic etymologias secundum maiorum traditionem ponere non piget: quia fortasse lectori gratum est, si quid inde in hoc opusculo nostro repererit dictarum, cũ inde habeat materiam ad spiritalem intelligentiam earum significationem transferendi, si alicubi ei oportunum visum fuerit. Chio insula ante Bithyniam, quam iam aliqui Chiam appellauerunt. Gindus insula contra Asiam: hæc interpretatur, *mentis excessus*. Miciliæ insula contra Asiam à septimo miliario. Hæc interpretatur *de infirmitate*, siue *mandatum humilitatis*. Samothracia est insula in Pathmo sinu. Britannia oceani insula interfuso mari à toto Orbe diuisa, à vocabulo suæ gentis cognominata. Hęc aduersa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sita est. Circuitus eius quadragies octies septuaginta quinq; milia. Multa & magna flumina in ea, fontes calidi, metallorum larga & varia copia, gagates lapis ibi plurimus, & margaritæ. Tanatos insula oceani freto Galliæ à Britannia separata, frumentariis campis & gleba vberrima. Dicta autem Tanatos à morte serpentum, quos dum ipsa nesciat, asportaret inde, & in terram gentium vecta siti angues ilico pereunt. Tile vltima insula oceani inter septentrionalem & occidentalem plagam vltra Britanniam, à sole nomen habens: quia in ea æstiuum solstitium sol facit, vt quidam dicunt, & nullus vltra eam dies est, vnde & pigrum & concretum est eius mare. Orcades insulę oceani intra Britanniam positæ, numero xxxiii. quarum xx. desertæ sunt, tredecim coluntur. Scotia, eadem & Ibernia, proxima Britanniæ insula, spacio terrarum angustior, sed situ fœcundior. Hæc ab Affrico in boream porrigitur. Cuius partes priores sunt Ibernia, & Cantabricum oceanũ intendunt. Vnde & Ibernia dicta Scotia autem, quod ab Scotorum gentibus colitur, appellata. Illic nulla anguis, auis rara, apis nulla, adeo vt aduectos inde pulueres seu lapillos si quis alibi sparserit inter aluearia, examina fauos deserant. Gadis insula in fine Beticæ prouinciæ sita, quæ dirimit Europam ab Affrica, in qua Herculis columnæ visuntur, & vnde tirreni maris faucibus oceani æstus immittitur. Est autem à continentibus terris centum xx. passibus diuisa, quam Tyri, à rubro profecti mari, occupantes, in lingua sua Gadis, id est, septum nominauerunt pro eo, ꝙ circumsepta sit mari: nascitur in ea arbor similis palmæ, cuius gummis infectum vitrum ceraunium gemmam reddit. Fortunatarum insulę vocabulo suo significant omnia ferre bona, quasi felices & beatæ fructuum vbertate. Sua enim apte natura preciosarum poma siluarum parturiũt, fortuitis æstibus iuga collium vestiuntur, ad herbarum vicem messis & olus vulgo est. Vnde gentilium error & secularium carmina poetarum propter soli fœcunditatem easdem esse Paradisum putauerunt. Sitæ sunt autem in oceano contra læuam Mauritaniæ occiduo proximæ, & inter se interiecto mari discretæ. Gorgodes insulæ oceani obuersæ promontorio, quod vocatur esperaceras, quas incoluerunt gorgones, fœminę alitum pernicitate, hirsuto & aspero corpore, & ex his insulæ cognominatæ. Distant a. à continenti terra bidui nauigatione. Esperidum insulæ vocatæ à ciuitate Esperide, quæ fuit in fine Mauritanię. Sunt vltra Gorgodes sitę sub athlanticum litus in intimos maris sinus, in quarum hortis fingunt fabulę draconem peruigilem aurea mala seruantem: fertur n. esse mare ęstuarium adeo vndosis lateribus tortuosum, vt, videntibus procul lapsus anguis imitatur. Crysę & Argyrę insulę in Indico oceano sitę, adeo fęcũdę copia metallorum, vt pleriq; eas auream superficiem & argenteam habere prodiderint: vnde & vocabula sortitę sunt. Tabrobona insula Indię subiacens ad eurum, ex quo oceanus Indicus incipit: patens in longitudine octingentis lxxv. milibus passuum, in latitudine sexcentis xxv. milibus stadiorum. Scinditur amne interfluo tota margaritis repleta & gemmis. Pars eius bestiis & elephantis repleta est, partẽ vero homines tenent. In hac insula dicunt in vno anno duas esse ęstates & duas hiemes, & bis florib. vernare, vtilis insula Indię virens omni tempore folia. Huc vsq; oceani insulę. Itẽ insulę, quę in Hellesponto vsq; ad Gades in mari magno sunt constitutę. Cyprus insula à ciuitate Cypro, quę in ea est, nomen accepit: ipsa est Pafon Veneri consecrata in Carpatio mari, vicina austro, famosa quondam diuitiis, & maxime ęris: ibi n. prima huius metalli inuentio & vtilitas fuit. Hęc a. interpretatur, *tristitia* aut *mœror*. Gręca Gręcię insula pars est vergens in Peloponensem. Hęc primum à temperie cęli *macaronnesos* appellata est: deinde Creta dicta à Creto quodam indigena, quem aiunt vnum cretarum fuisse, à quib. Iupiter ibi absconditus est & enutritus. Est a. insula Gręcię inter ortum & occasum longissimo tractu porrecta, à septentrione Gręcię ęstibus, ab austro Ægyptiis vndis perfusa: fuit a. quondam centum vrbibus nobilis, vnde & hęc Centapolis dicta est. Prima etiam remis & sagittis claruit: prima literis iura finxit: equestres turmas prima docuit: studium musicum ab ideis dactylis in ea cęptum: capris copiosa, ceruis eget: lupos & vulpes, aliaque ferarum noxia nusquam gignit: serpens nulla ibi, nulla noctua, & si inuehatur, statim emoritur. Larga est vitibus & arboribus. Diptamnus herba Creta nascitur, & alimos, quę admorsa diurnam famem prohibet, phalangos autem venenatos gignit, & lapidem, qui ideus dactylus dicitur. Huius autem vocabulũ est inter Syrum & hebręum. Abidos insula in Europa super Hellespontũ posita, angusto & periculoso mari separata, & Abidos Gręce dicta, quod sit introitus Hellesponti maris, in quo Xerxes pontem ex nauibus fecit, &

in Græciam transiit. Coos insula adiacens prouinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus est, quæ (vt Varro testis est) arte lanificij prima in ornamento fœminarum inclaruit. Hæc autem interpretatur, *excussio*, vel *præstolatio*. Cyclades insulæ antiquitus Græciæ fuerunt, quas inde Cycladas autumant dictas, quod spaciis longioribus à Delo proiectæ in orbem, tamen circa Delum sitæ sint: nam orbem cyclon græci loquuntur. Quidam vero non quod in orbem digestæ, sed propter scopulos, qui circa easdem sunt, dictas putant Cycladas. Hę in Hellespontū inter Ægæum & Malæum mare constitutæ circumdantur etiam pelago merito. Sūt autem omnes numero l II. tenentes à septentrione in meridiem milia quingenta, ab oriente in occasum milia cc. Metropolis earum Rhodos. Delos insula in medio Cycladum sita, & dicta Delos fertur, quod propter diluuium, quod Ogi temporibus nota fuit, cum orbē multis mensibus continua nox inumbrasset, ante omnes terra radiis solis illuminata est, sortitaq; ex eo nomen, quod prima manifesta fuisset visibus. Nam delon græce manifestum. Dicitur enim & Ortygia eo, quod primum ibi visæ sunt coturnices aues, quas græci ortygas vocant. In hac insula Latona enixa est Apollinem & Dianam. Delos autem & ciuitas dicitur & insula. Rhodos insula Cycladum prima ab oriente, in qua rosæ capitulum dicitur fuisse inuentum, dum ibi ciuitas cōderetur: ex quo vrbs & insula Rhodos est appellata. In hac vrbe solis Colossus fuit æreus, lxx. cubitorum altitudine: fuerunt & alij c. numero in eadem insula colossi minores. Tenedos insula vna ex Cycladibus à septentrione sita, in qua olim ciuitas à Tenne quodam condita est, vnde & nomen vrbis illius, vel potius insulæ fuit. Nam Tennes iste infamatus, quod cum nouerca sua concubuisset, & fugiens in hanc insulam, vacuam cultoribus obtinuit, vnde & Tenedos dicta est. Sic Cicero: *tenent ipsum, unus ex nomine tenedos nominatū.* Carpatos insula vna ex Cycladibus à meridie posita in Ægyptum, à qua Carpacium mare appellatum est, vocata est propter celerem fructuum maturitatem. Est n. inter Ægyptū & Rhodum. Ex hac insula dicuntur & carpasiæ naues magnæ & spaciosæ. Cyterea insula vna ex Cycladibus à parte occidua sita, cuius Porfiris antea nomen fuit. Cyterea autē vocata, quod ibi Venus sit orta. Icaria insula vna de Cycladibus, quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Micanium procurrentibus saxis inhospitalis est, & nullis finibus portuosa. Dicitur a. Icarum Creteusem ibi naufragio interisse, & de exitu hominis in positū nomen loco. Naxon insula à Dionysio dicta, quasi dianaxon, quod fertilitate vitium vincat cæteras: est autē à Delo x. & VIII milia passuum separata, ex qua olim Iupiter fertur aduersus Titanas fuisse profectus. Melos insula ex numero Cycladum, vna omnium insularum rotundissima, vnde & nuncupata. Historia dicit ex Iasone natum fuisse Philomelum, & Plutum ex Philomelo Pareantam genitum, qui de suo nomine Paron insulam & opidum appellauit. Prius autem Minoia, deinde Paron dicta, de qua Virgilius: *niueamq; Paron*: gignit enim marmor candidissimum, quod parium dicunt: mittit & sardū lapidem, marmoribus quidem præstantiorem, & inter gemas vilissimum. Cion insula Syra lingua appellatur eo, quod mastix gignit. Syri n. masticem Cion vacant. Samo insula est in mari Ægæo, vbi nata est Iuno, ex qua fuit Sibylla Samia, & Pythagoras Samius, à quo *Philosophia* nomen inuenium. In hac insula reperta prius fictilia vasa tradūtur, vnde & vasa Samia appellata sunt. Sicilia à Sicano rege Sicania cognominata est: deinde à Sicalo Itali fratre Sicilia. Prius a. Trinacriam dictam propter Trinacria, id est, promontoria: Pelorum, Pachinum & Libeum. Trinacria n. græcū est. Quod latine triquadri, quasi in tres quadras diuisa. Hęc ab Italia exiguo freto discreta, Affricum mare prospectans, terris frugifera, auro abundans, cauernis tamen & fistulis penetrabilis, ventisq; & sulphure plena, vnde & ibi Ætnę montis incendia, in cuius freto Scylla est & Charybdis, quibus nauigia aut absorbentur aut colliduntur. Fuit a. quondam patria cyclopum, & postea nutrix tyrannorum, frugum fertilis, ac primum terris omnibus commissis seminibus aratro proscissa. Princeps vrbiū Siciliæ habet fontem Arethusam & alterum fluuium magnorum generatorem equorum: in ea insula primum est inuenta comœdia. Achaten lapidem ipsa primum in Achate flumine dedit: parturit & mare eius corallum, gignit & sales agrigentinos in igne solubiles, crepitantes in aquis omnes: ambitus eius clauditur stadiorum tritum milium. Salustius autem dicit Italiæ coniunctam fuisse Siciliam, sed medium spacium impetu maris diuisum, & per angustiam scissum. Tapsus insula stadiis x. à Sicilia remota, iacēs & planior. Vnde & nuncupata, de qua Virgilius: *Tapsumq; iacentem*: Æolæ insulæ Siciliæ, appellatæ ab Æolo Ippotæ filio, quem poetæ finxerunt regem fuisse ventorum: sed (vt Varro dicit) rector fuit istarum insularum: & quia ex earum nebulis & fumo futuros prædicabat flatus ventorum, ab imperitis visus est ventos sua potestate tenuisse. Æolæ insulæ & Vulcanæ vocantur, quod & ipsæ, sicut Ætna, ardeant. Sunt autem nouem habentes ꝓpria nomina, quarum primam a Liparo quidam Liparem vocant, qui eam ante Æolum rexit: altera Geram vocatur, quod sit collibus eminentissimis: reliquæ vero, id est, Strongyle, Didime, Ericusa, Festia, Fenicusa, Euomon, Stripodes, Fonores, quomodo nocte ardent, Æoliæ siue Vulcaniæ dicuntur: ex his quædam ab initio non fuerunt, postea in mari editæ vsq; ad nunc permanentes. Stoechades insulę Massiliensium lx. milium spacio à continenti in frontem Narbonensis prouinciæ, qua Rhodanus fluuius in mare exit. Dictæ a. græce Stoechades, quasi opere in ordinem stent positæ. Sardus Hercule procreatus cum magna multitudine a Libya profectus Sardiniā occupauit, & ex suo vocabulo insulæ nomen dedit. Hæc in Affrico mari facie vestigij humani in orientem quam occidentem latior ꝓminet ferme paribus lateribus, quę in meridiem & septētrionem vertunt, ex quo ante commercium à nauigantib. græcorum Ichus appellata est: terra patet in longitudine milia centum quadraginta, in latitudine quadraginta: in ea neq; serpens gignitur, neq; lupus: sed solifuga tantum animal exiguum hominibus perniciosum: venenū quoque ibi non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos & poetas memorata, apiastro similis, quæ homines rectos contrahit & quasi ridentes interimit: fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam præbentes, furibus cæcitatē, si Sacramento dato oculos aquis eius tetigerint. Corsicæ insulæ exordium incolæ Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis. Nam quædam Corsa nomine, Ligur mulier cum taurum ex grege, quem prope litora regebat transnatare solitum atq; per interualla corpore aucto remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a cæteris digredientem vsq; ad insulam nauigio persecuta est. Cuius regressu insulæ fertilitatē cognoscentes Ligures ratibus ibi profecti sunt, eamq; nomine mulieris auctoris & ducis appellauerunt. Hæc autem insula græce Cirne dicitur à Cirno Herculis filio habitata. De qua Virgilius: *cirnea taxus*. Diuiditur autem à Sardinia viginti milium spacio, freto cuncta Ligustici æquoris, sinu ad prospectum Italię. Est autem multis promontoriis angulosa, gignens & lętissima pabula, & lapidem, quem catociten græci vocāt. Ebosus insula Hispaniæ, dicta, quod à zamo non procul sit quasi ebozus. Nam septuaginta stadiis ab ea distat, cuius terram serpentes fugiunt. Huic cōtraria est Colubria, quæ fęta est anguibus. Baleares insulę Hispaniæ duæ sunt: Afrosiades, & Gemnaside maior & minor. Vnde & eas vulgus maioricam & minoricam nūcupauit. In his primum insulis inuentæ sunt fundæ, quibus lapides emittūtur. Vnde & Baleares dictæ. Bali enim græce emittere dicitur. Vnde balista, quasi missa, & fundibulum. Virgilius: *Balearu verbera fundæ*.

Capvt VI.

De promontoriis.

COmmune est insulis, vt promineant: inde & loca earum promontoria dicuntur. Sic Salustius de Sardinia: *In orientem quam occidentem latior prominet*. Sigeum promontorium Asiæ, vbi Hellespontus apertius dilatatur. Dictum autem Sigeum propter

Herculis

Herculis taciturnitatem quia prohibitus hospitio à Laomedonte Troianorum rege simulauit abscessum, & inde contra Troiam cum silentio venit, quod dicitur *sige*. Maleum promontorium Græciæ, quod intrat in mare, & per milia quinquaginta protenditur, vbi vnda ita sæua est, vt persequi nauigantes videatur. Hoc autem promontorium à Maleo rege Argiuorum nomen accepit. Pelorum promontorium Siciliæ respiciens aquilonem, secundum Salustium dictum à gubernatore Hannibalis illic sepulto. Pachinum promontorium Siciliæ austrum spectans ab aeris crassitudine dictum: nam pach est pinguis & crassus: austro enim perflatur. Lilybeum promontorium Siciliæ solis occasum intendens, vocatum ab eiusdem nominis ciuitate, quæ ibi est sita. Borion promontorium Numidiæ, vocatum ita, quod aquilonem intendat, Ippone regium postea dictum pro eo, quod sit æquore interruptum. Calpis Hispaniæ promontorium. Promontoria enim, quæ in insularum summitatibus consistunt, & eis contra fluctus maris munimen præstant, possunt iuxta allegoriam doctores sanctos figurare, qui præsunt ecclesiis Dei, & eos in persecutionum fluctibus roborant atque confortant, ne procella tempestatum atque alluuione vndarum obruantur.

Explicit liber duodecimus.

INDEX CAPITVLORVM LIBRI DECIMITERTII.

INCIPIT LIBER XIII.

CAPIT. I.

De montibus.

MONTES sunt tumores terrarum, aptissime dicti, quod sint eminentes. Quidam autem ex propriis causis vocati sunt, ex quibus notandi sunt, qui opinione maxime celebrantur. Mons Caucasus ab India vsque ad Taurum porrectus pro gentium ac linguarum varietate, quoquo versum vadit, diuersis nominibus nuncupantur. Vbi autem ad orientem in excelsiorem consurgit sublimitatem, pro niuium candore Caucasus nuncupatur. Nam orientali lingua caucasum significat candidum idem niuibus densissimis candidatum. Vnde & eum Scythæ, qui eidem monti iunguntur, Crocasum vocauerunt. Casim apud eos candor siue nix dicitur.
Gen. 8. Mons Taurus à plerisq; idem vocatur & Caucasus. Ararat mons Armeniæ, in quo Arcam historici post diluuium sedisse testantur. Vnde & vsque hodie ibidem li-
Num. 22. gnorum vestigia eius videntur. Ararat interpretatur, *descendens à specula*. Mons Moabitarum, in quem adducit Balac filius Beor Balaam diuinum ad maledicendum Israel super verticem qui propter vehemens præruptum vocatur excisus, & imminet mari mortuo haud procul ab Arnone. Fogor & Bethfogor mons Moabitarum ad quem Balaac rex adducit Balaam ariolum in supercilio Libiadis. Sed & alia villa Sodor haud procul à Bethleem cernitur, quæ nunc Faor nuncupatur. Abarim mons, in quo mortuus est Moyses. Dicitur autem mons ille Nabau in terra Moab contra Hiericho super Iordanem in supercilio Fasga, ostenditurq; ascendentibus de Libiade in Herbum antiquo hodieque vocabulo iuxta montem Fogor nomen pristinum retinentem, à quo circa eum regio vsq; nunc vocatur Fasga. Abarim autem interpretatur, *in transitu* quod significare potest finem legis: quoniã
*legis datur Moyses ibi in monte virtutum collocatus *legislator.
de hac vita transiit. Nec enim poterat per Moysen populus Israeliticus transire Iordanem, & intrare in terram repromissionis: sed per ducatum Iesu hoc factum est, h.e. Saluatoris nostri, qui de deserto istius mundi per Baptismi sacramentũ fideles suos introducit in terrã viuentium, & gloriam regni cœlestis. Hermon mons Amorræorum, de quo dictum est, quem phenices vocant Sanior, & Amorræus appellauit Sanir, diciturque esse in vertice eius insigne templum, quod ethnicis cultui habetur, à regione Paneadis & Libani. Sed & terra filiorum Israel trans Iordanem a solis ortu à prærupto Arnonis vsq, ad montem Hermon extenditur. Hermon autem interpretatur, *anathema*, vel *tristitia*: significat autem idolorum culturam & superbiæ fastum quibus merito anathema dicitur: quia à sanctis & fidelibus viris omnis communio & so-
cietas eius interdicitur: quando, iuxta Apostolum, *nulla* 2.Cor.6.
societas est lucis ad tenebras, nec vlla est conuentio Christi ad Belial. Catachrysea, i.e. ad aura. Sunt autem montes auri fertiles in deserto pro culxi mansionibus à Coreb, iuxta quos Moyses Deuteronomiũ scripsisse perhibetur: sed metallicis fano, quod nostro tempore corruit montes venarũ auri plenos esse vicinos æstimant. Choreb mons Dei in regione Madian iuxta montem Sina super Arabiam in deserto, cui iungitur mons & desertũ sarracenorũ, quod vocant Faran. Mihi videtur, quod duplici nomine idem mons nunc Sinai nũc Choreb vocetur. Interpretatur autem Choreb *calum*, vel *siccitas*, vel *solitudo*, vel Sinai *temptatio* vel *rubrum* & *ansora mea*: vbi Moyses legem accepit, & mensurã viuendi ex Domini mandato rudi populo scripsit: sed temptatio perfidorũ ibi nõ defuit, nec sanguinis effusio penitus cessauit. Galaad mons ad quem septimo die profectionis echatis Iacob profugus venit. Est autem ad tergũ Phœnicis & Arabiæ collibus Libani copulatus, extenditurq. per desertũ: vsq; ad eum locum transiordanem habitauit quondã Seon rex Amorreorum. Cecidit autem supradictus mons in sortem filiorũ Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manasse. Sed & Hieremias loquitur:
Galaad tu mihi initium Libani: à quo monte & ciuitas in eo Ierem. 22.
cõdita sortita vocabulũ est quam cepit de Amorræorum manu Galaad filius Machir, filij Manasse. Galaad autem qui interpretatur, *aceruus testimonii & transmigratio testimonii*, significat sanctam scripturã, in qua fœdus & pactum inter Deum & homines constitutum legitur. Ibi etiam & reconciliatio humani generis per Christu apud Dominũ prædicatur. Galaad mons in deserto, vbi castra metati sunt filij Israel. Gebal mons in terra repromissionis, vbi ad imperiũ Moysi altare constructũ est. Sunt autem iuxta Hiericho duo montes vicini contra se inuicẽ respicientes, è quibus vnus Garizim, alter Gebal dicitur. Porro Samaritani arbitrantur hos duos montes iuxta Neapolim esse, sed vehemẽter errant. Plurimũ enim inter se distant, nec possunt inuicẽ benedicentiũ siue maledicentium inter se audiri voces: quod scriptura commemorat. Bebal interpretatur, *vorago vetus*: Garizim mons, super quem steterunt iniqui, maledicta resonabant iuxta supra dictum montem Gebal. Garizim interpretatur, *diuisio* siue *præcisio*. Qui sunt ergo isti, qui incedunt iuxta montẽ Garizim, & qui incedunt iuxta montem Gebal? Illi itaque qui in hoc loco iuxta montẽ Garizim incedunt electi ad benedicendũ, eos figualiter indicant, qui non metu pœnæ, sed cœlestis promissionis amore succensi veniunt ad salutem. Illi vero dimidij, qui iuxta montẽ Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatæ sunt, illos indicant, qui nõ amore

benedictionum vel promissionum, sed futurorum suppliciorum timore complent, quæ in lege scripta sunt, vt perueniant ad salutem. Omnes autem circa arcam incedunt, qui ab ecclesiæ sinu non recedunt: sed nobiliores esse illos nouimus, qui boni ipsius desiderio, æternæ benedictionis amore quod bonum est, agunt, quam illos, qui pro mali metu bonũ sectantur. Mons oliuarũ ad orientem est Ierusalẽ in quo discipulos erudiebat Iesus. Mons ergo iste significat celsitudinem virtutum & gratiarũ spiritaliũ, quæ dono Spiritus sancti distribuuntur fidelibus.

Naban quod ebraice dicitur nabo, mons super Iordanem contra Hierichum in terra Moab, vbi Moyses mortuus est, & vsque hodie ostenditur in sexto miliario vrbis Esbus contra orientalem plagam. Nabau ergo interpretatur, *in conclusione*, & significat terminum legis, sicut & mors Moysi: quia secundum Apostolum *finis legis Christus*
Rom. 10. *est ad iustitiam omni credenti.*

Or mons, in quo mortuus est Aaron iuxta ciuitatem Petram, vbi vsque ad præsentem ostenditur rupes, qua percussa Moyses aquas populo dedit. Or autem interpretatur, *iracundia*, & merito: quia ibi propter dubitationem Moysi & Aaron in productione aquæ de petra interdictum est eis, ne introducerent filios Israel in terram repromissionis.

Gaas mons in tribu Effraim in cuius septentrionali plaga sepultus est Iesus filius Naue: & vsque hodie iuxta vicum Thamnam sepulchrum eius insigne monstratur.

Seir mons in terra Edom, in quo habitauit Esau in regione Gebalena, quæ ex eo, quod Esau pilosus esset & hispidus, Seir, h. e. pilosi nomen accepit. In quibus locis ante habitauit Chorreus, quem interfecit Chodor Laomor. Meminit montis Seir & Esaias in visione Idumææ. Quid autem Seir, qui interpretatur, *pilosus* vel *hispidus*, significet: ille qui historiam Iacob & Esau legit & bene intelligit facile dinoscere potest: quia Iacob simplex significat simplicitatẽ ecclesiæ: Esau vero pilosus & hispidus Iudæos & hæreticos setis vitiorum sordidos & fetidos exprimit.

Baal Hermon mons circa Libanum in finibus allophylorum. Gelboe montes alienigenarum in sexto lapide ascitopolim. In quibus & vicus est grandis, qui appellatur Gelbus: In his occubuit Saul & Ionathan, ob quod
2. Reg. 1. maledixit eis Dauid dicens: *montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniant super vos, &c.* Quid ergo montes Gelboe Saul moriente deliquerunt, quatenus in eis nec ros nec pluuia caderet: & ab omni eos viriditatis germine sententiæ sermo siccaret? Sed quia Gelboe interpretatur decursus, per Saul autem vnctum & mortuum mors nostri Mediatoris exprimitur: non immerito per Gelboe montes superba Iudæorũ corda signantur, quæ dum in huius mundi desideriis defluunt, in Christi, id est, vncti se morte miscuerunt. & quia in eis vnctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni genere rore siccantur.

Thabor & Hermon montes sunt Syriæ prouinciæ, quorum nomina ingentia sacramenta parturiunt. Thabor enim dicitur, *veniens lumen*: quod specialiter aduentum Domini Saluatoris significat, de quo dictum est: *erat*
Ioan. 1. *lumen verum, quod illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum.* Hermon significat, *anathema eius*, id est, diaboli, quam à Christianis Domino veniente suscepit. Dignum enim fuit vt præsenti lumine tenebrosus diabolus vinceretur. Isti ergo exultabunt in nomine Domini, sicut alibi
Psal. 113. fideles dicunt: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Libanus mons phœnicum altissimus, cuius meminerunt prophetæ, dictus à thure, quia ibi colligitur. Cuius ea pars, quæ est super eum ad orientalem plagam respiciens, antilibanus appellatur, idem contra Libanum. Libanus potest significare sanctam ecclesiã sacro baptismate à peccatis mundatam, & candore virtutum dealba-
Psal. 103. tam. Vnde dicitur in Psalmo: *Satiabuntur omnia ligna siluarum & cedri Libani, quas plantasti.* Ligna siluarum plebes significant ingenuum populorum, qui ecclesiæ catholicæ de dumosis atq; incultis nationibus aduenerunt. Hæc ligna indicant homines vtiq; mediocres: cedri autem Libani declarant nobiles ac potentes, qui in humano genere tanquam cedri, eminere noscuntur. Libanus enim interpretatur, *candidatio*. Seculi autem huius potestas quædam videtur esse festiuitas, vbi diuites homines ac potentes excelsi atq; proceri quasi in Libano monte nascuntur, qui tamen ad veram religionem Domini munere peruenerunt. Sophim mons Effraim in loco Ramathem. Sophim vero interpretatur, *specula*, siue *scopulus*, & significat culmen perfectionis. Vnde legitur in Regum vt vnus fuisse de Ramatha Sophim de monte Effraim, in alta scilicet contemplatione virtutum, vt a nullis subiacentibus & circumlatrantibus cogitationibus mentis eius sublimitas deiiceretur vel vnitas scinderetur.

Sion mons est vrbis Ierusalem in australi parte constitutus supereminens ciuitati. Vnde & Sion interpretatur *speculum*, siue *speculatio*: & significat sanctam ecclesiam, quæ corde puro & simplici intentione supernæ pacis visione contemplatur & ipsum super omnia dominantem & regnantem inspicit Deum.

Sina mons in regione Madian super Arabiam in deserto, de quo in Apostolo legitur: *Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, qua nunc est, Ierusalem, & seruit cum filiis suis.* Gal. 4.
Significat autem synagogam Iudæorum carnalem obseruantiam legis tenentẽ, quam prædictus Apostolus comparauit Agar ancillæ Saræ. Sunt & alij montes insignes, quorum mentio tantum in historiis gentilium reperitur. Horum quippe nomina hic cum etymologiis eorum commemorari sufficiat.

Acroceraunij montes propter altitudinem & fulminũ ictus vocati sunt. Græce enim ceraunos fulmen dicitur. Sunt autem inter Armeniam & Iberiam, incipientes a portis Caspis vsque ad fontem Tigridis fluuij.

Yberborei montes Scythiæ, dicti, quod supra id est, vltra eos flat boreas. Rifæi montes in capite Germaniæ sunt, à perpetuo ventorum flatu nominati. Nam rite græce impetus & orme dicitur. Olympius mons Macedoniæ nimium præcelsus, ita vt sub illo nubes esse dicantur. De quo Virgilius: *Nubes excessit Olympus.* Dictus autem Olympus, quasi olor lampus, id est, quasi cœlum. Hic mons Macedoniam diuidit à Thracia. Athos mons Macedoniæ, & ipse altior nubibus, tantumq; sublimis, vt in Lemno vmbra eius pertendat, quæ ab eo septuagintasex milibus separatur. Parnasus mons Thessaliæ iuxta Boetiam, qui gemino vertice est erectus in cælum: hic in duo finditur iuga, Cirra & Nisa. Vnde nuncupatur eo, quod in singulis iugis colebantur Apollo & Liber. Hæc iuga à duobus fratribus Citeron & Elico appellantur. Nam elicon dictus ab Elicone fratre Cicerotis.

Apenninus mons appellatus, quasi Alpes Penninæ: quia Hannibal veniens easdem Alpes aperuit. Vnde & Virgilius: *Alpes immitius apertas.* Has enim Hannibal post bella Hispaniæ aceto rupit Iuuenalis: *Et montem rupit aceto.* Et inde loca ipsa, quæ rupit, Appenninæ Alpes vocantur. Mons Ætna ex igne & sulphure dictus, vnde & gehenna constat. Ab ea autem parte, qua hunc Eurus vel affricus flat, habere speluncas plenas sulphuris, & vsque ad mare deductas, quæ speluncæ recipientes in se fluctus, ventum creant, qui agitatus ignem creat ex sulfure. Vnde est quod videtur incendium.

Pyrenæus & ipse a crebris fulminum ignibus nuncupatus: græce enim ignis pyrus vocatur. Iste est, qui inter Galliam atque Hispaniam quasi de industria munimentum interiacet.

Solurius à singularitate dicitur, quod omnibus Hispaniæ montibus solus altior videatur.

Calpis mons in vltimis finibus oceani, qui diuidit Europam ab Affrica, quam Athlantis finem esse dicunt. De quo Lucanus: *Espectum Calpem, sunonumque impleunt Athlantem.*

Athlans super Promethei fuit Rex Affricæ, à quo Astrologiæ artem prius dicunt excogitata: ideoq, dictus est sustinuisse cœlum. Ab eruditione igitur disciplinæ, & scientia cæli nomen eius in montẽ Affricæ deriuatũ est. qui nunc Athlans cognominatur, qui propter altitudinem suam quasi machinam cœli atque astra sustentare videtur. Aliquando Dominũ Saluatorẽ significat: aliquando sanctã ecclesiã: aliquando Apostolos & Prophetas, [illegible]

ctos viros pro celsitudine virtutum. Et econtrario aliquando superbos homines & tumidos in potentia mundana regni designat: aliquando hæreticos: aliquando vero ipsum diabolum. Mons enim Dominum Saluatorem in prophetia significat, vbi ait: Esa. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & ibunt ad eum omnes gentes*, & reliqua. Mons autem ecclesiam significat, vbi Propheta dicit in Psalmo: Psal. 124. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur in æternum.* Psal. 132. Et iterum: *Sicut ros, inquit, Hermon, qui descendit in montem Sion.* Sion enim, qui interpretatur, *speculatio*, significat ecclesiam (vt diximus) in quam abundantia diuinæ gratiæ descendit, & Deus cotidie contemplatur: Psal. 83. quia *Deus Deorum videbitur in Sion.* Hermon hebræum nomen est mõtis vltra Iordanem fluuium constituti, cuius interpretatio (sicut supra dictum est) significat *anathema*. Ros ergo montis istius nutriens peccatores, qui sub anathematis excitatione iacuerunt, descendit in montẽ Sion, quando ad * versationis remediũ, Domino largiente perueniunt. (* conuersionis.) Sion enim significat ecclesiam catholicam, quæ recipit gentes, quæ erant sub anathematis periculo constitutæ. Nam montes Apostolos & Prophetas significãt, vbi dicitur: Psal. 103. *Montes excelsi ceruis.* Cerui enim sunt fideles, qui vitia huius seculi, quasi spinas, bona conuersatione transiliunt & habitant in montibus, i. e. Apostolis & Prophetis, qui sanctis prædicationibus suis in mundo solida cacumina esse meruerunt. Item montes, sanctos viros siue libros diuinos significant in illo Psalmistæ, quo ait: Psal. 120. *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.* Hoc si spiritaliter inquiras, omnino proficuũ est, vt oculos cordis sui siue ad sanctos viros, siue ad libros diuinos, siue ad sublimes angelos credatur eleuasse, qui magnitudine & firmitate sua vere montes sunt. Vnde etiam competens sustinebatur auxilium. Mons est populus Iudæorum, de quo in Daniele: Dan. 2. *abscissus est lapis sine manibus*, i. e. Christus absq; virili semine conceptus, & fide sua repleuit vniuersum orbem terrarum. In contrariam vero partem montis significationem trahunt. Vnde scriptum est: Psal. 96. *Montes, sicut cera fluxerunt à facie Domini.* Hic montes significant homines, qui & seculi huius altitudines appetunt & insensata superstitione durescunt. His mirabiliter comparata est cera liquescens: quoniam tanto facilius in pœnitentiam defluunt, quanto se duritia immobiles esse crediderunt. Montes, diuites & potestates seculi huius, vt in Iob Iob 40. pro diabolo dicitur: *Huic montes herbas ferunt*: quod est vitia carnis. Mons diabolus propter tumorem, vt in Esaia: Esa. 13. *Leuate signum super montem caliginosum.* Et in Ieremia: Ier. 51. *Ecce ego ad te mons pestifer.* Mons dogma hæreticorum, vt in Psal. 10. Propheta ex persona ecclesiæ: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer.* Montes dæmones vel hæretici, siue Iudæorum scribæ. In Ieremia: Ierem. 13. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Et in Psalmo: * *Vsque ad desertum montibus.* (* Neque à) Psal. 74. Montes duo, qui in Zacharia ærei describuntur, Zach. 6. duo testamenta legis, de quorum medio quadriga Domini, i. e. quatuor euangeliorum prædicatio procedit. Hæreticos ergo significant montes, vbi dicitur: Ierem. 13. *Nequando offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Monet enim nos Propheta, vt caueamus, ne forte gressus operum nostrorum in superba doctrina hæreticorum offendentes in caliginem errorum cadant. Diabolũ vero significat mons, Apocal. 8. vbi in Apocalypsi scriptum est: quod mons magnus missus sit in stagnum ignis ardentis & sulphuris: quia contumacia diaboli æterna gehenna damnatur. Fundamenta montium, spes superborum. In Psalmo: Psal. 17. *Et fundamenta montium conturbata sunt.*

Capit. II.

De collibus.

Colles sunt præeminentiora iuga montium, quasi colla. Iuga autem montiũ ex eo appellata sunt, quod propinquitate iunguntur. Tumulus est quasi tumens tellus. Item tumulus terra congesta, vbi nulla memoria est. Colles enim significant bonos homines minoris meriti, quam montes. Sunt autem mediocres ex qualitate tractantes, qui tamen Dominum bonis operibus laudant, vt Propheta testatur dicens: *Montes & colles cantabunt coram Deo laudem.* Psal. 148. Item in aliam partem collis ponitur, vt est illud in Euangelio: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Luc. 3. Iuga autem montium sanctis merito comparantur, qui fraterna caritate mutuem iuncti copulantur, & socialiter viuentes omne diuortium schismatis spernunt.

Capit. III.

De vallibus.

Valles sunt humilia loca, quasi vulsa * hiino & conualles depressa loca terrarum inter montes. (* humo.) Sunt propria nomina vallium: vt Aialon vallis atque præruptum, supra quam orante quondam Iesu luna stetit iuxta villam, quæ vsque nunc Aialon dicitur contra Orientem Bethelis, tribus ab ea milibus distans procul Agaba & Rama Saulis vrbibus. Porro ebræi adfirmant Aialon vicum esse iuxta Nicopolim in secundo lapide pergentibus Heliam. Cœlastitanorum, i. e. vallis gigantum aduersus quos præliatus est Dauid. Codas, i. e. vallis Iosafath inter Ierusalem & montem olíueti: lege Prophetam Ioel. Rafaim vallis allophylorum ad septentrionalem plagam Ierusalem. Vallis significat contritionẽ cordis, & humilitatem, vt est illud in Psalmo: *Conualle habundabunt frumento.* Psal. 64. Conualles populos significant humiles: quia nihil his humilius, quę in quadam concauitate descendunt. Isti ergo humiles abundant frumento, i. e. doctrina spiritali & ope virtutum, sicut ille publicanus, qui nec oculos audebat Luc. 18. ad cælum erigere, nec aliqua meritorum præsumptione confidere, abundauit frumento. Nam quia humilis conuallis fuit, erectus est quia, præstante Domino, seipse deiecit. Item in aliam partem vallis ponitur, vt est illud Prophetæ: *Vallis filiorum Ennon*, in quo pœna gehennæ exprimitur. Ierem. 19. Valles hæretici vel Iudæi siue peccatores de ecclesiæ sublimitate cadentes, vt in Esaia: *vallem filiæ Sion.* Esa. 10. Et alibi: *vallem filiorum Ennon.* Ier. 19. Vallis humiles corde significat, de quo in Cantico Canticorum vox Christi loquitur dicens: *Ego flos campi*, i. e. decus mundi, *& lilium conuallium*, Cant. 2. gloria videlicet humilium.

Capit. IV.

De Campis.

Campus est terrarum planicies. Dictus autem campus, quod breuis sit pedibus, nec erectus vt montes, sed patens & spacio suo porrectus & iacens. Vnde & græce pedion dicitur. Sumpsit autem nomen ex græca etymologia. Cami enim græce breue dicunt. Solum est omne, quod sustinet, à soliditate dictum scilicet. In camporum ergo nomine aliquando scripturæ diuinæ exprimuntur, eo quod * pactum congruentem fidelibus animabus præbeant, (* pastum.) vt est illud in Psalmo: *Et campi tui replebuntur vbertate.* Psal. 64. Aliquando vero ęqualitatem & placiditatem morum designat, vt illud Psalmistæ: *Gaudebunt campi & omnia, quæ in eis sunt.* Psal. 95. Campos hic similiter in bono debemus accipere: quia illa plena dicimus, quæ pulcherrima æqualitate tenduntur. Campos ergo dicit viros iustitiæ laude pollentes, non superbia tumidos, non asperos iracundia, sed mansueta lenitate planissimos. Campus intelligitur mundus eo, quod sit patens, de quo Abacuc Propheta dicit: *Exiit verbum*, id est, Filius Dei, *& misit se in campum.* Et in Psalmo scriptum est: *Sicut posuit in Aegypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* Taneos enim ciuitas est Ægypti, vbi facta sunt prodigia, quæ leguntur. Signa vtiq; fuerunt in Ægypto duris cordibus quasi characteris impressa vestigia. Prodigia vero quasi porro dicentia, i. e. quæ præfigurabuntur esse ventura. Omnes enim illæ plagæ ad aliquam significantiam priscis temporibus contigerunt. Merito ergo signa & prodigia sunt appellata, quæ in Ægypto facta monstrantur. Taneos, *humile mandatum*, diximus interpretari, quod in isto seculo necessarium nobis ac salutare cognoscitur: vbi humiles ac prostrati esse debemus, qui veniæ semper suffragia postulamus. In cõtrariam vero partem campus accipitur, quando luxum voluptatum & disciplinæ laxamentum significat: *quia arta via est, qua ducit ad vitam: lata via & spaciosa, quæ ducit ad mortem.* Matth. 7.

C A P I T. V.

De Saltibus.

SAltus sunt vasta & siluestria loca, vbi arbores exiliunt in altum. Saltus vel silua mystice significat sterilitatem (Psal. 95.) gentium. Vnde est illud Psalmistæ: *Tunc exultabunt omnia ligna siluarum ante faciem Domini, quomodo venit.* Ligna siluarum per se amaros & steriles inferunt fructus: sed cum fuerint insita, dulcissima vbertate pinguescunt. Sic gentes, quæ prius fuerant, velut ligna siluarum, ad culturam fructiferam productæ, ante faciem Domini magno sunt gaudio lætaturæ. Sed cum dicit, *omnia ligna.* illam partem vult intelligi, quæ inseri bonis operibus potuit ac mutari. (Ezech. 34) Saltus populus ecclesiæ, vt in Propheta: *Qui habitant in deserto, securi dormiunt in saltibus.* Saltus agri meridiani populus Iudæorum, vt in Ezechiel Propheta dicitur ad saltum (Ezech. 20. * in te.) agri meridiani: *Ecce ego succendam ignem * vita, & deuorabit omne lignum viride & omne lignum aridum.*

C A P I T. VI.

De Locis.

REperiuntur in diuinis libris nomina locorum, quæ etiam sine significatione mystica non sunt: sed nos de his omnibus, quid typice significent, enarrare longum esse arbitramur: ideo nomina ipsorum tantummodo ponentes cum expositione historica, ceterum mysterium earundem prudenti lectori ad inuestigandum relinquimus. Ænam euntibus Thamnam nunc desertus est locus, & proximus Thamnæ vico grandi, qui situs est inter Heliam & in Ospolim est. Et fons in supra dicto Ena loco. Vnde & Ena, i.e. fons nomen accepit, in quo stans idolum maxima illius regionis veneratione colitur. Porro ebræi affirmant, Enam nō locum significare sed biuium, vbi certo intuitu necessarium sit ad vnam è duabus viis eligendam. Enam etiam interpretatur, *cor eorum.* Areatat locus transiordanem, in quo planxerūt quondam Iacob, tertio ab Iericho lapide, duobus milibus ab Iordane, qui nunc vocatur Bethagla, quod interpretatur, *loco gyri*: eo quod ibi more plangentiū circumierint in funere Iacob. Ælim castra filiorum Israel, & locus in deserto, in quo vndecim fontes, & 70. palmarum arbores Moyses de mari rubro exiens repetit. Nam elim interpretatur, *arietes for-* (Exod. 15.) *tes*, vt in Exodo legitur: *Et venerunt filii Israel, vbi erant duodecim fontes*, i.e. apostolorum doctrina. Ælus in deserto, vbi filij Israel castra metati sunt. Ælus quoq. interpretatur, (Num. 12.) *fermenta* siue *commissio.* Aseroth pars heremi, vbi Maria & Aaron contra Moysen locuti sunt. Habitauerunt quondam euehi hias eroch vsq; ad vrbem Gazam. Verum hæc loca non Aseroth sed aserim appellari ebræi putant. Aseroth enim interpretatur, *atria.* vel *vestibula.* Asemona castra filiorum Israhel in deserto. Nam Asemona interpretatur. *os eius*, ab osse & non ab ore. Atharaim pro quo Aquila & Symmachus *exploratorum viam* interpretati sunt, vbi aduersum Chananæū. qui ab austro contra Israel erumperat, in solitudine dimicatur Areopoleos. in quo & militum ex omni parte præsidia distributa plenum sanguinis & formidinis testantur ingressum. Hic quondā Moabitarum fuit, & postea Seon rex Amorræorum iure belli eum obtinuit: sed & terra filiorum Israel transiordanem incipiens ab Arnone vsq; ad montē Hermon & Libanū extenditur. At locus vel oppidum Arnon, quod à 70. interpretibus per extensam vocalem Er dicitur. At vero dicitur, *suscitauit* vel *vigilia.* Æsinion locus deserti, denique & ipsum vocabulum incultam terram desertamq; significat. Araboth Moab, vbi seculo numeratus est populus. quod Aquila interpretatur, *humilia*, siue *equalia Moab.* Abelsathim locus in deserto ad meridiem Moabitarum, & interpretatur, *luctus litorum*, vel *riparum.* Beniacan in deserto castra filiorum Israel. Benacham enim interpretatur, *filius necessitatis.* Beroth filiorum Iachim in deserto locus, in quo obiit Aaron & ostenditur vsq; hodie in decimo lapide vrbis Petræ montis Vrtice. Beroch autem interpretatur, *putei.* Bonos, h.e. collis præputiorum. locus in Galgalis, vbi circumcidit Iesus populū Israel in secundo ab Iericho lapide, & ostenduntur vsq; hodie saxa, quæ de Iordane illuc translata scriptura commemorat. Bethdago locus in quo duæ tribus Zabulon & Isachar, habent confinia. Bethago quoque interpretatur, *domus festiuitatis eorum.* Chalpi, vbi geminos Iudę filius Thamar e[illegible]. Ostenditur autem nunc locus desertus iuxta Adollam in finibus Eleutheropoleos. Chalpi enim interpretatur, *calix immensi*, siue *tumola mihi.* De hoc quippe in libris hebraicatū quæstionum plenius disputatum est. Emechachor, quod interpretatur, *vallis Achor*, i. e. *tumultus atq; turbarum*, vbi Achan lapidibus oppressus est, eo quod partem de anathemate sustulisset. Est autem locus iuxta Iericho, haud procul à Galgalis. Male ergo quidā putant vallem Achiot à nomine eius, qui lapidatus est, nuncupatam: cum ille Acheon dictus sit, & nō Achiot siue Achar. Fanuel locus, in quo Iacob tota nocte colluctans Israelis vocabulum meruit iuxta torrentem Iacob. Fanuel autem interpretatur, *facies Dei*, ab eo, quod ibi Dominū viderit. Golgolq; & Galgal, iuxta quem montes esse scribuntur Garizim & Gebal. Galgal autem locus est iuxta Iericho. Errant igitur Samaritani, qui iuxta Neapolim Garizim & Gebal montes ostendere volunt, cum illos iuxta Galgal esse scriptura testetur. Galgal autem interpretatur, *reuelatio.* Golathmaim locus qui interpretatur, *possessio aque.* Goliath locus iuxta Iordanem in tribu Beniamin, vbi altare Domino constituerunt filij Ruben. Goliath enim interpretatur, *reuelatio* siue *transmigratio.* Iroth locus deserti. ad quem venerunt filij Israel mare rubrum transfretantes. Iroth ergo interpretatur, *longitudo.* Letabutha locus in deserto, vbi torrentes aquarum demonstrantur. (Iof. 22.)

Lobon locus solitudinis transiordanem, in quo Moyses Deuteronomium legitur. Lobon autem interpretatur, *ingressus* siue *inueniens.*

Mirra vel Mara, quod interpretatur, *amaritudo*, i. e. litera legis: est autem locus, in quo aquas, iacto ligno Moyses in dulcem vertit saporem. Vnde legitur in Exodo: *Venerunt filii Israel in Myrrha vel Mara, & non poterant bibere a-* (Exod. 15) *quam de Myrrha vel Mara, quia amara erat.* Rafidim locus in deserto iuxta montem Choreb, in quo de petra fluxere aquæ, cognominatusque est temptatio: ibi & Iesus aduersus Amalech dimicat prope Paran. Rafidim quippe interpretatur, *laxa manus*, vel *sanitas iudicii*, aut *visio auris sufficiens eis.*

Scene, id est, tabernacula, locus in quo habitauit Iacob regressus de Mesopotamia, qui lingua hebraica appellatur Sochoch.

Sior locus contra faciem Ægypti. Sed & hodie ostenditur villa, nomine Sior inter Heliam & Eleutheropolim in tribu Iuda. Supra hoc in libris hebraicatum quæstionum plenius dicitur. Sior vero interpretatur, *paruulus* siue *turbulentus.* Selo in tribu Effraim, in quo loco arca testamenti mansit, & tabernaculum domini vsque ad tempora Samuelis. est autem vndecimo miliario Neapoleos, in regione Arrapitena. Sed & inde patriarchæ filium Selon appellatū legimus. Selo autem interpretatur vel *dimissio eius* aut *petitio.* Abennezer, quod interpretatur, *lapis adiutoris*, siue *lapis auxiliatorum.* Est autem locus, vnde tulerunt Philistim arcam testamenti inter Heliam & Ascalonem iuxta villam Bethsamis. Asiongaber in hoc loco classis Iosaphat vi tempestatis attrita est. Fertur autē ipsa esse Issia haud procul ab Ailo in rubro mari. Ahia in asinorum regione locus. Ahia quippe interpretatur, *vultur* vel *eius.* Elim puteus dimon. Et huius loci eadem visione Esaias recordatur. Acheldemach, hoc est, ager sanguinis, qui hodieque monstratur in Helia ad australem plagam montis Sion.

Ennon iuxta Salim, vbi baptizabat Iohannes, sicut in (Ioan. 3.) Euangelio secundū Iohannē scriptū est & ostenditur nūc vsq; locus in octauo lapide Scythopoleos ad meridie iuxta Salē & Iordanē. Ennon autē interpretatur, *donauit mihi.* Baalthamar iuxta Gaba, vbi filij Israel aduersus tribum Beniamin iniere certamē, & vsq; hodie Bethamar in supra dictis locis viculus appellatur. Baalthamar autem interpretatur, *habens palmam.*

Bechacat: vsq; ad hunc locū populus Israel a fugiente alienigenas persecutus est, appellans eum lapide adiutorij. Nam Betachar interpretatur, *domus negotii*, vel *agni.* Berasan, ad quem locum Dauid prædæ partem [illegible].

Baurim locus, ad quem vsque prosecutus est Michol filiam Saulis vir suus lacrimans. Baurim quippe interpretatur, *electi* vel *iuuenes*.

Ergab: ad quem locum Ionathan filius Saul puerum dirigit militaribus iaculis se exercens: pro quo Aquila & Symmachus interpretati sunt, *lapidem*.

Esthama: ad quem locum misit Dauid. Esthama interpretatur, *misericordia Dei*. Fel monialmoni, quod Aquila interpretatur, *illum* vel *istud*. Symmachus vero nescio quem locum transtulerunt arcam testamenti de Azoto. Nunc vicus grandis vocatur. Getham interpretatur antipatriam & iamniam: sed & alia villa appellatur Gethim. Nam getha interpretatur *torcular eius*, *humilis fossio*. Gallim, vnde fuit Falti, qui post fugam Dauid Michol vxorē eius acceperat. Meminit huius loci & Esaias. Dicitur autem esse & quidam Acaron vicus, qui vocatur Gallim. Gallim quippe interpretatur, *loca palustria aceruis*. Gel locus, in quo percussit Iehu Rex Israel, Ochoziam, regem Iudææ, iuxta Ieblaam. Gelautem interpretatur, *diuisio* vel *præcisio*. Getsemane locus, in quo ante passionem Saluator orauit. Est autem ad radices montis olİueti, nunc ecclesia desuper ædificata. Nam getsemani interpretatur, *vallis pinguedinum*.

Golgotha, locus caluariæ, in quo Saluator pro salute omnium crucifixus est, & vsque hodie ostenditur in Helia ad septentrionalem plagam montis Sion. Nauoth locus in Rama, vbi Dauid sedit: & de hoc in libris hebraicarum quæstionum diximus. Nauoth autem interpretatur, *conspicuus*, vel *sessionis exclusio*. Rama pro qua Aquila interpretatur, *exaltatio*, vel *exaltabitur*, quod scriptum est in

Ierem. 31. Zacharia. Est autem & alius locus in tribu Beniamin iux-

Matth. 2. ta Bethleem, de quo dicitur: *vox in Rama audita est*. Rama quippe interpretatur, *excelsa*. Sofamoth: ad quem locum misit Dauid. Sofamoth interpretatur, *labium mortis*.

Thelamage locus, quo Abner misit ad Dauid: sed sciendum, quod pro hoc verbo Aquila interpretatur extemble. Symmachus pro semetipso. Saforuaim, de quibus locis Assyrij transmigrantes habitauerunt in Samaria, & ab ipsis Samaritanorum gens sumpsit exordium. meminit horum & Esaias. Thafeth: legimus in Ieremia: Aram Thafeth. Est autem in suburbanis Heliæ vsque hodie locus, qui sic vocatur, iuxta piscinam fullonis & agrū. Acheldemach ergo interpretatur, *paruulus venit*. Thabat, vbi pugnatum est aduersus Madian. Nam thabath interpretatur loma: excepto hoc nomine cetera, quæ secuntur, per aspirationem litteræ legenda sunt. Thopeth in valle filiorum Israel Ennon, vbi populus simulachra venerarur. Est autem locus in suburbanis. Thopeth ergo interpretatur, *protectio oris*, siue *gehenna*.

Capit. VII.

De Confragosis locis.

COnfrages loca, in quæ vndique venti currunt ac sæpe frangunt: vt Neuius ait: *In montes, vbi venti frangebant locum*.

Capit. VIII.

De Lustris ferarum.

LVstra obscura latibula ferarum & luporum cubilia sunt. Vnde & lupanaria lustra dicuntur per contrarietatem videlicet, quia parum illustrantur. Rupes significant

Ier. 14. cant superbiam, vt in Ieremia: *Onagri steterunt in rupibus*. Antrum significat hominem peccatorem, sicut in Iob

Iob 37. pro Zabulo: *Commorabitur bestia in antro suo*.

Capit. IX.

De Lucis.

LVcus est locus densis arboribus septus, solo lucem detrahens. Potest & à conlucendo crebris luminibus

*Quæ. dici. * Et ibi propter religionem gentilium cultumque fiebant. Luci vbi in diuinis libris leguntur, errorem gentilium significant: quia sæpius ibidem idolis immolabant, vt est illud in Propheta: *lucos dazinus*, hoc est, Adonidis, qui amasius erat Veneris, vbi ipse ab errantibus quasi mortuus plangebatur.

Capit. X.

De Desertis locis.

DEserta vocata, quia non seruntur, & ideo quasi deseruntur, vt sunt loca siluarum & montium, contraria vbertimarum terrarum, vbi sunt vbertimæ glebæ. Ponitur desertum aliquādo pro Paradiso, quem homo, quando peccauit, deseruit, vt est illud in Euangelio: Quod Luc. 15.

homo, qui habuit centum oues, reliquit nonaginta nouem in deserto, abiit quærere vnam ouem, quæ perierat. Aliquando autem desertum significat indigentiam præsentis vitæ, vt est illud Psalmistæ: *In deserto & in inuio & in-* Psal. 62.

aquoso, sic in sancto apparui tibi. *In deserto*, dicit, hoc est, in mundi istius indigentia & sterilitate ieiuna. Sequitur, *& in inuio*: quia mundus in se non habet viam, nisi Dominū Saluatorem, qui iter est cæcorum, & errantium rectitudo salutaris. Addidit: *Et inaquoso*, id est, sterili atq; infructuoso. Aquosum enim dicimus, quod aquis abundantibus irrigatur: inaquosum vero, aridumq; atq; infertile, vt merito eius anima nimia siccitate durescat. Vnde per hæc tria nomina mundi istius necessitas indicatur. Aliquando Iudææ desertum dicimus, propter infidelitatem videlicet à Domino spretam atq; relictam. Aliquando gentilitas, de qua scriptum est: *Letabitur & in via exultabit*. nec non Es. 35.

est illud: *plures filii sunt deserta magis quā eius, quæ habet virum*. Es. 54.

Capit. XI.

De Deuiis locis.

DEuia sunt loca secreta & abdita, quasi extra viam. Ipsa sunt & inuia. Inde & auiaria secreta loca, & à via remota aut tantum adibilia auibus. Vnde est illud: *Inculta rubent auiaria vaccis*. Deuia enim errores hęreticorum mystice significant: qui viam veritatis seruare negligunt. & eius vestigia sequi nolunt, qui dixit: *Ego sum Via, Veritas &* Ioan. 14.

Vita. Omnis enim, qui iustitiæ tramitem non seruat, recte per deuia transire dicitur.

Capit. XII.

De Amænis locis.

AMæna loca Varro dicta ait eo, quod solum amorem præstant, & ad se amanda alliciant. Verius Flaccus, quod sine munere sint, nec quicquam his officij agatur, quasi annua, hoc est, sine fructu, vnde nullus fructus exsoluitur. Vnde etiam nihil præstantes immunes vocantur.

Capit. XIII.

De Apricis locis.

APrica loca, quæ sole gaudent, quasi .... id est, sine frigore, siue quod sint aperta cœlo. Opaca vero loca, quasi operta cœlo, aprico contraria.

Capit. XIV.

De Lubricis locis.

LVbricum dici locum, eo, quod ibi quis labitur: & lubricum dicitur, non quod labitur, sed in quo labitur.

Capit. XV.

De Aestiuis locis.

ÆStiua loca sunt loca vmbrosa, quibus per æstatem vitant pecora solis ardorem, & vmbrosi patuere æstiua lycei. Amæna autem & aprica loca species virtutum possunt designare, vbi soli iustitiæ splendet, & temperamentum bonæ vitæ consistit. Econtrario velut lubrica loca vitia valent significare, vbi gressus rectæ conuersationis non potest consistere: lubrica enim pergit, qui luxus seculi sequitur, & delitias huius mundi atque diuitias habere inhianter appetit: in quibus omnibus casus vitæ humanæ proximus est, & deceptio animarum certissima.

Capit. XVI.

De Naualibus.

NAualia sunt loca, vbi naues fabricantur: hæc & textrimum vocantur. Statio est, vbi ad tempus stant naues: portus, vbi hiemant: inportunum autem, in quo nullum refugium, quasi nullus portus. Portus autem locus est ab accessu ventorum remotus, vbi hiberna opponere solent. Et portus dictus à deportandis commerciis.

Hunc veteres à baiolandis mercibus baias vocabant, illa declinatione à baia baias, familia familias. Si autem naues spiritaliter ecclesias possunt significare, quæ in salo istius mundi versantur & fluctibus temptationum atque persecutionum tempestatibus quassantur: non incongrue statio vel portus nauium, fidei firmitas potest accipi, vbi tranquillitatem quietis sanctorum animæ inueni-
Psal.106. re desiderant. Vnde in Psal. scriptum est *Et eduxit eos in portum voluntatis eorum, & de necessitatibus eorum liberauit eos.* Ostendit Dominum laborantibus solatium præstare: solet enim post pericula labore fessi emergere, vt se gaudeant ingenti clade liberatos, quando ad portum ceperunt venire tutissimum. Portus enim à portandis nauibus dictus
* conclusio est. Subiungit ut repetita quidem, sed nimis grata * concludit: vt de necessitatibus cunctis liberaretur animus æstuantis.

CAPIT. XVII.

De Litore.

Litus est terra aquæ & mari vicina, & dictum litus, quia fluctu eliditur, vel quod aqua alluitur. Cicero in Topicis: *Litus est aqua, quæ per fluctus eluditur.* Litus enim finis
Matt. 13. seculi vt est illud Euangelicum, vbi dicitur: Sagenam Domini pisces trahere ad litus, vbi boni pisces colliguntur in vasa, mali autem per litus immortalitatis status significatur. Vnde legitur Dominus in Euangelio sedisse in litore, & discipuli describuntur nauigio laborare. Post resurrectionem Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis suis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio festine cognoscitur, si ipsa, quæ tunc inerat, causa pensetur. Quid enim mare, nisi præsens seculum, significat, quod se causarum tumultibus & vndis vitæ corruptibilis illidit? quid per soliditatem litoris nisi illa perpetuitas quietis æternæ, figuratur? quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant: quia vero Redemptor noster iam corruptionē carnis excesserat, post resurrectionem suam in litore stabat: ac si ipsum resurrectionis mysterium rebus discipulis loqueretur, dicens: Iam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum.

CAPIT. XVIII.

De Specu.

Specus est fossa sub terra, quæ perspici potest. Spelea græce, spelunca latine. Speluncæ designant corda peccatorum tenebrosa, vt in Propheta: *Et tenebræ super speluncas vsque in æternum.* Spiracula appellata omnia loca pesti-
Esa. 32. feri spiritus, quem græci patonia appellant vel aceronica. Etiam Varro spiraculum dicit huiuscemodi locum: & spiracula ex eo dicuntur, quia terra spiritum edit.

CAPIT. XIX.

De Hiatu.

Hiatus præruptio terræ profunda, quasi hiatus. Proprie autem hiatus est hominis oris apertio, translata a feris, quarum auiditas oris ab apertione monstratur.

CAPIT. XX.

De Profundo.

Profundum proprie, quasi cuius porro sit fundus. Abusiue autem profundum vel sursum vel deorsum, vt mare, ac terræ cæli que profundum. Profundum aliquando significat secretū sapientiæ: aliquando intimam compunctionem cordis, aliquando voracitatem peccatorū: aliquando inferni claustra. Profunditas ergo dicitur sapientia diuina, ad cuius fundū, hoc est, finem nemo pertingere valet. Compunctionem velut cordis significat in
Psal. 129. illo Psal. vbi dicitur: *De profundis clamaui ad te Domine.* De isto profundo gloriosas fudit lacrimas Petrus. De isto Publicanus pectora culpanda tundebat, qui sic in altum venerat peccatorum, vt nec oculos leuaret ad cœlum. De isto denique loco Ionas tacitus vociferabat ad Dominum, qui in ventre ceti positus infernum viuus intrauerat. Cetus enim Prophetæ oratorium fuit. Designat autem profundum voracitatem peccatorum vel persecutionum, vbi
Psal.68. dicitur *Libera me ex odientibus me & de profundo aquarum.* Inferni autem claustra significant vbi dicitur: *Neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Ibidem.

CAPIT. XXI.

De Barathro.

Barathrum nimiæ altitudinis nomen est & dictum est Barathrum, quasi vorago atra, scil. a profunditate.

CAPIT. XXII.

De Erebo.

Erebus inferorum profunditas atque recessus.

CAPIT. XXIII.

De loco cocyti.

Cocytus locus inferi, de quo Iob ita loquitur: *Dulcis fuit glareis cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles* Sapientes huius seculi cocyti fluuium esse apud inferos putauerunt: sed nos cognoscamus vocem Iob 21. beati viri, cocyton græce dictum infirmantium luctum dici: infirmantium vtique, qui viriliter agere renuunt. Glareas vero lapillos fluminum appellare consueuimus, quos aqua defluens trahit: qui lapilli eos designant, qui suis voluptatibus semper dediti, quasi à flumine ad ima trahūtur, quasi suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt, vt in æternum postea lugeant. Dulcis autem glareis fuit: quia ad quanta vitiorū genera quoslibet antiquus hostis pertrahit, quasi tot suæ dulcedinis potus eis propinat. Bene ergo dicitur: *dulcis fuit glareis cocyti*, qui amarus est electis, & suauis est reprobis. *Et post se omnem hominem trahit, & ante se innumerabiles.* Quia autem plus est omnem hominem quam innumerabiles trahere, cur prius dicitur: quia *omnem hominem* trahit, & post in augmento *innumerabiles* subiungitur. Ratio namque exigeret, vt prius, quod minus est, & postea in augmento, quod plus est, diceretur. Sed sciendum: quia hoc plus fuit, innumerabiles dixisse, quam omnes: post se enim omnem hominem trahit, quia in tribus annis & dimidio omnes, quos in studiis vitæ carnalis inuenerit, iugo suæ damnationis astringit. Ante se autem innumerabiles traxit: quia sex millia adhuc amplius annorum curricula quamuis carnales omnes trahere non potuit, multo tamen plures sunt, quos in tam longo tempore rapiendos inuenerit. Tartarus, vel quia omnia illic turbata sunt, aut (quod est verius) . . . . . . id est, a tremore frigoris, quod est algere & frigere scil.cet, quia luce soleque caret: quasi neque illic vapores sint, qui ex solis luce gignuntur: neque flatus, qui eiusdem montibus incitetur. sed perpetuus stupor. Tartarizin enim horrere & tremere apud græcos legitur. Illic enim fletus est & stridor dentium. Gehenna Matt. 22. est locus ignis & sulphuris, quem appellari putant à valle idolis consecrata, quæ est iuxta murum Ierusalem, repleta olim cadaueribus mortuorum Ibi enim hebræi filios suos immolabant dæmonibus, & appellabatur locus ipse gehennum. Futuri ergo supplicij locus, vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo designatur. Duplicem autem esse gehennam ignis & frigoris legitur Infernus appellatur, eo quod infra sit. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneat, inferiora sunt omnia grauiora: ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Vnde & græca lingua origo nominis, quo appellatur infernus ex eo quod nihil suaue habeat, resonare perhibetur. Sicut autem cor animalis in medio est: ita & infernus in medio terræ esse perhibetur. Vnde & in Euangelio legimus: *In corde terræ.* Philosophi autem dicunt, quod inferi pro eo dicuntur, quod animæ hinc illuc Matt. 12. inferantur.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

INDEX CAPITVLORVM LIBRI DECIMIQVARTI.

INCIPIT LIBER DECIMVS QVARTVS.

CAPIT. I.

De Ædificiis publicis.

CIVITAS est hominum multitudo, societatis vinculo adunata: dicta à ciuibus, id est, ab ipsis incolis vrbis. Nam vrbs ipsa mœnia sunt; ciuitas autem non saxa, sed habitatores vocantur. Tres autem sunt societates: familiarum, gentium, vrbium. Vrbs vocata ab orbe, quod antiquæ ciuitates in orbem fiebant: vel ab vrbo parte aratri, quo muri signantur. vnde est illud: *Optauitque locum regno concludere.* Sulco designabatur, id est, aratro. Cato: *Qui vrbem*, inquit, *nouam condet, tauro & vacca, & vbi arauerit, murum faciet: vbi portam vult esse, aratrum subeleuet & portet & portam vocet.* Ideo autem vrbs aratro circumdabatur dispari genere iumentorum propter commixtionem familiarum, & imaginem serentis, fructumque reddentis. Vrbs autem aratro conditur, aratro euertitur. Vnde Horatius: *Imprimeretque muris hostile aratrum.*

Oppidum quidam ab oppositione murorum dixerunt: alij ab opibus recondendis, eo quod sit munitum: quod sit conuentus in eo habitantium, & opem ferat mutuam contra hostem. Nam primum homines, tanquam nudi & inermes, nec contra beluas præsidia habebant, nec receptacula frigoris & caloris, nec ipsi inter se homines ab hominibus satis erant tuti. Tandem naturali sollertia speluncis siluestribusque tegumentis tuguria sibi & casas virgultis arundinibusque contexerunt, quo esset vita tutior, ne his, qui nocere possent, aditus esset. Hæc est origo oppidorum, quæ eo, quod opem darent, idcirco oppida nominata dixerunt. Oppidum autem magnitudine & mœnibus discrepate à vico & castello & pago. Ciuitates autem aut coloniæ aut municipia aut vici aut castella aut pagi appellantur. Ciuitas proprie dicitur, quam non aduenæ, sed eodem innati solo condiderunt: ideoque vrbes à propriis ciuibus conditæ, ciuitates non coloniæ nuncupantur. Colonia vero est, quæ defectu indigenarum nouis cultoribus adimpletur. Vnde & colonia à cultu agri est dicta. Sunt ergo propria nomina ciuitatum atq; oppidorum, nec non & villarum: sed ex eis, quædam, quæ insigniora sunt, hic in hoc opusculo nosto ponere censemus.

Achath est vrbs Nembroht regni in Babylone. Porro ebræi hanc esse dicunt Mesopotamiam ciuitatem, quæ hodie vocatur Nisibi, à Lucullo quodam consule obsessam captamque, & ante paucos annos à Iouiniano imperatore Persis traditam. Achath quippe interpretatur, *vmbraculum.*

Aggai ad occidentalem plagam vertit Bethelis, non multum ab ea distans. Sita est autem Bethel euntibus Eliam de Neapoli in læua parte viæ 12. circiter miliario ab Elia, & vsque hodie, paruus licet, vicus ostenditur. Sed & Ecclesia ædificata est, vbi dormiuit Iacob pergens Mesopotamiam. Vnde & ipsi loco Bethel, id est, domus Dei nomen imposuit. Aggai enim interpretatur, *quæstio* vel *festiuitas.*

Arbohe corrupte in nostris codicibus arboc scribitur, cum in Hebræis legatur arbe, id est, quatuor ex eo, quod ibi tres patriarchæ, Abraham, Isaac & Iacob sepulti sunt, & Adam magnus, vt in Iesu libro scriptum est: licet eum quidam conditum in loco caluariæ suspicentur. Hæc est autem eadem Celibron olim metropolis Philistinorum, & habitaculum gigantium, regnumque postea Dauid in tribu Iuda ciuitas sacerdotalis & fugitiuorum: distat ad meridianam plagam Eliæ milibus circiter viginti duobus. & quercus Abraham, quæ & ilex manere vsque ad Constantij regis imperium monstrabatur: truncus leumeius in præsentiarum cernitur. Cumque à nostris ibidem Ecclesia iam extructa sit, in circuitu à cunctis gentibus terebinthi locus superstitiose colitur, eo quod sub ea Abraham angelos quondam hospitio suscepérit. Hæc ergo primum Arbe, postea à Cebro vno filiorum Calep sortita vocabulum est. Lege verba dierum. Cebron autem interpretatur, *coniugium* siue *visio sempiterna.*

Adama est vna de quinque ciuitatibus Sodomorum versa cum ceteris. Adama vero interpretatur, *humus* siue *terra* siue *terrena.*

Astachroth antiqua ciuitas Og regis Basan, in qua habitauerunt gigantes, quæ postea cecidit in sortem tribus Manasse regionis Batanæ, & sex milibus ab Abra vrbe Arabiæ separata est. Nam astaroth interpretatur, *ouilia*, vel *faciunt exploratorem.*

Arabbi terminus Iudæ prouinciæ ad orientem, respiciens tribus Iudæ. Est autem & vicus nunc vsque grandis nouem milibus à Neapoli contra orientem descendentibus ad Iordanem & Hierichum, per eamq; appellatur à Crapitene, sed & finium Amorrhæorum à Crabim dicitur, de quo loco non exterminauit alienigenas tribus Neptalim, vt in Iudicum libro scriptum est. Arabbi enim interpretatur, *scorpiones.*

Achar ebraice dicitur emechachur, quod interpretatur, *vallis tumultus* siue *turbarum* eo, quod ibi tumultuatus & turbatus sit Israel, in qua lapidauerũt quondam Achan propter furtum anathematis. Est autem ad septentrionem Hierichus, & vsq; hodie ab regionis illius accolis sic vocatur. Nam Achur interpretatur, *turbatio* vel *tumultus.*

Accaron in tribu Dan, vt ego arbitror, siue in tribu Iuda ad læuam. Cahananæorum vrbs est antiqua, quæ olim satrapes Palestinæ: & decreta est quidem tribui Iudæ, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores pristinos nequiuit expellere. Sed & vsq; hodie grandis vicus ciuium Iudæorum Accaron dicitur inter Azotum & Iamniam: Accaron turrim Stratonis postea Cæsaream nuncupatam. Accaron quippe interpretatur *eruditio, tristitia* vel *sterilitas.*

Azotus vsque hodie non ignobile municipium Palestinæ, & vna est de quinque ciuitatibus allophylorum: decreta quidem tribui Iudæ, sed non tenta ab ea: quia nequaquam veteres potuit colonos expellere. Azotus quidem interpretatur, *ardor ignis patrui mei.*

Ascalon vrbs nobilis Palestinæ, quæ & ipsa antiquitus vna fuit de quinque satrapis allophylorum, separata quidem per sortem tribui Iudæ, nec tamen reten-

ta ab ea: quia habitatores eius superare non potuit. Porro Ascalon interpretatur, *appensa* vel *ignis* vel *infamis*.

Emach vrbs, quæ cecidit in sortem Ruben: sed & nunc Amathus villa dicitur trans Iordanem, & vicesimoprimo miliario pene ad meridiem. Ego autem inuestigans reperi Emath vrbem Celesyriæ appellari, quæ nunc græco sermone Epiphania nuncupatur. Emach quippe interpretatur, *populus adhuc*.

Bethlehem ciuitas Dauid in sorte tribus Iudæ, in qua Dominus noster atque Saluator natus est in sexto ab Elia miliario contra meridianam plagam, iuxta viam, quæ ducit Hebron: ibi & sepulchrum Iesse patris Dauid ostenditur: & mille circiter passibus procul turris gregis quodam vaticinio pastores Natiuitatis Dominicæ conscios ante significans. Sed & propter eandem & Betlehem regis quondam Iudæ Archelai tumulus ostenditur, qui semitæ ad cellulas nostras à via publica diuertentis principium est. Vocabatur autem Bethleem & filius Efrathæ, id est, Mariæ, vt in Paralipomenon legitur. Hæc vrbs iuxta quosdam à Iebusæis condita fertur, & vocata primum Efrata. Quando autem ibi Iacob pecora sua pauit, eidem loco Bethleem nomen quodam vaticinio futuro imposuit, quæ, *domus panis*, interpretatur propter eum panem, qui ibi de cœlo descendit.

Bala, quæ Segor, nunc Gozara nuncupatur. Sola denique Sodomorum vrbibus Loth precibus reseruata est: imminet autem mari mortuo, & præsidium in ea positum est militum Romanorum, habitatoribus quoque propriis frequentatur, & apud eam gignitur balsamum, & poma palmarum antiquæ vbertatis indicia. Nullum autem moueat, quod Segor eadem Zoara dicitur, cum idem nomen sit paruulæ, vel minoris: sed Segor ebraice, Zoara syre nuncupatur. Bala autem interpretatur, *absorpta*.

Damascus vrbs nobilis Phœnicis: eodem autem vocabulo & Masech ancillæ Abraham filius appellatus est. Damascum Syriæ conditam constat & nuncupatam a Damasco dispensatoris Abræ filio. Damascus quoque interpretatur, *sanguinis potus*, vel *sanguinis osculum*.

Danviculus quarto de Paneade miliario euntibus Tyrum, qui vsque hodie sic vocatur, terminus Iudææ Prouinciæ contra septentrionem: de quo & Iordanis flumen erumpens à loco sortitus est nomen. Ior quippe richton idem fluuium siue riuum ebræi vocant. Dan enim, *iudicium*, interpretatur, vel *iudicans*.

Dothain, vbi inuenit Ioseph fratres suos pecora pascentes, qui & vsque hodie in decimo à Sebastia miliario contra aquilonis plagam ostenditur. Dothaim ergo interpretatur, *pabulum* vel *viride eorum* aut *sufficientem defectionem*. Dehonque & Dibon in solitudine castra filiorum Israhel. Est autem & alia Dibon villa pergrandis iuxta Patarnonem, quæ dum prius fuisset filiorum Moab, & postea eam Seon rex Amorræorum belli iure tenuisset, à filiis Israhel capta atque possessa, in partem venit tribus Gad. Nam Debon interpretatur, *abundanter*, vel *satis intelligens*.

Esebon ciuitas Seon regis Amorræorum in terra Galaad. Quæ cum fuisset Moabitarum, ab Amorræis belli iure possessa est. Esebon vero, *cogitatio* vel *cingulum mœroris* interpretatur. Engathi in tribu Iuda, vbi absconditus est Dauid in solitudine quæ est in Aulone Ierichus, hoc est, in regione illa campestri. Vocatur autem vsque hodie vicus pergrandis Iudæorum Engadda iuxta mare mortuum. vnde & balsamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat. Engaddi vero interpretatur, *fons hœdi*.

Endor in tribu Manasse vbi phithonissa à Saule Iudææ rege consulitur. Endor autem interpretatur fons generationis.

Gaza ciuitas Euæorum, in qua habitauere Cappadoces. pristinis cultoribus interfectis. Apud veteres erat comminus Chananæorum iuxta Ægyptum, ceciditque in sortem tribus Iudæ: sed eam tenere non potuit, quia Enachim, id est, gigantes allophylorum fortissime restiterunt: & est vsque hodie insignis ciuitas Palestinæ, vocata autem Gaza eo, quod ibi Cambyses rex Persarum thesauros suos posuit, cum bellum Ægyptiis intulisset. Persarum enim lingua thesaurus gaza nominatur. Gasa quippe interpretatur *fortitudo eius*.

Gabaath in tribu Beniamin vrbs Phinees filij Eleazar, vbi sepultus est Eleazarus: est autem Gabatha villa in duodecimo lapide Eleutheropoleos. Nam Gabaath interpretatur, *collis patruelis*. Iericho vrbs à Iebusæis condita traditur, à quibus traxisse nomen perhibetur, quam Iordanem transgressus subuertit Iesus, rege illius interfecto: pro qua construxit aliam Ozam de Bethel ex tribu Effraim, quam Dominus atque Saluator sua præsentia illustrare dignatus est. Sed & hæc eo tempore, quo Ierusalem oppugnabatur à Romanis, propter perfidiam ciuium capta atque destructa, pro qua tertia ædificata est ciuitas, quæ hodieque permanet: & ostenduntur vtriusque vrbis vestigia vsq; in præsentem diem. Iericho quoque interpretatur, *odor eius*, vel *luna*: & significat defectum mortalis vitæ.

Ierusalem, in qua regnauit Adonibezeth, & post ea tenuere Iebusæi, è quibus & sortita vocabulum est: quibus multo post tempore Dauid exterminatis totius eam Iudææ prouinciæ metropolim fabricatus est, eo, quod ibi locum templi emeret, & impensas structuræ Salomoni filio dereliquerit. Hanc esse Iosephus refert, quæ in Genesi scribitur Salem sub rege Melchisedech: (Gen. 14.) fuit autem in tribu Beniamin. Iebus vero quatuor modis significationem habere in scripturis reperitur. Ipsa est, quæ & Ierusalem Ierusalem, hoc est, iuxta historiam, in qua sancta Ecclesia ipsa terrena ciuitate notatur & iuxta allegoriam exprimitur: & iuxta tropologiam, in qua anima fidelis designatur: & iuxta anagogen, in qua cœlestis patria præfiguratur, sicut supra ostendimus.

Sion, eadem ciuitas, propter montem in ea situm in australi parte ipsius ciuitatis nominatur, & sensum mysticum habet. Nam Sion, *specula*, siue *contemplatio* interpretatur, & significat Ecclesiam siue animam fidelem siue cœlestem patriam. Sion iuxta historiam plebs est Iudæorum, vel ipsa ciuitas in monte Sion, quæ & Ierusalem dicitur. Vnde legitur in Amos propheta: (Amos 1.) *Dominus in Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam*: quia ex eadem plebe Dominus secundum carnem genitus est. Et de hoc Esaias dicit: (Esai. 2.) *De Sion exibit lex, & verbum de Ierusalem.* Et in Michea de hoc scriptum est: (Mich. 3.) *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit.* Secundum allegoriam vero sanctam Ecclesiam designat: vt est illud in Psalmo: (Psal. 147.) *Lauda Dominum tuum Sion.* Vnde Esaias dicit: (Esai. 52.) *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion.* Et Micheas de hoc scribit: (Mich. 4.) *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam ferreas.* Secundum anagogen autem cœlestem patriam designat. Vnde dicit Apostolus. (Heb. 12.) *Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem.* Filia Sion est Ecclesia siue sancta anima. Vnde legitur in Sophonia: (Soph. 3.) *Lauda filia Sion. Iubila tu Israhel.* Filij Sion, filij Ecclesiæ sunt. Vnde legitur in Psalmo: (Psal. 149.) *Filij Sion exultent super regem suum.* Et Iohel dicit: (Iohel. 2.) *Vos filij & filiæ Sion exultate Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem iustitiæ.*

Moab ab vno filiorum Loth, qui vocabatur Moab, vrbs Arabiæ, quæ nunc Areopolis dicitur. Appellatur autem Maob ex nomine vrbis & regione: propter hoc ipsa ciuitas quasi proprium vocabulum possidet Rabbatha Moab, id est, grandis Moab. Moab interpretatur, *ex parte*, id est, ex diabolo.

Ammon filius generis mei, siue populus turbidus, Iudæi scilicet (vt quidam volunt) vel hæretici. Vnde in Deuteronomio legitur: (Deut. 23.) *Ammonites & Moabita etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini vsque in æternum.* Et Sophonias de hoc dicit: (Soph. 2.) *Viuo ego dicit Dominus, quia Moab & Sodoma erit & filij Ammon quasi Gomorra.* Item in bonam partem intelliguntur, vt est illud Esaiæ: (Esa. 11.) *Filij Moab obedientes erunt.* Roboch ciuitas Assyriorum, quam ædificauit Assur regrediens de terra Sennaar. Roboth enim interpretatur, *inclinatio* vel *platea*.

Sidon vrbs Phœnicis insignis, olim terminus Chananæorum ad aquilonem respiciens, & postea regionis Iudææ. Cecidit autem in sortem tribus Aser. sed non eam possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere. Hanc quoq; vrbem Phœnices a rubro mari profecti condiderunt, quam à piscium copia Sidon appellauerunt. Nam piscem Phœnices Sidon vocant. Ipsi etiam Tyrum in Syria, ipsi Vticam in Africa, Iponem, Iebtin, aliasq; vrbes in oris maritimis condiderunt. Sidon quoq; interpretatur, *venatio mœroris*.

Sennaar campus Babylonis, in quo turris est, vnde egressus Assur ædificauit Niniuen. Sennaar ergo interpretatur, *excussio dentium*, vel *fœtor eorum*. Sodoma ciuitas impiorum diuino igne consumpta iuxta mare mortuum. Sodoma quoq; interpretatur, *pecus silens* siue *cæcus* siue *similitudo eorum*.

Seboim, & hæc ciuitas impiorum in æternas cineres dissoluta.

Sora vrbs iuxta Sodomam, quæ & Segor & Zora dicitur, de qua su. ra dictum est.

Salem ciuitas Sicimorumque Sichem. Sed & alia villa ostenditur vsq; in præsentem diem iuxta Eliam contra orientalem plagam hoc nomine. In octauo quoq; lapide à Scythopoli campo vicus Salumias appellatur. Salem ciuitas interpretatur, *pax* vel *reddens*.

Thamna, vbi oues suas totondit Iudas, ostenditur hodieq; vicus pergrandis in finibus Diospoleos euntibus Eliam in tribu Dan siue Iuda. Thamna, alia ciuitas principum Edom: sed & concubina Elifaz, filij Esau, Thamna appellata est, quæ peperit ei Amalech: vnde Amalechitæ. Porro Thamna interpretatur, *perfecta pars*, siue *consummatio data*.

Arimathem ophini ciuitas Elchane & Samuelis in regione Thamnitica diospolim, vnde fuit Ioseph, qui in
Matt. 27. Euangelio de Arimathia scribitur. Nam archmatem interpretatur, *altitudo eorum*.

Bethsamis ciuitas sacerdotalis in tribu Beniamin, quæ vsque hodie demonstratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim in decimo miliario contra orientalem plagam. Bethsamis vero interpretatur, *domus solis*.

Betsaida ciuitas in Galilæa Andreæ & Petri & Philippi prope stagnum Genesareth. Nam Bethsaida interpretatur, *domus fructuum*, vel *domus venatorum*.

Bethfage villula in monte olyueti, ad quam venit Dominus Iesus. Porro Bethfage interpretatur, *domus oris vallium* vel *bucca*.

Bethania villa secundo ab Elia miliario in latere montis oliueti, vbi Saluator Lazarum suscitauit, cuius monumentum Ecclesia nunc ibidem constructa demonstrat. Bethania quoque *domus afflictionis*, vel *domus obedientiæ*.

Bethsaida piscina in Ierusalem, quæ vocatur Probatica, & à nobis interpretari potest. *pecualis*. Hæc quandoque quondam porticus habuit ostenduntur quoque gemini lacus, quorum vnus hibernis pluuiis adimpleri solet, alter mirum in modum rubens quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lauari à sacerdotibus solitas ferunt, vnde & nomen acceperat.

Capharnaum iuxta stagnum Genesar vsque hodie oppidum in Galilæa gentium situm, in finibus Zabulon & Neptalim. Capharnaum autem interpretatur, *ager* vel *villa consolationis*.

Emmaus, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas Euangelista meminit: hæc est nunc Nicopolis insignis ciuitas Palestinæ. Emmaus enim interpretatur, *populus abiectus*.

Effraim iuxta desertum, ad quam venit Dominus Iesus cum discipulis suis. Effraim ergo interpretatur, *fertilis populus*, siue *acutus*: quem nos possumus dicere, ab augendo, augentium.

Fanuel ciuitas, quam ædificauit Iheroboham.

Fanuel enim interpretatur, *facies Dei*.

Modin vicus iuxta Diospolim, vnde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulchra monstrantur.

Mello ciuitas, quam ædificauit Salomon.

Nazareth, vnde & Dominus noster atque Saluator, Nazaræus vocatus est. Est autem vsque hodie in Galilæa viculus contra legionem in 15. miliario ad orientalem plagam, iuxta montem Thabor nomine Nazara. Nazareth autem interpretatur, *flos* aut *virgultum eius*, vel *munditia* aut *separatio* vel *custodia*.

Saba ciuitas regalis Æthiopiæ, quam Iosephus à Campise rege Meroem cognominatam ex sororis vocabulo refert. Saba quoque interpretatur, *captiua*.

Sarepha oppidum Sidoniorum in via publica situm, vbi habitauit quondam Elias. Sarepta interpretatur, *incendium* siue *tribulatio panis*.

Tharsis, vnde aurum Salomoni deferebatur.

Hanc putat Iosephus Tharsum vrbem esse Ciliciæ. Tharsis enim interpretatur, *exploratio gaudij*.

Thersa, vbi Ala Israel rex fuit. Thersa vero interpretatur contemplatio.

Acheldemach ager est sanguinis, qui hodie monstratur in Elia ad Australem plagam montis Sion: & hactenus iuxta Iudæorum consilium mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub dio putrefacit.

Antiochia ciuitas Cœlesyriæ, in qua Barnabas & Paulus Apostoli sunt ordinati. est & alia in Pisidia prouincia Asiæ. in qua iidem prædicantes Iudæis dixerunt *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud*, &c. Act. 13.

Alexandria ciuitas Ægypti, in qua Beati Euangelistæ Marci tumulus veneratur. Interpretatur autem Alexandria, *auferens angustiam tenebrarum*.

Attalia ciuitas est Pamphyliæ maritimæ. Attalia enim interpretatur, *tempus eius*, vel melius, *declinatio Domini*.

Amphipolis ciuitas est Macedoniæ. Est & altera eiusdem nominis in Syria Amphipolis autem interpretatur, *populus ore corruens*.

Appolonia ciuitas & ipsa Macedoniæ. Est altera in Affrica, quæ dicitur Pentapolis. Appolonia autem interpretatur, *disciplina* vel *synagoga eorum*.

Athenæ ciuitas est in Achaia. Athenienses autem interpretantur, *exploratores* aut *respondentes* vel *humiles* siue *tempore dissipati*.

Ariopagus Athenarum curia, quæ interpretatur *villa Martis*: quia ipse ibi quondam à 12. diis iudicatus sit. Ariopagus quoq; *primitiua* interpretatur vel *sollemnitas*: sed & hoc violentum, cum Atheniensis curiæ nomen sit, quæ à Marte nomen accepit.

Antipatris ciuitas Palestinæ, nunc diruta, quam Herodes rex Iudææ ex patris sui nomine vocauerat. Interpretatur autem antipatris, *donans laudationem*.

Cæsareæ ciuitates Iudææ sunt in terra repromissionis, vbi Cæsarea Palestinæ in litore maris sita: altera vero Cæsarea Philippi, cuius Euangelij scriptura meminit. Cæsarea autem interpretatur, *possessio principis*.

Corinthus ciuitas Achaiæ maritima. Corinthus interpretatur, *conuersatio eorum*.

Lidda ciuitas Palestinæ in littore maris magni sita. Lidda enim interpretatur, *vtilitas*.

Seleucia ciuitas Syriæ nouella, quam condidit Seleucus, qui & Antiochiam. Seleucia quoque interpretatur, *tollens semetipsam*, siue *experimentum itineris* vel *exeuntem ad vocationem*.

Salamis ciuitas in Cypro insula. Hæc enim interpretatur, *missus*.

Tyrus metropolis Phœnicis in tribu Neptalim.

Tyrus quoque interpretatur, *angustia*, vt supra diximus.

Troas ciuitas Asiæ maritima. Troas vero interpretatur, *requies*.

Thessalonica ciuitas Macedoniæ. Nam Thessalonica interpretatur, *festinans vmbram roborare* siue *formare*.

Ciuitas vel vrbs quando in bonã partem accipitur, aut

sanctam

sanctam Ecclesiam significat, aut fidelem animam. Vnde in Psalmo scriptum est: (Psal. 144) (Ps. 45.) *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* & item: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*: h. e. Spiritus sancti gratia lætificat sanctam Ecclesiam Dei, vel cuiuslibet sancti viri fidelem animam. De quo in Apocalypsi abundanter mescriptum est. Vnde illud. (Apoc. 21.) *Vidi ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo ornatam, tanquam sponsam viro suo.* Ciuitates vero Iudææ similiter sunt Ecclesiæ Christi vel animæ fidelium. Vnde scriptum est in Psalmo: (Psal. 68.) *Ædificabuntur ciuitates Iudæ*, & reliqua. Ciues autem fideles mystice dicuntur. Vnde ait Apostolus (Eph. 2.) *Sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Ciuitas corda vel corpora impiorum, vt in Psalmo: (Psal. 9.) *ciuitates eorum destruxisti.* Et in Euangelio: (Matt. 22.) *Et ciuitates eorum igni succendisti.* Quando autem in contrariam partem ciuitas ponitur, significat Babylonem spiritualem, vrbem videlicet diaboli, quæ mergetur in profundum abyssi, (Apoc. 18.) vbi est habitatio dæmoniorum & omnis Spiritus inmundi, super quam flebunt reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & negotiatores terræ flebunt & lugebunt super illam. (Heb. 13.) Dicit enim Apostolus: *Non habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus*, hoc est, cœlestem patriam, & societatem sanctorum angelorum. Municipium est, quo manente statu ciuitatis, ius aliquando minoris aut maioris officij à principe impetrat. Dictum autem municipium à muneribus, id est, officiis, quod tantum munia, id est, tributa debita vel munera reddant. Nam liberales & famosissimæ causæ, & quæ ex principe proficiscuntur, ibi non aguntur. Hæc enim ad dignitatem ciuitatis pertinent. Vici & castella & pagi sunt, quæ nulla dignitate ciuitatis honorantur, sed vulgari hominum conuentu incoluntur, & propter paruitatem sui maiori ciuitati attribuuntur. Municipium similiter significat futuram in cœlis patriam, & gloriam perpetuam sanctorum. Vnde & Apostolus ait: (Phil. 3.) *nostra autem municipatus in cælis est. Vnde expectamus Dominum Saluatorem, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Vicus autem dictus ab ipsis tantum habitationibus, vel quod vias habeat tantum sine muris. Est autem sine munitione murorum, licet & vici dicantur ipsæ habitationes vrbis. Dictus autem vicus eo, quod sit vice ciuitatis, vel quod vias habeat tantum sine muris. Vici autem vel villæ gentium vel vias situs vel terrenas actiones mystice exprimere possunt, quia extra ciuitatis locum positæ sunt, id est, extra communionem plebis Dei habitant. Vnde est illud, quod Dominus iubet in Euangelica parabola, (Luc. 14.) quando illi, qui ad nuptias vocati sunt, nolebant venire, seruos suos exire in plateas & vicos ciuitatis, vt quoscunque inuenerint, vocarent ad nuptias: hoc est, retardante Iudaica plebe venire ad nuptias Domini, mandat gentium multitudinem in locum illius subintrare, vt implerentur nuptiæ discumbentium.

Castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm, quasi casam altam, cuius pluralis numerus castra: diminutiuum castellum est. Castra siue castella cohabitationem bonorum hominum vel sanctorum angelorum possunt significare.

(Gen. 28.) Vnde legitur in Exodo, castra filiorum Israel, vbi castra metati sunt, & in Genesi, vbi Iacob patriarcha obuiam sibi habuit angelos Dei, appellauit nomen loci illius Manaim, id est, castra. Castra Dei, quæ vidit Iacob in itinere, nulla dubitatio est, quod angelorum fuerit multitudo, ea quippe in scripturis militia cœli nominatur.

Pagi sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus, hæc & conciliabula dicta à conuentu & societate multorum in vnum. Competa sunt, vbi visus est conuentus fieri rusticorum: & dicta competa, quod loca multa in agris eorum competunt, quo conueniunt à rusticis. Suburbana sunt circumiecta vel iecta ciuitatis ædificia, quasi sub vrbe. suburbana autem, quæ ædificia sunt & loca ciuitatis, possunt significare diuersarum gentium situs, qui ad ciuitatis Dei, hoc est, sanctæ Ecclesiæ vsus possunt pertinere, quando per prædicatorum studium ad perceptionem verbi Dei prouocantur & catechumeni fiunt, sicque, si fide perseuerauerint, vnitati sanctæ Ecclesiæ sociabuntur. Mænia sunt muri ciuitatis, dicti ab eo, quod muniant ciuitatem, quasi munimenta vrbis, id est, tutamenta. Munium autem dictum, quasi manu factum, sicut & munus. Muri à munitione dicti, quasi muniri, quod muniant & tueantur interiora vrbis. Mœnia autem duplicem habent significationem. Nam interdum mœnia abusiue dicuntur omnia ædificia publicæ ciuitatis, dum diuidimus muros & mœnia pandimus vrbis: proprie autem mœnia sunt tantum muri: murus autem turribus propugnaculisque ornatur. promurale vero, quod sit pro munitione muri. Est enim murus proximus ante murum. Mœnia ergo ciuitatis sanctæ iuxta sensum mysticum aut conuenticula sunt iustorum, aut calumnia sacratarum virtutum. Murus autem ipsius ciuitatis inexpugnabilem fidei, caritatis speique firmitatem significat. Potest & ipse Dominus, Ecclesiam vndique protegens, murus magnus intelligi, de quo Esaias ait: *vrbs fortitudinis nostra saluatur, ponetur in ea murus.* (Esa. 26.) & antemurale, id est, Domini protectio, & intercessio sanctorum patriarcharum & prophetarum vel ceterorum sanctorum prædicatorum, qui ei ita faciunt docendo corda credentium. Vel murus significat fidem, & antemurale bona opera. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur. Hic murus & hoc antemurale sine circummurale de viuis lapidibus exprimitur, qui iuxta prophetam voluuntur super terram. Item muri munimenta sunt scripturæ diuinæ vel prophetæ, sicut legitur in Psalmo: *ædificentur muri Ierusalem.* (Psal. 50) Turres vocatæ, quod teretes sint & longæ terres. Est enim aliquid rotundum cum proceritate, vt columna. Nam & quamuis quadratæ aut latæ construantur, procul tamen videntibus rotundæ existimantur: ideo, quia omne cuiusque anguli simulachrum per longum aeris spacium euanescit atque consumitur, & rotundum videtur. In turris significatione ipse Saluator intelligitur, vt est illud: *Turris fortissima nomen Domini.* (Prou. 18.) Item turris scriptura diuina, vt in Canticorum Canticis dicitur: *Collum tuum sicut turris Dauid.* (Cant. 4.) Vel excellentiam virtutum significat, vel eminentium doctorum, qui primum locum tenent in Ecclesia. Vnde in Cantico Canticorum dicitur: *Nasus tuus sicut turris Libani.* (Cant. 7.) In naso vero verbi Dei dispensatores causa discretionis designantur, turri qui assimilantur, qui eminentissimum locum tenent in Ecclesia. Inuenitur aliquando turris in contrariam partem posita: hoc est, altitudinem superbiæ significat. Hinc est illud, quod filij Adam in Genesi leguntur turrim excelsam ædificare, (Gen. 11) vbi confusa est lingua eorum. Item turris Ecclesia, vt in Michea: *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion*, id est, diuinis Sacramentis obumbrata. (Mich. 4.) Quidam autem hanc turrim virginem Mariam intelligunt. Item turres corda reproborum duplicitatis malitia constructæ, vt in Sophonia: *super omnem murum munitum, & super omnem turrim excelsam.* (Soph. 1.)

CAPIT. II.

De portis.

Porta dicitur, quia potest vel importari vel exportari aliquid. Proprie autem porta aut vrbis aut castrorum vocatur, sicut superius dictum est. Porta aliquando in bonam partem accipitur, aliquando vero in malam. In bonam ergo partem accipitur, quando ipsum Dominum significat, per quem nobis vitæ æternæ aditus patet. Vnde ipse ait: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur & ingredietur & egredietur & pascua inueniet.* (Ioan. 10.) Item porta fidem Christi significat. Vnde scriptum est: *Per portam ingrediuntur in ciuitatem*: quia per fidem rectam introeundum est in Ecclesiam Dei. Porta Christi vel fides vt in Psalmo. *Ecce Porta Domini: iusti intrabunt per eam.* (Psal. 117) Porta vterus virginis Mariæ, siue canon veteris testamenti, vt in Ezechiele: *Vidi portam in domo Domini clausam.* (Ezech. 44) Portæ, scripturæ sanctæ, Apostoli vel opera bona.

Psal. 23. vt in Psalmo: *Eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Portæ corda hominum, siue aditus mentis a diabolo dudum obsessæ, postea Christo possessæ, vt in Gene- Gen.24. si: *Possidebit semen tuum*, id est, Christus, *portas inimicorum suorum.* Item portæ doctores sancti intelliguntur, qui nobis aperiunt dogmatibus suis introitum regni cœlestis. Econtrario vero portę nomine hæretici & falsi doctores exprimuntur, per quas perditi in Gehennam in- Matth. 16 trant. De quibus Dominus ad Petrum ait: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ in-* Psal. 9. *feri non præualebunt aduersus eam.* Et Psalmista: *exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.* Porta vero mortis est diabolus vel omnis ille cebra secularis. Quoniam per hanc ad æternum exitium infeliciter introitur. Liberatus ergo ex illis portis mortalibus, in istis portis Ecclesiæ, quæ beatitudinem tribuunt sempiternam, pronunciaturum se laudes Domini pollicetur, per quas nomen eius eximium toto orbe celebratur.

Capit. III.

De Viis.

Viæ, ipsa spacia angusta, quæ inter vicos sunt. Via in bonam vel in malam partem posita reperitur. In Ioan. 14. bonam, vbi Dominus ait: *Ego sum Via, Veritas & Vi-* Ps.118. *ta.* Et Psalmista: *Viam*, inquit, *veritatis elegi*, hoc est, doctrinam veritatis. Econtrario est alia via, de qua idem Ibidem. propheta deprecans Dominum ait: *Viam iniquitatis amoue à me, & in lege tua miserere mei.* Et in Salomone de me- Prou.7. retrice scriptum est: *Via*, inquit, *inferi domus eius.* Item viarum nomine exprimuntur, de quibus Dominus per Ezech 33. prophetam ait: *Vnum quemque iuxta vias suas iudicabo, di-* Matt.7. *cit Dominus Deus.* Dicitur arta & angusta via, quæ ducit ad vitam: lata & spaciosa, quæ ducit ad mortem. Via vita præsens, vt in Euangelio: *Esto consentiens aduersario* Matt.5. *tuo cito, dum es cum eo in via.* Via, libri legis & propheta- Ier.6. rum, vt in Ieremia: *super vias state & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona.* Semita, præcepta Psal. 118. diuina, vt in Psalmo: *Deduc me in semita mandatorum tuorum.*

Capit. IV.

De Plateis.

Plateæ perpetuæ ac latiores ciuitatum viæ sunt, iuxta proprietatem linguæ græcæ á latitudine nuncupatæ. Plateæ vero similiter aliquando in bonam partem, aliquando in malam positæ reperiuntur. In bonam, quando amplitudinem credentium in gentibus signifi- Prou. 1. cant. Vnde scriptum est: *Sapientia foris prædicat, & in plateis dat vocem suam.* Aliquando significat æternam beati- Apoc.21. tudinem dilatatam sanctorum, vt in Apocalypsi: *Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos alleluia cantabunt.* In malam vero partem platea poni- Matth. 7. tur, quando amplitudinem significat secularium voluptatum: quia (vt supra diximus) *lata & spaciosa via est, quæ ducit ad mortem.*

Capit. V.

De Cloacis.

Cloaçæ dictæ, quod his percolantur: atque has primum Romæ fecisse Tarquinium Priscum, vt quotiens pluuiarum inundatio existeret, per eas extra ciuitatem emitterentur: ne maximis perpetuisque tempestatibus planiciem vel fundamenta vrbium strages aquarum subuerteret.

Capit. VI.

De Foro.

Forus est exercendarum litium locus, à fando dictus. Hæc loca & prorostra vocantur: ideoque quod ex bello Punico captis nauibus Carthaginensium rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, vt esset eius insigne victoriæ.

Capit. VII.

De Curia.

Curia dicitur eo, quod ibi cura per senatum de cunctis administretur.

Capit. VIII.

De Prætorio.

Prætorium dictum, quod ibi prætor præsideat ad discutiendum.

Capit. IX.

De Gymnasio.

Gymnasium generalis est exercitiorum locus. Tamen apud Athenas locus erat, vbi discebatur philosophia, & sapientiæ exercebatur studium. Nam Gymnasium græce vocatur, quod latine exercitium dicitur, hoc est, meditatio. Sed & balnea & loca cursuum athletarum gymnasia sunt eo, quod illic homines in suæ artis studium exercitentur.

Capit. X.

De Capitolio.

Capitolium Romæ vocatum, quod fuerit Romanæ vrbis & religionis caput summum. Alij dicunt, Tarquinius Priscus dum capitolij fundamenta Romæ aperiret, in loco fundamenti, caput hominis litteris Tuscis notatum inuenit: & proinde Capitolium appellauit.

Capit. XI.

De Arcibus.

Arces sunt partes vrbis excelsæ atque munitæ. Nam quæcunque tutissima vrbium sunt, ab arcendo hostem arces vocantur, & a rcus arca. Arx enim aliquando significat mundanam potentiam, aut secularem sapientiam: aliquando vero culmen veræ sapientiæ, & celsitudinem virtutum. Vnde legitur, quod Dauid expugnauerit arcem Sion, Iebusæos inde expellens, & eiiciens de ea cœcos & claudos, qui odiebant animam Dauid, & vocauerit eam deinceps ciuitatem Dauid. Quia Saluator noster de gentium multitudine vel de qua libet anima malignos spiritus eiiciens, sibi per illuminationem sapientiæ illustrat: merito ars Sion, id est, *speculatio & visio pacis*, ipsa tunc vocabitur, atque de ea tunc recte per psalmistam dicitur: *Notus in Iudæa Deus, in Israhel magnum nomen eius, & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Psal. 75. Circum Romani dictum putant à circuitu equorum, eo quod ibi circum metas equi currant. Theatrum autem ab spectaculo nominatum, quod in eo populus stans desuper atque spectans ludos scenicos contemplaretur.

Capit. XII.

De Amphitheatro.

Amphitheatrum vero vocatum, quod ex duobus sit theatris compositum. Nam Amphitheatrum rotundum est: theatrum vero ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens. Labyrinthus est perplexum parietibus ædificium, qualis est apud Cretam a Dædalo factus, vbi fuit Minotaurus inclusus, in quo si quis introierit, sine glomere lini exitum inuenire non valet. Cuius ædificij talis est situs, vt aperientibus fores tonitruum intus terribile audiatur: descenditur centenis vltra gradibus. Intus simulachra & monstrificæ effigies: in partes diuisas transitus innumeri per tenebras, & cetera. ad errorem ingredientium facta, ita vt de tenebris eius in lucem venire impossibile videatur. Quattuor autem sunt labyrinthi: primus Ægyptius: secundus Creticus: tertius in Lemno: quartus in Italia: omnes ita constructi, vt dissoluere eos nec secula quidem possint.

Capit. XIII.

De Faro.

Farum turris est maxima, quam græci ac latini in commune ex ipsius rei visu farum appellauerunt: eo quod flammarum indicio longe videatur à nauigantibus: qualem Ptolomæus iuxta Alexandriam construxisse octingentis talentis traditur. Vsus enim, noctu no- *declinanda uium cursu ignes ostendere ad * pronuntianda vada, portusque introitus ne decepti tenebris nauigantes in scopulos incid ant. Nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habet. Hinc ergo in portibus machinas ad perlucendi ministerium fabricatos faros dicunt. Nam fos lux est, oros visio dicitur. Vnde & lucifer græce fosforos appellatur. Cocleæ sunt altæ & rotundæ turres, & dictæ cocleæ, quasi ciliciæ vel circuli, quod in eis, tanquam per circulum orbemque, conscendatur. qualis est Romæ centum septuaginta quinque pedibus.

Capit. XIV.

De Thermis.

Thermas appellatas, quod caleant. Græci enim thermon calorem vocant.

Capit. XV.

De Balneis.

Balneis vero nomen inditum à lauatione mæroris. Nam græci balanion dixerunt, quod anxietatem animi tollat. Hæc & gymnasia dicuntur, quia ibi athletæ vncto corpore & perfricato manibus exercitantur. Nam gymnasium græce, latine exercitium dicitur, sicut supra ostendimus.

Capit. XVI.

De Apodyterio.

Apodyterium, vbi lauantium vestimenta ponuntur, ab exuendo scilicet dictum: apodeterin enim Græce exuere dicitur. Popina græcus sermo est, qui apud nos corrupte propina dicitur. Est autem locus iuxta balnea publica, vbi post lauacrum à fame & siti reficiuntur. Vnde & propina & propinare dicitur. Pina enim græce fionem vel famem significat, eo quod hic locus famem tollat.

Capit. XVII.

De Tabernis.

Tabernæ olim vocabantur ædiculæ plebeiorum paruæ & simplices, muricem sextibus vel vectibus & tabulis clusæ: vnde & tabernariæ, quod ibi solebant consedere. Dictæ autem tabernæ, quod ex tabulis lignisque erant constructæ. quæ nunc etsi non speciem, nomen tamen pristinum retinent.

Capit. XVIII.

De Macello.

Macellum dictum, quod ibi mactentur pecora, quæ mercantibus venundantur. Mercatum autem a commercio nominatum. Ibi res vendere vel emere solitum est: sicut & teloneum dicitur, vbi merces nauium, & nautarum emolumenta redduntur. Ibi enim vectigalis exactor, sed & precium rebus impositurus, & vocem à mercatoribus flagitans.

Capit. XIX.

De Carcere.

Carcer est, à quo prohibemur exire: & dictus carcer a coercendo. Carcer iuxta allegoriam aliquando significat tribulationem præsentis vitæ vbi tribulan- Psal. 141. tur electi ad tempus, de quo propheta ait: *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.* aliquando cu- Matt. 5. stodiam inferni, vt est illud in Euangelio: *Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris*, & reliqua.

Capit. XX.

De Habitaculis.

Habitatio ab habendo vel ab habitando vocata, vt habitare casas. Domus ex græca appellatione vocata. Nam domata græci tecta dicunt. Est autem domus vnius familiæ habitatio, sicut vrbs vnius populi, sicut Orbis domicilium totius generis humani. Omne ædificium antiqui ædem appellauerunt. Alij edem ab edendo quidem sumpsisse nomen existimant, dantes exemplum de Plauto: *si vocassem vos in edem ad prandium*. Hinc & ædificium, eo quod fuerit prius ad edendum factum. Domus caro Saluatoris assumpta in sancta Ecclesia, vt in Salomone: *Sapientia sibi domum ædificauit.* Et in Psalmo: *In* Prou. *domum Domini ibimus cum consensu.* Domus corda fidelium Psal. vel corpora, vt in Exodo: *Ponetis de sanguine agni super v-* Exod. *trumque postem, & superliminaribus domus, in quibus ed[e]tis il-* *lud.* Domus, corda reproborum, vt in Esaia: *Et orientur* Psal. 34. *in domibus eorum spinæ*, id est, solicitudo seculi. Domus diaboli, conuentus omnium malorum, vt in Salomone: *Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in do-* Prou. *mo aliena.* Aula domus est regia siue spacio sum habitaculum porticibus quatuor conclusum. Atrium magna ædes est, siue amplior & spaciosa domus. & dictum est atrium, quod addantur ei tres porticus extrinsecus. Alij atrium, quasi ab igne & ligno atrum dixerunt. Atrum ergo fit ex fumo. Aula enim sanctam Ecclesiam significat, aut conscientiam mundissimæ animæ ipsa est enim aula regalis & habitatio Spiritus sancti. sicut dicit Apostolus: *Quia templum Dei estis & spiritus Dei habitat in vobis.* 1. Cor. Domus ergo aliquando significat sanctam Ecclesiam, vt est illud: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudi-* Psal. *ne dierum*: aliquando cœlestem Ierusalem, de qua legitur: Psal. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* aliquando vero animam sanctam, in qua habitat Deus. Atria enim aut sanctam Ecclesiam significant, aut introitum fidei. Vnde scriptum est: *Stantes erant pedes nostri* Ibidem. *in atriis tuis Ierusalem.* Significat enim eos, qui iam in penetralibus sunt Ecclesiæ, siue qui ingressus vel ingressus esse meruerunt. Thalamum hac ex causa vocatum ferunt. Cum enim raptæ fuissent a Romanis Sabinæ, ex quibus cum vna ante alias specie nobilis cum magna admiratione omnium raperetur, thalamoni duci eam oraculo responsum est dari. Et * quomodo hæ nuptiæ feliciter cesserant. institutum est. vt in omnibus nuptiis tha- *quoniam lami nomen iteretur. Ægyptij quoque lingua sua loca, in quibus nubentes succedunt & cubant, thalamum nominant. Thalamus ergo mystice vterum sanctæ Mariæ virginis significat, in quo natura nostra coniuncta est Verbo Dei: hoc est, sanct. Ecclesia Christo Filio Dei copulata est: vel corda sanctorum, in quibus anima per amorem sponso inuisibili iungitur, vt eius desiderio ardeat, nullaque iam, quæ in mundo sunt, concupiscat: præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet. exire festinet, & amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere desideret. Cœnaculum dictum à communione vescendi. Vnde & cœnobium, congregatio. Antiqui enim publice & in commune vescebantur: nec vllus conuiuium singulare erat, ne occulto deliciæ luxuriam gignerent. Cœnaculum ergo significat sanctam Ecclesiam, in qua Christus mysterium passionis suæ, & sacramentum corporis & sanguinis sui dicauit, necnon & vbi Spiritus sanctus in specie ignis super centumviginti credentes & variarum linguarum loquela eis per eundem Spiritum data est. Triclinium est cœnaculum à tribus lectulis discumbentium dictum. Apud veteres enim in loco conuiuij apparatus exponebatur. Clinon enim græce lectum vel accubitum, ex quo confectum est, vt triclinium diceretur. Triclinium enim fidem Trinitatis exprimit: vbi sanctæ animæ fide, spe & charitate quiescentes expectant introitum regni cœlestis. Cella dicta, quod nos occultat & celat. Cubiculum vero, quod eo cubamus, ibique dormientes requiescimus. Cubile autem cubandi locus est: secessus, quod sit locus, id est, sine accessu. Cubiculum spiritaliter significat cordis secretum: vnde

iubetur vir Euangelicus orare Patrem cœlestem. Vnde ei dicitur: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* (Matt. 6.) Diuersorium dictum eo, quod ex diuersis viis ibi conuenitur. Hospitium sermo græcus est vbi quis ad tempus hospitali iure inhabitat, & iterum inde transiens migrat. inde & metatum, quia mutatur. Vnde legitur: Et castrametatis permutauerunt. Non enim illic permanet exercitus, sed pertransit. Diuersorium potest significare præsentem Ecclesiam, ad quam vndiq; gentes conuenientes habitaculum quærunt, & in eo hospitio manentes aditum expectant supernæ patriæ. Apogeum est constructum sub terris ædificium, quod nos antrum vel speluncam dicimus. Solarium, quod soli & auræ pateat: quale fuit locus, in quo Dauid Bethsabee lauantem aspexit & adamauit. Cuius mysterium patet: quia Christus videns Ecclesiam de gentibus, se a peccatis per pœnitentiæ lacrimas atq; baptismi sacramentum purificantem, eius speciem concupiuit, & sibi sponsam associare desiderauit. Xenodochium vero est habitaculum factum ad suscipiendos peregrinos. Itaque cum Hierosolymam Antiochus obsideret, Hircanus princeps Iudæorum, reserato Dauid sepulchro, tria milia auri talenta inde abstraxit, ex quibus trecenta Antiocho dedit, vt obsidionem relinqueret. Atq; vt facti inuidiam demeret fertur ex reliqua pecunia instituisse primus xenodochia, quibus aduentum susciperet pauperum & peregrinorum: vnde & vocabulum sumpsit. Nam ex græco in latinum xenodochium, *peregrinorum susceptio*, nuncupatur. Vbi autem ægrotantes de plateis colliguntur, nosocomium dicitur græce, in quo consumpta languoribus atque inediis miserorum membra fouentur.

Capit. XXI.

De Aedificiis.

SAcrarium proprie est locus templi, in quo sacra reponuntur: sicut donarium est, quo collocantur oblata: sicut lectisternia dicuntur, vbi homines sedere consueuerunt. Ab inferendis ergo & deportandis sacris sacrarium nuncupatur: donarium vero eo, quod ibi donata ponantur, quæ in templis offerre consueuerunt. Oratorium orationi tantum est consecratum, in quo nemo aliquid agere debet, nisi ad quod est factum: vnde & nomen accepit. Penetralia secreta sunt oraculorum: & penetralia dicta sunt ab eo, quod est penitus. Monasterium vnius monachi habitatio est. Sterio statio, id est, solitarij habitatio. Cœnobium ex græco & latino videtur esse compositum: est enim habitaculum plurimorum in commune viuentium. Cœnon enim græce commune dicitur. Faua dicta à funibus, quib. templa error gentilium construebat: vnde consules dæmonum responsa audierant. Delubra veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur, & appellari delubra à diluendo. Ipsæ sunt nunc ædes cum sacris fontibus, in quibus fideles regenerati purificantur, & bene quodam præsagio delubra sunt appellata: sunt enim in ablutione peccatorum. Fons autem in delubris locus regeneratorum est, in quo septem gradus in Spiritus sancti mysterio formantur, tres in descensu, & tres in ascensu: septimus vero is est, qui & quartus, id est, similis filio hominis extinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Basilicæ prius vocabantur regum habitacula, vnde & nomen habent. Nam Basileus rex, & basilicæ regiæ habitationes. Nunc autem ideo diuina templa basilicæ nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur. Martyrium locus martyrij græca deriuatione eo quod in memoriam martyris sit constructum: vel quod sepulchra sanctorum ibi sint martyrum. Aram quidam vocatam dixerunt, quod ibi incensæ victimæ ardeant: alij aras dicunt à precationibus, quas græci aras dicunt. Pulpitum, quod in eo lector vel psalmista in publico conspici à populo possit, quo liberius audiatur. Analogium dictum, quod sermo inde prædicetur. Nam logus græce sermo dicitur, quod ipsum altius situm est. Tribunal eo, quod inde à sacerdote tribuantur præcepta viuendi. Est enim locus in sublimi constitutus, vnde vniuersi eum audire possint. Alii tribunal à tribu denominatum, quod ad illum tribus conueniatur. Tribunal aliquando in scripturis sanctis potestatem maiestatis diuinæ, qua iudicaturus est mundum, vt est illud in Euangelio: *Dum venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, tunc congregabuntur omnes gentes* (Matt. 25.) & in Apostolo: *omnes*, inquit, *stabimus ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis sui, prout gessit, siue bonum, siue malum.* (2. Cor. 5.) Sacra sunt loca diuinis cultibus constituta, vtpote ea, in quibus altaria litantibus de more a pontificibus consecrantur. Sancta iuxta veteres exteriora templi sunt: sancta autem sanctorum locus templi secretior, ad quem nulli erant accessus, nisi tantum sacerdotibus. Dicta autem sancta sanctorum, quia exteriori oraculo sanctiora sunt, vel quia sanctorum sanctiora sunt, sicut Cantica Canticorum, quia Cantica vniuersa præcellunt. Sanctum autem à sanguine hostiarum nuncupatum. Nihil enim sanctum apud veteres dicebatur, nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum aut conspersum. Item sanctum quod exstat esse sancitum. Sancire autem confirmare, & irrogatione pœnæ ab iniuria defendere. Sic & leges sanctæ & mores sancti esse dicuntur. Propiciatorium, quasi propitiationis oratorium. Propitiatio enim placatio est. Oracula dicta eo, quod inde responsa redduntur, & oracula ab ore. Quam autem materiam ad instructionem tabernaculi Dominus quæsierit, ipse in Exodo manifestat, dicens ad Moysen: *loquere filiis Israhel, vt tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis primitias mihi.* (Exod. 25.) Et nos primitias bonorum nostrorum Domino tollimus, quando si quid boni agimus, totum hoc diuinæ gratiæ tribuimus. *Hæc sunt autem, quæ accipere debetis: aurum, argentum & æs, hyacinthum ac purpuram, coccumque bistinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas & ligna sethim, oleum ad luminaria concinnanda aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris, lapides onychinos & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale: facientque mihi sanctuarium: & habitabo in medio eorum.* (Ibid.) Cuncta hæc, quæ Dominus sibi à priore populo ad faciendum sanctuarium materialiter offerri præcepit, nos quoque, qui spiritales filij Israhel, id est, imitatores Domini videntes populi esse desideramus, spiritali intelligentia debemus offerre. Cui videlicet *aurum* offerimus, cum claritate veræ sapientiæ, qua esse in fide recta resplendemus: *argentum*, cum & ore nostro confessio fit ad salutem: *æs*, cum eandem fidem publica prædicatione diuulgare gaudemus: *hyacinthum*, cum sursum corda leuamus: *purpuram*, cum corpus passioni subiicimus: *coccum bistinctum*, cum gemina, id est, Dei, & proximi dilectione flagramus. *byssum*, cum carnis castitatem sentimus: *pilos caprarum*, cum habitum pœnitentiæ ac luctus induimus: *pelles arietum rubricatas*, cum ipsos dominici gregis ductores suo sanguine baptisatos videmus: *pelles hyacinthinas*, cum nos post mortem spiritalia in cælis corpora habituros esse speramus: *ligna sethim*, cum, expurgatis peccatorum spinetis, munda carne & anima Domino soli seruiemus: *oleum ad luminaria concinnanda*, cum fructibus caritatis & misericordiæ refulgemus: *aromata in vnguentum. & thymiama boni odoris*, cum opinionem bonæ nostræ actionis multis ad exemplum bene viuendi longe lateque diffundimus: *lapides onychinos & gemmas ad ornandum ephod ac rationale*, cum miracula sanctorum, quibus cogitationes Deo deuotas & opera virtutum ornauere, digna laude prædicamus, atque hæc in adiutorium nostræ fidei, vbi opus fuerit, adsumimus. Quia enim in humeris onera gestare solemus, recte ephod, id est, superhumerale opera iustorum, & pii pro Domino labores insinuantur. Quia vero in pectore cogitationum sedes est, recte in rationali, qui est habitus peccatoris, rationales mundæ electorum cogitationes exprimuntur: lapidesque onychini & gemmæ ornant ephod ac rationale, cum eximius summorum patrum actibus & cogitationibus etiam miraculorum insignia iunguntur. Legitur ergo in veteri testamento de tabernaculi constructione, quod Moyses fabricauit in deserto, & de templi ædificatione, quod ædificauit

Salomon in terra repromissionis, vbi in vtroque ædificio sancta & sancta sanctorum commemorantur, quorum mysteria rite intelligentibus facile patent: quia vtraque domus sanctam Ecclesiam designat. Verum quia prior domus in itinere, quo ad terram repromissionis veniebatur: hæc autem ædificabatur in ipsa terra repromissionis, & in ciuitate Hierusalem: illa. vt de loco ad locum crebro Leuitarum ministerio portata, tandem in terram promissæ hæreditatis induceretur: hæc, vt mox in patria ipsa & ciuitate regia constructa inuiolabili semper fundamento consisteret. donec indutum sibi figurarum cœlestium munus impleret: potest in illa præsentis Ecclesiæ labor & exilium, in hac futura requies & beatitudo figurari: vel certe quia illa solis filiis Israhel, hæc autem à proselytis etiam in gentibus facta est, possunt in illa principaliter patres veteris testamenti, & antiquus ille Dei populus, in hac autem congregata de gentibus Ecclesia figuraliter exprimi: quamuis ædificium vtriusque domus enucleatius spiritali sensu excussum & labores præsentis Ecclesiæ cottidianos, & præmia in futuro perennia, gaudiaque regni cœlestis, & electionem primæ in Israhel Ecclesiæ, & salutem omnium gentium in Christo multimodis ostendatur insinuate figuris. Sanctum autem, quod velo suspenso à sanctuario separatum est, significat præsentem Ecclesiam, quæ peregrinatione istius mundi versatur: sanctum autem sanctorum illam, quæ in cœlis est: quia ipsa sancta Ecclesia, quæ ex sanctis angelis & hominibus constans, partim adhuc peregrinatur in infimis, partim autem in superna patria regnat in supernis, adhuc ciues suos. dirimente velo cœli, habet ad inuicem segregatos. De qua Paulus Apostolus ad Hebræos scribens plenissime testatur, cum Christum verum pontificem asserit non per hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introisse semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Denique in scripturis sanctis aliquando tabernaculum corpus Domini Saluatoris significat,
Psal.18. vt in Psalmo: *In sole posuit tabernaculum suum.* Item tabernaculum Dei sancta est Ecclesia, siue anima fidelis in peregrinatione mundi degens. Vnde legitur in Psal-
Psal.41. mo: *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vs-*
Hebr.8. *que ad domum Dei.* & in Apostolo: *tabernaculum, quod fixit Deus, & non homo.* De hoc tabernaculo in Exodo Do-
Exod. 25. minum Moysi ita locutum fuisse narratur. *Facies mihi sanctificationem, & inde videbor à vobis.* Columnæ taber- naculi doctores sunt Ecclesiæ, vt in Apostolo legitur:
Gal.2. *Iacobus & Iohannes & Cephas, qui videbantur columnæ esse.* Seræ siue vectes, quæ tabulas siue columnas continebant, scripturam sacram vel concordiam sanctorum prædicatorum significant. Vnde robur & firmitas eorum demonstratur. Bases sunt columnarum libri legis & pro-
1.Cor.11. phetarum: caput columnarum, Christus. In Apostolo: *Caput viri Christus.* Cortinæ tabernaculi, multitudo fidelium, fidei funibus atque scripturarum præceptis suspensa: ansulæ cortinarum hyacinthinæ, cœlestia præcepta: saga cilicina vndecim sub peccatorum forma exprimuntur: quinquaginta circuli spem futuræ quietis significant: sancta sanctorum cœlestis illa patria, & æterna gaudia regni cœlorum: duo cherubin, duo testamenta legis: arca testamenti Ecclesia. Vnde legitur in
Psal.131. Psalmo: *Exurge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ.* Propitiatorium super arcam Christus in ca-
1.Ioan.2. pite Ecclesiæ. In epistola Iohannis: *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quattuor circuli aurei, in quibus arca portabatur, quattuor Euangeliorum libri, quibus Ecclesia per quattuor mūdi partes accincta prædicatur. Vectes de lignis imputribilibus, circulis intromissis, fortes prædicatores mente incorrupta Euangelicæ prædicationi semper intenti. Vrna aurea, caro est Saluatoris mundo, perpetuæ diuinitatis dulcedine repleta. Mensa Domini Iesus Christus, qui est refectio electorum, siue v-
Psal.22. ... fidei: de quo dicit Psalmista: *Parasti in conspectu meo mensam.* Potest & mensa de lignis sethim pacta scripturam sacram significare, de fortibus sanctorum patrum verbis actibusque con[...]ctam: quæ dum [...] quæ sint æternæ gaudia beatitudinis, & quomodo ad hæc perueniatur, ostendit, cibum profecto nobis salutis ac vitæ suggerit. Varia vasa, quæ ad offerenda libamina sunt facta, variæ sunt distinctiones eloquij diuini pro dispari capacitate audientium. Panes propositionis super mensam positi semper doctores sunt spiritales, qui in lege Domini die ac nocte meditantes, cunctis Ecclesiam intrantibus refectionem verbi cœlestis offerunt.

Duodecim ergo panes in mensa tabernaculi, duodecim Apostoli, & omnes doctrinæ illorum sequaces in Ecclesia. Candelabrum corpus Domini, vel Ecclesia [...], aut diuina scriptura. In Zacharia: *Vidi à dextris altaris* Zach. 4.
candelabra duo argentea. Septem lucernæ candelabro superpositæ, septiforme Ecclesiæ sacramentum vel fidei. In Exodo, Lucerna Ecclesiæ fides, vel opera iustitiæ. In Salomone: *Propterea non extinguetur lucerna per totam noctem.* Paxilli ærei in tabernaculo, Patriarcharum & prophetarum obtinent sacramentum. Paxillus Dominus Iesus Christus in corda fidelium defixus: sicut in Esaia de eo loquitur: *Figam illum in domo fideli.* Paxillus, com- Esai.22.
punctionis stimulus, sicut in Deuteronomio scriptum est: *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ gerens paxillum in balteo.* Circulus, spiritalis in Deut.23.
scripturis circuitus. In Exodo. Catenulæ, testimonia scripturarum inuicem se continentia. Vasa in tabernaculo, fideles in Ecclesia. Vnde dicit Apostolus: *In* 2.Tim.2.
magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. Ostium tabernaculi, præsens vita, siue introitus ad fidem, vel inchoatio bonorum operum. Vnde in Leuitico: *Et adducet eum ad hostium tabernaculi,* Leu.4.
& ponet manum super caput hostiæ suæ. Altare aureum, ipsa diuinitas, vel altitudo fidei. In Exodo: *Non ascendas per* Exod. 20.
gradus ad altare meum. Nam in veteri testamento duo altaria facta esse leguntur: vnum erat altare holocausti, in quo victimæ immolabantur: aliud altare thymiamatis, quo incensum Domino offerebatur. Sed altare holocausti generaliter vitam designat iustorum, qui carnem suam quotidie crucifigere cum vitiis & concupiscentiis, atque in hostiam viuentem Deo offerre consueuerunt. Altare vero thymiamatis, quod in adolendum thymiama factum erat, specialem quorundam perfectorum vitam significat. Neque frustra in illo carnes animalium incendebantur, in hoc adolebatur incensum: quia in illo figurabantur hij, qui non secundum desideria carnis ambulant, sed quasi hæc Domino immolantes, omnes sui corporis sensus per ignem sancti Spiritus eius voluntati dedicant: in isto autem illorum typus exprimitur, qui maiore mentis perfectione, exstinctis prorsus ac sopitis illecebris omnibus carnis, sola Domino orationum vota offerunt: nil quidem de carne, quod se impugnet, nil de conscientia peccati, vnde conturbentur ac paueant, habentes: sed dulcius profusione lacrimarum optantes venire & parere ante faciem Dei. Vnde apte hoc altare intus in vicinia veli & arcæ, illud ante tabernaculum foris positum est: quia nimirum illi in conspectu sanctæ Ecclesiæ cunctis exemplo virtutum præfulgent: isti altiores ardore desiderij, contemplatione futuræ beatitudinis, etiam corpore detenti, non minimum propinquant. Apte illud ære, hoc vestiri auro præcipitur. Æs namque plus aliis metallis sonorum ac diu durabile est: aurum vero quantum sono succumbit, tantum splendore præstat æramento: illud doctorum prædicationem forinsecus significat, istud interius splendorem caritatis diuinæ intimat, vbi lumine contemplationis Dei abundanter illustratur. Potest & altare mystice significare corda electorum, in quibus DOMINO hostia laudis & bonæ deuotionis offertur: vel altitudinem fidei, vt est illud in Psalmo: *Tunc imponent super altare tuum vitu-* Psal.50.
los. Quidam hoc loco dicunt ipsum DOMINVM vitulum, qui se hostiam obtulit pro salute cunctorum. Quapropter siue de adolescentibus, siue de prædicatoribus, siue de martyribus [...]

tamen prophetæ vitulos labiorum Domino pollicit promittere, quos Christianæ religionis nouerit conuenire.
Exod. 20. Altare corpus Saluatoris assumptum. In Exodo: *Altare de terra facietis mihi.* Altare sancta Ecclesia. In deuterono-
Deut. 27. mio: *Cum transieritis Iordanem, ædificate altare de lapidibus, quos ferrum non tetigit*, id est, de cunctis fidelibus, quos nullum schisma hæresum aut contaminatio peccati maculauit. Item altare significat pascua scripturarum, vt in Psalmo:
Psal. 25. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circuibo altare tuum Domine.* Rursum altare corda sanctorum significat. In Leui-
Leu. 6. tico: *Ignis autem in altari semper ardebit*, id est, ardor charitatis. Cornua altaris est altitudo cœlestis patriæ, vt in
Psal. 117. Psalmo: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus vsque ad cornu altaris.* Altare æneum corda carnalium: in quo altari carnes in holocaustum cremabantur: quæ opera carnalia deplorant incensum orationes sanctorum.
Psal. 140. In Psalmo. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu*
Psal. 4. *tuo Domine.* Sacrificium oblatio iustitiæ. In Psalmo: *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Holocaustum, id est, totum combustum, totus fidei accensus siue carnis mortificatio. Est enim quidam ignis caritatis omnia membra hominis in proprios vsus assumens, vt non permittat ea
Psal. 65. militare peccato. Et in Psalmo: *Holocausta medullata offeram tibi.* Hostia pacifica, opus misericordiæ: quæ ideo ho-
Psal. 95. stia pacifica appellatur, eo quod hostia diabolo resistat & Deo hominem reconciliet. In Psalmo: *Tollite hostias, & introite in atria eius.* Adipes pacificorum, compunctio cordis, & lacrimarum profusio intelligitur. In Leuitico:
Leuit. 5. *Et impositum desuper holocaustum adolebit.* In tauro vero superbia, quæ continentiæ cultro in area cordis iugulatur. In ariete furor. In hirco libido. In vitulo, carnis voluptas. In agno lasciuia. In hædis peccata diuersa. Per turturem & columbam munditia castitatis, & simplicitas cordis in sacrificium Dei offertur. In similagine puritas mentis, vel opera misericordiæ. In primitiis initia bonorum operum, vel bona voluntas. In decimis vero perfectio bonorum operum. Sacerdos Dominus est Ie-
Psal. 109. sus Christus. In Psalmo: *Tu es sacerdos secundum ordinem*
Esa. 61. *Melchisedech.* Sacerdotes, sancti: vt in Esaia: *Vos sacerdotes Domini vocabimini & ministri Dei nostri.* & in malam par-
Mal. 2. tem in Malachia: *Vos sacerdotes quid polluistis nomen meum?*
Psal. 131. Vestimenta sacerdotum, opera iustitiæ. & in Psalmo: *Sacerdotes tui, Domine, induantur iustitia.* Item vestimenta
Leu. 21. sacerdotis, plebs fidelium. In Leuitico: *Caput suum non discooperiet, & vestimenta non scindet.* Tunica hyacinthina
Exod. 39. Christi Ecclesia, eius sanguine decorata. In Exodo: *Et*
Ibidem. *fecerunt tunicam hyacinthinam*, & cetera. Superhumerale virtus operationis ab humeris significata. In Exodo: *Et fecerunt superhumerale de auro & hyacintho, purpura & cocco & bysso retorta.* Rationale doctrina, vel veritas seu rationis
Ibid. a pectore declaratio. In Exodo: *Et fecerunt rationale opere textili.* Duodecim lapides in rationali, quaterno ordine trini positi, fidem Trinitatis, & Euangelicum sermonem, atque 12. Apostolorum doctrinam in pectore sacerdotis semper inesse monstrant. Poderis, hoc est,
Ibidem. tunica secretior. In Exodo: *Et fecerunt vestimentum poderis sub vmbone, opus textile, totum hyacinthinum.* Tintinnabula aurea vestimentis inserta sermo prædicationis operibus coniunctis. Mala punica tintinnabulis permixta, vnitas fidei, & concordia charitatis. Lamina aurea in fronte, crucis præfiguratio vel manifesta iudicia. In Ex-
Ibidem. odo: *& fecerunt laminam auream, & fecerunt in ea litteras deformatas sanctitatis signaculo Domini.* Sancta sanctorum my-
Heb. 9. steria quæque Dei, vel regna cœlorum. In Apostolo: *Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei.* Templa nomen generale. Pro locis enim quibuscunque magnis antiqui templa dicebant: & templa dicta, quasi tecta ampla: sed & locus designatus ad orientem à contemplatione templum dicebatur: cuius partes quatuor erant: antica ad ortum, postica ad occasum, sinistra ad septen-
*spectabăt trionem, dextra ad meridiem * expectant. Vnde & quando templum construebant orientem, expectabant æquinoctialem, ita vt lineæ ab ortu ad occidentem missa fierent partes cœli dextra sinistra æquales: vt qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret orientem. Templum mystice vel corpus Domini significat, de quo
Ioan. 2. ipse in Euangelio ait: *Soluite templum hoc, dicit Dominus, & in tribus diebus excitabo illud* vel cœtum sanctorum, quibus
1. Cor. 3. Apostolus ait: *Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Si ergo ille templum Dei per assumptam humanitatem factus est, & nos templum Dei per inhabitantem spiritum eius in nobis efficimur: constat vtique, quia figuram omnium nostrum & ipsius videlicet Domini & membrorum eius, quæ nos sumus, templum illud materiale tenuit: sed ipsius tanquam lapides singulariter electi & preciosi in fundamento fundati: nostri autem tanquam lapi-
Eph. 2. dum viuorum superædificatorum super fundamentum Apostolorum & prophetarum, hoc est, super ipsum Dominum. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino habebat 60. cubitos in longitudine, & 20. cubitos in latitudine, & 30. cubitos in altitudine. Longitudo domus longanimitatem designat Ecclesiæ, qua in exilio peregrinationis huius patienter aduersa quæque tolerat, donec ad patriam, quam exspectat, perueniat. Latitudo insinuat caritatem, quæ nouit dilatato sinu mentis non solum amicos in Deo sed inimicos diligere propter Dominum, donec veniat tempus, quando, siue ad pacem suam conuersis seu funditus omnibus extinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo spem denunciat futuræ retributionis, cuius intuitu libenter infima quæque, siue quæ demulcent, seu quæ aduersantur, contemnit, vsque dum, vtrisque transcensis, sola mereatur videre bona Domini in terra viuentium. Opera, quæ Hiram artifex de Tyro fecerat Salomoni, spiritalem significationem habent. Mare fusile decem cubitorum, a labio vsque ad labium rotundum in circuitu, figuram tenet sacri Baptismatis, quo in remissionem peccatorum emundamur. Duodecim boues, qui illud portabant, duodecim Apostolos significant, & omnes, qui vice eorum regendam in Christo sanctam susceperunt Ecclesiam. Similiter duodecim luteres, in quibus hostiæ lauabantur, significant sacrum Baptisma & sanctificationem Spiritus sancti. Cetera autem vasa, quæ prædictus artifex finxit de ære in argillosa terra, diuersas species significant sanctorum hominum quæ in argillosa terra, hoc est, in scriptura sacra formantur ad ministerium Dei.

CAPIT. XXII.

De Aditibus.

Aditus ab adeundo dictus, per quem ingredimur & admittimur. Vestibulum est vel aditus domus priuatæ, vel spacium adiacens ædibus publicis: & vestibulum dictum eo, quod eo vestiuntur fores, aut quod aditum tecto vestiat aut ab stando. Vestibulum autem aliquando significat fidem, per quam intratur in Ecclesiam: aliquando humilitatem, quia nemo potest ad gradus spiritalium donorum ascendere, nisi per humilitatis virtutem. Vnde scriptum est: *Super quem requiescit Spiritus me-* Esai. 66.
us, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Potest quoque per vestibulum fides intelligi. Ipsa quippe est ante gradus & portam: quia prius ad fidem venimus, & postmodum per spiritualium donorum gradus cœlestis vitæ aditum intramus. Non enim virtutibus venitur ad fidem, sed fide pergitur ad virtutes: per fidem ergo venitur ad opera, sed per opera solidatur in fide. Vestibulum itaque ante gradus est: quia qui prius crediderit, ipse post virtutum gradibus ad portæ aditum ascendit. Gradus spiritales ascensus sunt, vt in psalterij titulo: *Canticum graduum.* Gradus eburnei sunt casta antiquorum patrum exempla. A gradibus eburneis, ex quibus te delectauerunt. His quoque virtutum gradibus recte credens ad portæ aditum ascendit. Porticus quod transitus sit magis, quam vbi standum sit, quasi porta: & porticus eo, quod sit aptus. Porticus aliquando significat aditum domus. Vnde scriptum est in libro Regum:

3.Reg. 6. *Porticus erat ante templum 20. cubitorum iuxta mensuram latitudinis templi*, & cetera. Porticus, quæ erat ante templum, & propior, lucem solis accipere solebat, quod apertius, quam illam eius partem, quæ Dominicæ Incarnationis tēpora præcessit, typice denunciat: in qua sunt patriarchæ & prophetæ, qui orientem huic mundo solem iustitiæ primi suscepetunt, & nascendi in carne Domino testimonium, siue viuendo, siue prædicando, siue nascendo, siue etiam moriendo præbuerunt. Ianua à Iano quodam appellatur, cui gentiles omnem introitum vel exitum sacrauerunt. Vnde Lucanus:

Ferrea belligeri compescat limina Iani.

Est autem primus domus ingressus: cetera intra ianuam hostia vocantur. Generaliter hostium est, per quod aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum. Alij aiunt hostium appellari quia hostem moratur, ibi enim aduersarius nos obijcimus. Hinc & hostia tiberina, quia hostibus sunt opposita. Fores & valuæ claustra sunt: sed fores dicuntur, quæ foras: valuæ quæ intus reuoluuntur, & duplices, complicabilesque sunt. sed generaliter vsus vocabula ista corrupit. Claustra ab eo, quod claudantur, dicta. Ostium significat cogitationem mentis, siue aditum cordis, vt in Euangelio: *Tu autem cum orabis, intra in cubiculum, & clauso ostio super te, ora Patrem tuum.* Introitus ingressus, per fidem in Ecclesia, egressus per dissolutionem carnis ad contemplationem diuinam, vt in Euangelio: *Et ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.* Et in Psalmo: *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in seculum.* Item hostium aliquando apertionē fidei significat, vt est illud in Apostolo: *Hostium enim mihi apertum est magnum & euidens.* Ianua ergo vel ostium templi Domini significat Dominum Saluatorem: quia nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum. & sic ipse alibi dicit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur.* Ostium porticus sermo propheticus, qui quasi recto calle ingredientes ad ostium templi perducebat: quia gratiam Domini Saluatoris, qua mundum erat redempturus, aperte prædicabat. Factura ergo porticus tota fideles illius temporis signat: ostium vero in porticu doctores, qui ceteris lucem vitæ, ianuamque intrandi ad Dominum pandebat, exprimit. Et bene *unum ostium*, propter consonam in omnibus sanctis fidem ac dilectionem veritatis. Quæ videlicet porticus iuxta latitudinem templi 20. cubitis longa erat: quia nimirum antiqui iusti per longanimitatem deuotæ mentis desiderabant venire ad dilationem Ecclesiæ in caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Legitur autem in libro Regum, quod Salomon fecerit in ingressu oraculi duo ostiola: quia boni angeli, & homines sancti Dominum ac proximos perfecte diligunt: neque vllus ianuam vitæ, nisi per geminam hanc dilectionem, poterit intrare. seu quia vtriusque populi fidelibus, & Iudæis scilicet, & Gentibus, eadem vitæ ianua reseratur. Postes habent angulos quinque: quia non solum animas electorum aula cœli recipit, sed corporibus immortali gloria præditis in iudicio suas fores aperit. Cardo est locus, in quo ostium vertitur & semper mouetur, dictus apo to cardian quod, quasi cor hominem totum, ita ille cuneus ianuam regat ac moueat. Vnde prouerbiale est, *in cardine rem esse.* Limina ostiorum dicta eo, quod transuersa sunt, vt limes: & per ea, sicut in agro, aut introeatur aut foras eatur. Postes & antes, quasi post & ante. Antes, quia ante ianuam stant, vel quia antea ad eas ascendimus, priusquam ad domum ingrediamur: postes eo, quod post ostium stent. Cardo potest significare rectæ fidei firmitatem: in hac enim ostia vertuntur, quia extra regulam fidei nullo modo patitur dilectionis ordo se separari. Item legitur in libro Regum: *Et cardines ostiorum templi ex auro erant.* Si ostia domus interioris sancti sanctorum angelica sunt ministeria, quæ nobis de corpore egressis introitum vitæ cœlestis reserant: & ostia templi doctores sunt sancti ac sacerdotes, qui instruendo, baptizando, Dominici corporis & sanguinis mysteria communicando prima nobis Ecclesiæ præsentis limina pandunt quid cardines vtrorumque ostiorum, nisi sensus & corda sunt eorundem angelorum, siue hominum sanctorum, quibus inconcussibiliter contemplationi ac dilectioni sui Conditoris adhærent, vt eo ministerium sibi delegatum recte compleant. Item in malam partem ponitur cardo, vt in Salomone, vbi dicit: *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Piger ergo in lecto sui corporis sicut ostium vertitur in cardine: quia modo exire ad operandum, modo ad requiescendum redire proponit: tamen in suis iacere prauitatibus nunquam desistit. Limina enim ostiorum, humilitas & mansuetudines bonorum sunt morum: quia in ipsis perficiuntur gradus virtutum, ibique patet ingressus regni cœlestis dicente ipso Domino: *Qui se humiliauerit, exaltabitur.* Et alibi: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* & psalmista: *Mansueti*, inquit, *possidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Matt. 6.
Ioan. 10.
Psal. 120.
1. Cor. 16.
Ioan. 14.
Ioan. 10.
3. Reg 6.
3. Reg. 7.
Prou. 26.
Matt. 23.
Matt. 5.
Psal. 36.

CAPIT. XXIII.

De parietibus ædificiorum.

FVndamentum dictum, quod fundus sit domus, idem & cæmentum à cædendo dictum, quod grosso lapide surgat. Fundamentum enim allegorice Christus intelligitur, vel fides eius catholica, super quam fundata est Ecclesia. Vnde scriptum est in Apostolo: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est in Christo Iesu.* Et item: *superædificamini*, inquit, *super fundamentum Apostolorum & prophetarum*, hoc est, doctrinam eorum. Item legitur in Psalmo de ciuitate Dei, hoc est, Ecclesia: *fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, Christus Dominus, qui sic Ecclesiam suam continet, vt nulla possit quassatione titubare. Merito ergo ab ipso sumpsit exordium, quem rerum omnium constat esse principium. Paries nuncupatur, quia semper duo sunt pares, vel à latere, vel a fronte. Siue enim tetragonum, siue exagonum, sic qui se conspiciunt, ex pari erunt. Aliter enim structura facta de formis est. Parietinas dicimus, quasi parietum ruinas: sunt enim parietes stantes sine tecto, & sine habitantibus vel habitatoribus. Angulus dicitur, quod duos parietes in vnum coniungat. Paries corpus Saluatoris significat vt est illud in Psalmo: *Tanquam parieti inclinato & maceriæ impulsæ.* & alibi: *ecce stat post parietem nostrum.* Paries simulatio hypocritarum, & in Ezechiel. *Ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.* Fenestræ auditus fidei vel cordis intellectus, vt in Canticis Canticorum: *Ecce ipse stat post parietem nostrum, respiciens per cancellos.* Fenestræ: visus auditus, odoratus. & ceteri sensus carnis, vt in Ieremia: *Intrauit mors per fenestras vestras.* Fenestra cogitatio cordis, vel ipsa mentis intentio, vt in Sophonia: *Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari bus eius.* Pictura in pariete cogitationes prauæ in corde hominis, vt in Ezechiele: *Et ecce omnia idola domus Israhel depicta erant in pariete.* Parietes enim templi Dei, fideles sunt ex vtroque populo, hoc est, Iudaico & Gentili, ex quibus Christus ædificauit Ecclesiam suam. Vnde legitur in Regum de Salomone: *Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia operuit lignis cedrinis.* Intrinsecus quidem domus cedro erat vestita: nam forinsecus tanto nitore lapis ipse, de quo facta fuerat, fulgebat, ac si calculo esset candido texta. Iuxta sensus vero mysticos, parietes templi sunt fidelium populi, ex quibus sancta vniuersalis consistit Ecclesia: quorum dilatationem per Orbem latitudo designat parietum, spem vero & intentionem omnem ad cœlestia erectam longitudo: vel certe altitudo parietis, quæ ex ordinibus lapidum superinuicem politis constat, præsentis statum Ecclesiæ significat, vbi electi super fundamentum Christi omnes ædificati, sibi inuicem in ordine per temporum curricula succedunt, seseque inuicem portantes, legem Christi, quæ est charitas, adimplent. Angulus, qui duos parietes in vnum coniungit. Angulus autem huc angularis in scripturis intelligitur Christus, eo quod

1. Cor. 3.
Eph. 2.
Psal. 86.
Ps. 61.
Cant. 2.
Ezech. 13.
Ier. 9.
Soph. 2.
Ezech. 8.
3. Reg 6.

duos parietes coniungat in vnum, credentes videlicet ex Ps.117. Iudæis & Gentibus. Vnde scriptum est in Psalmo: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Sub allusione fabricantium exponitur inanis opera Iudæorum. Soli quippe hominum adhuc in mundo vnum colentes ædificare videbantur, dum cæteræ nationes idolorum se cultura destruerent. Ædificantes enim tendunt super vel semper ad angulum; vt commissorum parietum soliditas impleatur. Iudæi vero fidei suæ fabricam minime perfecerunt: quoniam ipsum, qui erat lapis fortissimus angularis, more dementium putauerunt esse contemnendum. Dominus autem Christus per tropologiam, sicut innumeris locis constat expositum, ideo lapis dicitur angularis: quia duos ad se populos à diuerso venientes, Gentilium atq; Iudæorum, tanquam geminos parietes in vnam soliditatis gratiam colligauit. De hoc lapide prophetæ, de hoc Apostoli, de hoc multi diuersa dixerunt. Angulus enim tractus est ex græco sermone, id est, à gony, quod latine dicitur genu eo, quia inflexu speciem anguli conformi qualitate restituit. Nam apud græcos originem sui nominis, in deriuationibus omnino custodit, vt tetragonus, pentagonus, & his similia. Culmina dicta sunt, quia apud antiquos tecta culmo tegebantur, vt nunc rusticani. Hinc tecti summitas culmen dicitur. Cameræ sunt volumina introrsum respicientia, appellatæ à curuo. Camur enim græce curuum est. Laquearia sunt, quæ cameram subtegunt & ornant, quæ & lacunaria dicuntur: principaliter autem lacus dicitur, vt Lucilius: *resultat adesq; lacusque:* cuius diminutio lacunar facit. vt Horatius: *neque aureum mea renitet in domo lacunar.* Inde fit alia diminutio, lacunarium, & per antistachon laquearium facit. Tecta enim siue laquearia, sancti doctores intelligi possunt. Vnde sponsa in Cantico Canticorum ait: *Ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Cant. 1. Domos quippe suas varia per mundũ fideliũ cõuenticula nominat, è quibus omnib. ipsa vniuersalis Ecclesia cõstat. Ligna autem & laquearia diuersos in eisdem domib. Ecclesiæ fidelium ordines designant. Nanque vtraque in alto solent poni: sed ligna ad munitionem fiunt, laquearia vero magis decori domorum quam munitioni proficiunt. Significant ergo ligna prædicatores sanctos, quorum & verbo & exemplo structura eiusdem Ecclesiæ, vt subsistere possit, continetur: quia suæ robore doctrinæ turbines hæreticæ impulsionis, ne eam deiiciant, arcent. Assimulantur laquearia simplicioribus Christi famulis, qui propriis Ecclesiam virtutibus potius exornare, quam doctrinæ verbis diffundere, & contra dogmatum impetus norunt munire. Dependunt autem affixa tignis laquearia: quia necesse est, vt quicunque in sancta Ecclesia sublimes virtutibus splendere desperant, summorum patrum dictis atque exemplis, quibus à terrenorum ambitu suspendantur, tota mente inhæreant. Et bene tigna hæc cedrina & laquearia dicuntur esse cypressina: quia vtranq; hanc arborem imputribilis omnino naturæ, altitudinis eximiæ, & odoris constat esse præcipui. Quod 2.Cor. 2. eis apte conuenit, qui cũ Apostolo dicere possunt: *Christi* Phil.3. *bonus odor sumus Deo.* &: *nostra conuersatio in cœlis est.* Tectum intentionem cœlestis operationis signat, id est, vitam Matth.24 contemplatiuam in Euangel. *& qui in tecto est, non descendit aliquid tollere de domo sua.* Item tectum corpus homi- Matt. 10. nis, vt in Euangel. *Quod in aure auditis, prædicate super tectum.* Tectum velamen legis, & obscuritas sanctarum scripturarum intelligitur. Absida græco sermone latine interpretatur, *lucida:* eo quod lumine accepto per arcum resplendeat. Sed vtrum absidam an absidem dicere debemus, verbi genus ambiguum quidam doctorum existimant. Testudo est camera templi obliqua: nam in modum testudinis veteres templorum tecta faciebant, quæ ideo sic fiebat, vt cœli imaginem redderet: quod constat esse conuexum. Alii testudinem volunt esse locum in parte atrii aduersa venientibus. Arcus dicti, quod sint arta conclusione curuati, ipsi & fornices. Pauimenta origine apud græcos elaborata arte picturæ, lithostrata paruulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores: vocata autem pauimenta eo, quod paueantur, id est, cædantur. Vnde & pauor, quia cædit cor. Ostracus est pauimentum testaceum, eo quod fractis testis calce admixto feriatur. Testam enim græci ostra dicunt: Pauimentum intelligitur humiliatio atq; afflictio animæ, siue in terrena declinatio, vt est illud in Psalmo: *Adhæsit pauimento anima mea.* Ps.118. Pauimentum est soli alicuius in læuitatem maxima constructa soliditas, quæ merito nostro corpori comparatur, quoniam & ipsum simili nitore læuigatur. Adhæsisse se ergo dicit carni suæ: quod vitiosum esse non dubium est. Anima si adhæreat corpori, delictis fauet: si voluntate sit diuisa, virtutibus. Pauimentum humilitas fidelium doctrinam sanctorum patienter suscipientium, vt in Ezechiele: *Et ante gazophylacium pauimentum stratum lapide.* Ezech.40 Item legitur in libro Regum, quod Salomon 3.Reg.6. pauimentum texerit auro intrinsecus & extrinsecus, hoc est, in oraculo & in ipso templo. Texit ergo Salomon pauimentum domus auro intrinsecus & extrinsecus: quia Rex noster pacificus & angelos atque animas iustorum in cœlis perfecte ac plenarie dono dilectionis æternorum à mortalium vilitate secreuit. Compluuium dictum, quia aquæ partibus, quæ circa sunt, eo conueniunt. Tessella sunt, è quibus domicilia sternuntur, a tesseris nominata, id est, quadratis lapillis per diminutionem. Bases fulturæ sunt columnarum, quæ à fundamento consurgunt, & superpositæ fabricæ sustinent pondus. Bases autem nomen petræ est fortissimæ syro sermone. Columnæ pro longitudine & rotunditate vocatæ, in quibus totius fabricæ pondus erigitur. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis, tertia pars latitudinum. Genera rotundarum quatuor sunt: Doricæ, Ionicæ, Tuscanicæ, Corinthiæ, mensura crassitudinis & altitudinis inter se distantes. Quintum genus est earum, quæ vocantur Atticæ, quaternis angulis aut amplius, paribus laterum interuallis. Capitella dicta, quod sint columnarum capita, sicut super collum capitis. Epistylia sunt, quæ super capitella columnarum ponuntur, vt est græcum, id est, supermissa. Bases autem mystice possunt intelligi libri testamentorum diuinorum, quibus innititur omnis doctrina sanctorum prædicatorum. Columnæ enim sunt Apostoli & doctores Euangelii. Hos præfigurauerunt illæ duæ columnæ, quas legitur fecisse Hiram in ædificatione tẽpli Domini, sicut scriptum est in libro Regum & Paralipomenon, vt est illud: *Compleuit Hiram omne opus regis in domo* 2.Par.4. *Dei, hoc est, columnas duas & epistylia & capita & quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia.* Hæ sunt columnæ, de quibus Paulus ait: *Iacobus, Cephas & Iohannes, qui* Gal. 2. *videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ, societatem, vt nos in gentibus, illi autem in circumcisione.* Quibus verbis quasi exponere videtur mysterium columnarum materialium, & quid videlicet figurauerint, & quare duæ sint factæ. Apostolos namq; & doctores sanctos cũctos spiritales significant, fortes nimirum fide, atq; opere & contemplatione ad superna erectos. Duæ sunt autem, vt & gentes & circumcisionem prædicando in Ecclesiam introducant: stabant in porticu ante fores templi, & ingressum illius suo decore ac pulchritudine ex vtraq; parte mirabiliter ornabant. Ostium autem templi Ioan. 14. Dominus est: quia nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum. Ioan. 10. & sicut alibi dicit: *ego sum ostiũ: per me si quis introierit, saluabitur.* Quod videlicet ostium columnæ ab vtroq; latere coram positæ circumstant, cum ministri sermonis vtriq; populo introitum regni cœlestis ostendunt. Capita etenim columnarum, hoc est, suprema pars earum præcordia sunt fidelium doctorum, quorum Deo deuotis cogitationibus sicut capite membra, ita ipsorum omnia & opera diriguntur & verba. Duo autem capitella, quę his capitibus erant superposita, duo sunt testamenta: quorum meditatione atq; obseruantia doctores sancti toto animo subduntur & corpore. Vnde bene vtrumq; capitellum quinque cubitos habebat altitudinis: quia nimirum quinq; libris scriptura Mosaicæ legis comprehensa est. Quinq; etiam seculi ætates tota veteris instrumẽti series complexa est. Nouum vero testamentũ non alia nobis aliqua prædicat, quã quæ Moyses prædicanda per hoc esse prædixerat, & prophetæ. Species namq; catenarũ &

similitudo retis in capitellis, varietas est virtutum spiritalium in sanctis de qua Domino cantatur in Psalmo: [Psal. 44.] *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate* diuersorum charismatum: vel certe multiplex contextio catenarum, & retis expãsio multifarias electorum personas insinuat: qui cum verbis sanctorum prædicatorum fideliter auscultando atq; obediendo adhærẽt, quasi columnarum capitibus superpositæ retes & catenulæ miraculum suæ connexionis cunctis aspectantibus præbent.

Capit. XXIV.

De Repositoriis.

ÆRarium vocatum, quia prius æs signatum ibi recõdebatur. Hoc n. olim in vsu erat, auro argentoque nondum signato. Ex quorum metallis quãuis postea facta fuisset pecunia. nomen tñ ærarij permansit ab eo metallo, vnde pecunia initium sumpsit. Armarium locus est, vbi quarũcunq; artium instrumenta ponuntur: armamẽtarium vero, vbi tm̃ tela armorum. Vnde Iuuenalis: *Quicquid telorum armentaria cæli*: dicta autem vtraq; ab armis, id est, brachiis quib. exercentur. Bibliotheca est locus, vbi reponũtur libri. Biblion n. græce liber, theca repositorium dicitur. Cellarium, ꝙ in eo colligantur ministeria mensarũ, vel quæ necessario victui supersunt. Inter prõptuariũ autem & cellarium hoc interest, quod cellarium est paucorum dierum, prõptuarium vero temporis longi. Promptuarium dictum eo, ꝙ inde necessaria victui promũtur, h. e. proferuntur. Promptuaria aliqñ in malam partẽ accipiuntur, vt est illud: [Psal. 143.] *Promptuaria eorũ plena, eructantia ex hoc in illud.* Promptuaria, quæ cellaria vulgus appellat, hæreticorum corda significant, vbi diuersarũ rerum species epulæq; depositæ sunt. Ista quãtum copiose farcita sunt, tm̃ diuersas eructuationes pessimæ exhalationis emittunt. Quos si autoritate conuincas, ad interpretationũ nequitias transferuntur: cũ inde quoq; fuerint Dn. iuuante superati, ad sophistarũ se versutias calumniasq; conuertunt, vagi, instabiles: quia radicem nequeunt habere veritatis. Vnde asperis odoribus comparata sunt, quæ simplicium corda fœtido sermone decipiunt. Apotheca autẽ vel horrea à græco verbo repositoria vel reconditoria dici possunt, eo quod in his homines elaboratas fruges reponunt. Vnde & enteca græca nomine repositam rei copiosam substantiam appellamus.

Capit. XXV.

De Officinis.

ERgasterium locus est, vbi opus aliquod fit: græco enim sermone erga opera, steri ostacon, id est, operarij: ergastula quoq; & ipsa à græco vocabulo nuncupãtur, vbi deputantur noxij ad aliquid opus faciendum vt solẽt gladiatores & exules, qui marmora secant, & tñ vinculorum custodiis allegati sunt: [* Gynecæũ] * Genetheum græce dictum eo, quod ibi conuentus fœminarum ad opus lanificij exercendum conueniat. mulier n. gyne nuncupatur. Pistrinum, quasi pilistrinũ: quia pilo antea tundebant granum. Vnde & apud veteres non molitores, sed pistores dicti: quasi pinsores a pinsendis granis. Molæ n. vsus nondum erat, sed granum pilo pinsebant. Vnde & Virgilius: *Nunc torrete flammis fruges, nũc frangite saxo.* Clibanum, id est furnum per diriuationem à farre aiunt dictum. quoniam panis ex eo factus ibi coquitur. Clibanus (vt diximus) combustio sempiterna intelligitur, vt in Euangel. [Matt. 6.] *Si enim fœnũ, quod hodie in agro est, & cras in clibanum mittitur.* Vnde clibanus tribulatio vitæ præsentis, vt in Ieremia: [Thren. 5.] *Pellis nostra*, h. e caro *quasi clibanus, exusta est à facie tẽpestatum famis.* Clibanus est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ suburentib. flaminis ardet intrinsecus. In qua similitudine merito peccatores ponũtur, qui in futuro iudicio & mœrore animi & pœnali excruciatione torquẽdi sunt, qui contra regulas Dn. obstinata mente vixerunt. De quib dicitur in psalmo: [Ps. 20.] *Pones eos, vt clibanum ignis, in tẽpore vultus tui.* Vultus vero Dn dies est iudicij, quando filius hominis videbitur ab hominibus sed soli eum iusti etiam diuinitatis suæ contemplatione respiciunt. Torcular dictum eo, quod ibi vuæ calcentur, atq; exortæ exprimãtur. Forus est locus, vbi vua calcatur, dictus, quod ibi feratur vua, vel propter quod ibi pedib. feriatur: vnde & calcatorium dicitur. sed hoc nomen multa significat. Torcular altare ab eo, quod ibi oblationes atq; fructus conferãtur, vt in cantico Esaiæ: *Et torcular fodit in ea.* [Esai. 5.] Item torcular, futura tribulatio, vt in Apocalypsi [Apoc. 19.] *Et ipse calcauit torcular vini iræ furoris Domini.* Itaq; torcular, quod iuxta scripturæ sanctæ consuetudinem interdum pro vltione atq; supplicijs ponitur peccatorum, interdum in cõgregatione nouorum fructuum: pro pœnis ponitur atq; tormentis, qñ Ieremias in lamentationib. plangens euersionem Ierusalem loquitur: [Thren. 1.] *Torcular calcauit Dn virgini filiæ Iuda: ideo ego ploro.* In bonam partem scribuntur psalmi *pro torcularibus*, octauus & octogesimus tertius: legitur enim in titulo octogesimi psalmi ita: *In finem pro torcularib. Asaph. Quinti sabbati* est quinta dies à sabbato, quæ à gentibus dies Iouis, à nobis quinta feria vocatur, in qua dixit Deus: *producant aquæ reptilia animarum viuarum, & volatilia sub firmamento cœli*: mystice significans, diuersæ virtutis viros ex aquis baptismatis esse nascituros. Tituli ergo huius intentio talis est, vt, *in finem*, designet Dn. Christum: *pro torcularibus*, ecclesiam persecutionibus exanimatã: *Asaph*, congregationem: *quinta sabbati*, baptismum. Vnde colligitur psalmum in Ecclesia Dn. de regenerata congregatione esse locuturum. Hoc enim Asaph ad historiam quidem loquitur: sed melius intelligitur spiritualiter à populo Christiano. Lacus infernum significat vt in psalterio [Psal. 87.] *Posuerunt n. e in lacu inferiori.* & alibi. *deduxerunt in lacum mortis vitam meam.*

Capit. XXVI.

De Munitionibus.

MVnitum vel munimentum dictum, quia manu est factum. Cohors vocata, vel quod coarctet cuncta, quæ interius sunt, id est, cõcludat; vel quod coerceat obiectu suo extraneos & adire prohibeat. Vallum est, quod mole terræ erigitur, vt custodia prætendatur. Dictum autem à vallis. Nam valli dicti, quod figantur & vellantur. Interualla sunt spacia inter capita vallorum, id est, stipitum quibus vallum fit: vnde & cætera quoque spacia dicuntur ab stipitibus scilicet. Agger est cuiuslibet rei aceruatio, vnde fossæ aut valles possunt repleri. Agger proprie dicitur terra aggesta, quæ vallo facto propius ponitur. sed abusiue & muros & munimenta omnia aggerẽ dicimus. Vallum enim vel agger in scripturis coangustationem hostium significat, qua hostes coartant eos, quibus nocere volunt. Vnde ad Ierusalem Dn. in Euangelio ait: [Luc. 19.] *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt vndiq; & ad terram prosternent te & filios tuos, qui in te sunt*: quod significat animæ humanæ, quæ visio pacis debuit esse, propter peccata sua angustiam. Qui namque sunt humanæ animæ maiores inimici, quam maligni spiritus, qui hanc corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam, deceptoriis delectationibus fouent, hanc societatem suæ damnationis trahentes coartant, vt in ipsa iam extremitate vitæ deprehensa, à quib. hostibus circumclusa sit, videat, & tamen euadendi aditum inuenire non possit: quia operari iam bona non licet, quæ cum licuit agere contempsit. Maceriæ sunt parietes longi, quibus vineæ aliquæ clauduntur. Longum enim græci macron dicunt. Sepes munimenta satorum sunt, inde & appellatæ. Maceria vel sepes mystice angelorum custodiam significant qua plebs Dei, quæ vinea Domini sabaoth per prophetam appellata est, circumuallabatur atq; muniebatur. Vnde in Esaia scriptum est: [Esai 5.] *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei.* Et post paululum: [Ibid.] *Auferam*, inquit, *sepem eius, & erit in direptionem. Diruã maceriam eius, & erit in conculcationem.* Et in euangelio ipse Dn. texit parabolam dicẽs: [Matt. 21.] *Homo quidam erat patrifamilias, qui plantauit vineam, & sepem circũdedit ei.* Item in psalterio de eadem vinea ita legitur: [Psal. 79.] *destruxisti omnes macerias eius, posuisti munitiones eius in formidinem.* Itaq; maceria est, quæ loca ad aliquam vtilitatem præparata defensionis causa communit. Hæc non commixtione rei alterius ædificatur: sed in parietis mo-

dum saxorum tantum adunatione construitur, ad cuius similitudinem ponit simplicem illam inuictamq; defensionem diuinam, quam necesse fuit amoueri, vt gens Iudæorum potuisset hostium incursione vastari. Pulcherrime autem dictum est: *munitiones eius posuisti in formidinē*: vt culpis facientibus ipsum Dominum formidarent. cuius solebant munitione vallari. Maceria ergo significat *Psal. 61.* crucem Christi, vt quidam volunt, vt est illud Psal. *Tanquam parieti inclinato & maceria impulsa.* Caulas munimenta ouium vel sepimenta ouilium. Est autem nomen græcum, e. detracta. Nam græci aulas vocant animalium receptacula. Allegorice autem sicut oues religiosos homines, qui mansueti sunt & innocenter viuunt, sic & caulæ sanctam ecclesiam significant, vbi oues Christi positæ conseruantur & à bestiis defenduntur.

Capit. XXVII.

De Tentoriis.

TAbernacula tentoria sunt militum, quibus in itinere solis ardores, tempestatemque imbrium, frigorisque iniurias vitant. Dicta autem tabernacula, quod cortinæ distentæ funibus, tabulis interstantibus, appenderentur, quæ tentoria sustinerent. Tentorium vocatum eo quod tendatur funibus atque paxillis vnde & hodie prætendere dicuntur. Mystice tentorium siue tabernaculum aut præsentem ecclesiam significat, sicut illud tabernaculum Mosaicum in deserto in huius præfiguratione conditum est: aut congregationem fidelium ex gentibus, sicut illud *Psal. 83.* est Psalmistæ: *Quam amabilia sunt tabernacula tua Domine*: vel conditionem corporis humani, de quo dicit Apostolus: *2. Cor. 5.* *Quamdiu sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, nolentes expoliari, sed superuestiri.* Item cogitationem mentis significat tabernaculum, vt est illud beati Iob: *Lob 15.* *Ignis deuorat tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*: sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens habitat in cogitatione: sed ignis tabernacula deuorat, dum æstus auaritiæ cogitationes deuastat.

Capit. XXVIII.

De Sepulchris.

SEpulchrum à sepulto dictum. Prius autem quisque in domo sua sepeliebatur: postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viuentium contacta inficerentur. Monumentum ideo nuncupatur, eo quod mentem moneat ad defuncti memoriam Cum enim non videris monumentum, illud est, quod scriptum est: *Excidi, tanquam mortuus, à corde.* Cum autem videris, monet mentem, & ad memoriam te reducit, vt mortuum recorderis. Monumenta itaq; & memoriæ pro mentis ammonitione dictæ. Tumulus dictus, quasi tumens tellus. Sarcofagū græcum est, eo quod ibi corpora consumantur sarco enim græce caro, fagus comedere dicitur. Mausolea sunt sepulcra vel monumenta regum, à Mausoleo rege Ægyptiorum dicta. Nam eo defuncto vxor eius miræ magnitudinis & pulchritudinis exstruxit sepulcrum, intantum, vt vsq. hodie omnia monumenta preciosa ex nomine eius mausolea nuncupentur. Pyramides est genus sepulcrorum quadratum & fastigiatum vltra omnem excelsitudinem, quæ fieri manu possit: vnde & mensuram vnam vmbrarum egressæ, nullam habere vmbram dicuntur. Tali autem ædificio surgunt, vt à lato incipiant, & in angusto finiantur, sicut ignis. Pyr autem dicitur ignis. Has Ægyptus habet: apud maiores enim potentes aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum est, vt super cadauera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur. Mystice sepulcrum aliquando occultam nequitiam siue hæreticorum prædicationem significat. Vn*Psal. 13.* de Psalmista dicit: *Sepulcrum patens guttur eorum.* Sepulcrū enim mortui guttur est mentientis, qui exitiabilem sibi vanitatem in faucibus reuoluit, quæ malum mortis infligit. Bene autem addidit, *patens*: quod si clausum esset, minus fœteret. Aliquando fœtidam conuersationem peccatoris & auari hominis significat. Vnde idem Psalmista ait, *Psal. 48.* *Sepulcra eorum domus eorum in æternum*: quia in incepta auaritia & luxuria eligunt perseuerare. Item sepulcrum significat hypocritas, qui foris simulatam iustitiam ostendunt, & intus pleni sunt malitia & dolore, de quibus Dominus in euangelio dicit, quod similes essent sepulcris *Matth. 23.* dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus sunt plena ossibus mortuorum. Aliquando tamen sepulcrum in bonam partem accipitur vt est illa sententia Eliphas ad beatū Iob: *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Quid *Iob 5.* sepulcri nomine, nisi contemplatiua vita, signatur? quæ nos quasi ab hoc mūdo mortuos sepeliuit, dum à terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit. Ait ergo: *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Vir quippe perfectus sepulcrum in abundantia ingreditur: quia prius actiuæ vitæ opera congregat & postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum huic mundo funditus occultat. Item sepulcrum memoria mortis & resurrectionis Domini intelligitur, vt in Esaia: *Et erit sepulcrum gloriosum.* *Esa. 11.* Sepulcrum corpus peccatis subditum, siue simulatores quique, vt in Euangelio: *Væ vobis Pharisæi scribæ, qui similes estis sepulcris dealbatis.* *Matt. 23.* Fossa damnatio peccatorum, vt in Psalmo: *Vt mitiges eum à diebus malis, donec fodiatur.* *Psal. 93.* Fossa damnatio diaboli vel antichristi, vt in Propheta: *Et in la*gabunt *Assur* id est, Antichristum, *in fossa Nebroth.* *Zach. 10.* Fouea dolus vel laqueus in mortem, vt in Psalmo: *Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* *Psal. 7.* Fouea hæretica deceptio, vt in Salomone: *Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena vxor.* *Prou. 23.*

Capit. XXIX.

De ædificiis rusticis.

CAsa agreste habitaculum, palis atque virgultis arundinibusq contextum quibus possint homines tueri à vi frigoris, vel caloris iniuria. Tugurium casula est quam faciunt sibi custodes vinearum ad tegimen sui quasi tegurium: siue propter ardorem solis, & radios declinandos: siue vt inde vel homines vel bestiolas, quæ insidiari solent natis frugibus, abigant. Hanc rustici capanam vocant quod vnum tantum capiat. Casa siue tugurium possunt egestatem præsentis vitæ significare. Vnde legitur patres nostros in terra peregrinationis suæ in casulis *Heb. 11.* habitare Et per tugurium vile habitaculum in Esaia, & cito deciduum in hoc mundo exprimitur, vt est illud *Erit Sion sicut vmbraculum in vinea, & sicut tuguriū in cucumerario.* *Esa. 1*

Capit. XXX.

De Agris.

AGer latine appellatur, eo quod in eo aliquid agatur. Alij agrum ex græco nominari manifestius credunt: vnde & villa græce coragros dicitur. Villa à vallo, id est, aggere terræ nuncupata, quod pro limite constitui solet. Possessiones sunt agri late patentes, publici priuatique, quos in initio non mancipatione, sed quisque, vt potuit, occupauit atque possedit: vnde & nuncupati. Fundus dictus quod & fundatur vel stabiliatur patrimonium Fundus autem vrbanum ædificium & rusticū intelligendum est Prædiū, quod ex omnibus patrifamilias maxime præuidetur, i. e. apparet quasi præuidium: vel quod antiqui agros quos bello ceperant, vt prædæ nomine, habebant. Omnis autem ager (vt Varro docet) quadrifarie diuiditur aut aruus est ager, id est, sationalis: aut consitus id est, aptus arboribus. aut pascualis, qui herbis tantum & animalibus vacat: aut sunt horti apibus congruentes & floribus. Quod etiam Virgilius in quatuor libris Georgicorum secutus est. Agri autem nomine humanū genus, habitans in hoc mundo, exprimitur. Vnde legitur in parabola euangelica: *Ager est mundus*, in quo seminatur sanctū *Matt. 13.* verbum Dei: sed iuxta differentiam terræ fructificauit: quia bona terra fructum centuplum bonorum operum profert. mala autem profert spinas & tribulos vitiorum, quæ etiam est maledictioni proxima. Item ager est ecclesia, vt in Genesi: *Ecce*, ait Isaac, *odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.* *Gen. 27.* Et in Euangelio: *Emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* *Matt. 27.* Item ager est populus Iudæorum. De quo agro Salomon ad Abiathan sacerdotem ait. *Vade in agrum tuum in Anathot.* *2. Reg. 2.* Item ager significat disciplinam religionis christianæ, vt est illud

Matt.13. in Euangelio: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit & præ gaudio illius vadit & vendit omnia, quæ habet & emit agrum illum, &c.* Thesaurus iste cæleste desiderium significat. Ager vero, in quo thesaurus absconditur, disciplinam studij cœlestis homo, qui hunc thesaurum inuenit, humiles & religiosos significat. Quia valde gaudent, dum bonum percipiunt desiderium: tunc profecto venditis, id est, contemptis voluptatibus carnis, cuncti que terrenis delectationibus, omnia mundi per disciplinæ cœlestis custodiam calcant: nil iam quod caro blanditur, libet: nil, quod carnis vitam trucidat, spiritus horrescit. Siue aliter: thesaurus iste Christus intelligitur: ager autem sancta scriptura, in qua reposita est notitia Saluatoris nostri: quia quisquis eum, eius gratia reuelante, cognouerit, oportet illum omnia delectamenta seculi contemnere, & ad eius notitiam iugi exercitatione bonorum operum festinare. Inuentus thesaurus absconditur enim, vt seruetur: quia studium bonæ voluntatis in opere Dei nemo custodire sufficit, qui ab humanis laudibus non abscondit. Rura veteres incultos agros dicebant, id est, siluas & pascua: agrum vero qui colebatur. Nam rus est, quo mel, quo lac, quo pecus haberi potest. Vnde & rusticus nominatur. Nam hæc rusticorum prima & otiosa felicitas. Seges ager est, in quo seritur. Vnde & Virgilius:

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ.

Compascuus ager dictus, qui à diuisoribus agrorum relictus est ad pascendum communiter vicinis. Aluuius ager dictus est, quod paulatim fluuius in agrum mittitur. Arcifinius ager dictus est, quia certis linearum mensuris non continetur: sed arcentur fines eius obiectu fluminum, montium, arborum. Vnde & in his agris nil subsitum interuenit. Noualis ager est primum proscissus, siue qui alternis annis vacat nouandarum sibi virium causa. Noualia enim semel cum fructu erunt & semel vacua. Noualia possunt significare labores fructuosos nouiter
Ose.10. inceptos. Vnde est illud propheticum: *innouate vobis noualia*: ac si diceret: exercete vosmetipsos in studiis vtilibus, ne segnicies vos steriles reddat. Hinc & alibi scriptū
Prou.13. est: *Multi cibi in noualibus patrum*, hoc est, abundantes deliciæ virtutum sunt in doctrinis & exemplis sanctorū doctorum. Area dicitur tabulatum æqualitas. Dicta autem area a planicie atque æqualitate, vnde & ara. Alij aream vocatam dicunt, quod pro triturandis frugibus æra dantur quasi ærea: vel quod non triturentur in ea, nisi arida. Area mystice ecclesiam significat. Vnde Iohannes Bapti-
Matth.3. sta legitur dixisse in Euangelio de Christo: *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam.* Per ventilabrum, id est, palam discretio iusti examinis: per aream vero præsens ecclesia designatur in qua procul dubio quod
Matt.22. lugubre satis est. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: pauca grana, supernis recipienda mansionibus, in comparatione multorum, quæ flammis sunt mancipanda perpetuis. Cuius areæ purgatio & nunc viritim geritur, cum quisq; pe uersus vel ob manifesta peccata de ecclesia reiicitur, vel ob occulta post mortē diuina districtione damnatur:
Matth.13. & vniuersaliter in fine perficietur, quando *mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala.* Ven-
Ioan.5. tilabrum itaque Dominus in manu, id est, iudicij discrimen habet in potestate: quia *Pater non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit Filio.*

Capit. XXXI.
De Mensuris agrorum.

Mensuras viarum has miliaria dicimus: Græci stadia: Galli leugas: Ægyptij signes: Persæ parasangas. Sunt autem proprio quæque spatio: miliarium mille passibus terminatur. Et dictum miliarium, quasi milladium habens pedes quinque millia. Leuga finitur passibus mille quingentis. Stadium, octaua pars miliarij est, constans passibus centumuigintiquinque. Hoc primum Herculem statuisse dicunt, eumque eo spatio terminasse, quod ipse sub vno spiritu confecisset, ac proinde stadium appellasset, quo in finem respirasset simulque & stetisset.

Capit. XXXII.
De Itineribus.

Via est, qua potest ire vehiculum: & via dicta à vehiculorum incursu. Nam duos actus capit propter euntium & venientium vehiculorum incursum. Omnis autem via aut publica, aut priuata. Publica est, quæ in solo publico est, quæ inter actus populo patet. Hæc aut ad mare aut ad oppida pertinet. Priuata est, quæ vicino municipio data est. Via enim multiplicem significationem habet: in bonam partem aliquando accipitur: aliquando vero in contrariam. Via enim ipsum Dominum Christum significat, qui ait in Euangelio: *Ego sum Via, Veritas & Vita*: & per ipsum ad æternam vitam pergimus: & ipso Ioan.14.
tribuente veram beatitudinem accipiemus. Aliquando vero viæ nomine præcepta diuina, & regulæ sanctarum scripturarum designantur, vnde Psalmista ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et item: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me.* Aliquando vita hominis in eo Psal.118. Psal.24.
significatur. Vnde Propheta ait: *Vias meas enunciaui, & exaudisti me.* In contrariam vero partem viæ significatio trahitur, quando propter viam mentis iniquæ ad actionem Psal.118.
malorum operum demonstratur, vt est illud Propheticum: *Viam*, inquit, *iniquitatis amoue à me.* Et in libro Sapientiæ scriptum legimus. *Sunt viæ, quæ putantur ab hominibus rectæ, quarum vltima ducit ad infernum.* Vnde dicitur: *Via spaciosa* hoc est, vitiorum illecebris dilatata, vt est illud in Ibid. Sap.13.
Euangelio: *Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Arta autem via est districta vel tribulationibus pressa, de qua scriptum dicitur: *Quam angusta porta & arta via, quæ ducit ad vitam!* Directa autem via est illa, quæ præceptis Dei est ornata, vt in Esaia: *Rectas facite*, inquit, *semitas Dei.* Praua autem à Dei præceptis deuia, vt in eodem Prophe- Matth.7. Ibid. Esa.40.
ta: *Erunt autem praua in directa, aspera in vias planas.* Plana enim illa est via, quæ obedientia præceptorum Dei est exæquata. Nam alibi legitur: *Vias, quæ à dextris, nouit Dominus: quæ à sinistris, sunt peruersæ.* Strata dicta, quasi vulgi pedibus trita. Lucretius: *Strata, quæ tam vulgi pedibus detrita viarum.* ipsa est & dilapidata, id est lapidibus strata. Primi autem Pœni dicuntur lapidibus vias strauisse, postea Romani eas per omnem pene orbem disposuerunt propter rectitudinem itinerum, ne plebs esset otiosa. Agger est media stratæ eminentia coaggeratis lapidibus strata, ab aggere, id est, a coaceruatione dicta, quam historici viam militarem dicunt: vt qualis sæpe viæ deprehensus in aggere serpens. Item iter est via, qua iri ab homine quaquauersum potest. Iter autem & itiner diuersam significationem habent. Iter enim est locus transitu facilis, vnde & appellamus aditum. Itiner autem itus est longæ viæ, & ipse labor ambulandi, vt, quo velis peruenias. Semita itineris dimidium, à semi itu dictum. Semita autem hominum est. Calles ferarum & pecudum. Callis est iter pecudum inter montes angustum & tritum, à callo pedum vocatum, siue callo pecudum perduratum. Tramites sunt transuersa in agris itinera siue recta via: dicta, quod transmittant. Diuortia sunt flexus viarum, hoc est, viæ in diuersa tendentes. Nunc diuerticula sunt hoc est diuersę ac diuisæ vię siue semitæ transuersæ, quæ sunt alteræ viæ. Biuium, quia duplex est via. Competa, quia plures in ea competunt viæ, quasi triuiæ, quadriuiæ. Hoc quoque obseruandum est in locis singulis, vbi ista nomina viarum sunt denotata, vt à præcedentibus vel consequentibus eiusdem scripturæ locis earum significatio intelligatur. Quia sic congruus sensus facile in eis dinoscitur, vtrum ad bonam vel malam partem pertineant. Ibid. Prou.4.

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI DECIMIQVINTI.

Capit. I.
De Philosophis.

PHILOSOPHI græca appellatione vocantur, qui latine amatores sapientiæ interpretantur. Est enim Philosophus, qui diuinarum & humanarum rerum scientiam habet. omnem bene viuendi tramitem tenet. Nomen philosophorum primum à Pythagora fertur exortum. Nam dum antea græci veteres Sophistas. id est, sapientes, aut doctores sapientiæ semetipsos iactantius nominarent. iste interrogatus, quid profiteretur, verecundo nomine philosophum, i. e. amatorem sapientiæ se esse respondit: quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Ita deinceps posteris placuit, vt quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisq; vel sibi vel aliis videretur excellere non nisi philosophus vocaretur. Iidem autem philosophi triplici genere diuiduntur. Nam aut physici sunt, aut ethici, aut logici. Physici dicti, quia de naturis tractant: natura quippe græce physis vocatur. Ethici, quia de moribus tractant. Mores enim apud Græcos ethos appellantur. Logici autem, quia in naturis & in moribus rationem adiungunt: ratio enim græce logos dicitur. Diuiditur autem Physica in septem partes. hoc est, Arithmeticam, Astronomiam, Astrologiam, Mechaniam. Medicinam. Geometriam & Musicam. Arithmetica est numerorum scientia. Astronomia est lex astrorum, qua oriuntur & occidunt astra. Astrologia est astrorum ratio & natura & potestas, cælique conuersatio. Mechania est peritia fabricæ artis in metallis & in lignis & lapidibus. Medicina est scientia curationum, ad temperamentum & salutem corporis inuenta. Geometria est disciplina mensurandi spacia locorum, & magnitudines corporum. Musica est diuisio sonorum, & vocum varietas, est modulatio canendi. Ethica autem diuiditur in quatuor partes, hoc est, in prudentiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiam. Prudentia in agnitionem veritatis inducit hominem. Iustitia dilectionem Dei & proximi seruat. Fortitudo vincit aduersa, mortemq; contemnit. Temperantia vitiosas voluptates reprimit, & omnia moderatur. Logica autem diuiditur in duas species, hoc est Dialecticam & Rhetoricam. Dialectica est disputatio acuta, verum distinguens à falso. Rhetorica est disciplina ad persuadendum quæque idonea. Diuisi sunt autem ipsi philosophi in hæresibus suis, habentes quidam nomina ex autoribus: vt Platonici, Epicurei, Pythagorici: alij à locis conuenticulorum & stationum suarum, vt Peripatetici, Stoici, Academici. Platonici à Platone. Hi animarum creatorem esse Deum, corporum angelos asserunt: per multos annorum circulos in diuersa corpora redire animas dicunt. Stoici à loco dicti. Porticus enim fuit Athenis, quam græce Stoan appellabant, in qua picta erant gesta sapientium, atque virorum fortium historiæ. In hunc porticum conuenientes sapientes philosophabantur, ex quo & stoici dicti sunt: græce enim porticus stoa dicitur. Hanc sectam primo Zeno instituit. Hi negant sine virtute effici quemquam beatum. Omne peccatum vniforme esse asserunt, dicentes: sic ille nocens erit, qui paleas furauerit quam qui aurum: qui mergũ occiderit, quam qui equum. Non enim animal crimen, sed animus facit. Hi etiam animam cum corpore perire dicunt, animam quoq; virtutem cõtinentem & æternam esse negant: affectãt gloriam æternam, cum fateantur se non esse æternos. Academici à villa Platonis appellati academia Athenarum, vbi idem Plato docebat. Hi omnia incerta opinantur: sed sicut fatendum est, multa & occulta esse, quæ voluit Deus intelligentiam hominum excedere: sic tamen plurima esse, quæ possint & sensibus penetrabili ratione comprehendi. Hanc sectam Archesilaus, Cyrenaicus philosophus reperit, cuius sectator fuit Democritus, qui dixit, tanquam in puteo alto, ita vt fundus nullus sit, ita in occulto iacere veritatem. Peripatetici à deambulatione dicti, eo quod Aristoteles, auctor eorum deambulans disputaret. Hi dicunt quandam particulam animæ esse æternam, de reliquo magna ex parte mortalem esse. Cynici ab immunditia impudentiæ nuncupati: contra humanam enim verecundiam in propatulo coire cum cõiugibus, eis mos erat: censentes, licitum & honestum esse, palam cum vxore concumbere: quia coniugium iustum est, publice id prædicantes agendum esse, vt canes in vicis vel plateis. Vnde & à canibus. quorum vitam imitabantur, etiam vocabulum nomenq; traxerunt: Epicurei dicti ab Epicuro quodam philosopho, amatore vanitatis, nõ sapientiæ, quem etiam philosophi porcum nominauerunt: quasi voluntans in cæno, carnalem voluptatem corporis summum bonum asserens. Qui etiam dixit, nulla diuina prouidentia instructum esse aut regi mundum: sed originẽ rerum atomis, id est insecabilibus ac solidis corporibus assignauit, quorum fortuitis concursionibus vniuersa nascantur & nata sunt. Asserunt autem, Deum nihil agere, omnia constare corporibus, animam nihil aliud esse quam corpus. Vnde & dixit: *Non ero, postea quam mortuus fuero.* Gymnosophistæ nudi per opacas Indiæ solitudines perhibentur philosophari, adhibentes tantum genitalibus tegmina. Gymno enim ex eo dictum est, quod iuuenes nudi exercentur in campo, vbi pudenda tantum operiunt. Hi & à generando se cohibent. Theologi autem iidem sunt, qui & physici: dicti autem Theologi, quoniam in scripturis suis de Deo dixerunt. Quorum varia constat opinio. quod Deus esset dum quærerent Quidam corporeo sensu hunc mundum visibilem ex quatuor elementis Deum esse dixerunt, vt Dionysius stoicus: alij vero spiritaliter intellexerunt mentem esse Deum, vt Thales Milesius. Quidam autem animum in omnibus commanentẽ & lucidum vt Pythagoras: quidã Deum sine tempore incommutabilem, vt Plato: quidam mentem solutam, vt Cicero: quidam & spiritum & mentem, vt Maro. Inuentum enim solummodo Deum. vt non inuenerunt, exposuerunt: *euanuerunt in cogitationibus suis: Dicentes sese sapientes, & stulti facti sunt.* Rom. 1. Platonici quidem curatorem & arbitrum & iudicem asserunt: Epicurei ociosum & inexercitatum. Mundum autem Platonici affirmant incorporalem: stoici corporalem. Epicurus atomis, Pythagoras ex numeris Heraclitus ex igne. Vnde & Varro ignem mundi animum dicit: proinde quod in mundo omnia gubernet sicut animus in nobis, quam vanissime qui cum est in nobis inquit, ipsi sumus. cum exit emorimur. Ergo & ignis cum de mundo proficiscitur per fulgura emoritur. Hi philosophorum errores etiam apud ecclesiam induxerunt hæreses. Inde eones & formæ: nescio quæ inde apud Ariũ Trinitas Numinis. & apud Valentinũ Platonicus furor: inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: ab stoicis enim venerat. Et vt anima interire dicatur Epicurus obseruat, & vt carnis restitutio negetur, de vana omniũ philosophorũ schola sumitur: & vbi materia cum Deo æquatur Zenonis disciplina est. Et vbi quid de igneo Deo legitur. Heraclitus interuenit. Eadem materia apud hæreticos & philosophos voluitur, i. e. retractatis implicatur: sed * scriptis erroribus gentiliũ atq; hæreticorũ, q̃ sit vera philosophia secundũ catholicorum patrũ sensum dicendũ nobis est. Philosophia ergo est naturę inquisitio, rerum humanarũ diuinarumq; cognitio, quantũ homini possibile est rimari. Est quoq; philosophia honestas vitæ studiũ bene viuendi, meditatio mortis, contemptus seculi quod magis conuenit christianis, qui, seculi ambitione calcata, disciplinabili similitudine futuræ patriæ viuunt. Materia ergo philosophiæ cõstat ex scientia & opinione. Scientia est, cum res aliqua certa ratione percipitur: vt eclipsis solis, lunaris corporis obiectus est: vel in scriptu ris historiæ textus, qui rerum gestarum exprimit veritatem, siue moralis vitæ fidelis institutio. Opinatio est,

* spretis.

est, cum incerta res latet, & nulla firma ratione diffiniri potest, vt magnitudo cœli, vel profunditas terræ, siue etiam inuisibilium rerum & incomprehensibilium dispu tatio. Diuiditur ergo philosophia in tres partes, hoc est, in Physicam, Ethicam & Logicam: sicut superius ostendimus. In Physica igitur causa quærendi, in Ethica ordo viuendi, in Logica ratio intelligendi versatur. In quibus videlicet generibus tribus Philosophiæ diuina eloquia consistunt. Nam aut de natura disputare solent, vt in Genesi & in Ecclesiaste: aut de moribus, vt in Prouerbiis & in omnibus sparsim libris: aut de Logica, pro qua nostri Thelogiam sibi vendicant, vt in Cantico Canticorum, & sancto Euangelio. Theologica quoq; est, quæ inspectiua dicitur, qua supergressi visibilia, de diuinis & cœlestibus aliquid mente solum contemplamur. Nam quoq; in has duas partes Philosophia vera diuiditur, i. e. inspectiuã & actualem. Actualis est, quæ in operationibus huius vitæ mortali necessitatis consistit. Per hanc legitur mos viuendi, honestus appetitus, & instituta ad virtutes tendentia exercentur: per illam vero Deus amatur, spe & fide colitur. Vnde necesse est, vt quicunq; sapiens esse desiderat, & ad agnitionem veræ sapientiæ, atque ad contemplationem ipsius veritatis peruenire voluerit, sacras scripturas secũdum regulam catholicæ fidei intente legat, & secundum earum instituta in sacris virtutibus bene viuendo semetipsum exercere studeat, mundumq; cor ab omni malo desiderio & mundi cupiditate habere certet: sicque ad desideratum bonum, Deo opitulante, peruenire valebit:
Psal. 118. hoc enim Psalmista nobis ostendit, dicens: *Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Dei. Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Hinc & ipsa Veritas ait:
Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Itaq; primo sciendũ est, quod quædam res tam claræ & nobiles sunt, vt non propter aliud emolumentum expetendæ sint, sed propter suam solummodo dignitatem amandæ sunt & exequendæ: virtus videlicet scientia veritatis, amor boni. Has quidem res veri philosophi intellexerunt in natura humana, & summo studio coluere. Igitur virtus est animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum nobilitas: quæ habet partes quatuor, i. e. prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Nam prudentia est rerum & naturarum scientia. Hæc partes tres habet, hoc est, memoriam, intelligentiam, prouidentiam. Memoria, per quam animus repetit, quæ fuerũt: intelligentia, per quam ea perspicit, quæ sunt: prouidentia, per quam futurum aliquid prouidetur, antequam fiat. Iustitiæ quidem diffinitio talis est: Iustitia est habitus animi, vnicuiq; rei propriam tribuens dignitatem. In hac diuinitatis cultus, in hac humanitatis iura, & æquitas totius vitæ conseruatur. Hæc partim ex naturæ iure, partim ex consuetudinis vsu constat: quia partes illius quoddam naturæ ius inseruit, vt religionem pietatem gratiam, vindicationem, obseruationem, veritatem: quarum diffinitio talis esse poterit. Religio est, quæ superioris cuiusdam rei, quam diuinam vocant, curam ceremoniamque affert. Pietas, per quam sanguine coniunctis, patriæq; beniuolis officium & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio, per quam ius aut iniuria & omnino omne, quod offuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur. Obseruantia per quam homines, aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignantur. Veritas, per quam ea quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Ex consuetudinis ergo vsu iustitia obseruatur: ita vt ex pacto pari iudicatoque & ex lege consideretur. Pactum quoq; est, quod inter alios aliquos conuenit pariter, non omnes. Æquabile iudicatum est, quod alicuius magni viri aut aliquorum sententiis constitutum est. Lex est omni populo scriptum ius, quid cauere vel quid obseruare debeat. Tertia vero species virtutis est fortitudo, quæ ita diffinitur: Fortitudo est magno animo periculorum & laborum perpessio: cuius partes sunt magnificentia, fidentia, patientia, perseuerantia. Magnificentia est rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio atque administratio. Fidentia est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocauit. Patientia est honestatis aut vtilitatis causa, rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Perseuerantia est in ratione bene considerata stabilis ac perpetua permansio. Vltima vero species virtutis est temperantia, cuius diffinitio talis est. Temperantia est rationabilis in libidine atque in aliis non rectis impetus animi firma & moderata dominatio: eiusque partes sunt, continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam omnis mala cupiditas magna consilij gubernatione regitur & gubernatur. Clementia est, per quam iniuria & odia miti animo retinentur. Modestia est, per quam totius vitæ modus seu animi sui in corporis motibus vbique honesti cura seruatur. Vnde honor est eximius coram hominibus hæc seruanti, & laus apud Deum. Sed dolendum est, cum illi philosophi has virtutes ob illarum tantum virtutum dignitatem ad laudem vitæ seruauerunt, quod nos Christiani ab his in multis deuio errore declinamus: quando hæc nunc in fide & caritate obseruantibus æternæ gloriæ ab ipsa Veritate, Christo Iesu, præmia pollicentur. Sunt ergo hæ excellentes virtutes in nostra, hoc est, christiana religione intelligendæ atque obseruandæ: vt sapientia sit, qua Deus secundum modulum humanæ mentis intelligatur & timeatur & futurum eius credatur iudicium. Iustitia, vt caritas Dei, eiusque mandatorum obseruatio firmiter teneatur. Fortitudo, qua hostis antiquus vincatur, & aduersa mundi tolerentur. Temperantia, quæ libidinem refrenet, auaritiam reprimat, omnes animi impetus sedet ac temperet. illeq; finis in omnibus his virtutibus attendatur, vt diligatur Deus & proximus. Quid enim facilius est amare species pulcras, dulces sapores, sonos suaues, odores fragrantes, tactus iocundos, honores & felicitates seculi, quæ, velut volatilis vmbra, recedũt, ante Deum amare, qui est æterna pulcritudo, æterna dulcedo, æterna suauitas, æterna fragrantia, æterna iocunditas, perpetuus honor, indeficiens felicitas, maxime cum diuinæ nil aliud nobiscum agant, nisi, vt diligamus Deum & Dominum nostrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & proximum nostrum, tanquam nosmetipsos. Nam promissum habemus ab illo, qui fallere ignorat: *iugum,* *Matth.* 11.
inquit, *meum suaue est, & onus meum leue.* Laboriosior est enim huius mundi amor, quam Christi. Quod enim in illo anima quærit, non inuenit, id est, felicitatem & æternitatem: quoniam hæc infima pulcritudo transit & recedit, vel amantem deserit, vel ab amante deseritur. Teneat ergo anima ordinem suum, vt diligat, quod superius est, id est, Deum: & regat, quod inferius est, id est, corpus: & socias animas dilectione nutriat & foueat: sicque sacrificiis purgata, atque exonerata anima ab hac laboriosa vita & ærumnosa reuolet ad requiem, & intret in gaudium Domini sui. In scripturis ergo sacris sapientiæ nomine aliquando Christus notatur, vt in Apostolo: *Christum,* in- 1. *Cor.* 1.
quit, *duco Dei virtutem, & Dei sapientiam:* aliquando doctrina cœlestis, vt in Apostolo: *sapientiam,* inquit, *loquimur in-* 1. *Cor.* 2.
ter perfectos, quoniam nemo principum huius seculi cognouit. Item sapientia aliquando huius mundi philosophia nuncupatur. Vnde Salomon ait: *Sapientia hominum non est mecum.* *Prou.* 30.
Et in Apostolo: *stultam,* inquit, *fecit Deus sapientiam huius* 1. *Cor.* 1.
mundi. Sapiens vero Deus in Iob dicitur, vt est illud: *Deus* *Iob* 9.
sapiens corde, & fortis est robore. Item sapientes sancti vocitantur in Osee, vbi scriptum est: *Quis sapiens, & intelliget &* *Ose.* 14.
sciet hæc: quia recta via Domini, & iusti ambulant in eis. Rursum sapientes dicuntur philosophi, Iudæi siue hæretici, de quibus Apostolus ait: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti* *Rom.* 1.
facti sunt. Stulti ergo secundum seculum sunt sancti. Vnde Apostolus ait: *Stulta mundi & infirma elegit Deus, vt confun-* 1. *Cor.* 1.
dat fortia. Rursum sapientes huius mundi stulti sunt apud Deum. Vnde in Psalmo scriptum est: *Simul insipiens* *Psal.* 48.
& stultus peribunt.

* *
*

Capit. II.

De Poetis.

POetæ vnde sint dicti, sicut ait Tranquillus. Cum primum homines iuxta initium christianitatis, exuta feritate, rationem vitæ habere cepissent, seq; ac Deos suos nosse cultum ædilicium ac sermonem comenti, sibi vtri usque necessarium ad religionem magnificentiam Deorum excogitauerunt. Igitur vt templa illis, domibus pulcriora, & simulacra corporibus ampliora faciebant ita eloquio etiam quasi augustiori honorandos putauere: laudesq; eorum & verbis illustrioribus & iocundioribus numeris extulerunt. id autem quia forma quadam efficitur, quæ poesis dicitur poema vocitatum est eiusq; factores poetæ. Vates a vi mentis appellatos, Varro autor est. vel à viendis carminibus, id est, flectendis, hoc est, modulandis: & proinde poetæ, latine vates, olim scripta eorum vaticinia dicebantur. Lirici poetæ apo to lirin, id est, à varietate carminum: vnde & lira dicta. Tragœdi dicti, quod initio canentibus præmium erat hircus, quem græci tragos vocant. Vnde & Horatius:

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Iam dehinc sequentes tragici multum honorem adepti sunt, & excellentes in argumentis fabularum ad varietatis imaginem fictis. Comœdi appellati, siue à loco, quia circum pagos agebant, quos græci comas vocant: seu á comessatione. Solebant enim post cibum homines venire ad eos audiendos. Sed comici priuatorum hominum prædicant acta: tragici vero respublicas & regum historias. Quidam autē poetæ theologici dicti sunt: quoniam de diis carmina faciebant. Officium poetæ in eo est, vt ea, quæ vere gesta sunt, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa transducant. Vnde & Lucanus ideo in numero poetarum non ponitur: quia historias composuisse videtur, non poema. Poematis genera sunt tria. Aut enim actuum vel imitationū est, quod græci dramaticon vocant vel * micticon appellant. * Aut enarratiuum. quod græci exegematicon vel panegyricon nuncupant. Aut commune vel mixtum, quod græce cœnon vel micton appellant. Dramaticon est actiuum, in quo personæ loquentes introducuntur sine poetæ interlocutione, vt se habent tragœdiæ & fabulæ. Drama enim latine fabula dicitur, quo genere scripta est:

*mimiticon.

Quo te Mœri pedes, an qua via ducit in vrbem?

Quo apud nos genere Canticorum Cantica scripta sunt, vbi vox alternans Christi & ecclesiæ (tametsi non in hoc interloquente scriptore) manifeste reperitur. Exegematicon est vel enarratiuum, in quo poeta ipse loquitur sine vllius interpositione personæ, vt se habent tres libri Georgici toti & prima pars quarti. Item Lucretij carmina, & his similia: quo genere apud nos scriptæ sunt parabolæ, & Ecclesiastes: quæ sua lingua, sicut & Psalterium, metro constat esse conscripta. Cœnon vel micton est, in quo poeta ipse loquitur, & personæ loquentes introducuntur, vt sunt scripta Ilias & Odyssea Homeri & Æneidos Virgilij, & apud nos historia beati Iob: quamuis hæc in sua lingua non tota poetica, sed partim sit metrico vel rythmico scripta sermone.

Capit. III.

De Sibyllis.

SIbyllæ generaliter dicuntur omnes fœminæ vates lingua græca: nam sios æolico sermone Deus. Belen græce mentem nuncupant, quasi Dei mentem. Proinde igitur, quia diuinam voluntatē hominibus interpretari solebant, Sibyllæ nominatæ sunt. Sicut enim omnis vir Prophetans vel vates dicitur vel propheta: ita omnis femina prophetans Sibylla vocatur: quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est. Decem autem Sibyllæ à doctissimis autoribus fuisse tradūtur, quarum prima de Persis fuit. secunda Libyca, tertia Delphica, in templo Delphici Apollinis genita quæ ante Troiana bella vaticinata est, cuius plurimos versus operi suo Homer⁹ inseruit Quarta, Cimmeria in Italia. Quinta Erythræa nomine Erophila in Babylone orta, quæ græcis Ilium petentibus vaticinata est perituram esse Troiam, & Homerū mendacia scripturum. Dicta autem Erythræa, quia in eadem insula eius inuenta sunt carmina. Sexta, Samia, quæ Phemone dicta est, a Samo Insula vnde fuit, cognominata. Septima, Cumana, nomine Amalthea, quæ nouē libros attulit Tarquinio Prisco, in quibus erant decreta Romana conscripta: ipsa est Cumæa. De qua Virgilius:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Dicta autem Cumana à ciuitate Cumas, quæ est in Campania, cuius sepulcrum adhuc in Sicilia manet. Octaua, Hellespōtia in agro Troiano nata, quæ scribitur Solonis & Cyri fuisse temporibus. Nona, Phrygia, quæ vaticinata est ancinæ. Decima, quæ Tyburtij nomine Albunea: quarum omnium carmina efferuntur, in quibus de Deo & Christo & gentibus multa scripsisse manifestissime comprobantur. Celebrior inter ceteras ac nobilior Erythræa perhibetur, quæ de Christo quædam scripsit, vt sunt versus eiusdē, in quorū capitibus græca lingua *Theu yios soter* continetur, quod latine interpretatur, *Iesus Christus Dei Filius Saluator*. Hi autem versus, quorū primæ litteræ illum sensum, quem diximus reddant, sicut eos quidam latinis exstantibus versibus est interpretatus, hoc continent:

Iudicii signum tellus sudore madescet.
E cœlo rex adueniet per secla futurus,
Scilicet vt carne præsens diiudicet orbem:
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis,
Celsum cum sanctis æui iam termino in ipso.
Sic animæ cum in carne aderunt, quas iudicat ipse,
Cum iacet incultus densis in vepribus orbis.
Reiicient simulacra viri, cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis pontumque polumque.
Inquirens tetri portas effringet Auerni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, sontes æterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens tunc quisque loquetur
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes,
Eripitur solis iubar, & choreus interit astris.
Voluetur cœlum, lunaris splendor obibit.
Deiiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
Iam æquantur campis montes & cærula ponti.
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit,
Sic pariter fontes, torrentes fluminaque igni.
Sed tuba tum sonitum tristem cœlo dimittet ab alto,
Orbe gemens facinus miserum, variosque labores,
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Et coram hic Domino reges sistentur ad vnum.
Decidet e cœlo ignisque & sulphuris amnis.

In his latinis versibus de græco vtcunque translatis vbi non ille sensus occurrere potuit, quod fit cum literæ in eorum quæ sunt, capitibus connectuntur, vbi y littera in græco posita est, quia non potuerunt latina inueniri verba, quæ ab eadem littera inciperent, & sententiæ conuenirent. Hi autem sunt versus tres, quintus & octauusdecimus & nonusdecimus. Deniq; & si litteras, quæ sunt in capitibus omniū versuum, connectentes horum trium, quæ scripta sunt, non legimus: sed pro eis y litteram tanquam in eisdem ipsa sit posita, recordamur: exprimitur in quinq; verbis *Iesus Christus Filius Dei Saluator*: sed cum græce hoc dicitur, non latine: & sunt versus 27. qui numerus quadratū ternarium solidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt nouem: & ipsa nouem si ita ducantur, vt lato in altum figura consurgat, ad 20. & 7. perueniunt. Horum autem græcorum quinque verborum. quæ sunt, *Iesus Christus Theu yios soter*: quod est latine, *Iesus Christus Dei Filius Saluator*, si primas litteras iungas. erit ἰχθὺς id est, *piscis*, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit. Hæc autem Sibylla, siue Erythræa siue (vt quidā magis credunt) Cymæa nihil habet in toto carmine suo (cuius exigua ista particula est) quod ad Deorum falsorum siue fictorū cultum pertinet: quinimo ita etiam contra eos & cōtra cultores eorū loquitur, vt in eorū numero deputanda videatur, qui pertinet ad ciuitatem Dei. Inserit etiam Lactantius operi suo quædā de Christo vaticinia Sibyllæ: quāuis non

expri-

exprimat, cuius. Sed quæ ipse singillatim posuit, ego arbitratus sum coniuncta esse ponenda, tanquam vnum sit prolixum; quę ille plura commemorauit & breuia. *In manus (inquit) infidelium postea veniet. Dabunt autem alapas Deo manibus incestis, & impuro ore expuent venenata sputa. Dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum: & colaphos accipiet, tacebit, nequis agnoscat, quod Verbum est, vel vnde venit. vt inferis loquatur, & corona spinea coronetur, ad cibum autem fel & ad sitim acetum dederunt. Inhospitalitatis hanc ministrabant Domino mensam: ipsa insipiens tuum non intellexisti Deum ludentem mortalium, sed spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi vero velum scindetur: & medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis & morte morietur. tribus diebus somno suscepto, tunc ab inferis regressus ad lucem veniet primus resurrectionis principio reuocatis ostenso.* Ista Lactantius carptim per interualla dispositionis suæ, sicut ea poscere videbantur, quæ proba contenderat, adhibuit testimonia Sibyllina: quæ nihil interponentes, sed in vnam seriem connexa ponentes, solis capitibus, vt scriptores deinceps ea seruare non negligant, distinguenda curauimus.

CAPIT. IV.

De Magis.

Ninus. MAgorum primus Zorastres rex Bactrianorũ, quem *nimis rex Assyriorum prælio interfecit. De quo Aristoteles scribit, quod vicies centum milia versuum ab ipso condita indiciis voluminum eius declarentur. Hanc artem post multa secula Democritus ampliauit, quando & Hippocrates medicinæ disciplina effloruit. Apud Assyrios autem magicæ artes copiosæ sunt, testante Lucano:

—— Quis noscere fibra
Fata queat? quis prodat aues aut fulgura cœli
Seruet & Assyria scrutetur sydera cura.

Itaque hæc vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis seculis valuit. Per quandam scientiam futurorum & infernorum & inuocationes eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes & ipsa, quæ dicuntur, oracula & Nigromantia. Nec mirum de magorum præstigiis, quorum in tantum prodiere maleficiorum vel maleficorum artes, vt etiam Moysi similimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, aquas in sanguinem. Quid plura? si credere fas est de phitonissa, vt Prophetæ Samuelis animam de inferni abditis euocaret, & viuorum præsentaret conspectibus: si tamen animam Prophetæ fuisse credamus, & non aliquam fantasmaticam illusionem Satanæ fallacia factam. Prudentius de Mercurio sic ait:

Traditur hic vinctas sumpto moderamine virga
In lucem reuocasse animas: ——
—— Ast alias damnasse neci.

Et post paululum adiecit:

Murmure nam magico tenues exire figuras,
Atque sepulcrales cito incantare fauillas.
Vita itidem spoliare alios ars noxia nouit.

Magi sunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur: hi & elementa concutiunt: turbant mentes hominum, ac sine vllo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Vnde & Lucanus:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit. ——

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quisq; suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine vtuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Necromantici sunt, quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere. Necro enim græce mortuus, mantia diuinatio nuncupatur, ad quos suscitãdos cadaueri sanguis adiicitur. Nam amare dæmones sanguinem dicunt, ideoq; quotiens necromantia fit, cruor aqua miscetur: vt colore sanguinis facilius prouocetur. Ydromantici ab aqua dicti: est enim ydromantia, in aquæ inspectione vmbras dæmonũ euocare, & imagines vel ludificationes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire, vbi adhibito sanguine etiam ab inferis perhibentur sciscitari. Quod genus diuinationis à Persis fertur allatum. Varro dicit diuinationis quatuor esse genera: terram, aquam, aerem, & ignem. Hinc geomantiam, ydromantiam, aeromantiam, pyromantiam dictam. Diuini dicti, quasi deo pleni: diuinitate enim se plenos assimulant, & astutia fraudulentia hominibus futura coniectant. Duo sunt genera diuinationis: ars & furor. Incantatores vocati sunt, quia artem verbis peragunt. Arioli vocati, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittant, & funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt. Aruspices nuncupati, quasi horarum inspectores. dies enim & horas in agendis negotiis operibusque custodiunt: & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt: hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicant. Augures sunt scilicet, qui volatus auium & voces intendunt, aliaque signa rerum, vel obseruationes improuisæ hominibus occurrentes: iidem & auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes obseruant. Dicta autem sunt auspicia, quasi auium aspicia, & auguria, quasi auium garria, hoc est, auium voces & linguas. Item augurium, quasi auigerium, quod aues gerunt. Duo sunt autem genera auspiciorum: vnum ad oculos, aliud ad aures pertinens. Ad oculos scilicet volatus: ad aures vox auium. Phitonissæ à Phitio Apolline dictæ, eo quod is autor fuit diuinandi. Astrologi dicti eo, quod in astris augurantur. Genethliaci appellati propter natalium cõsiderationem dierum. Genesim vero hominum per duodecim cœli signa describunt, syderumque cursu nascentium mores, actus, euenta prædicare conantur, id est, quali signo fuerit natus: aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur. Hi sunt, qui vulgo Mathematici vocantur. Cuius superstitionis genus constellationes latini vocant, id est notationes syderum, quomodo se habeant, cum quisq; nascitur. Primum autem iidem stellarum interpretes magi nuncupabantur, sicut de his legitur, qui in Euangelio Christum natum nunciauerunt: postea hoc nomine soli Mathematici: cuius artis scientia vsque ad Euangelium fuit concessa: vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cetero interpretaretur. Horospici, quod per horas natiuitates hominum speculantur, dissimili & diuerso fato. Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sortes sanctorum vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittunt. Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunq; partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significare prędicunt. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum contemnendæ, siue in præcantationibus, siue in caracteribus, vel in quibuscunq; rebus suspendendis atque ligandis: in quibus omnibus ars dæmonũ est ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt à Christiano & omnino penitus execratione repudianda atque damnanda. Auguria auium Phryges primi inuenerunt: præstigium vero Mercurius primus dicitur inuenisse. Dictum est autem præstigium, quod pręstringit aciem oculorum. De magicis autem artibus atq; incantationibus & superstitionibus diuersis, quas gentiles & falsi christiani in diuinationibus suis & obseruationibus peruersis sequi videntur, quid lex diuina sanciat: in auctoritatibus veteris testamẽti ac noui facile est inuenire. Detestatur enim eos lex diuina, quæ in libro Exodi ita dicit: *Maleficos in terra tua ne patiaris viuere.* Exod. 22. Et item: *Qui immolat, ait, diis præter soli Domino occidetur.* Ibid. Et in Leuitico: *ne comedetis,* inquit, *cum sanguine.* Leu. 19. *non augurabimini, nec obseruabitis somnia, & super mortuum ne incidetis carnem vestram, neque figuras & stigmata facietis vobis. Ego Dominus.* Et item: *Ne declinetis,* ait, *ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt non polluamini per eos.* Ibid. Et iterum: *Vir,* inquit, *siue mulier, in quibus phitonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriatur: lapidibus obruent eos. sanguis eorum sit super eos.* Leu. 20. In Deuteronomio quoque sic dicit: *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi: caue, ne imiteris abhominationem illarum gentium. nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur & obseruet somnia atque auguria:* Deut. 18.

Sortilegus, nec sit in te maleficus, neque incantator, nec phythones consulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Et quid sequendum sit vel obseruandum, mox sequitur, dicens.
Ibid. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis. sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus. ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Oreb, quando concionatus es atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei: & ignem hunc maximum amplius non videbo ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui. & ponam verba mea in ore eius. loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit ego vltor existam.* Hic ergo Propheta & Dominus omnium prophetarum, qui est *Via, Veritas & Vita*,
Ioan. 14. conditor vtriusque testamenti, non solum in vetere sed etiam in nouo omnes errores & diuinationes atque artes noxias respuit atque contemnit: nec ab alio, quam à se, vult requiri veritatem aut sanitatem: quia ipse cum Patre & Spiritu sancto vnus verus atque omnipotens est Deus, faciens mirabilia magna solus. Vnde in Euangelio
Matth. 11. omnes ad se inuitat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Et item: *Ego sum*, inquit, *lux mundi: qui sequitur*
Ioan. 8. *me, non ambulabit in tenebris: sed habebit lumen vitæ.* Hic ergo
1. Tim. 4. iuxta Pauli sententiam *Saluator est omnium hominum maxime fidelium*: de quo & Petrus ait: *Non est enim aliud nomen*
Act. 4. *datum hominibus super terram, in quo oportæat homines saluos fieri.* In quo etiam nomine quotidie signa magna & sanitates in Ecclesia per orationes fidelium fiunt. Quoniam
Luc. 10. ipse discipulis in Euangelio ait: *Ecce ego do vobis potestatem*
Mar. 16. *calcandi super serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici. Euntes prædicate Euangelium.* Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite. Quid ergo necesse est salutem ab alio, quam à medico omnipotente, quærere? Aut quæ ratio est scientiam & sapientiam ab alio quolibet discere velle, quam ab omni sapientiæ & scientiæ fonte? De quo scriptum est: *Omnis sapientia*
Syr. 1. *à Domino Deo est, & apud illum fuit semper, & est ante æuum. Arenam maris, & pluuiæ guttas & dies sæculi quis dinumerabit? Altitudinem cœli & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis mensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigabit? Prior omnium creata est sapientia & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. & ingressus illius mandata æterna.* Qui enim sine saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse: non saluus, sed æger: non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit: ac proinde omnis inquisitio, & omnis curatio, quæ à diuinis & magis, vel ab ipsis dæmonibus in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quam vita: & qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt. Quoniam, psalmista di-
Ps. 75. cente, *omnes dij gentium dæmonia*, qui per deceptos homines, alios decipere quotidie gestiunt: vt perditionis suæ faciant eos esse participes.

CAPVT V.

De Paganis.

PAgani ex pagis Atheniensium dicti, vbi exorti sunt. Ibi enim in locis agrestibus & pagis gentiles lucos idolaque statuerunt, & in tali initio vocabulum pagani sortiti. Gentiles, qui sine lege sunt & dum non crederent, dicti sunt gentiles: quia ita sunt, vt fuerunt geniti, id est, in carne descenderunt, sub peccato scilicet idolis seruientes, & necdum regenerati. Proinde qui gentiles apud latinos nuncupabantur, ipsi dicuntur græce ethnici. Ethnici enim græce, latine gentiles: ethnos enim græce gens dicitur. Post fidem autem non debent vocari gentes, seu gentiles, illi qui ex gentibus crediderunt: sicut post fidem dicium non possunt Iudæi vocari, teste Paulo Apostolo & dicente iam Christianis quondam gentes fuistis, hoc est, infideles, & reliqua. Ethnici apostatæ dicuntur, qui post baptismum Christi susceptum ad idolorum cultum & sacrificiorum contaminationes reuertuntur. Est autem nomen græcum.

CAPVT VI.

De diis gentium.

QVos pagani Deos asserunt, homines olim fuisse produntur, & pro vniuscuiusque vitæ meritis coli apud suos post mortem cœperunt: vt apud Ægyptum Isis, apud Cretam Iouis, apud Mauros Iuba, apud Latinos Faunus, apud Romanos Quirinus. Eodem quoque modo apud Athenas Mineruа, apud Samum Iuno, apud Pafos Venus, apud Lemnos Vulcanus, apud Naxos Liber, apud Delios Apollo. In quorũ etiam laudibus accesserunt & poetæ, etiam positis carminibus in cælum eos sustulerunt. Nam quarundam & inuentiones artium repertæ dicuntur. Vt à *Scolapio medicinam. Vulcano fabricam. Ab actibus a. vocantur, vt Mercurius, qui mercibus præest, Liber à liberalitate. Fuerunt quidam viri fortes aut vrbium conditores, quibus mortuis homines, qui eos dilexerũt, simulachra finxerunt, vt haberent aliquod ex imagin̄um contemplatione solatium: sed paulatim hunc errorẽ per suadentibus dæmonibus ita in posteris irrepsisse: vt quos illi pro sola nominis memoria honorauerunt, successores Deos existimarent atq; colerent. Simulachrorum vsus exortus est, cum ex desiderio mortuorum constituerentur imagines vel effigies, tanquam in cœlum receptis: pro quibus se in terris dæmones colendi supposuerunt, & sibi sacrificare à deceptis & perditis persuaserunt. Simulachra à similitudine nuncupata, eo ꝙ manu artificis ex lapide aliaue materia eorum vultus imitantur, in quorum honore finguntur. Ergo simulachra vel pro eo quod sunt similia, vel pro eo quod sint simulata atq; conficta. Vnde & falsa sunt. Et notandum, quod latinus sermo sit in hebræis, Apud eos n. idolum atq; simulachrum semel dicitur. Iudæi dicunt, quod Ismahel primus simulachrum luto fecit: gentiles a. primum Prometheum simulachra hominũ de luto finxisse perhibent: ab eoq. natam esse artem simulachra & statuas fingendi. Vnde & poetę ab eo homines primum factos esse confingunt figurate propter effigies. Apud græcos a oliua orta est: & Atheniensium vrbs ex Mineruæ appellatione nomen sortita est. Hic primus omnium Iouem appellauit, simulachra reperit, aras statuit, victimas im̃olauit. nequaquam istius modi rebus in Grecia vnquam visis. Idololatria, idolorum seruitus siue cultura interpretatur. Nam latria græce, latine seruitus dicitur, quæ, quantum ad veram religionem attinet, non nisi vni & soli Deo debetur. Hanc sicut impia superbia siue hominum siue dæmonum sibi exhiberi vel iuber vel cupit: ita pia humilitas vel hominum vel angelorum sanctorum sibi oblatam recusat, &, cui debetur, ostendit. Idolum a. est simulachrum, quod humana effigie factum & consecratum est, iuxta vocabuli interpretationẽ. Idos n. græce sonat forma, & ab eo per diminutionem idolum deductũ, æque apud nos formulam facit. Igitur omnis formalis formula idolum se dici exposcit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & seruitus. Quidam vero latini, ignorantes græcam linguam, imperite idolũ ex idolo dicunt sumpsisse nomen, quod diabolus creaturæ cultum diuini nominis inuexit. Dæmones à grecis dictos aiunt, quasi * dæmonias, i. peritos ac rerum scios: præsciunt n. futura multa. vnde solẽt responsa multa dare. Inest n. illis cognitio rerũ, plusquam infirmitati humanæ, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia lõgissima, partim per Dei iussum angelica reuelatione. Hi corporum aeriorum natura vigent. Ante transgressionẽ quidem cælestia corpora gerebant. lapsi vero in aeream qualitatem conuersi sunt. Nec aeris illius puriora spacia, sed ista caliginosa perpessi sũt tenere, qui eis quasi carcer est vsq; ad tẽpus iudicij. Hi præuaricatores angeli, quorũ diabolus princeps est. Diabolus hebraice dicitur, *deorsum fluens* quia quietus in cæli culmine stare contẽpsit, sed sic

Right margin notes: * Æsculapio. — * daimonas.

pe[illegible]bia ponde[illegible]e d[illegible] c[illegible]rtuen[illegible] c[illegible]. [illegible] diabolu[illegible] *cri[illegible]ator* vo[illegible] quod [illegible] ple illicit, ad D[illegible] [illegible] vel [illegible] [illegible]tiam cr[illegible] [illegible]. V[illegible] & in Apocaly[illegible]

Apoc. 12. [illegible] *Proie[illegible] est a[illegible]ator [illegible] qui a[illegible] in con[illegible]ectu Dei [illegible]* [illegible] in la[illegible] sonat, *aduers[illegible] [illegible]* Ipse [illegible] adu[illegible]ar[illegible]s, qui est veritatis [illegible] & semper [illegible] [illegible] virtutibus contraire [illegible]. Ipse & transgr[illegible],

Ioan. 8. qu[illegible]a & præuaricator effectus. *In veritate* qu[illegible] conditus est, *non stetit*. Idem & tempt[illegible], qui ad [illegible]p[illegible]andam iustorum innocentiam postulat, sicut in Iob [illegible]bitur. Antichristus appellatur, qui contra Christum [illegible]turus est: non quomodo quidam simplices intelligunt Antichristum dei d[illegible] quod ante Christum venturus sit, id est, post [illegible] veniat Christus. Sed Antichristus græce d[illegible]atur, quod [illegible] *contrarium Christo*, anti in latinum *contra* significat. Christum [illegible], tur dum venerit, & contra eum dimicabit, & aduersabitur sacramentis Christi, & veritatis eius. Nam & templum Ierosolymis reparare & omnes veteris legis ceri[illegible]s restaurare tempt[illegible]bit. Sed & ille Antichristus est, qui negat esse Deum Christum: contrarius enim est Christo. Omnes enim, qui exeunt de Ecclesia, & ab vnitate fidei præciduntur, & ipsi Antichristi sunt. Bel idolum est Babylonicum, quod interpretatur, *vetus*. Fuit enim hic Belus pater Nini, primus rex Assyriorum, quem quidam Saturnum appellant: quod nomē & apud Assyrios & apud Afros postea cultum est. Vnde & lingua Punica Bel Deus dicitur. Apud Assyrios autem Bel vocatur, quadam sacrorum suorum ratione, & Saturnus & sol. Belfegor interpretatur, *idolum ignominiæ*. Idolum fuit Moab cognomento Baal super montem Fogor, quem Latini priapum vocant Deum hortorum. Fuit autem de Lampsaco ciuitate Hellesponti, de qua pulsus est. & propter virilis membri magnitudinem in numero Deorum suorum eum græci transtulerunt, & in numine hortorum sacrauerunt. Vnde & dicitur præesse hortis propter eorum fœcunditatem. Beelzebub idolum fuit Accaron, quod interpretatur, *vir muscarum*. Zebul enim musca vocatur. Spurcissimum idolum ideo vir muscarum vocatū propter sordes idololatriæ. Vehemoth in latinam linguam *animal* sonat, propter quod de excelsis ad terrena cecidit, & pro merito suo, vt animal brutum, effectus sit. Ipse est & Leuiathan, id est, serpens de aquis: quia in humani [illegible] mari volubili versatur astutia. Leuiathan a. interpretatur, *additamentum eorum*: quorum s[illegible] hominū, quibus in Paradiso semel culpam præuaricationis intulit, & hanc vsq. ad æternam mortē quotidie persuadendo adaugere [illegible] Quædam nomina Deorum suorū gentiles *

* per [illegible] fabulas ad rationes physicas conantur traducere, e[illegible] causis elementorum composita esse interpretātur. Sed hoc a poetis [illegible]orum fictum est, vt Deos suos ornarent [illegible] quibus, quos perditos ac dedecoris infamia plenos fuisse, [illegible] confitentur: omnino n. fingendi locus vacat, vbi ve[illegible]. Saturnus origo Deorū & totius posteritatis a paganis [illegible]atur. hunc latini a satu a[illegible]pellatum ferunt, quia ad ipsum satio omnium pertineat rerum, vel a temporis longitudine, quod saturetur annis. Vnde & eum græci cronos nomen habere dicunt, id est, tempus. Quod filios suos fertur deuorasse, hoc est, annos [illegible] tempus produxerit, in se reuoluit: vel quod eo [illegible] vnde oriuntur, redeunt. Huic c[illegible] patris absci[illegible] dicunt, quia nihil in cęlo de seminibus na[illegible]. [illegible] tenet [illegible] propter [illegible] [illegible] vel propter annos & te[illegible], quod in se redeant: vel propter [illegible], quod [illegible]tia sit. In a[illegible] in ciuitatibus Saturno liberos suos apud gentiles [illegible], quod [illegible] poetæ [illegible]ros suos [illegible] [illegible] ferunt. [illegible]do di[illegible] [illegible] us præ[illegible] [illegible] Quæ [illegible] Fuit [illegible] Deus [illegible]

[illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] vt [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Vulcanus [illegible] Iupiter [illegible] Vulcanus, quod per [illegible] non [illegible] Vnde [illegible] præcipitatum de cœlo in terras, quod omne [illegible] cadit. Ideo autem Vulcanus de femore I[illegible] fingitur [illegible], quod fulmina de imo aere [illegible]. Claudus autem Vulcanus: quia per naturam [illegible] rectus est ignis, ideo quasi claudus eius motus [illegible] habet. Ideo autem [illegible] fabrorum [illegible] Vulcanum autorem dicunt, quia sine igne [illegible] genus sui di extendiq; potest. Pluton græce, [illegible] Dis pater vel Ditis pater: quem alij Orcum [illegible] receptorem mortium. Vnde & orca nuncupa[illegible] quod [illegible] græce Caron [illegible] tamento appell[illegible] volunt quod quasi mares in [illegible] do pereiu [illegible] Liber [illegible] idem Liber mul[illegible] & delicato corpore pi[illegible] mulieres ei attributas, & vinum propter [illegible] dinem. Vnde & frons eius pampino cingitur, [illegible] ronā viteam & cornua habet: quia [illegible] grate & [illegible] vinū bibitur, [illegible] vltra modū, [illegible] id est quasi cornua d[illegible]. Ide[illegible] & Lyæ[illegible] quod [illegible] to vino mēbra soluantur. Ide & græce Dionysius a monte Indiæ Nyso, vbi dicitur [illegible] est & Nysa ciuitas, in qua colitur: ideo Lyæus, vnde N[illegible] dictus est.

Mercurius sermonem interpretantur. Nam ideo Mercurius, quasi medius currens, dicitur appellatus: quod sermo currat inter homines medius. Ideo & Hermes græce, quod sermo vel interpretatio quæ ad sermonem [illegible] pertinet, hermenia dicitur. Ideo & mercibus [illegible], [illegible] inter vendentes & ementes sermo fit medius. Qui ideo fingitur habere pennas, quia citius verba discurrunt [illegible] de velox & errans in[illegible]ucitur. Alas eius in capite [illegible] bus significare volucrē fieri per aera [illegible]monem. Nuncium dictum, quoniam per sermonem omnia [illegible] antur. Ideo autem furti magistrum dicunt, quia sermo animos audientium fallit. Virgam tenet qua serpentes diuidit, id est, venena [illegible] bellantes ac dissidentes [illegible] pretium oratione sedantur. Vnde secundum Liuium Legati pacis caduceatores dicuntur. Sicut enim per [illegible] ciales bella in[illegible]bant, ita pax per caduceatores [illegible]. Hermes autē d[illegible] græce apo tes ermenias [illegible] pres, qui [illegible] vir[illegible]tē, multarumq; artium [illegible] gistus, i. ter [illegible]mus nominatus est. Cur [illegible] n no [illegible], hæc ratio dicitur, quod inter o[illegible] ha[illegible] [illegible]issimum genus & perspicax habeat[illegible].

Martem Deum belli esse dicunt, & martem appella[illegible] quia per viros pugnatur, vt sit mars mas [illegible] & [illegible] genera consuetudinum, scilicet Scytharum, vbi & fœminæ & viri in pugnam eunt, Amazonum, [illegible] Romanorum, aliarumque gentium, vbi soli mares. Item martem, quasi effectorem [illegible]. Nam [illegible] nui [illegible]paratur. Hunc & adulterum dicit[illegible] b[illegible] euentus est [illegible] vr[illegible] [illegible] corde [illegible] apud græcos Gradiuu[illegible] [illegible] in[illegible]ar, qui pugnant [illegible]

Herculem cre[illegible] [illegible] culet græce quasi [illegible] [illegible] [illegible]

st. b. lum stercoribus purgasse refertur, quia propriè agri col tu[illegible] stercorare agros.

Apollinem quamuis diuinatorem & medicum appellent: ipsi tamen etiam solem dixerunt, quasi solum ipsum titan, quasi vnum ex titanis, qui aduersum Iouem non fecit: ipsum Phebum, hoc est, adolescentem, vnde & sol puer pingitur eo, quod quotidie oriatur & noua luce nascatur. Pithium quoq; Apollinem eundem vocari aiunt à Pithone, immensæ molis serpente, cuius non magis venena quam magnitudo terrebat. Hunc Apollo sagittarum ictibus sternens nominis quoque spolia reportauit, vt Pithius vocaretur. Vnde & ob insigne victoriæ Pithia sacra celebranda constituit. Dianam quoq; germanam eius similiter lunam & viarum præsidem aiunt, vnde & virginem volunt, quod * via nihil pariat: & ideo ambo sagittas habere finguntur, quod ipsa duo sidera de cælo radios vsq; ad terras emittant. Dianam autē vocatam, quasi duanam, quod luna die ac nocte appareat. Ipsam & Lucinam asseuerant eo, quod luceat: eandem & Triuiam, quod tribus fingatur figuris. De qua Virgilius: *Tria virginis ora Dianæ*: quia eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur. Sed cum luna fingitur, sublustri splendet amictu: cum subcincta lucet calamos, Latonia virgo est: cum subnixa sedet solio, Plutonia cōiunx. Latona autem Diana, eo quod Latonæ fuerit filia.

* virgo.

Cererem, id est, terram à creandis frugibus asserunt dictam, appellantes eam nominibus plurimis. Dicūt etiam eam & Opem, quod opere melior fiat terra: Proserpinā, quod ex ea ꝓserpināt fruges: vestem, quod herbis vel variis vestita sit rebus: vel à vi sua stando. Eandem & tellurē & matrem magnam fingunt turritam cum tympano & gallo & strepitu cymbalorum. Matrem vocatam, quod plurima pariat: magnam quod cibum gignat. Almam, quia vniuersa animalia fructibus suis alit. Est enim alimentorum nutrix terra. Simulachrum eius cum claui fingitur, quia tellus hieme clauditur, vere aperitur, vt fruges nascantur. Quod tympanum haberet, significare volunt orbē terræ: quod curru vehi dicitur, quia ipsa est terra, quæ pendet in aere: quod sustinetur rotis, quia mundus rotatur & volubilis est. Leones illi subiiciunt mansuetos, vt ostendant nullum esse genus terræ tam ferum, quod non subiici possit aut superari ab ea. Quod in capite turritam gestat coronam, ostēdit superpositas terrę ciuitates quasi insignitas turribus constare. Quod sedes finguntur circa eam, quod, cum omnia moueantur, ipsa non mouetur. Coribantes eius ministri constrictis gladiis esse fingūtur: vt significetur omnes ꝓ terra sua debere pugnare. Quod gallos huic Deę, vt seruirent, fecerunt: significant, qui semine indigeant, terram sequi oportere: in ea quippe omnia reperire, quod se apud eam iactant, præcipitur (inquiunt) vt qui terram colunt, ne sedeant: semper enim esse, quod agant. Cymbalorum autem sonitus, ferramentorū est crepitus in colendis agris: & ideo ære colebant, priusquam ferrum esset inuentum. Eandem Vescam & ignem esse perhibent: quia terram & ignem habere nō dubium est, vt ex Ætna Vulcanoq; datur intelligi: & ideo virginē dictant, quia ignis inuiolabile sit elementum, nihilq. nasci possit ex eo, quippe quia omnia quæ arripuerit * assumat. Ouidius in Fastis:

* absumat

Nec tu aliud Vestam quam viuam intellige flammam.
Nata de flamma corpora nulla vides.

Propterea & virgines ei seruire dicunt eo, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascatur.

Iunonem dicunt, quasi Ianonem, id est, ianuam propurgationibus fæminarum, eo quod quasi portas matrū natorum pandat & nubentium maritis. Sed hoc philosophi. Poetæ autem Iunonem Iouis asserunt sororē & coniugem: ignem & aerem Iouem: aquam & terram Iunonē interpretantur, quorum duorum permixtione vniuersa gignuntur: & sororem dicunt, quod mundi pars est: coniugem, quod commixta coeat. Vnde & Virgilius:

Tum pater omni otens fæcundis imbribus æther
Coniugis in gremium descendit.

Minerua apud Græcos Athena dicitur, id est, fæmina: apud latinos autem Mineruam vocatam, quasi Deam & munus artium variarum. Hanc n. inuentricem multorum ingeniorum perhibent: inde eam artem & rationem interpretantur: quia sine ratione nihil potest cōtineri: quia ratio, quæ ex solo animo nascitur, animum quoq. putant esse in capite & cerebro. Ideo eam dicunt de capite Iouis esse natam: quia sensus sapientis, quo inuenit omnia, in capite sunt. In cuius pectore ideo caput Gorgonis fingitur, quod illic est omnis prudentia, quæ confundit alios & imperitos & saxeos comprobat: quod & in antiquis Imperatorum statuis cernimus in medio pectore locatā propter insinuandam sapientiam & virtutem. Hæc Minerua & Tritonia dicitur. Triton n. Affricæ palus est, circa quam fertur virginali apparuisse ætate: propter quod Tritonia nuncupata est: vnde & tanto procliuius Dea credita est, quanto minus origo eius innotuit. Pallas autem dicta vel ab insula Pallene in Thracia, in qua nutrita est: vel apo tin palle, id est, motu: vel ab haste concussione: vel quod Pallantem gigātem occiderit. Venerem exinde dicunt nuncupatam, quod sine vi fæmina virgo esse non desinat: hanc Græci * affrodin vocant propter spumam sanguinis generantem. * Affrodin n. græce spuma vocatur. Quod a. fingunt Saturnum cælo patri genitalia abscidisse, & sanguinē fudisse in mare, atq; eo spuma maris concreta Venus nata est: illud aiunt, quod coitus salsi humoris substantia est, & inde * affrodin Venerem dici, quod coitus spuma est sanguinis, qui ex succo viscerum liquido salsoq. constat. Ideo a. Venerem Vulcani dicunt vxorem, quia venerium officium non sine calore consistit: vnde est frigidus in venere senior. Nam quod Saturnus dicitur patri cælo virilia amputasse, quæ in mare cadentia Venerem creauerunt: id ideo fingitur, quia nisi humor de cælo in terram descenderet, nihil creatur. Cupidinem vocatum ferunt propter amorem. Est n. dæmon fornicationis, qui ideo alatus pingitur: quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur. Puer pingitur, quia stultus est & irrationabilis amor. Sagittam & facem tenere fingitur: sagittam, quia amor cor vulnerat: facem, quia inflammat. Pan dicunt græci, latini Siluanum Deum rusticorum, quem in naturæ similitudinem formauerunt: vnde & pan dictus est, id est, omne: fingunt enim eum ex vniuersali elementorum specie: habet n. cornua in similitudinem radiorum solis & lunæ: distinctam maculis habet pellem propter cæli sydera. Rubet n. facies ad similitudinem ætheris. Fistulam vii calamorum gestat propter harmoniam cæli, in qua vii. sunt throni, & septem discrimina vocum. Villosus est, quia tellus conuestita est. A genibus pars eius inferior fæda est propter arbores & feras & pecudes. Caprinas vngulas habet, vt soliditatem terræ ostendat. Quem vocant rerum & totius naturæ Deum. Vnde pan, quasi omnia, dicunt. Isis lingua Ægyptiorum terra appellatur, quam Isim volunt esse: fuit a. Isis regina Ægyptiorum, Machis regis filia, quæ de Græcia veniens Ægyptios literas docuit, & terras colere instituit, propter quod & terram eius nomine appellauerunt. Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus, ipse est Apis rex Argiuorum, qui nauibus transuectus in Ægyptum, cum ibidem mortuus fuisset, Serapis appellatus est: propterea quia arca, in qua mortuus ponitur, quam sarcofagum vocant, saros dicitur græce, & ibi eum venerari sepultum cæperūt, priusquam templum eius esset instructum. sed Apis, Sorapis primo, deinde vna litera commutata Serapis dictus est. Apis fuit apud Ægyptios taurus Serapi consecratus, & ab eo ita cognominatus, quem Ægyptus instar numinis colebat, eo quod de futuris daret quędam manifesta signa. Apparebat enim in Memphis, quem cētum antistites prosequebantur, & repente velut lymphatici præcauebant. Huius capitis imaginem sibi in heremo Iudæi fecerunt. Fauni à fando, velut * apotelphanis dicti, quod voce, non signis, ostendere viderentur futura. In lucis n. consulebantur à paganis, & responsa illis non signis, sed vocibus dabant. Genium a. dicunt, quod quasi vim habeat omnium rerum gignendarum, seu à gignendis liberis. Vnde & genitales lecti dicebantur à gentibus, qui nouo marito sternebantur. Hæc & alia sunt gentilium fabulosa figmenta, quæ interpretata sic habentur, vt ea non intellecta

* Aphrodisin.
* Aphros.
* Aphrodium.
* tesphonis.

tellecta damnabiliter tamen adorent. Fatum autem dicunt esse, quicquid dij fantur, quicquid Iupiter fatur. A fando igitur fatum dicunt, id est, à loquẽdo, qui nisi hoc nomen iam in alia re soleret intelligi, quo corda hominũ nolumus inclinare, rationabiliter possemus a fando fatũ appellare: non enim abnuere possumus, esse scriptum in

Ps. 61. literis sanctis: *semel locutus est Deus, duo hæc audiui*, &c. Quod enim dictum est *semel locutus est*, intelligitur: immobiliter, hoc est, incommutabiliter est locutus, sicut nouit incommutabiliter omnia, quæ futura sunt, & ipse faturus est. Tria autem fata fingunt in colo & fuso digitisq; fila ex lana torquentibus propter tria tempora: præteritum, quod in fuso iam netum atq; inuolutum est: præsens, quod inter digitos nentis trahitur: futurum in lana, quæ colo implicata est, & quod adhuc per digitos nentis ad fusum, tanquam pręsens ad pręteritum, traiiciendum est. Parcas cata antifrasin appellatas, quod minime parcãt, quas tres esse voluerunt: vnam, quæ vitam hominis ordiatur: alteram, quæ cõtexat, tertiam, quæ rumpat. Incipimus enim, cum nascimur: sumus, cum viuimus: desumus, cum interimus. Fortunam à fortuitis nomen habere dicunt, quasi deam quandam res humanas variis casibus & fortuitis illudentem. Vnde & cæcam appellant eo quod passim in quoslibet incurrens sine vllo examine meritorum & ad bonos & ad malos venit. Fatum autem à fortuna separãt, & fortunam, quasi sit in his, quæ fortuito veniunt, nulla palam causa. Fatum vero appositum singulis & statutum aiunt. Aiunt & tres furias fœminas crinitas serpentibus propter tres effectus, quæ in animis hominum multas pturbationes gignunt, & interdum cogunt delinquere, vt nec famæ periculiue respectum habere permittant. Ira, quæ vindictam cupit: cupiditas, quæ desiderat opes: libido, quæ appetit voluptates. Quę ideo furiæ appellantur, quod stimulis suis mentem feriant, & quietam esse non sinant. Nymphas deas aquarum putant dictas à nubibus: nam ex nubibus aquę, vnde nomen deriuatum: nymphas aquarum deas, quasi numina lympharum. Ipsas a dicunt & musas, quas & lymphas. nec immerito: nam aquæ motus musicen effecit. Nympharũ apud gentiles varia sunt vocabula. Nymphas quippe montium oreades dicunt, siluarum driades, fontium amadriades, camporũ naides, maris naides. Erœas dicunt à Iunone traxisse nomen: græce enim Iuno Era appellatur: & ideo nescio quis filius eius secundum græcorum fabulam Eros fuit nuncupatus: hoc velut mysticum significante fabula, quod aer Iunoni deputetur, vbi volunt eroas habitare, quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum, quasi heroas, id est, viros aerios & cælo dignos propter sapientiam & fortitudinem. Penates gentiles dicebant omnes Deos, quos domi colebant: & penates dicti, quod essent in penetralibus, id est, in secretis. Hi Dij quomodo vocabantur, vel quæ nomina habuerint, ignoratur. Manes Deos mortuorum dicunt, quorum potestatem inter lunam & terram asserunt à quibus & mane dictum existimant, quos putant habere quinanus, id est, rarus est: manes dictos, siue qui late manant per auras, siue quia mites sunt, immanibus cõtrario nomine hoc appellantur. Apuleius autem ait eos cata antifrasin dici manes, hoc est, mites ac modestos, cum sint terribiles & immanes, vt Parcas, vt Eumenides. Laruas ex hominibus factos dæmones aiunt, q meriti mali fuerint, quarum natura dicitur terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis. Lamias, quas fabulæ tradunt infantes corripere ac laniare solitas, à laniando specialiter dictas. Pilosi, qui græce panitæ, latine incubi appellantur, siue inuij ab ineundo passim cum animalib. vnde & incubi dicuntur ab incumbendo, hoc est, stuprãdo: sæpe enim improbi existunt etiam mulieribus & earũ peragunt concubitum, quos dæmones galli dusios nuncupant, quod assidue hanc immundiciam peragunt. Quẽ autem vulgo Incubonem vocant, hunc Romani Faunũ fic rium dicunt Ad quem Horatius dixit: *Faune nymph rũ fugiẽtium amator per meos fines & aprica rura lenis incedas*. Sed falsis diis & figmentis hominum spretis, de quibus psal-

Ps. 95. mista ait: *Omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit* differentiam ipsius nominis patefaciamus. Dij ergo gentium dæmonia sunt, quæ nulli præstant: sed in se credentes semper decipiunt, semper illudũt. Nam quamuis dęmones latine *scientes* vocentur, quasi * demonas: humano tamen sermone cõuicium est. * Dæmones. Vnde ita dicimus, quos execratione dignos iudicamus: non immerito, quoniam in illis vera scientia non est, qui Creatoris sui non secundant arbitrio: sic & sapientes philosophos dicimus. Sed hos persequitur Apostolus diffinitiua sententia, dicens: *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum*. 1. Cor. 3. Vnde necesse est, vt hoc scientes pro non intelligentibus eos habeam⁹. Dæmon igitur est à Deo quædam, sicut & bonorum angelorum, excellens homines creata substantia, quæ propria faciente superbia eousq; peruenit, vt, naturali dignitate deposita, malis operibus semper insistat. Tamen alibi scriptum est: *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit*. Ps. 81. Vno verbo Iesus Christus mirabili nobis breuitate declaratur. Ipse enim Deus stetit in synagoga, qui sedit ad dexteram Patris. Situs enim isti corporales sunt. Nam si maiestatem eius intendas, vbiq; totus, vbiq; plenus est. Nec potest dici natura deitatis stare vel sedere, quia nulla loci determinatione concluditur. Sic enim de ipso & Ioannes Baptista dicit: *Medius autem vestrum stat, quem vos non scitis*. Ioan. 1. Addit &, *Deorum*, vt euidentius de hominibus dictum aduerteres, inter quos corporaliter habitasse cognoscitur Christus: sicut Ieremias propheta pdixit: *Post hæc in terris visus est & cum hominibus conuersatus est*. Bar. 3. Nam hoc dictum de hominibus sępius inuenimus, Vnde & ad Moysen dicit: *Constitui te Deum Pharaonis*. Exod. 7. & inferius psalmus ipse dicturus est: *Ego dixi: Dij estis & filij Excelsi omnes*. Ps. 81. Sic enim & filios Dei homines vocamus. Quod si ad naturam deitatis referas, vnum est Verbum, quod veraciter ac proprie sic debeat nuncupari. Dicimus nonnunquam abusiue deos & superas potestates, sicut ait Apostolus: *Et si sint, qui dicantur dij, siue in cælo siue in terra. Nobis autem vnus est Deus Pater*. 1. Cor. 8 Sequitur: *In medio autem Deus discernit*, Ps. 81. id est, Apostolos atque iustos, qui maiestatis eius monita fidemq; secuti sunt. Discernere enim ad pręscientiam pertinet, intellectumq; diuinum, qui nos de massa peccati eripit & ad cælorum regna perducit. Vnde & Apostolus dicit: *Quis enim te discernit?* 1. Cor. 4.

FINIS LIBRI XV.

INDEX CAPITVM LIBRI XVI.

INCIPIT LIBER XVI.

CAPVT I.

De linguis gentium.

LINGVARVM diuersitas exorta est in ædificatione turris post diluuium. Nam priusquam superbia turris illius in diuersos signorum sonos humanam diuideret societatem, vna omnium nationum lingua fuit, quæ hebræa vocatur, qua patriarchæ & prophetæ vsi sunt, non solum in sermonibus suis, verum etiam in literis sacris. Initio autem quot gẽtes, tot linguæ fuerunt. Deinde plures gentes, quam linguæ: quia ex vna lingua multæ sunt gentes exortæ. Linguæ a. dictæ in hoc loco p verbis, q̃ per linguam fiunt, genere locutionis illo, quo is, qui efficit p id, ꝙ efficitur, nominatur, sicut os dici solet proverbis, sicut manus pro literis. Tres sũt a. linguæ sacræ. Hebręa, Gręca, Latina: q̃ toto Orbe maxime excellunt. His n. trib. linguis sup Crucẽ Domini a Pilato causa eius fuit scripta. Vnde &, ppter obscuritatẽ sanctarũ scripturarũ, harum trium linguarũ cognitio necessaria est, vt ad alteram recurratur, si aliquam dubitatione nominis vel interpretationis sermo vni⁹ linguæ attulerit. Gręca a. lingua inter cęteras gentiũ clarior habetur. Est n & latinis & omnibus linguis sonantior. Cuius varietas

quinque partibus discretam: quarum prima dicitur κοινή, id est, mixta siue communis, qua omnes vtuntur. Secunda attica, videlicet atheniensis, qua vsi sunt omnes Græciæ autores. Tertia dorica, quam habent Ægyptij & Syri. Quarta ionica. Quinta æolica, qua se illi locutos dixerunt, & sunt in obseruatione græcæ linguæ eiusmodi certa discrimina. Sermo enim eorum ita est dispertitus. Latinas autem linguas quatuor esse quidam dixerunt, id est, priscam, latinam, Romanam, mixtam. Prisca est, qua vetustissimi Italiæ sub Iano & Saturno sunt vsi in compito, vt se habent carmina Saliorum. Latina, quam sub Iano & regibus Tusciæ, & cæteri in Latio sunt locuti, ex qua fuerunt duodecim tabulæ scriptæ. Romana, quæ post reges exactos à populo Romano gesta est, quam Næuius, Plautus, Virgilius, poetæ, & ex oratoribus Gracchus & Cato & Cicero vel cæteri effuderunt. Mixta, quę post imperium latius promotum simul cum moribus & hominibus in Romanam ciuitatem irrupit, integritatem verbi per solœcismos & barbarismos corrumpens. Omnes autem Orientis gentes in gutture linguam & verba collidunt, sicut Hebræi & Syri. Omnes mediterraneæ gentes in palato sermones feriunt, sicut Græci & Asiani. Omnes Occidentis gentes verba in dentibus frangunt, sicut Itali & Hispani. Syrus caldæus vicinus hebręo est, in sermone consonans, in plerisque & literarum sono. Quidam autem arbitrantur linguam ipsam esse caldęam: quia Abraham de caldæis fuit. Quod si hoc recipitur, quomodo in Daniele hebræi pueri linguam, quam non nouerant, doceri iubentur? Omnem autem linguam vnusquisque hominum, siue græcam, siue latinam, siue cæterarum gentium, aut audiendo potest tenere, aut legendo ex præceptore accipere. Cum autem omnium linguarum scientia difficilis sit cuiquam, nemo tamen ita desidiosus est, vt in sua gente positus, suæ gentis linguam nesciat. Nam quid aliud putandus est, nisi animalibus brutis deterior? illa enim propriæ vocis clamorem exprimunt: iste deterior, qui propriæ caret linguæ noticia. Cuiusmodi autem lingua locutus sit Deus in principio mundi, dum diceret: *Fiat lux*: inuenire difficile est: nondum enim erant linguę. Item qua lingua insonuit postea exterioribus hominum auribus? Maxime ad primum hominem loquens, vel ad prophetas, vel dum corporaliter sonuit vox dicentis Dei: *Tu es filius meus dilectus*: vbi à quibusdam creditur illa lingua vna & sola, quæ, antequam esset linguarum diuersitas. In diuersis quippe gentibus creditur, quod eadem lingua illis Deus loquatur, qua ipsi homines vtuntur, vt ab eis intelligatur: loquitur autem Deus hominibus nō per substantiam inuisibilem, sed per creaturam corporalem, per quam * enim & hominibus apparere voluit quod locutus est. Dicit enim Apostolus: *Si linguis hominum loquar & angelorum*: vbi quæritur, qua lingua Angeli loquantur. Non quod angelorum aliquæ linguæ sint, sed per aggregationem dicitur. Item quæritur, qua lingua in futurum homines loquantur, quod nusquam reperitur. Nam dicit Apostolus: *siue linguæ cessabunt*. Ideo autem prius de linguis, ac deinde de gentibus posuimus, quia ex linguis gētes, non ex gentibus linguæ exortæ sunt.

Gen. 1.

* etiam 1. Cor. 13.

Ibid.

Capvt II.

De gentium vocabulis.

Gens est multitudo ab vno principio orta, siue ab alia natione secūdum propriam collectionem distincta, vt Græcia, Asia: hinc gentilitas dicitur. Gens autem appellata propter generationes familiarum, id est, à gignendo, sicut natio à nascendo. Gentes, à quibus diuisa est terra, quindecim sunt: de Iafeth xxxi. de Cham xxvii. de Sem, quæ fiunt lxxiii. vel potius, vt ratio declarat lxx. duæ, totidem linguæ, quæ per terras esse cæperunt, quæ crescendo prouincias & insulas impleuerunt.

Filij Sem quinq, singulariter gentes singulas procreauerunt. Quorum primus Elam, à quo Elamitæ principes Persidis. Secundus Assur, à quo Assyriorum pullulauit imperium. Tertius Arfaxat, à quo gens Caldæorum exorta est. Quartus Lud, à quo Lydij. Quintus Aram, à quo Syri, quorum metropolis fuit Damascus.

Filij Aram, nepotes Sem, quatuor: Hus, & Hul, & Gether, & Mes. Hus Traconitidis conditor, qui inter Palestinam & Cœlesyriam tenuit principatum: vnde fuit Iob, secundum quod scriptum est: *Vir erat in terra Hus*. Secundus Hul, à quo Armeni. Tertius Gether, à quo Carmeni siue Carię. Quartus Mesa, à quo sunt hi, qui vocantur Meones. Posteritas Arfaxat filij Sem. Heber nepos Arfaxat, à quo Hebræi. Iectan filius Heber, à quo Indorum orta est gens: Sale filius Iectan, à quo Bactriani, licet eos alij Scytharum exules suspicentur. Ismahel filius Abraham à quo Ismahelitę, qui nunc corrupto nomine Sarraceni, quasi à Sarra, & Agareni ab Agar. Nabaioth filius Ismahel, à quo Nabathæi, qui ab Eufrate mare rubrum inhabitant. Moab & Ammon filij Loth, à quo Moabitæ & Ammonitæ. Edom filius Esau, à quo Idumæi. Hæ gentes, quæ de Sem stirpe, Agareni ab Agar, qui (vt diximus) peruerso nomine Sarraceni vocantur, quia ex Sarra se genitos gloriantur. Ismahelitæ, *obedientes sibi*, interpretantur, i. peccatores, qui, quod concupiscunt, faciunt. Vnde legitur in psalmo: *Tabernacula Idumæorum & Ismahelitæ*.

Iob. 1.

Ps. 82.

Agareni interpretantur, *proselyti*, hoc est, peccatores à conuentu Ecclesiæ alieni. Vnde scriptum est in psalmo: *Moab & Agareni, Iebal & Ammon, Amalech & alienigenæ cum habitantibus* Tyrum. Edom, à quo Idumæi, *rubeus* siue *sanguineus* interpretatur: significat populum Iudæorum ob necem Christi & prophetarum sanguinolentum: vnde in Abdia scriptum est: *Hæc dicit Dominus ad Edom: Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde: superbia cordis tui extulit te*. Idumæi, *sanguinei* siue *terreni* interpretantur, id est dæmones siue peccatores, vt in psalmo legitur: *Memorare domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*. Item Idumæus populus est gentium: vnde in Deuteronomio scriptum est: *Non abhominaberis Idumæum, quia frater tuus est*: nec Ægyptum, quia aduena fuisti in terra eius: *qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt Ecclesiam Domini*, id est, per fidem Trinitatis, & lauacrum regenerationis.

Ibid.

Abd. v. 2.

Ps. 136.

Deut. 23.

Seir, qui, *hispidus* vel *hirsutus*, interpretatur, populum Iudæorum significat. Vnde in cantico Deuteronomij legitur: *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis*.

Deut. 33.

Amalech interpretatur, *lambens*, id est, Diabolus. Vnde legitur in Exodo: *In manu abscondita vel valida expugnat Dominus Amalech à generatione in generationem*.

Exod. 17.

Amalechitæ interpretantur, *populus lambens*, id est, peccatores terrena ambientes. Vnde scriptum est in psalmo: *Gebal & Ammon & Amalech & alienigenæ cum habitantibus Tyrum*. Philistęi ipsi sunt Palestini, quia p. literam sermo hebræus non habet: sed pro eo ph græce vtitur: inde Philistæi pro Palestinis dicuntur, à ciuitate vtique sua: ijdem & alienigenæ ob hoc, quia semper fuerint inimici Israel, & longe ab eorum genere ac societate separati. Philistum interpretantur, *cadentes poculo*, id est, inimici Ecclesiæ, de sua se extollentes scientia. Vnde legitur in propheta: *Verum quid mihi & vobis Tyrus & Sydon & omnis terminus Palestinorum. Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum*. Item in bonam partem intelliguntur. Vnde legitur in psalmo: *Hi allophyli subditi sunt*.

Ps. 82.

Ioel. 3.

Ps. 59.

Chananęi appellati de Chanaan filio Cham, quorum terram Iudæi possederunt. Cuius ex origine fuit Emor frater Sichem, à quo Amorræi sunt nuncupati. Chananæi interpretantur, *instabiles* siue *immobiles*, & significant peccatores fundamentum fidei non habentes. Vnde legitur in cantico Exodi: *Tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan*.

Exod. 15.

Ægyptij ab Ægypto quodam rege vocati sunt: nam ante aerei dicebantur. Interpretantur autem lingua hebraica Ægyptij, *affligentes*, eo quod afflixerunt Dei populum, priusquam diuino auxilio liberarentur. Ægyptij interpretantur, *affligentes*, id est, impij vel dæmones Ecclesię fideles opprimentes: vnde legitur in Exodo: *Affligebant Ægyptij operibus duris*.

Exod. 1.

Armenius ex Thessalia vnus de numero ducum Iasonis, qui ad Colchos profecti sunt, recollecta multitudine, quæ amisso rege Iasone passim vagabatur: Armeniam condidit, gentique ex suo vocabulo nomen dedit. Limes est Persicus, qui Scythas ab eis diuidit, Scythas cognominatos, a quo limite Scythę à quibusdam perhibentur vocati, gens antiquissima semper habita. Hi Parthos Bactrianosque, fœminæ etiam eorum Amazonum regna condiderunt.

Massagetæ ex Scytharum origine sunt, & dicti Massagetæ, quasi graues, id est, fortegetæ. Nam sic Liuius argentum graue dicit, id est, massas. Hi sunt, qui inter Scythas atque Albanos septentrionalibus locis inhabitant.

Amazones dictæ sunt, seu, quod simul viuerent sine viris, quasi amaizoni: siue quod adustis dexterioribus mammis essent, ne sagittarum iactus impediretur, quasi anesmazolin: nudabant enim, quam adusserant, mammam. Has Tatianus vnimammas dicit. Nam hoc est amazon, quasi anes mazolim, id est, sine mamma. Has iam non esse, quod earum partim ab Hercule, partim ab Achille, vel Alexandro vsq; ad internicionem deletæ sunt. Albani sunt partes Asiæ, & Asiaticæ gentis, quæ posteros se Asonis credunt, albo crine nascuntur ab assiduis niuibus, & ipsius capilli color genti nomen dedit, & inde dicuntur Albani. horum glauca oculis, id est, picta inest pupilla, adeo vt nocte plusquam die cernant. Albani autem vicini Amazonibus fuerunt.

Vngros antea Vrnos vocatos, postremo à rege suo Auares appellatos, qui prius in vltima Męotide inter glacialem Canaim & Massagetarum immanes populos habitauerunt. Deinde pernicibus equis Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra perhibentes eruperunt, & Orientem viginti annis tenuerunt captiuum, & ab Ægyptiis atq; Æthiopibus annuum vectigal exegerunt. Troianorum gens antea Dardanai à Dardano nominata. Nam Dardanus & Iasius fratres è Græcia profecti sunt. Ex his Iasius ad Thraciam, Dardanus ad Phrygiam peruenit, ibiq; primus regnauit: post quem filius Erictonius, deinde nepos eius Tros, à quo Troiani nuncupati sunt. Galatæ Galli esse noscuntur, qui in auxilium à rege Bithyniæ euocati, regnum cum eo, peracta victoria, diuiserunt. sic quidem græcis admixti primum Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ nuncupantur.

Græci, ante Thessali à Thessalo, postea à Græco rege Græci sunt nuncupati. Nam Gręci proprie Thessali sunt.

Lapitas autem gentem Thessaliæ fuisse aiunt circa Penion amnem olim inhabitantem, à Lapita Apollinis filia nuncupatos.

Sicyonij, Gręci sunt, nuncupati à Sicyonio rege. Hi primum Agialei vocabantur a rege Agialeo, qui primus Sicyoniis imperauit, à quo & Agialea ciuitas nūcupata est, quæ nunc Peloponensis vocatur à Pelope rege suo: ipsi sunt ab Archade rege Iouis & Calistæ filio dicti.

Danai a Danao rege vocati: iidem & Argiui ab Argo conditore cognominati. Postquam autem rex græcorum Apis mortuus est, huic filius Argus successit in regnum, & ex eo Argiui appellati sunt, qui etiam ab eis post obitū Deus haberi cæpit, templo & sacrificio honoratus.

Achæi, qui & Achiui ab Achæo filio Iouis dicti, Pelasgi nominati, quia cum velis passim verno tempore aduenisse Italiam visi sunt, vt aues. Primo enim eos Varro Italiam appulisse commemorat: græci vero Pelasgos Iouis & Larissæ filios perhibent dictos.

Myrmidones fuerunt Achillis socij, Dolopes Pyrrhi: dicti sunt autem Myrmidones propter asturiam, quasi myrmicæ, id est, formicæ. Ostenes autem dicunt dictos Myrmidones à Myrmidone duce, Iouis & Corunosæ filio, qui Cecropi Atheniensium regi successit. Granus, cuius filia Atti nomen & regionis & gentis dedit, & ex ea Attici cognominati, qui sunt Athenienses.

Ion vir fortis ex suo nomine eosdem Athenienses vocauit Iones.

Macedones à nomine Macionis regis antea Emarci nuncupati sunt, post Macedones dicti. Epirotæ a Pyr-10Achillis [illegible] Pyrrhi [illegible] cum Pyrrho rege duce ad [illegible] primum [illegible]mpserunt.

Dorus Neptuni & Ellepi filius fuit, vnde Dorios gentem & nomen ducunt. Sunt autem pars Græciæ gentis, ex quibus etiam cognominata est tertia lingua græcorū, quæ Doria appellatur. Lacedæmones a Lacedæmone Semelæ filio dicti. Hi diu perseuerantes in bello contra Messenios veriti, ne diuturnitate pręlij spem prolis amitterent, præceperunt, vt virgines eorum cum iuuenibus domi relictis concumberent: sicq; ex promiscuo virginū concubitu iuuenes de incertis parentibus nati, ex nota materni pudoris Spartani vocati sunt. Nā ipsos esse Spartanos, quos & Lacedæmones.

Thraces ex Thira filio Iafeth, qui vocatus est Thiras, exorti & cognominati (vt superius dictum est) perhibentur: licet gentiles eos à moribus ita dictos existiment, quod sint truces: sæuissimi n. omnium gentium fuerunt. Vnde & multa fabulosa de eis memorantur, quod captiuos diis suis litarent, & humanum sanguinem in ossibus capitum potare soliti essent: de quibus Virgilius:

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum:

quasi crudelium & auarorum.

Histriorum gens originem à locis ducit, qui missi ab argo ad nautas persequendos, vt à ponto intrauerunt Histrum fluuium, à vocabulo amnis, quo à mari recesserūt, appellati sunt.

Romani à Romuli nomine nuncupati, qui vrbem Romam condidit, gentiq; & ciuitati nomen dedit. Hi ante a Saturno Saturnij, à Latino Latini vocati sunt. Nam Latinus Italiæ rex fuit, qui ex suo nomine Latinos appellauit, qui postea Romani nuncupati sunt. Hi & Quirites dicti, quia Quirinus dictus est Romulus: quia semper hasta vtebatur, quæ Sabinorum lingua quiris dicitur. Italus quoque & Sabinus & Sicanus fratres fuerunt, ex quibus nomina populis imposita & regionibus sunt. Nam ab Italo Italia, à Sabino Sabinia, à Sicano Sicanij cognominati sunt, iidem & Sicilienses. Tusci Italiæ sunt populi. Et est à frequentia sacrorū * vt turris vocata, i. apo to tusciasim. * &

Ymbri Italiæ gens, sed Gallorum veterum propago, qui Appenninum montem incolunt, de quibus historiæ perhibent eo quod tempore à quo secladis imbribus superfuerint, & ob hoc Ymbrios græce nominatos.

Marsi gens Italiæ dicta à comite Liberi Marsia, qui vsum illis vitium ostendit, & ob hoc illi statuam fecerunt, quam postea Romani victis Marsis tulerunt. Marsos autem græci Truscos vocant, quasi .... quia multos serpentes habeant, & ob hoc eis .... serpens dicatur: illęios autem esse carminum maleficiis. Inhabitant autem plagam Appennini montis simul cum Ymbris. Gothi à Magog filio Iafeth nominati putantur de similitudine vltimæ syllabæ, quos veteres magis Getas quam Gothos vocauerunt: gens fortis & potentissima, corporum mole ardua, armorum genere terribilis. De quibus Lucanus:

Hinc Dacus primat, inde Getes occurrat Hiberis.

Daci autem Gothorum soboles fuerunt, & dictos putant Dacos quasi Dagos, quia de Gothorum stirpe creati sūt de quibus ille: *ibu aretos procul vsq; Dacos.*

Bessi barbari fuerunt, qui à multitudine boum sic vocati creduntur. De quibus quidam: *qui colit iure mediorel ille dextis multo boue pilleatus accola ripa.*

Bipedes pedestri prælio magis quam equestri sunt vsi, ex hac causa vocati.

Sarmatæ patentibus campis armati inequitabant, priusquam eos Lentulus Danubio prohiberet: atq; inde ob studium armorum Sarmatæ nuncupati existimantur

Lanus fluuius fertur vltra Danubium, à quo Alani dicti sunt: sicut & populi, inhabitantes iuxta Lemannum fluuium, Alemanni vocantur, de quibus Lucanus:

Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno.

Languebardos vulgo fertur nominasse prolixa herba & nunquam tonsa.

Wandalicus amnis ab extremitate Galliæ erumpens, iuxta quem fluuium inhabitasse, & ex eo traxisse nomen Guandali perhibentur.

Germaniæ pēte dicti, quod [illegible]

nesq; nationes, sæui ssimus duratæ frigoribus, qui mores ex ipso cœli rigore traxerunt, feroces animi, & semper indomiti, raptu venatuq; viuentes. Horum plurimæ gentes, variæ armis, discolores habitu, linguis dissonę, & origine vocabulorū incertæ: vt Tolleraces, Ambiuari Quadi, Tungri, Marcomanni, Bruteri, Camasi, Langioni, & Vbantes, quorum immanitas barbariæ etiam in ipsis vocabulis horrorem quendam significat.

Sueui pars Germanorum fuerunt in fine Septentrionis, de quibus Lucanus: *Fundit ab extremo flauos, ab Aquilone Sueuos*: quorum fuisse centum pagos & populos, multi prodiderunt. Dicti autem Sueui putantur à monte Sueuo, qui ab ortu solis initium Germaniæ facit, cuius loca incoluerunt.

Burgundiones quondam à Romanis subacta interiori Germania, per castrorum limites positi à Tiberio Cęsare, magnam coluerunt gentem, atq; ita nomē ex locis sumpserunt; q̄a crebra per limites habitacula cōstituta *burgos* vulgo vocant. Hi postea rebelles Romanis effecti plusq̄ octoginta millia armatorum ripæ Rheni fluuii insederūt, & nomen gentis obtinuerunt.

Saxonum gens in Oceanum littoribus & paludib. inuiis, virtute atq; agilitate habilis: vnde & appellata, quod sit durum & validissimum genus hominum, & præstans ceteris piraticis.

Franci à quodam proprio duce vocari putantur: alij eos à feritate morum nuncupatos existimant. Sunt enim in illis mores inconditi, naturalis ferocitas animorum.

Britones quidam latine nominatos suspicantur eo, quod bruti sint: gens intra Oceanum interfuso mari quasi extra Orbem posita, de quibus Virgilius: *Toto diuisos Orbe Britannos.*

Scoti propria lingua nomen habent à picto corpore, eo, quod aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum stigmate adnotentur.

Galli à candore corporis nuncupati sunt: gale enim græce lac dicitur: vnde & Sibylla sic eos appellat, cum ait de eis: *Tunc lactea colla auro innectuntur*: secundum diuersitatem enim cœli & facies hominum & colores & corporum quantitates, & animorum diuersitates existunt. Inde Romanos graues, Græcos leues, Afros versipelles, Gallos natura feroces, acriores ingenio peruidemus; quod natura climatum facit.

Galli autem Senones, antiquitus Zenones dicebantur, quod Liberum hospitio recepissent: postea z in s literam commutata est.

Vacca oppidum fuit iuxta Pirenæum, à quo sunt cognominati Vacęi, de quibus creditur dixisse Poeta: *Itaq; vagantes Vaccæi.* Hi Pyrenæi iugis peramplam montis habitant solitudinem: iidem & Vascones, quasi Vaccones, c in s literam demutata; quos Gneus Pompeius, edomita Hispania, ad triumphum venire festinans de Pyrenæi iugis deposuit, & in vnum oppidum congregauit: vnde & conuenarum vrbs nomen accepit. Hispani ab Ibero amne primum Iberi, postea ab Hispalo Hispani cognominati sunt.

Galatæ à candore dicti, vnde & Galli; reliquis enim Hispaniæ populis candidiores existunt. Hi græcam sibi originem asserūt, vnde & naturali ingenio callent: siquidem post finem Troiani belli Teucrum morte Mediacis fratris inuisum patri Telamoni, dum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, ibiq; vrbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidisse, inde ad Gallatiam profectos, expositis sedibus ex loco genti nomen dedisse.

Astures gens Hispaniæ, vocati eo, quia circa Asturem flumen, septi montibus siluisq; crebris inhabitent.

Cantabri gens Hispaniæ, à vocabulo vrbis & Iberi amnis, cui insidūt appellati: horum animus pertinax magis ad latrocinandum & ad bellandum, vel ad perpetiendum verbera semper parati.

Celtiberi ex Gallis Celtis fuerunt, quorū ex nomine appellata est regio Celtiberia. Nam ex flumine Hispanię Ibero, vbi consederunt, & ex Gallis, qui Celtici dicebantur, mixto vtroque vocabulo, Celtiberi nuncupati sunt.

Afri appellati ab vno ex posteris Abrahæ, qui vocabatur Afer, qui dicitur duxisse aduersus Libyam exercitū, & ibi victis hostibus consedisse, eiusq; posteros ex nomine Ataui, & Afros Africam nuncupasse.

Pœni autem Carthaginenses sunt à Phœnicibus nuncupati, qui cum Didone profecti sunt: Tyrios vero à Tyro vrbe Phœnicum nominatos, de qua profecti sunt, & in Africæ littus venerunt.

Getuli Getæ dicuntur fuisse, qui ingenti agmine à locis suis nauibus cōscendentes loca Syrtium in Libya occupauerunt: & quia ex Getis venerant, inde deriuato nomine Getuli cognominati sunt: vnde & opinio est, apud Gothos ab antiqua cognatione Mauros cōsanguinitate propinquos sibi vocare. Africam autem in initio nomen habuere Libyes, deinde Affri, post hoc Getuli, postremo Mauri & Numides. Mauri & Numidæ (vt Affri putant) sic sumpserunt exordium & vocabulum. Nam postquam in Hispania Hercules interiit, & exercitus eius compositus ex variis gentibus, amisso duce, passim sibi sedes quærebant, & ex eo numero Medi, Persæ & Armeni nauibus Africam transuecti, proxima mari loca occupauere. Sed Persæ dum materiam in agris pro construendis domiciliis non inuenirent, & ignota lingua commercium prohiberet: per patentes agros & diuersas solitudines vagabantur, & perambulationibus vagabundis, semetipsos propria lingua Numidas appellauerunt, id est, sine oppido vagos & errantes.

Medi autem cum Libyis se miscuerunt, qui proximam Hispaniam inhabitant, quorum nomen paulatim Libyes corrupte barbara lingua Mauros propter Medos appellantes, licet Mauri ob colorem à Græcis vocentur: Græci enim nigrum mauron vocant. Æstifero quippe calore afflati speciem atri coloris ducunt.

Massilia ciuitas Affricæ est non longe ab Athlante & hortis Hesperidum: à qua ciuitate Massali vocati sunt, quos nos corrupte Masulas vocamus: de quibus Virgilius: *Hic mihi Massylæ gentis monstrare sacerdos.*

Gandalij gentes sunt à meridie vsque Oceanum Hesperidum peruagantes: his nomen Ganloen Insula dedit, quæ est iuxta Æthiopiam, vbi nec serpens nascitur neque viuit.

Garamantes populi Affricæ prope Cirenas inhabitantes, à Garamante rege Apollinis filio nominati, qui ibi ex suo nomine Garama oppidum condidit; sunt autem proximi gentibus Æthiopum. De quibus Virgilius: *Extremi Garamantes.* Extremi autem, quia sæuitia à consortio humanitatis remoti.

Hesperij vero sunt, qui circa Hispaniam commorantur: nam Hispania Hesperia dicitur.

Æthiopes dicti à filio Cham, quo vocatus est Chus, ex quo originem trahunt. Chus enim Hebraica lingua Æthiops interpretatur. Hi quondam ab Indo flumine consurgentes iuxta Ægyptum inter Nilum & Oceanum in Meridie sub ipsa solis vicinitate insiderunt; quorum tres sunt populi: Hesperi, Garamantes & Indi. Hesperi sunt Occidentis: Garamantes Tripolis: Indi Orientis.

Æthiopes interpretantur, *tenebræ*, vel *caligo*, id est, impij, quibus diabolus, velut tenebris circumseptus, incedit.

Troglodytæ gens Æthiopum ideo nuncupati sunt, quod tanta celeritate pollent, vt feras cursu pedum assequantur.

Panfagij & Hini in Æthiopia sunt, quibus esca est, quicquid mandi potest, & omnia fortuitu gignentia: vnde & appellati Ictyofagij, quod venando in mari valeāt, & piscibus tantum alantur. Hi post Indos montanas regiones tenent, quos subactos Alexander Magnus piscibus vesci prohibuit.

Anthropofagi, gens asperrima sub regione Syri cōsita:

quia humanis carnibus vescuntur, ideo Anthropofagi nominantur. Itaque sicut hi, ita ceteris gentibus per secula, aut à regibus, aut a locis, aut à moribus, aut ex quibuslibet aliis causis immutata vocabula sunt, ita vt prima origo nominis eorum temporum vetustate non pateat. Iam vero hi, qui Antipodes dicuntur eo, quod contrarij esse vestigiis nostris putantur, vel quasi sub terris positi aduersa pedibus nostris calcent vestigia, nulla ratione credendum: quia nec soliditas patitur, nec centrum terræ. Sed nec vlla hoc historiæ cognitione firmatur: sed hoc poetæ quasi ratiocinando coniectant. Titanes autem quosdam in Græcia ferunt fuisse robustos & excellentes viribus populos, quos ferunt fabulæ ab irata contra deos terra ad eius vltionem creatos: vnde Titanes dicti sunt, apo to thiton, id est, ab vltione, quod quasi vlciscendæ matris terræ causa in deos armati exstiterent, quos fabulæ à Ioue bello fuisse superatos atque extinctos fingunt, propter quod de cœlo iactis fulminibus interierunt.

CAPVT III.

De Regibus & militiæ vocabulis.

Regnum à regibus dictum: nam sicut reges à regnando vocati, ita regnum à regibus. Regnum vniuersæ nationes suis quæque temporibus habuerunt, vt Assyrij, Medi, Persi, Ægyptij, Græci: quorum vices sors temporum ita voluit, vt alterum ab altero solueretur. Inter omnia autem regna terrarũ duo regna ceteris gloriosiora traduntur: Assyriorum primo, deinde Romanorum, temporibus & locis inter se ordinata atq; distincta. Nam sicut illud prius & hoc posterius: ita illud in Oriente, hoc in Occidente exortum est: deniq; in illius fine, huius initium cõfestim fuit: regna cętera, cęteriq; reges velut appendices istorum habentur. Sed inter regna omnia illud maxime appetendũ est regnum, quod stabile & fixũ permanet, atque in æterna pace consistens, nullum habebit finem: cuius regni rex est Christus, de quo Propheta ait:
Esa. 9. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis super solium Dauid. & super regnum eius, & confirmet illud & corroboret, in iudicio eius iustitia amodo & vsq; in sempiternũ.* De quo etiam
Luc. 1. Angelus ad Mariam ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Ad cuius regni possessionem ipse nos quotidie vocat per Scripturas sacras & prædicatores Euangelij, vt speremus & desideremus cœlestia, illucq; peruenire per rectam fidem & bona opera contendamus: ad quod in die iudicij ipse rex regum cum sederit in sede maiestatis suæ & congregabuntur ante eum omnes gentes & electos suos, qui à dextris eius erunt, inuitat, dicẽs:
Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ceterum in hoc mundo illa regna laudabilia sunt, quæ subiciuntur regi vero, Domino videlicet Christo, qui in toto orbe terrarum in gentibus & locis diuersis dilatans ecclesiam gubernat ac regit secundum voluntatem suam. Ad quæ regna loquitur Prophe-
Psal. 67. ta in Psalmo, dicens: *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascẽdit super cælos cælorum ad Orientem.* Dicens enim, *regna terræ*, omne genus humanum significare voluit; quia licet sint gentes, quæ non habeant reges, tamen hoc verbo concluditur, quicquid gentium esse sentitur; quod dicitur, *cantate* ad animæ respicit puritatem; *psallite*, ad opera sanctissima, quæq; Domino probantur accepta. *Qui ascendit super cælos cælorum*: Dominus vtiq;, qui de cœlo descendit ad liberandum infirmitatis nostrę naturam, ipse etiam super cœlorum cœlos ascendit: quia sedet ad dexteram Patris. *Ab Oriente*, velut quod dixit, Ierusalẽ euidenter ostendit, quæ est in Orientis partib. collocata. Vnde Dominus Apostolis videntib. ascendit ad cœlum. Reges à regẽdo vocati; sicut enim sacerdos à sanctificando, ita & rex à regendo. Non autem regit, qui nõ corrigit. Recte igitur faciendo nomen tenetur, peccãdo amittitur. Vnde & apud veteres tale erat prouerbium: *Rex eris si recte facias: si non facias, non eris.* Regię virtutes præcipuæ, iustitia & pietas: plus autem in regibus laudatur pietas, nam iustitia per se seuera est. Reges autem ob hanc causam apud Græcos *basileis* vocantur, quia, tanquam bases populum sustinent, vnde & bases coronas habent. Quanto enim quisque magis præponitur, tanto amplius pondere laborum grauatur. Tyranni Græce dicuntur, id est, latine & reges: nam apud veteres inter regem & tyrannum nulla discretio est, vt:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Vel tyrones vocabantur. Nam tyro fortis, de quibus
Dominus loquitur dicens: *Per me reges regnant, & tyranni* Prou. 8.
obtinent terram. Iam postea in vsum accedit, tyrannos vocari pessimos atque improbos reges, luxuriose dominationis cupiditatem & crudelissimam dominationem in populis exercentes. Rex mystice Deus intelligitur, vt est
illud in Psalmo: *Deus autem rex noster ante secula.* Regina est Psal. 73.
autem sancta Ecclesia, vt est illud in Psalm. *Astitit Regina à dextris tuis.* Item reges Apostoli, siue sancti cęteri sunt, vt
legitur in Psalm. *Deus qui das vindictas, & in regnum posuisti & dat virtutem regibus nostris.* Item reginæ sunt animæ Psal. 17.
perfectorum, quæ non sunt ancillæ peccati, vt in Canti-
cis canticorum dicitur: *sexaginta sunt reginæ.* Reges enim Cant. 6.
recte sancti homines dicuntur, qui spiritus auctoritate secundum voluntatem Dei animas suas regunt, & regi regum, Domino videlicet Christo obediendo subueniunt:
qui, iuxta Psalmistę vocem *dominabitur à mari vsque mare,* Psal. 71.
& à flumine vsq; ad terminos orbis terræ: cui reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Dominabitur dicit, cultu religionis latius innotescit, vtique Dominus Christus, de quo superiora canunt, & inferiora dictura sunt. Istud autem ad Salomonem filium Dauid omnimodis non potest pertinere, qui tantum in gente Iudæa rex fuisse cognoscitur. Nam si maria ista nostra velis intelligere, totius mundi ambitum, quem versus iste significat, non prævalebis aduertere. Reges ergo Arabiæ sunt, qui blandimenta corporum rigidæ subiiciũt disciplinæ. Similiter Saba, vnde Sabæi dicti sunt, quamuis corporali delectatione prævaleat, & iocundis odoribus sit refecta: suauiora tamen conuersi eius populi offerunt dona virtutum. Quod autem ait: *& adorabunt eum omnes reges terræ*, per omnes reges nos voluit cunctas intelligere nationes; quia nulla gens est, quæ in parte populi sui proprium nõ adoret auctorem. Item reges, prauit doctores intelliguntur, vt est illud Prophetæ: *Ipsi regnabunt,*
& non ex me. Tyrannus autem vel diabolũ typice potest Ose. 8.
figurare, vel Antichristum, qui contraria semper Christi imperio agere moliuntur: & hos sequuntur peruersi homines, qui cupiditatem terrenã sectantes, crudeliter magis premere populum Christianum eligunt, quam modesta dispositione regere, & rite ac consulte illi præesse. Consules appellantur à consulendo, sicut reges à regẽdo, hinc à legando nam cũ Romani regũ superbã dominationem non ferrẽt; annua imperia, binosq; cõsules sibi fecerunt. Nam fastus regius non beneuolentia consulentis, sed superbia dominantis erat. Hi ergo consules appellati vel à consulendo ciuibus, vel à regendo cuncta consilio, quos tñ ideo mutãdos per annos singulos elegerunt, vt nec insolens diu maneret, & moderatior cito succurreret. Inde autem duo pares: quia vnus rem ciuilem, alter rem militarem ministrabat: regnauerunt autem annis 464. Consules autem recte dici possunt magistri Ecclesiæ, hoc est, Episcopi atq; presbyteri & ceteri, qui consiliis secundum sanctarum scripturarum traditionem plebem sibi subiectam adiuuant atq; gubernant. Hoc autem nomẽ potestatis ex gẽtilium traditione inuentum ideo posuit, quia conuenit ecclesiasticæ dignitati, vt interiora & exteriora omnia agant cum consilio prudenter, secundum illud, quod
scriptum est: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Nam Cęsaris nomen aut Augusti non aliter Domino no- Syr. 32.
stro conuenire arbitror nisi sub significatione monarchiæ, quia solus regnat in cœlis & in terris, & quo sub eius imperio consistunt vniuersa. Monarchæ sunt, qui singularem possidẽt principatum, qualis fuit Alexander apud Græcos, Iulius apud Romanos. Hinc & Monarchia

Dona.

dicitur. monos quippe singularis græco nomine, archia
principatus est. Tetrarchæ sunt quartam partem regni te-
nētes. Nam tetra quatuor sunt: qualis fuit apud Iudæam
Philippus. Princeps & dignitatis nomen vel modū signi-
ficat, & ordinis; sicut est illud Virgilianum: *Princeps arden-
tem conterit lampada turmis*, pro, primus. Dictus autem Prin-
ceps à capiendo figuratè, eo quod primus capiat: sicut
municeps ab eo, quod munia accipiat. Legitur ergo in
Esa. 9. Propheta de Christo, quod ipse sit Princeps pacis, cuius
Ioan. 12. principatus est super humerum eius; quia in cruce omnia
Phil. 2. trahit ad seipsum; & ideo illi curuatur omne genu, & cō-
fitebitur omnis lingua, quia ipse in gloria Dei Patris viuit
& regnat in secula: de quo principe ita legitur in Ezechi-
Ezech. 44 ele: *Princeps sedebit in ea*, hoc est, in porta clausa, *& comedet
panem suum*. Dicuntur & Apostoli principes & doctores
Psal. 46. Ecclesiæ Dei, de quibus scriptum est in Psalmo: *Principes
Psal. 44. populi conuenerunt cum Deo Abraham*. Et item: *Constitues*, in-
quit, *eos principes super omnem terram, quorum principatus ni-
mis confortatus est*: quia hi suis monitis vsq; ad finem mun-
di regunt Ecclesiam, & in die iudicij futuri sunt iudices
Matth. 19 cum Christo, ad quos ipse ait: *cum sederit Filius hominis in
sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudican-
tes duodecim tribus Israel*. Rursum Principes sunt sancti, vt
Eccl. 10. in Salomone: *Vidi seruos in equis*, id est, peccatores in car-
nali potentia, *& Principes quasi seruos ambulantes super ter-
ram*. Item in contrariam partem Principes accipiuntur,
Esai. 19. vt Propheta dicit: *Principes exstiterunt, & non cognoui*. Item
Princeps diabolus siue Antichristus, sicut in Ezechiele
Ezech. 28. Dn̄s de eo loquitur, dicens: *Fili hominis leua planctum su-
per principem Tyri*, id est, super principem tribulationis.
Dux dictus eo, quod sit ductor exercitus; sed non statim
quicunque principes vel duces sunt, & reges dici pos-
sunt. In bello autem melius ducem nominari, quam re-
gem. Nam hoc nomē exprimit in prælio ducentem. Vn-
de & Virgilius ducis Euandri. Salustius: *quo cupidinis more
ducis sese quisq; bonum non dicit more consulis*. Dux enim ille
vere dici potest, qui in calle iustitiæ incedens sequentes
ducit per fidem rectam & bona opera in vitam æternam.
Psal. 85. Vnde Propheta Dominum deprecatur, dicens: *Deduc me
Psal. 142. in via tua & ambulabo in veritate tua*. Et alibi: *Spiritus* in-
quit, *tuus bonus deducet me in viam rectam*. Vnde & ipse Sal-
uator Dux à Propheta legitur in Euangelio, vbi scriptum
Matth. 2. est: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in princi-
pibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel*.
Esa. 55. Item dux Dominus Iesus Christus intelligitur in illo E-
Ezech. 34 saiæ: *Ecce testem populis dedi eum ducem ac præceptorem gentium*.
Et alibi: *Seruum meum Dauid principem in medio eorum*. Duces
sunt sancti prædicatores eo, quod trahunt fidelium gre-
ges post se. Item in contrariam partem duces hæretici
Matth. 15. sunt, & Iudæi siue doctores improbi, vt in Euangelio:
*Dimittite eos, cæci sunt duces cæcorum si cæcus cæcum duxerit am-
bo in foueam cadunt*. Fortis Dominus est, vt in Psalmo le-
Iob 9. gitur: *Dominus fortis & potens*. Et in Iob: *Sapiens corde, & for-
tis robore*. Fortes, sancti sunt, vt in Canticis canticorum:
Cant. 3. *Ecce lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis
Luc. 11. Israel*. Fortis, diabolus, vt in Euangelio: *Cum fortis armatus
custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet*. Patricij
inde vocati sunt pro eo, quod sicut patres filiis, ita pro-
uident Reipublicæ. Præfecti dicti eo, quod prætoria po-
testate præsint. Prætores, iidem, qui & præfecti, quasi
præpositores. Præsides vero dicti, quia alius loci tute-
lam præsidialiter tenent. Prætores autem, quasi præce-
ptores ciuitatis, & principes: iidem & quæstores, quasi
quæsitores, eo quod quæstionibus præsunt. Consilium
enim & causa apud eos est. Proceres sunt Principes ciui-
tatis, quasi præcedentes, quod omnes honore præcedūt.
Tribuni vocati, quia militib. siue plebibus iura tribuunt.
Chiliarchæ sunt, qui mille præsunt, quos nos, *millenarios*,
nuncupamus; & est græcū nomen. Centuriones dicti eo,
quod præsunt centum militibus: sicut quinquagenarij,
quia in capite sunt quinquaginta militū, sicut decani eo,
quod decem militibus præferuntur. Hæ autem species
prælatorum in ecclesia rite tenentur; quod vnusquisque
præpositus iuxta ritum & ordinem suū curam habet sub-
ditorum, ne per deuia erroris pergant, neq; iniustis ope-
ribus insistant, necnon & caueant, ne alius alteri noceat,
ne per violentiam opprimat, sed concordes inuicem &
pacifici vitam modestam ducant. Vnde & in veteri le-
ge Iethro, cognatus Moysi, dedit illi consilium, vt con- Exod. 18.
stitueret in plebe tribunos & centuriones & quinqua-
genarios & decanos, quatenus ipsi minora decernerent
atque diiudicarent: Ipse vero ea quæ ad Dominum per-
tinent, subditis suis dispensaret. Hinc & Apostolus He-
bræis præcepit, dicens: *Obedite præpositis vestris in Domino,* Heb. 13.
*& subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi pro animabus vestris,
Domino reddituri rationem: vt cum gaudio hoc faciant, & non
gementes hoc enim non expedit vobis*. Et iterum: *Mementote*, in-
quit, *præpositorum vestrorum, qui locuti sunt verbum Dei, quorum* Ibid.
intuentes exitum conuersationis imitamini fidem. Miles dictus,
quia mille erant ante in numero vno, vel quia vnus est ex
mille electus. Romulus autem primus ex populo mili-
tes sumpsit & appellauit. Liber primus militiæ ordi-
nem docuit. Miles autem ordinarius dicitur, aut extra-
ordinarius. Ordinarius est, qui per ordinem militat, nec
adhuc aliquem consecutus est gradum honoris: est enim
gregarius, id est, humilis militiæ: extraordinarius vero,
qui ob virtutem promouetur ex ordine. Emeriti dicun-
tur veterani, solutique militiæ, qui iam in vsu prælij non
sunt; & quia mereri militare dicitur, ab stipendiis scili-
cet, quæ merentur. Iidem & veterani dicuntur, quia iam
in vsu prælij non sunt, sed post militiæ labores quietis
suffragium consequuntur. Equestres milites dicti, quia
equo sedeant, & militant in equestri ordine. Tirones
dicuntur fortes pueri, qui ad militiam deliguntur, atque
armis gerendis habiles existunt. Hi enim non sola pro-
fessione natiuitatis, sed ab aspectu & valetudine corpo-
ris existimantur. Vnde & tirones dicti, quique, antequam
sacramento probati sint, milites non sunt. Romanæ
autem militiæ mos fuit, puberes primos exerceri armis.
Nam sextodecimo anno tirones militabant, quo etiam
solo sub custodibus agebant. Conscripti militia dicun-
tur, quia in tabulis conferuntur ab eo, qui eos ducturus
est; sicut transcripti vocantur, cum de alia in aliam legio-
nem transeunt; & inde transcripti, quia nomina dant, vt
transcribantur: & optiones dicti, quod sint electi: nam
optare eligere est, sicut est illud; *optauitq; locum regno*, id
est, elegit. Excubitores dicuntur pro eo, quod excubias
semper agunt, sunt enim ex numero militum, & in por-
ticibus excubant propter regalem custodiam: excubiæ
autem diurnæ sunt: vigiliæ nocturnæ, vnde & vigiles. Ve-
lites erant apud Romanos genus militiæ à volitando vo-
cati. Lecti enim agilitate iuuenes cum armis suis post
terga equitum consedebant, & mox cūm ad hostes ven-
tum esset, equis desiliebant, & continuo pedites ipsi ex
alia parte equitibus, per quos aduecti fuerāt, dimicantib.
hostem perturbabant. Ab his velitibus Elephanti quon-
dam Hannibalis retroacti, cum regi iam à suis non pos-
sent, fabrili scalpro inter aures adacto necabantur. Mili-
tia aūt à militibus dicta, aut à multis quasi multitia, qua-
si negotium multorum; aut à mole rerum, quasi molitia.
Legio sex milium armatorum est, ab electo vocata, quasi
lecti, i. e. armis electi; proprie aūt Macedonum phalanx,
Gallorum caterua, nostra legio dicitur. Legio habet 60.
centurias, manipulos 30. cohortes 12. turmas 200. Cen-
turia est pars exercitus in centenos milites diuisa. Vnde
& qui his præsunt, centuriones dicuntur. Subcenturiati
vero sunt, non qui in prima, sed qui in secunda centuria
sunt, quasi sub prima centuria. tamen stricti etiam ipsi &
in spiculis positi in bello sunt, vt si prima defecerit, isti,
quos sub secunda diximus, laborantibus primis subue-
niant. Vnde ad insinuandum ponitur subcenturiatus,
quasi armis dolosis instructus. Manipulus ducentorum
est militum. Manipuli autem dicti sunt milites, siue quia
bellum primi manu incipiebant; siue quod anteq̄ signa
essent, manipulos sibi, id est, fasciculos stipulæ vel herbæ
alicuius pro signis faciebant, à quo signo manipulares
milites cognominati sunt. De quibus Lucanus:

Euocat armatos extemplo ad signa maniplos.

Turma 30. equites sunt, Romani enim equites in vna
tribu 300. fuerunt, de singulis enim centuriis 10. daban-

tur, & fiebat turma. Cohors quingentos milites habet. Tria sunt militiæ genera: sacramentum, euocatio, coniuratio. Sacramentum, in quo post electionem iurauit vnusquisq; miles, se non recedere à militia, nisi post completa stipendia, id est, militiæ tempora: & hi sunt qui habent plenam militiam: nam 20. & 5. annis tenentur. Euocatio dum ad subitum bellum nō solum miles, sed ceteri euocantur. Vnde etiam Consul solebat dicere: *Qui rempublicam saluam vult esse, me sequatur.* Coniuratio, quæ fit in tumultu, quando vicinum vrbis periculum singulos iurare non patitur: sed repente colligitur multitudo, & tumultuosa in vna conflatur. hæc & tumultuatio dicitur. In acie autem istæ sete formæ sunt exercitus; classis, nodus, cuneus, alæ, cornua, agmen: quæ formas & nomina ab ipsis rebus, de quibus trāslata sunt, mutuantur. Acies dicta, quia ferro armata sit & acumine gladiorum. Exercitus multitudo ex vno genere ab exercitatione vocata. Cuneus est collecta in vnum militum multitudo; vnde propter quod in vnum coit, ipsa coitio in vnum cuneus nominatus est, quasi commeus; quia in vnū omnes coguntur. Classes dictæ propter diuisionem exercitus, q̄ Romulus instituit. Nam classen græci diuidere dicūt, qui post manipuli dicti sunt, vnde & Virgilius:

Classibus hic locus, hic acies certare solebant.

Iam postea & classica nauium dicta. Nodus proprie densa peditum multitudo, sicut equitū turma. Nodum enim dictum pro difficultate, quia vix possit resolui. Alę in exercitu triginta equites esse dicuntur. Alæ autem equites ab hoc dicti, quia tegunt pedites, alarū vice. Cornua dicuntur extremitas exercitus, quia intorta sit. Agmen dicitur, quia in longitudine directum, quale solet esse, cum exercitus iter facit, ab agendo vocatum, id est, eundo. Plautus: *quo te agis & ipse*: est aūt exercitus ambulantis. Nam agmen dicitur, quod in longitudine directū sit, quale solet esse, cū exercitus portis procedit; quicqd fuerit aliud, abusiue dicitur. Milites autē Christi illi esse dicuntur, qui contra diabolum pugnant, & contra vitia fortiter dimicant: quibus cum cōlummauerint & expleuerint agonem suum, non merces terrena, sed vita promittitur æterna. Nam de talib. Apost. ad Corinth. scripsit, dicens: *In carne enim ambulantes, non secundū carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem, munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.*

2.Cor.10.

Caput IV.

De Ciuibus.

DE imperiis, militiæque vocabulis ex parte dictum est. Deinceps ciuium nomina summatim subigimus. Ciues vocati, quod in vnum coeuntes uiuant, vt vita cōmunis & ornatior fiat & tutior. Ciues autem mystice in bonam partem ponuntur, vt est illud in Apostolo: *Vos autem estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Item in malam partem, quando ad Babyloniam spiritalem, hoc est, in partem diaboli deputantur. Domus vnius familiæ habitaculum est, sicut vrbs vnius populi: sicut orbis, domiciliū totius generis humani; est autem domus genus. Vnde in Psalmo scriptum est: *Domus Israhel benedicite Dominum: domus Aaron benedicite Dominum: domus Leui benedicite Dominū: qui timetis Dominum, benedicite Dominum.* Postquam gentilium simulachra dersit, in tertio ingressu laudes dominicas sanctorum dicit ore celebrandas; sed in his duobus versibus per officia diuersa discurrens ammonet, vt vero Domino laus fidelium debeat personare. In Israhel omnis ponitur iustus, qui diuina contemplatione gratulatur, quos postea numerat specialiter. In Aaron enim sacerdotes. In Leui reliqui ministri. Ad postremum, qui Domino in qualibet probabili conuersatione famulantur, sic omnis populus per diuersas partes deuotus Domini sui laudare præcipitur. Genus a gignendo & progenerando dictum, aut a diffinitione certorum prognatorum:

Eph.2.

Psal.134.

nationesque propriis cognationibus terminatas gentes appellauerunt. Populus humanæ multitudinis cœtus, iuris consensu concordi communione sociatus. Populus autem in eo distat a plebibus, quia populus vniuersi ciues sunt, connumeratis senioribus. Plebs autem reliquum vulgus sine senioribus ciuitatis. Populus ergo tota ciuitas est; vulgus vero plebs est, plebs autem dicta à pluralitate. Maior enim est numerus iuniorum quam seniorum, apo tou polis, id est, ciuitas vel pluralitas. Vnde & populus dictus est: græce autem populus laos dicitur à lapidibus. Vulgus est passim inhabitans multitudo, quasi quisque quo vult. Populi autem nomen in scripturis sacris aut gentem Iudæorum significat vnius Dei cultu mancipatam, & legis Domini præceptis institutam; vel etiam Christianum populum, qui magis Deo deuotus esse dignoscitur. Vnde in Psalmo scriptum est: *Scitote quod Dominus est Deus ipse fecit nos, & nō ipsi nos: nos autem populus, & oues pascuæ eius.* Nam quamuis natiuitatis nostræ ministerium præbeat carnalis operatio: tamen ille in hunc mundum nos probatur adducere, qui cuncta fecit ad existentiam peruenire. Sequitur: *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Venit ad populum fidelem per comparationes pulcherrimas: quid sint, ostendēs, oues, quia simplices sunt, & ipse eorum pastor est verus: *pascuæ eius*, id est, diuinarum scripturarum copiosa & dulcis epulatio. Ipsa sunt enim pascua, quibus fidelis anima saginatur & ad futuræ beatitudinis amæna perducitur. Tribus dicuntur, tanquam curiæ & congregationes distinctæ populorum: & vocatæ tribus, quod in principio Romani trifarie à Romulo dispertiti: in senatoribus, militibus & plebibus, quę tamen tribus nunc multiplicatæ nomen pristinum retinent. Tribus similiter mystice significant aut duodecim tribus Israhelitici generis, aut conuenticula sanctorum in Ecclesia. Nam cum de Ierusalem mystica Propheta cōmemoret, addidit: *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini tuo Domine.* Dicendo, *illuc*, significat ciuitatem Hierusalem, quam superius dixit: *cuius participatio eius in id ipsum*, & vt cœlestem esse cognosceres, addidit, *ascenderunt*: ad quam beati semper ascendunt, quoniam iugi exercitatione proficiunt: subiunxit, *tribus*, in quibus erat Israhelīticus populus distributus: sic enim illi genti ad numerum filiorum Iacob duodecim tribus fuerunt, sicut Romano populo 35 curiæ: in istis ergo tribubus significat sanctos, qui Dominum Saluatorem esse Deum confessi sunt. Nam vt ab infidelibus tribubus istas fidelium segregaret: addidit; *tribus Domini*: quæ vtiq; eius esse nō poterant, nisi ei pura mente credidissent. Alias enim tribus constat fuisse diaboli, quæ ex Christo maluerunt impia voluntate separari, quibus ipse in Euangelio dixit: *Vos a patre diabolo estis.* Verum quales essent istę tribus Domini breuiter indicauerit, *testimonium Israel*, id est, qui testimonium præbeant sanctitati. Censores apud veteres Romanos erant: est enim nomen censoris dignitas iudicialis: censere enim iudicare est. Item censores sunt patrimoniorum iudices à censu æris appellati. Iudices dicti, quasi ius dicentes populo; siue quod iure disceptent. Iure enim disputare est iuste iudicare: non est autem Iudex, si in eo non est iustitia. Leguntur enim in scripturis sacris: Iniqui pro censoribus æquitatis positi. Similiter & iudices iniqui, qui iniquitatem in iudicando magis secuti sunt quam æquitatem: cuius rei exempla inueniuntur plurima. Senatui nomen ætas dedit, quod seniores essent. Alij à sinendo dictos accipiunt senatores, ii si enim agendi facultatem dabant. Senatusconsultus à consulendo & tractando est dictus; quod sic fit, vt consulat & nocere non possit. Patres autem (vt Salustius dicit) à curæ similitudine vocati sunt. Nam sicut Patres filios, ita illi rempublicam alebant. Patres conscripti: quia dū Romulus decem curias Senatorum elegisset, nomina eorum præsenti populo in tabulas aureas contulit, atque inde Patres conscripti vocati. Municipes sunt in eodem municipio nati, ab officio munerum dicti eo, quod publica munia accipiant. Munia enim officia sunt: vnde & immunes dicuntur, qui nullum gerunt officium

Psal.99.

Psal.121.

Ibid.

Ioan.8.

[illegible] opera, [illegible]
[illegible]
Psal. 3. [illegible] inopiam.
Possessores [illegible] necessitatem habent [illegible] & dicti possessores qui sunt ab officio [illegible] Mercenarij [illegible] mercedes [illegible] quod sint [illegible] in laboribus. Mercenarij [illegible] significant [illegible] Dominum non pro amore diuino tantum, sed pro temporali retributione, de quibus scriptum est in Euangelio: Quod profugus filius pœnitendo dixit:
Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Et alibi ipsa Veritas ait: *Mercenarius &*
Ioan. 10. *qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit.* Publicani appellantur conductores vectigalium fisci vel rerum publicarum, qui vectigalia publica exigūt, vel quia per negotia seculi lucra sectentur, vnde & cognominati sunt. Hi etiam in Euangelio cum peccatoribus simul leguntur venisse ad Saluatorem, quia qui publica negotia in terrenis actibus exercent difficile peccatorum sarcina carēt; sed cum per pœnitentiam ad Dominum veraciter conuertuntur, ex peccatoribus iusti fiunt. Villicus proprie villæ gubernator est, vnde & a villa villicus nomen accepit: interdū autem villicus no gubernationē villæ, sed dispensationem vniuersæ domus, Tullio interpretante, significat: quod est vniuersarum possessionum & villarum dispensatorem. Villicus autem in Euangelica parabola comparatur illi, qui in terrenis negotiis se reum facit, sed per eleemosynam se absoluere certat. Vnde scriptum est quod villicus
Luc. 16. accusatus apud dñm suum, quasi dissipasset bona ipsius, per pecuniam dimissam conseruis suis prouidebat sibi in futurum. Vnde ipse Dñs, explicita parabola, discipulis
Ibid. suis ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Actores, iidem & curatores, ab agendo & curādo vocati. Procuratores vero eo, quod vice curatoris funguntur quasi pro curatore, sicut proconsul pro consule. Mystice autem procuratores siue tutores & actores possunt Prophetæ accipi, quorum verbis quotidie in aduētu Saluatoris erudiebamur.
Gal. 4. Vnde Apostolus sub exemplo ait: *Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est vsq; ad præfinitum tempus a patre.* Recte hi sub tutoribus esse dicuntur, qui habentes spiritum timoris, necdum meruerūt spiritum libertatis & adoptionis accipere. Ætas enim infantiæ & peccata formidat, & pædagogum metuit: nec confidit esse liberam, licet per naturam domina sit; & secundum vtramq; intelligentiā, quam tutores & actores ac prophetas vel angelos diximus, paruulus iste tamdiu sub actoribus est atq; tutoribus, donec legitimum perfecti viri tempus impleuerit. Legitimum autem tempus sicut Romanis legibus 25. annorum spatio terminatur, ita ad humani generis perfectionem Christi expectatur aduentus: statim vt ille venerit, & omnes in eum perfectū creuerimus: pædagogus à nobis [illegible] tūc auctoritate domini & hereditatis possessionem perfruimur, in qua prius nati, quodammodo putabamur alieni. Coloni sunt cultores aduenæ, dicti à cultura agri: sunt enim aliunde venientes, atq; alienum agrum locatum colentes, ac debentes cōditionem genitali solo propter agriculturam sub dominio possessoris, pro eo, quod his locatus est fundus. Coloni autem quatuor modis dicuntur. Nam coloni aut Romani sunt, aut coloni Latini, aut auxiliares coloni, aut coloni iure priuati. Inquilini vocati, quasi incolentes aliena: non enim habent propriam sedem, sed in terra aliena inhabitant. Differt autē inter inquilinum & aduenam. Inquilini n. sunt, qui emigrant & non perpetuo permanent. Aduenę autem vel incolæ, adueniunt, ex peregrinis [illegible] permanētes, & inde incolæ, quia iam habitatores sunt ab incolēdo. Aduenæ enim sunt sancti, qui de errore [illegible] transeunt ad fidem [illegible] transmigrant, de quibus
Psal. 145. Propheta ait: *Dominus custodit aduenam & pupillum,* id est, qui de Babylonia [illegible] diaboli ad Hierusalem [illegible] Domini saluandi aduenerit. Hinc [illegible]

[illegible] habitatione [illegible] Indi-[illegible] [illegible] & in [illegible], aduenæ [illegible] [illegible] peregrini [illegible] gentium [illegible], a quibus [illegible] de Bourgimmia [illegible],
Psal. 38. Legimus [illegible] in Psalmo: *[illegible] aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.* Incolæ [illegible] dicuntur, qui temporis [illegible] nos [illegible], non qui in perpetuitate [illegible], quod omni sancto euenit, qui in diuina [illegible]. Omnes enim nos peccatum [illegible] temporis [illegible] captiuos, [illegible] dia eius [illegible] incolæ sumus; quoniā [illegible], id est, de Babylonia ad Hierusalem, ipsi [illegible] ponimur. Ideo enim, *apud te,* vt non [illegible] diaboli, sed [illegible] Domini ciuitate incolam eum fuisse [illegible]: *[illegible] & peregrinus,* quia incipit esse, vbi nō erat. Peregrinus enim dicitur, quasi pergens longius. [illegible] generaliter in hac cognosceres fuisse sententiam, [illegible] omnes [illegible]
Vrbani vocantur, qui Romæ habitant, qui vero in ceteris, oppidani. Nam sola vrbs Roma, ceteræ [illegible] oppida [illegible] sunt ex propria [illegible] vocabulum inde traxerunt quia hi, qui iure belli [illegible] occidi a victoribus cū [illegible] do scil. serui vocati. Seruus in [illegible] Christus in [illegible] ne carnis, sicut in Esaia de eo dicitur: *[illegible]*
Psal. 42. *[illegible] eum.* Item seruus doctor fidelis in Ecclesia, vt in Euangelio legitur: *Quis putas est fidelis seruus & prudens?* & in malā
Matth. 24 partem de praue [illegible], vbi & [illegible], *quod si dixerit*
Ibid. *seruus malus in corde suo.* [illegible] est homo peccator, vt in
Prou. 29. Salomone: *Seruus verbis non [illegible] quod dicis non [illegible] & [illegible]* Item serui, [illegible] sunt, vt in Io-
Ioel 2. hel: *[illegible] & super seruos & ancillas meas effundam de spiritu meo.* Famuli autem siue serui & in bonam & in malam partem (vt diximus) accipi possunt: quia serui dicuntur iustitiæ, serui peccati, Scriptura teste, quæ ait: *Cui quis succubuit, huic &*
Rom. 6. *seruus addictus est.* Et Apostolus: *Liberati* inquit, *à seruitute*
Ibid. *peccati serui facti estis iustitiæ.* Similiter & ancillæ. Ancillæ a sustentaculo vocatæ: ancon enim græce cubitus dicitur, vnde & anconem dicimus. Ancillæ enim Dei, iuxta allegoriam, animæ sanctæ, quæ promptæ deuotione eius
Psal. 138. deseruiunt voluntati. Vnde Psalmista ait: *Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum. Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.* Item ancillæ, Apostoli propter carnis infirmitatem, sicut pro diabolo dicitur: *[illegible]*
Iob. 40. *ancillis tuis.* Rursum ancillæ, animæ peccatorum [illegible], vt
Nah. 2. in Nahum: *Miles captiuus adductus est: & ancillæ eius minabantur gementes.* Pauper Christus est, siue populus fidelis,
2. Cor. 8. vt in Apostolo: *Propter nos pauper factus est, cum esset diues.* Et
Psal. 33. in Psalmo: *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.* Pauperes, sancti, qui humiles spiritu sunt, vt in Euange-
Matth. 5. lio: *Beati pauperes spiritu:* Et in Psalterio: *Non spreuit neque*
Psal. 21. *despexit preces pauperum.* Aliter pauperes, diuites seculi huius virtutibus vacui, vt est illud in Apocalypsi: *Dicis, quia diues sum & ditatus & nescis, quia tu es pauper & men-*
Apoc. 3. *dicus.* Inops, populus gentium humilis, vt in Psalterio:
Psal. 112 *Suscitans a terra inopem.* Et alibi: *Eripiens inopem de manu*
Psal. 34. *fortioru.* hoc est, de potestate diaboli. Mancipium est, quicquid manu capi aut subdi potest, vt homo, equus, ouis. Hæc enim animalia statim vt nata sunt, mancipium esse putantur. Nam & ea, quæ in bestiarum numero sunt, tunc videntur mancipium esse, quando capi siue domari ceperint. Ingenui dicti, quia in genere habent libertatem, non in facto, sicut liberti: vnde & eos græci eugenos vocant, quod sint boni generis. Libertus autem vocatus, quasi liberatus: erat enim prius iugo seruitutis addictus. Libertorum filij apud antiquos Libertini appellabantur, quasi de libertis nati. Nunc vero libertinus aut a liberto factus aut possessus. Liberti enim spiritaliter illi dicuntur, qui Christiana libertate fruuntur. Vnde Apostolus ait: *Qui enim in Domino vocatus est*
1. Cor. 7. *seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.* Hic n. omnino seruitus [illegible], qui [illegible] & veteribus [illegible], quia [illegible]

appellauerunt, imprudentes autem omnes serui. Vnde Salomon: *Serui*, inquit, *sapienti liberi seruient.* Hic ergo qui credit, ac si seruus sit ad tempus, quia rem facit prudentis, vt credat in Christum, libertus est Domini. Si ergo peccata seruos faciunt, sicut Christus filius Noe peccato & imprudentiæ causa factus est seruus. Cum acceperit remissionem peccatorum libertus efficitur. *Similiter*, inquit, *qui liber vocatus est, seruus est Christi*, peruersum est ex liberto in seruum fieri Christi: liber enim a Deo, quod maximum crimen est, ideo amissa amara & contumeliosa libertate seruilem conditionem sortitus est, quæ prodesset, sicut dicit Dominus: *Tollite iugum meum super vos, quia suaue est: & onus meum leue est.* Manumissus dicitur, quasi manu emissus. Apud veteres enim quotiens manu mittebant, alapa percussos circumagebant, vnde & manumissi dicti, eo, quod manu mitterentur. Ciues Romani postea dicti sub consulibus per testamenta in vrbe Romana sunt effecti, dicti autem ciues Romani, quia testamento liberti effecti in numero Romanorum ciuium rediguntur. His primum aditus erat in vrbe Roma commorari. Ceteris autem libertis prohibebatur, ne vel in vrbe Roma vel intra septimum ab vrbe miliarium commanerent: licet legamus Paulum Apostolum necessitate compulsum propter seditionem exortam ciuem Romanum se appellasse. Multo gloriosius est, quod se cum ceteris fidelibus ciuem cœlestis Hierusalem nuncupauit: vnde ad Ephesios scribens, ait: *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, hoc est, super nouum & vetus testamentum collocati: quæ n. Apostoli prædicauerunt, prophetæ futura dixerunt, hoc est, non solum nos, sed & cœlestes potestates pariter fieri habitaculum Dei in Spiritusancto. Heredis nomen imposuit census æris: cōsoluit enim tributum actoris: in hoc enim vocabulo prima successio est hereditatis & generis, vt sunt filij vel nepotes. Proheres qui loco heredis fungitur, quasi pro herede. Est enim aut institutus aut substitutus. Heredes autē mystice sancti Dei possunt intelligi, & qui cœlestis patriæ possessores futuri sunt. Vnde Apostolus ad Roman. scribens ait: *Ipse spiritus testimonium reddet spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Vt ergo promptos ad obediendum Deo Patri faceret, hac spe exhortatur, dicens, Dei nos futuros heredes, coheredes autem Christi: vt quia magna spes premij est, tanto magis in Dei rebus propensiores essemus, postponentes curam mundanorum. Quid sit autem coheredem esse filij Dei, ab Apostolo Iohanne docemur: inter cetera enim ait: *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus.*

Eccl. 10. | 1. Cor. 7. | Matth. 11. | Eph. 2. | Rom. 8. | 1. Ioan. 3.

EXPLICIT LIBER SEDECIMVS.

INCIPIT LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

INDEX CAPITVM LIBRI DECIMISEPTIMI.

CAPITVLVM PRIMVM

De Puluere & glebis terræ.

PVluis dictus, quod vi venti [illegible] mr enim eius flatu, nec [illegible] uit, sicut ait Propheta: *tanquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ.* [illegible] quod leuis sit. Cænum est [illegible] nis ex incendio dicitur. Ab eo enim [illegible] per ignem effecta sit: nam fos ignis est. Glebæ [illegible] bus; pulueris enim collectione compingitur [illegible] glomere adunatur: terra autem ligata, gleba [illegible], puluis. Lutum vocatum quidam per antiphrasin [illegible] non sit lotum, h. e. mundum. Nam omne lutum [illegible] dum est. Volutabra appellata, quod ibi porci voluta[illegible], Vligo sordes limi vel aquæ limosæ sunt. Puluis [illegible] corruptionem humanæ naturæ, vel leuitatem humanæ mentis, vt est illud in Psalmis, quod de peccatore [illegible] est: *& erit tanquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ.* Puluis enim (vt supra diximus) est resolutio terræ & homo terrenus qñ inflatur seductorio vento superbiæ, de soliditate terræ viuētium, quasi puluis abiicitur: quia [illegible] leuitate ad firmamentum mandatorum se tenere non [illegible] tur. Limus autem terrenam materiam humani corporis significat, vt est illud: *Formauit ergo hominem Dominus de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: cum ei substantiā animæ ac spiritus, in qua viueret, creauit. Alter limus cænu & sordes exprimit vitiorum, in quibus polluitur homo. Similiter & lutum duplicem significationem habet; hoc est, carnis humanæ, & pollutionem vitiorum. Vnde Dñs legitur in Euangelio lutum ex sputo fecisse, & cæci nati oculos aperuisse: *expuit enim in terram, & fecit de saliua lutum*, quia Verbum caro factum fide incarnationis eius imbuit genus humanum, quod cæcum erat a natiuitate, hoc est ab origine primi hominis. & sic ad piscina Siloe, hoc est, ad Baptismi sacramentum illud misit; econtrario vero lutum ponitur, qñ sordes significat vitiorum. Vnde est illud Petri, quod de peccatoribus ait: *contigit enim eis illud veri prouerbium: canis reuersus ad suū vomitum: & sus lota in volutabro luti.* Argilla ab Argis vocata, apud quos primū ex ea vasa confecta sunt: & significat sancta scripturam: vnde legitur in libro Regū, quod omnia vasa, quæ fecit Hiram Salomoni in domo Dñi, de aurichalco erāt, in regione Iordanis vidit ea rex in argillosa terra: Aperte in regione Iordanis fusa sunt vasa domus Domini, in quo videl. flumine Dñs noster baptizari dignatus est, & tactu suo aquarum vndis, nobis elementū aquarum in ablutioné peccatorum cōuertit. Argillosa autem terra, de qua factæ sunt formæ ad fundéda vasa Dñi, quę melius, quam Scriptura sacra, de qua regulam bene viuendi accipimus, [illegible] quasi n. argilla ignib. durata formam vasis Dñi [illegible] qualia fieri debeant, exhibet, cū nobis scripturam [illegible] iustitiæ, quam sequamur, ostēdit: sanctorumq; nobis exempla, qui in igne tribulationum inuincibiles perstiterunt, in omnib. sequenda præmonstrat. Creta ab insula Creta, vbi melior est, nomen traxit, Creta [illegible] est. Acunea Italię insula dicta, quæ [illegible] altera [illegible] pretiosos colores emolliens [illegible] nitore exhilarat, altera [illegible] nitorem [illegible] a [illegible], & ipsa [illegible] appellata eo, [illegible] Terra Samia [illegible] insula dicta [illegible] & linguæ [illegible] Dña. S[illegible] [illegible] * [illegible] [illegible]

Esa. 40. | Psal. 1. | Gen. 2. | Ioan. 9. | 2. Pet. 2. | 3. Reg. 7. | * forte

accenditur: nascitur in insulis Eoliis inter Siciliam & Italiam, quas ardere dicunt. Inuenitur & in aliis locis effossum. Huius genera quatuor: viuum, quod foditur translucetque & viret, quo solo ex omnibus generibus medici vtuntur: alterum, quod appellant glebam: vsibus tantum fullonum familiare: tertium liquor est, vsus eius ad lanas sulfiendas, quo candorem mollitiemque præstat. Quartum ad licinia maxime cõficienda aptum. Sulphuris tanta vis est, vt morbos comitiales deprehendat nitore suo impositus ignibus ardescens in calice vini, prunaq; subdita, circumferens exardens centibus repercusso, pallorem dirum velut defunctorum effundit. Quid in sulphure, nisi fœtor carnis? & quid per ignem, nisi ardor desiderij carnalis, exprimitur? cum ergo habitantium Sodomis vel Gomorrha carnis scelera punire Dominus decreuisset: in ipsa qualitate vltionis innotuit maculam criminis: sulphur quippe fœtorẽ habet, ignis ardorem. Qui itaq; ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, vt simul sulphure perirent & igne: quatenus ex iusta pœna discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent.

CAPVT II.

De glebis & aquis.

Bitumen in Iudææ lacu Asfaldite emergit, cuius glebas supernatantes nautæ scafis appropinquantes colligunt. In Syria autem limus est passim à terra æstuans; spissatura autem vtraque & densitate coeunt, & vtraque græci spissa assalton appellãt: natura eius ardens & * ignũ cognata, & neque aqua nec ferro rumpitur: nisi solis muliebribus inquinamẽtis vtilis ad compages nauium. Mystice autem bitumen, quod est feruentissimum & violentissimum gluten, significat dilectionis ardorẽ, vi magna fortitudinis ad tenendam societatem spiritalem omnia tollerantem: vnde de arcæ structura, quam, Domino iubente, ædificauit Noe, ita legitur in libro Genesis: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis, mãsiunculas in arca facies, & bitumine lmies eam intrinsecus & extrinsecus & sic facies eam.* Arcam instruxit Noe de lignis non putrescentibus: & Ecclesia construitur à Christo ex hominibus victuris in æternum. Arca enim Ecclesiam demonstrabat, quæ natat in fluctibus mundi huius. Quod autem eadem arca de lignis quadratis fieri iubetur vndiq;, stabilẽ vitam sanctorum significat, ad omne opus bonum paratam: quacumque enim verteris quadratum, firmiter stabit. Quod bitumine glutinantur arcæ ligna intrinsecus & extrinsecus vt in compagine vnitatis, significatur tolerantia caritatis, ne scandalis ecclesiam tentantibus, siue ab his, qui intus sunt, siue ab his, qui foris sunt, cedat fraterna iunctura, & soluatur vinculum pacis. Alumen vocatum à lumine, quod lumen coloribus præstat tinguendis: est autem salsugo terræ, efficiturque hyeme ex aqua & limo, & æstiuis solibus maturatur. Huius species duæ sunt: liquidum & spissum. Sal quidam dictum putant, quod in igne exiliat: fugit enim ignem, dum sit igneum: sed naturam sequitur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt. Alij sal à salo & sole vocatum existimant; nam aquis marinis sponte gignitur spuma in extremis littorib. vel scopulis derelicta & sole decocta: sunt & lacus & flumina & putei, è quibus hauritur, dehinc in salinis ingestus sole siccatur; sed & flumina densantur in salem, amne reliquo sub gelu fluente. Alibi quoq; detractis harenis colligitur crescens cum lunę noctibus. Nam in Cirenea ammoniacus sub harenis inuenitur: sunt & montes natiui salis, in quibus ferro cæditur vt lapis renascẽs maius tanta alicubi duricie, vt muros domusq; massis salis faciant, sicut in Arabia. In natura quoq; salis differentiæ sunt. Nam alibi suauis, alibi salsissimus; commune sal in igne crepitat; tragaseum nec crepitat in igne, nec exilit. Agrigentinum Siciliæ flammis patiens, in aqua exilit, in igne fluit. Sal mystice significat condimentum sapientiæ; vnde Dominus ad Apostolos in Euangelio ait: *Vos estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Sic appellantur Apostoli,

Gen.6.

Matth.5.

* igni

quia per ipsos vniuersum hominum conditur genus: terræ enim nomine humana natura significatur. In salis vero verbi sapientia: quod autem Apostolos suos cœlesti ac diuina sapiẽtia plenos, sal terrę Saluator nominat, ostendit fatuos esse iudicandos, qui terrena tantũ sapiunt, qui temporalium bonorum velut copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. Notandum autem, quod salis natura infæcunditatem terræ facit; vnde & in Psalmo est: *Posuit terram fructiferam in salsuginem*: & quasdam vrbes legimus ita victorum sale seminatas, vt nullum in eis germen oriretur. Allegoriæ autem hoc & conuenit doctrinæ Apostolicæ, vt destructis aduersariorum munitionibus, & peccati regno deiecto, sale sapientiæ cõpescat vltra in carnis humanæ, terrę seculi luxum atq; fœditatẽ germinare vitiorum. Item quia sal ad condiendos cibos, carnesq; siccandas aptum est: rite demonstrat, quod per prædicationem Euangelij fluxus restringitur voluptatũ: & humana natura, exclusis vermibus & putredine peccatorum, illæsa seruatur suo conditori per eius custodiam mandatorum. Bonum quippe est Dei verbum audire frequentius, sale sapientiæ spiritalis cordis arcana condiri, immo ipsum cum Apostolis sal terræ fieri, id est, eorum quoq; qui adhuc terrena sapiunt, imbuendis mentibus sufficere. At si quis semel condimento veritatis illuminatus ad apostasiã redierit, quo alio doctore corrigitur, qui eam quam ipse gustauit sapiẽtiæ dulcedinem, vel aduersis seculi perterritus, vel illecebris illectus abiecit? Sicut ergo sal infatuatum cum ad condiendos cibos carnesque siccandas valere desierit, nullo iam vsui aptum erit; neq; enim (vt alius testatur Euangelista) in terrã vtile est, cuius iniectu germinare prohibetur: neq; in sterquiliniũ agriculturæ profuturum quod viuacibus licet glebis immixtum non fętare semina frugum, sed extinguere naturaliter solet. Sic hominis, qui post agnitionem veritatis retro redierit, neque ipse fructum boni operis ferre, neq; alios excolere valet, sed foras mittendus, hoc est, ab ecclesiæ est vnitate secernendus, vt iuxta aliam parabolam irridentes eum inimici dicant: *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Nitrum à loco sumpsit vocabulum: nascitur enim in oppido vel regione Ægypti, Nitria, ex quo & medicinæ fiunt, & sordes corporũ vestiumque lauantur. Huius natura non multum à sale distat. Habet enim virtutem salis, & similiter oritur canescentib. siccitate littoribus. Nam sicut salem in littore maris feruor conficit solis, durando in petrã aquas marinas, quas maior vis ventorum vel ipsius maris feruor in litora vlteriora proiecerit: ita in Nitria, vbi æstate pluuiæ prolixiores tellurem infundunt, adest ardor sideris tantus, qui ipsas aquas pluuiales per latitudinem harenarum concoquat in petram sali quidem vel glaciei aspectui simillimã: sed nil gelidi rigoris, nil salis saporis habentem, quæ tamen iuxta naturam salis in caumate durare, aut in nubiloso aẽre fluere ac liquefieri solet. Hãc indigenæ sumẽtes seruant, & vbi opus extiterit, pro lomento vtuntur. Vnde Iudææ peccanti dicit Propheta: *si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith: maculata es in iniquitate tua, dixit Dominus Deus.* Crepitat autem in aqua, quomodo calx viua: & ipsa quidem disperit; sed aquam lauationi habilem reddit. Cuius natura cui sit apta figuræ, cernens Salomon ait: *Acetum in nitro, & qui cantat carmina corde pessimo.* Acetum quippe si mittatur in nitrum, feruescit nitrum protinus, & ebullit: & peruersa mens quando per increpationem corripitur; de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci. Quod autem de prophetica sententia supra commemoraui, vbi scriptum est: *si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbã borith,* & reliqua; pro herba borith septuaginta transtulerunt.... vt significaret herbam fullonum, quæ iuxta ritum prouinciæ Palæstinæ in virentibus & humectis nascitur locis, & ad lauandas sordes eandem vim habet, quam & nitrum. Nitrum autem nostrum & herba fullonis pœnitentia est: ecclesiasticus quoque sermo, qui arguit & increpat & corripit delinquentem, moderationis nitri habet similitudinem: qui

Psal.106.

Luc. 14.

Ierem. 2.

Prou. 25.

Ierem. 2.

vero leui peccatorum sorde maculatus est, leuiorib purgatur monitis. Porro peccata grauia, quæ ad morte trahunt, nec nitro, nec herba borith dilui possunt, sed gra-
1.Cor.3. uioribus tormétis indigent: *Vniuscuiusq; enim opus quale sit,*
Ierem.2. *ignis probabit & igne reue abitur* Pulchreq; addidit: *maculata es in iniquitate tua in cõspectu meo:* quod etiam si hominib. munda videaris, mihi munda non es; qui noui conscientias singulorum. Affronitum græce, latine spuma nitri est: de quo quidam ait:

Rustum et nescis, quid græco nomine dicar.
Spuma vocor nitri: græcus es afronito.

Colligitur in Asia à speluncis distillans, de hinc siccatur sole: optimum putatur, si minime fuit ponderosum, & maxime fricabile, colore pene purpureo.

Caput III.

De lapidibus vulgaribus.

Lapides tanquam terra densior etiam vulgo discernuntur. Lapis autem dictus quod lædat pedem: lapis mollis est & sparsus: saxa hærent & à montib. exciduntur. Petra græcum est. Silex est durus lapis eo, quod exiliat ignis ab eo, dictus. Scopulus à saxo eminenti, quasi ab speculando, dictus, siue à tegimento nauium apoto. Lapis vel petra multiplicem significationem habet. Aliquando enim significat Christum propter firmitatem fi-
Psal.117. dei, atque soliditatem veritatis, vt est illud in Psalmo: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à domino factum est, & est mirabile est in oculis nostris.*
1.Cor.10 Et Apostolus: *bibebant*, inquit, *de spiritu ali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Aliquando vero lapidis nomine significantur Apostoli aut sancti viri, siue ipsa opera
Apoc.21. virtutum: vnde scriptum est in Apocalypsi: *Fundamenta muri ciuitatis omnia lapide pretioso ornata.* Et in Psalmo de
Psal.101. sanctis scriptum est: *Beneplacitum habuerunt serui tui, lapides eius & terræ eius miserebuntur.* Et alibi, *lapides*, inquit, *sancti voluuntur super terram.* Item lapides aliquando significant ordinem præpositorum in ecclesia, de quibus Ieremias:
Thren.4. *Dispersi sunt*, inquit, *lapides sanctuarij in capite omnium platearum.* Idem in latarum spaciosarumque viarum, quæ ducunt ad perditionem. Aliquando populum Iudæorum,
Ierem.50. de quibus in Propheta dicitur: *Tollite lapides de via, & redigite in aceruos.* Similiter autem lapides significant duriciã
Luc.3. cordis gentilium, de quibus Dominus ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: significat autem & pe-
Luc.8. trosa terra sterilitatẽ cordium reproborum, vnde in Euangelio scriptum est, quod semen illud, quod in terram petrosam cecidit, radicem non haberet; quia reproborum corda oportunum fructum afferre non possunt: eo quod ad tempus credunt & in tempore tentationis à statu iustitiæ recedunt. Item de duricia diaboli in libro Iob
Iob.41. scriptum est: *Cor eius indurabitur tanquam lapis*: quia nulla vnquam conuersionis pœnitentia mollitur. Gypsus cognatus calci est, & est græcum nomen: plura eius genera; omnium autem optimum de lapide speculari. Calx viua dicta, quia dum sit tactu frigida, intus occultum cõtinet ignem. Natura eius mirum aliquid facit: postquam enim arserit, aquis incenditur, quibus solet ignis extingui: oleo extinguitur, quo solet ignis incendi: vsus eius structuris fabricæ necessarius. Nam lapis lapidi non potest adhæ-
sit re fortius, nisi ad calce coniunctus. Calx è lapide albo & duro melior: quod significare potest glutinum caritatis, quo copulantur inuicem electi pertinentes ad spiritale ædificium Dei, quia cãdore virtutum nitent, & pulchritudinem bonorum operum in se ostendunt. Arena ab ariditate dicta, non ab adhærendo in frabricis, vt quidam volunt. Huius probatio est, si manu impressa stridet, aut si in veste candidam sparsa nihil sordis relinquat. Arena autem mystice significat instabilitatem hominum terrenorum, vel sterilitatem Iudaici populi, qui terrenis concupiscentiis inhiantes, spiritales fructus gignere
Psal.138. neglexerunt: de quibus scriptum est: *Dinumerabo eos, &*
Matth.7. *super arenam multiplicabuntur.* Et in Euangelio legitur virum sapientem ædificare domum suam super petram; stultum vero super arenam ponere. Fundamentum, quod Apostolus Paulus architectus posuit, vnum est Dominus noster Iesus Christus. Super hoc fundamentum stabile & firmum & per se robusta mole fundatum ædificatur Christi Ecclesia: super arenam vero, quæ fluida est & coagmentari non potest, nec in vnam copulam redigi, omnis hæreticorum sermo est, qui ad hoc ædificatur, vt corruat.

Caput IV.

De lapidibus insignioribus.

Magnes lapis Indicus ab inuentore vocatus. Fuit autem in India primum repertus grauis, crepidarum baculiq; cuspide hærens, cum armenta quidem Magnes pasceret: postea passim inuentus: est autem colore ferrugineus, sed probatur cum ferro adiunctus, eius fecerit raptum: nam adeo apprehendit ferrum, vt catenam faciat annulorum: vnde & eum vulgus ferrum viuum appellat. Galates lapis primum inuentus est in Sicilia, Galatis fluminis fluore reiectus, vnde & nominatur: licet in Britannia sit plurimus. Est autem niger, planus leuis, sed ardens igni admotus, fictilia ex eo scripta non delentur: incensus serpentes fugat dæmoniacos prodit, virginitatẽ deprehendit, mirumque in modum accenditur aqua, oleo extinguitur. Asbeston Arcadiæ lapis ferri coloris, ab igne nomen sortitus, eo quod accẽsus semel nunquam extinguatur: de quo lapide mechana cum aliquid ars humana inolita est, quo gentiles capti sacrilegio mirarentur: denique in templo quodam fuisse Veneris fanum, ibique candelabrum, & in eo lucernam sub dio sic ardentem, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret. Selinitis, qui latine lunaris interpretatur: eo quod interiorem eius candorem cum luna crescere atque deficere aiunt: gignitur in Perside.

Caput V.

De marmoribus.

Marmor sermone græco à viriditate vocatus: & quamuis postea & alij colores inueniantur: nomen tantum pristinum à viriditate retinuerunt. Marmorum colores & genera innumerabilia sunt: non tamen omnia è rupibus excidũtur: sed multa sub terra sparsa sunt, & pretiosissimi generis, sicut Lacedęmonium viridiore in cunctis repertum prius apud Lacedæmonios, vnde & vocabulum traxit: Parius candoris eximij, ligdinis cognomẽto. Hic apud Paron insulã nascitur: vnde & Parius nuncupatur; magnitudo eius, qua lances craterasq; non excedat, vnguentis ipse aptus. Parius enim marmor coloris candidi est, & significat mundiciam electorum. Vnde in templo Salomonis ex ipso lapide legitur parietes templi ædificatos esse: quod significat, ex munda sanctorum vita & conuersatione probatissima sanctam Ecclesiam ædificatam esse. Alabastrum lapis candidus interdistin- Matth.26
ctus varijs coloribus; ex quo Euangelici illius vnguenti vasculum fuit. Cauant enim hunc ad vasa vnguentaria, quoniam optime seruare ea incorrupta dicitur: nascitur circa Thebas Ægyptias & Damascum Syriæ, cæteris candidior: probatissimus vero in India. Alabastrum mystice potest significare sanctam Scripturam, quæ continet vnguẽtum pretiosum, hoc est, scientiam spiritalem, quæ odore suo totum mundum replet. Vnde legitur in Euangelio mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, effudisse ipsum vnguentum super caput Iesu recumbentis: quod significat ecclesiam diuinitatem Christi prædicare in toto mundo. Vnxit & ipsa mulier pedes Domini ex eodem vnguento: quia illa eius naturam, quæ terram contingere, hoc est, inter homines conuersari dignatus est, pia prædicatione commendat ac deuotis veneratur obsequiis.

Caput VI.

De Ebore.

EBur à barro, id est, elephanto dictum: Horatius: *Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?* Significat autem ebur pudicitiæ continentiam: vnde scriptum est in Psal-
Psal.44. mo de Ecclesia: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis &c.* Dixit enim Propheta, vnde veniat sponsæ gloriosissima pulchritudo, quæ ad domini dextri locata consistit, id est, à domibus eburneis: quod significat ornamenta palatiorum, quę copioso ebore vestiuntur: Sed ebur non ad solas diuitias intelligamus aptarū: sed quoniam elephas, cuius hæc ossa sunt, nimiæ castitatis asseritur; qui inter quadrupedia & sensu plurimum valet, & temperanter miscetur fœminæ suæ, & coniuge secunda non vtitur. Hoc pudicis fœminis decenter aptatum est: quia illæ in domibus eburneis mansisse noscantur, quæ per castitatem Christi Domini præcepta secutæ sunt. Hanc enim translationem probauerunt doctissimi Patres Augustinus atque Hieronymus.

Caput VII.

De Gemmis.

POst marmorum genera gemmæ sequuntur, quæ multum auro decorem tribuunt venustate colorum. Genera gemmarum innumerabilia esse traduntur, è quibus nos ea tantum, quæ principalia siue notissima, annotabimus. Gemmæ vocatæ, quod instar Gummi transluceant: pretiosi lapides ideo dicti sunt, quia care valent, siue vt à vilibus discerni possint, seu quod rari sint: omne enim, quod rarum est, magnū & pretiosum vocatur, sicut & in
1.Reg.3. Samuelis volumine legitur; *Et sermo Domini pretiosus erat in Israel,* hoc est, rarus. Lapides pretiosi intelliguntur sancti Apostoli & omnes sancti, de quibus in Apocalypsi ciuitas regis magni construitur. Item in Ezechiele legūtur nouem nomina lapidum pretiosorum, in quibus nouem ordines angelorum exprimuntur. Vnde per Prophetam
Ezech.28. contra diabolum dicitur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuū: sardius topazius, iaspis, chrysolithus, onyx, beryllus sapphirus,*
Ibid. *carbunculus, & smaragdus.* Et post pauca: *In medio lapidum ignitorum, ambulasti perfectus decore à die conditionis tuæ.* Pretiosissimi autem lapides in Exodo numerantur, hoc est, in rationabili Pontificis positi, & in Apocalypsi in constructione spiritalis ciuitatis. Nam in Exodo ita scriptum
Exod.28. est: *In primo versu erit lapis sardius, topazius & smaragdus. In secundo carbunculus, sapphirus & iaspis. In tertio lygurius, achates, & amethystus. In quarto chrysolithus, onyx & beryllus.* In Apo-
Apoc.21. calypsi quoq; ita legitur: *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis secundus sapphirus, tertius chalcedonius, quartus smaragdus, quintus onyx, sextus sardonius, septimus chrysolithus, octauus beryllus, nonus topasius, decimus chrysoprassus, vndecimus, hyacinthus, duodecimus amethystus. Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singula, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Variorum nominibus lapidum, vel species virtutum, vel odor, vel diuersitas indicatur, quibus tota Ierusalem cœlestis exstruitur. Difficile est enim, singulos cunctis florere virtutibus. Deniq; Esaias cum eiusdem ornatum describeret
Esa.54. ciuitatis, dicens: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, &*
Apoc.21. *fundabo te in sapphiris,* & reliqua; statim subiecit: *Vniuersos filios tuos doctos à Domino. Fundamentum,* inquit, *primum iaspis.* Iaspidum multa sunt genera. Alius enim viridis coloris, & tinctus quasi floribus apparet. Alius smaragdi habens similitudinē, sed crassi coloris, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius niuei & spumæ marinorum fluctuum quasi mixto cruore obrutilans. Per iaspidē ergo fidei vigor immarcescibilis indicatur, quæ Dominicę passionis sacramento per vndam baptismatis imbuitur atque ad omnes spiritalium gratiarum flores proficientibus meritis instruitur. Hanc enim qui habuerit, vanos
1.Pet.5. timores fugat, monente beato Petro Apostolo: *Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret: cui resistite fortes in fide.* Et potest cum sponsa dicere:
Dilectus meus candidus, & rubicundus. Vnde merito ex hoc Cant.5.
lapide in Apocalypsi structura muri, & apud Esaiam propugnacula eiusdem ciuitatis muniūtur pariter & ornantur. Duo autem lapides, id est, iaspis & sardius, duorum iudiciorum Dei, primum per aquam diluuij, secundum per ignem, figuram habere dicuntur. Vnde legitur in Apocalypsi. *Qui sedebat super thronum, similis erat lapidi iaspidi*
& sardio. Item iaspis testimonia scripturarum significat, Apoc.4.
vt est illud in Esaia: *Iaspide propugnacula tua.* *Secundus sapphi-* Esa.54.
rus. Huius lapidis colorem pariter & sacramentum Moy- Apoc.21.
ses exposuit: cum Dei habitum describens diceret: *Sub*
pedibus eius quasi lapidis opus sapphiri, & quasi cælum cum serenū Exod.24.
est. Ezechiel quoque dicit, quod locus, in quo thronus Dei sit, sapphiri habeat similitudinem, & gloria Dñi in colore consistat. Qui portat imaginem supercœlestem, vt qui talis est, cum Apostolo possit dicere: *Nostra autem*
conuersatio in cælis est: qui radiis percussus solis fulgorem Phil.3.
ardentem ex se emittit; quia cœlestibus semper intentus sanctorū animis diuini luminis quotidie radiis innouatus cōpunctior quodammodo atq; ardentior æterna perquirit: aliusq; in inquirenda persuadet. Nam quod in rubro mari reperiri dicitur, significat, per Domini passionem, & sacri baptismatis lauacrum, mentes mortalium ad prę-
sumenda cœlestia sublimiter erigi. *Tertius chalcedonius.* Apoc.21.
Chalcedonius quasi ignis lucernæ pallentis speciem reddet, & habet fulgorem sub dio, nō in domo: quo demonstrantur hi, qui cœlesti desiderio subnixi, hominibus tñ latent, & quasi in abscondito ieiunium, eleemosynam, precesq; suas agunt; sed cum doctrinæ vel aliis sanctorū vsibus inseruituri, ad publicum procedere iubētur, mox, quid fulgoris intus gesserint, ostēdunt. Nam quod sculpturis resistere, radiis autem solis vel digitorum attrita, si excandeat, paleas ad se rapere dicitur: talib. merito congruit, qui in nullo suam fortitudinem vinci permittētes, ipsi potius fragiliores quosque in sui luminis ardorisque
iura coniungunt. De quorum vno dicitur: *Ille erat lucerna* Ioan.5.
ardens & lucens. Ardens fidei amore, lucens sermone; lumen virtutum suarum internæ caritatis oleo, ne deficiat, semper renouant. Et quod apud Nasamonas, quæ est Æthiopiæ prouincia, nascitur, indicat eos sub ardenti feruore dilectionis, fama tñ obscura, quasi nigrante cute
sordere. *Quartus smaragdus.* Smaragdus nimiæ viriditatis Apoc.21.
est: adeo, vt herbas virētes, frondesq; gemmas etiam superet omnes, inficiens circa se viriditate repercussum aërem. Qui mero & viridi proficit oleo, quamuis natura imbuatur. Cuius genera plurima; sed nobiliores Scythici, secundum locum tenent Bactriani, tertium Ægyptij. Significat animas fide semper virentes, quæ quo magis aduersitate seculi, quæ figuram Scythiæ designat, attemptantur; eo amplius hereditatē immarcescibilē, & æternam conseruatam in cœlis, & mente concipere sperādo, & in proximos satagunt spargere prædicando. Quæ etiā calice Dominicę passionis, & internæ pinguedine caritatis, quæ per Spiritumsanctum datur, ad contemptum mundi proficiunt. His eiusdem quoq; lapidis patria tellus pulcherrima ratione cōgruit. Tellus locuples, sed inhabitabilis: nam cum auro & gemmis affluat; Gryphes tenent vniuersa, alites ferocissimæ, vel potius feræ volātes. Sunt enim quadrupedes, & corpore quidem leonibus, capite vero & alis aquilis simillimæ. Arimaspi cum his dimicant, qui vno oculo in fronte media feruntur insignes, vt accipiāt hos lapides, mira cupiditate, & feris capientibus, & Armaspis custodientib. Hanc enim terram virtutum thesauris abundātem audierat Psalmista, cum
dicebat: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine,* i. e. à mun- Psal.54.
di illecebris animos elongando subtraxi. In hac contra-
rias sibi bestias offenderat, cum increpans ait: *Muta efficiantur labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in* Psal.30.
superbia & contemptu. In hac quoq; Gazas desiderabiles inuenire se manifestabat cum admiratione delectabili
secutus adiungere dicens: *Quam magna multitudo dulcedinis* Ibid.
tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te, & cetera vsque ad fin. Psalmi. Contra huiusmodi alites, semen diuini verbi

nobis præcipere anhelantes, quiq; sanctorum inuigilant, simplici per cœleste desiderium intentione, quasi vno oculo admirandi, vt gemmam fidei, ceterarumq; virtutum inuestigare & effodere queant. Quo enim quæq; virtus celsior est eo pauciores habet cultores, grauioremq; ab immundis spiritibus persecutionem tolerat, qui velut gryphes hortu diuitiorum delectatione terrestres, sed superba mentis altitudine volucres, diuitias spiritales non sibi ad vsum possidere, sed hominib. auferre indefesso labore decertant. Et quia tanta fidei sublimitas per Euangelium mundo innotuit: apte propter quatuor Euangelij
Apoc. 21. libros quarto loco smaragdus ponitur. *Quintus Sardonyx.* Hic ex onyche candorem, ex sardio ruborem trahens, ab vtraq; sardonyci nomen accepit: sunt enim eius genera plurima. Alius enim terræ rubræ similitudinem tenet. Alius, quasi per humanam vnguem sanguis enitet, bicolor apparet. Alius tribus coloribus, subtertius nigro, medio candido, superius niueo consistit. Cui comparantur homines corporis passione rubicundi, spiritus puritate candidi: sed mentis sibimet humilitate despecti, cum
1. Cor 4. Apostolo protestantes: *Et si exterior homo noster corrumpitur,*
2. Cor. 4. *sed tamen interior renouatur de die in diem.* Et iterum: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Item, ut Psal-
Psal. 38. mista: *Quamquam in imagine Dei homo ambulet*, id est, de virtute mentis, *tamen vane conturbabitur*, id est, de infirmitate carnis. Quæ quoniam passio in corporis infirmitate
Matth. 10 versatur (*qui enim occidunt corpus, animam non possunt occidere*) & humilitas de eiusdem corporis fragilitate descen-
Rom. 7. dit, cum dicitur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius:* recte sardonyx quinto fundamento inseritur. Nam corpus nostrum quinq; sensibus subsistere cer-
Apoc. 21. tum est. *Sextus Sardius* qui ex integro sanguinei coloris est, martyrum gloriam significat: de qua dicitur: *Pretiosa*
Psal. 115. *in conspectu Domini mors sanctorum eius*; merito sexto loco positus, cum Dominus noster & sexta ætate seculi incarnatus, & sexta feria sit pro totius mundi salute crucifixus.
Apoc. 21. *Septimus Chrysolithus.* Chrysolithus lapis, quasi aurum, fulget, scintillas habens ardentes. Cuius specie figurantur hi, qui intellectu supernæ veræ sapientiæ fulgentes verba exhortationis in proximos, vel etiam virtutũ signa, quasi scintillas ignis effundunt. Quorum & arator ait:

Mentibus inflat amor, sermonibus æstuat ardor.

Quod quia solo spiritalis gratiæ munere geritur, decentissime septimo fundamento Chrysolithus: in septiformi enim numero solet Spiritussancti gratia figurari. De quo
Apoc. 1. supra dicitur: *& a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Cui sensui consonat etiam hoc, quod eiusdem lapidis genus quoddam cærulei viridantisq; coloris inueniri. Vnde & apud Hebræos à marini coloris similitudine tharsis appellatur. Viror quippe ad integritatẽ fidei, quæ minimum sapientiæ dicitur: aqua vero tropice ad Spiritumsanctum pertinet, Domino attestante, qui ait: *Qui*
Ioan. 7. *credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem*
Apoc. 21. *dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Octauus Beryllus.* Beryllus est, quasi consideres aquam solis fulgore percussam rubicundum ac decorum reddere colorem: sed non fulget nisi in sexangulam formam poliendo figuretur. Repercussu enim angulorum splendor illius acuitur. Significat autem homines quidem ingenio sagaces, sed amplius supernæ gratię lumine refulgentes. Nam quod aqua sensus altitudinem designet, Salo-
Prou 18. mon testis est, qui ait: *Aqua profunda verba ex ore viri*: sed est perfecti fulgoris vel humana vel etiam diuina sapientia, nisi operum quoque consummatione subuertatur. Nam senario sæpe numero perfectio designatur actionis; maxime, cum in hoc numero mundi huius sit opus consummatum. Quodque tenentis manum adurere dicitur, proculdubio patet, quia quisquis sancto viro coniungitur, eius nimirum bonæ conuersationis igne recrea-
Apoc. 21. tur. *Nonus Topazius.* Topazius lapis quantum inuentione rarus, tantum mercium quantitate pretiosus est, qui duos fertur habere colores: vnum auri purissimum, & alterum æthereæ claritate relucentem: pinguedo rosea, verecunda, quæ pietas; ... lapidi chrysoprasso magnitudine vel colore, quia maxime lampat ... solis splendore percussus, ... omnium gemmarum superans pretiositates, in aspectum suum singulariter prouocans ... locum cupiditatem voluptatem. Quem si polire velis, obscuras: si naturæ proprie relinquas, irradiat. Hic regibus ipsis fertur esse mirabilis, vt inter diuitias suas nihil se simile possidere cognoscant. Cuius pulcherrima natiuæ qualitas contemplatiuæ vitæ decori dignissime comparatur. Hanc enim reges sancti, quorũ cor est in manu Dei, cunctis bonorum operum diuitiis vniuersisq; virtutum gemmis merito præferunt, in eam maxime partæ fixæ mentis intuitum æternumq; dirigẽtes, tanto ardentius cœlestis vitæ dulcedinem animo complectẽtes, quanto frequentius supernæ gratiæ fuerunt splendore percussi. Habent ergo sancti viri aureum colorem ex flamma internę caritatis: habent æthereum ex supernæ contemplatione dulcedinis, qui sæpe præsentis seculi turbine velut attritu vilescit. Non enim facile potest animus vno eodemque momento terrenis laboribus, ærumnis curisq; & doloribus agi, & illa cœlestis vitæ gaudia trãquillæ mentis statu delectatus intueri. Quin potius ingemiscendo proclamat: *Turbatus est*, inquiens, *ex ira oculus meus: inueteraui inter omnes* Psal. 6.
inimicos meos. Quod vero in insula Thebaide, quæ Topazion appellatur (vnde ipse nomen accepit) inueniri dicitur, dupliciter intelligendum est, quia & illę præcipuę, id est, Ægyptiorum regiones monachorum gregibus abundent, & quicumque loh iustitiæ vicinus habitauerit, ætherei nimirũ luminis fulgore coronetur. Et pulchre sicut in octauo ordine actiuę vitę perfectio, sic in nono spe calaminæ suauitatis gemma ponitur; siue quia nouem ordines angelorum, quorum vitam imitatur, in scriptura S. reperiãtur: siue quia à perfectę beatitudinis denario vno tantum (vt ita dicam) gradu mortis abest, cui summo de
Psal. 118 siderio Propheta suspirans aiebat: *Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion*, id est, super omnem probatæ actionis claritatẽ, superq; omnem quæ in hoc seculo fieri potest, contemplatiui gaudij sublimitatem dulcissimo mandatorum tuorum delectabar amore, quorũ primum & maximum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* Deut. 6.
tota anima, tota virtute. Quod non, nisi in illo cœlestis regni culmine, ad integrum perfici posse, certissimum est.
Decimus Chrysoprassus. Chrysoprassus est viridis, aurea que Apoc. 21.
mixturæ: quidam etiam purpureum iubar trahens, aureis interuenientibus guttis; nascitur aũt in India. Qui significat eos, qui viriditatem æternę patrię, perfectæ caritatis fulgore promerẽtes, eam etiam cæteris purpurea martyrii sui luce patefaciunt. Qui quoniam in eo, quod præsentem vitam despiciunt, æternam gloriam præferunt, Domini in carne apparentis exempla sequuntur, iam velut Indi, id est, prope solis ortum, meritorum suorum fulgur ostendunt, & qui, velut sol, in regno Patris fulgere, regiq; suo, cui nunc compatiuntur, tunc conregnare desiderantes expectant, iure in decimo loco sunt positi. Per denarium enim, quo Dominicæ Vineæ cultores remunerantur, ęterni regis percipiẽda imago figuratur: vbi quod in nouo gradu nõ poterat, perfecta dilectione Dei & proximi per omnia decalogus implebitur. *Vndecimus* Ibid.
Hyacintus. Hyacintus in Æthiopia reperitur, cæruleum colorẽ habens, optimus, qui nec rarus est, nec densitate obtunsus; sed ex vtroq; temperamento lucet, & purificatum suauiter florẽ trahit. Hic autem nõ rutilat æqualiter, sed cum cœli facie mutatur: sereno autem perspicuus atque gratus est: nubilo coram oculis euanescit atq; marcescit. Indicat aũt animas cœlesti semper intentioni deditas, atque angelicæ quodammodo (quantum mortalibus fas est) cõuersationi propinquantes: quibus omni custodia virtus discretionis seruare præcipitur: ne vel omnia sensus subtilitate callẽtes, altiora se quærere, & fortiora se scrutari audeant. *Gloria enim Domini celare verbum*, id est, cau- Prou. 25
te de Deo vel homine Christo philosophari: vel rudes desidia torpentes ad infima fidei initia atq; elemẽta ex oris diuini sermonum Dei relabantur. Quin potius via regia gradientes, à dextris & à sinistris per arma iustitiæ procurati procedant: aptaq; temporis diuersitati cum cœli faciem mutantes suis inspectoribus dicant: *Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus vobis.* Quasi cum ... 2. Cor. 5

2.Cor.6. tus nubilo circundatus, loquitur: *& ne angustiamini in nobis* 1.Cor.2. *angustiamini autem in visceribus vestris.* Et iterum: *Nihil enim iudicaui me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* & quasi in serena luce visus ait: *Sapientiam autem* Ibid. *loquimur inter perfectos.* Duodecimus *amethystus.* Amethy- Apoc.21. stus purpureus est permixto violacio colore. & quasi roseo nitore, quasdamq; leuiter flammulas fundēs. Sed & quidam illius nō ex toto in purpura igneus, sed quasi vinum rubens apparet. Purpureus ergo decor cœlestis regni habitum, roseus vero atque violacius humilem sanctorum verecundiam, preciosamque mortem designat: quorum fidei mens principaliter in summis erigitur, etiam, cum extremis perpeti abiecta cernuntur, Dominici semper inter aduersa memor promissi: *Nolite timere pusillus grex,* Luc. 12. *quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum.* quique flammam charitatis non ad se tantum innicem, sed ad ipsos etiam persecutores spargentes positis genib. implorant: Act.7. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* atque inter calicem passionis bibendum, illius potius vini, quod lætificat cor hominis, iugi recordatione inebriantur, quod Dominus se nouum cum discipulis suis in regno Patris bibiturum esse promisit. Sicque fit, vt in Iaspide fidei viriditas: in Sapphiro spei cœlestis altitudo: in Chalcedone flamma caritatis internæ figuretur: in Smaragdo autem eiusdem fidei fortis in aduersa conuersio: in Sardonyce sanctorum inter virtutes humilitas: in Sardis reuerendus martyrum cruor exprimitur; in Chrysolitho vero spiritalis inter miracula prædicatio: in Beryllo prædicantium perfecta operatio; in Topazio eorundem ardens contemplatio monstratur. Porro in Chrysoprasso beatorum martyrum opus pariter & præmium: in Hyacintho doctorum cœlestis ad alta subleuatio, & propter infirmos humilis ad humana descensio: in Amethysto cœlestis sem per regni in humilium animo memoria designatur. Onyx appellata, quod habeat in se permixtum candorem in similitudinem vnguis humanæ; græce enim vnguem onyce dicunt: hanc India vel Arabia gignunt. Distant autem inuicē; nam Indica igniculos habet albis cingentibus zonis: Arabica autem nigra est cum candidis zonis: genera eius quinque. Legitur in Exodo, quod, Domino Exod.28. iubente, Moyses faceret Aaron fratri suo superhumerale ex auro, hyacintho & purpura, coccoq; bistincto, & byssо retorta, duosq; lapides onychinos sculpens nominib. filiorū Israel, insereret ipsos superhumerali inclusos auro atq; circumdatos. Cuius significatio mystica inpromptu est: lapides quippe pretiosa opera sunt virtutum spiritalium: habetq; sacerdos in humeris lapides pretiosos & in eis nomina Patrum inscripta, cum & ipse claritate bonorum operum cunctis admirandus extiterit, & eandem claritatem non à se nouiter inuentam, sed antiqua sibi Patrum auctoritate traditam esse docuerit. Duplici autem ratione hæc in humeris portat: vt & ipse præceptis dominicis humiliter subditus incedat, & auditorib. suis semper cœlestia, siue sua, siue Patrum exempla, quæ sequantur, proponat. Carbunculus dictus, quod sit ignitus, vt carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur: lucet enim * vibret in tenebris adeo, vt flammas ad oculos *vibret. Genera eius duodecim sunt: sed præstantiores sunt, qui videntur fulgere, & velut ignem fundere. Hic enim lapis potest significare verbum Dei, quod per Apostolicum ordinem & prædicatores Euangelij illucescit nobis in obscuro huius mundi, & effugat noctis tenebras & caliginem pecca- Ioan. 1. torum; vnde scriptum est: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Lyncurius vocatus, quod fiat ex vrina lyncis bestiæ tempore indurata; est autem, sicut esucinum, fulua, adtrahens spiritu folia propinquantia. Hæc gemma quia de rubris gemmis est, potest martyrum passionem significare, qui quos, spiritu diuino incitati, folia verborum adtrahunt, per eas persecutores suos orādo siue prædicando sibi conciliant, & ad vnitatem fidei perducunt. Achates namq; lapis de nigris gemmis vna est. reperta primum in Sicilia iuxta flumē eiusdem nominis, postea plurimis in terris: est autem nigra, habens in medio circulos nigros, & albos iunctos & variatos, similis hæmatiti: hic etenim tempestates auertit, flumina sistit. Hic etiam illos significare potest, qui propter cœlestis vitæ desiderium despectum mundi habent, & coronam vitæ expectant æternæ. Corallius gignitur in mari, forma ramosus, colore viridis, & maxime rubens, viæ eius candidæ sub aqua & mollis: extractus confestim duratur & rubescit, tactusque protinus lapidescit. Itaque occupari euellique retibus solet, aut acri ferramento præcidi: qua de causa corallius vocatus. Quantum apud nos margaritum Indicum pretiosum est, tantum apud Indos corallium. Hunc magis fluminibus resistere affirmant, si creditur. Hic ergo lapis eorum figuram merito exprimit, qui de maris fluctibus, hoc est, de mollicia secularis conuersationis abstracti, per robur continentiæ durescunt, & soliditatem rectæ fidei, ac bonorum operum decorem in se ostendunt: ita vt sanctissimis vitiis merito inde complacere possunt. Alabandina dicta ab Alibanda Asiæ regione, purpuræ aspectu similis. Iste in Oriente igne liquatur, atque in vsum vitri funditur. cuius color prope ad Chalcedonium simulatur: sed magis rubeus est: & sanguinem martyrum per figuram ostendit.

Capvt VIII.

De Margaritis.

Margarita, prima candidarum gemmarum, quam Indi margaritam aiunt vocatam, quod in conculis maris hoc genus lapidum inueniatur. Inest enim in carne cocleæ calculus natus, sicut in cerebro piscis lapillus: gignitur autem de cœlesti rore, quem certo anni tempore cocleæ hauriunt: ex quibus margaritis quidā vniones vocantur: aptum nomen habentes, quod tantum vnus, nunquam duo vel plures simul reperiantur. Meliores autem candidæ margaritæ, quam quæ flauescunt. Illas enim iuuentus aut matutini roris conceptio reddit candidas. Has senectus vel vespertinus aër gignit obscuras. Margaritum mystice significat euangelicam doctrinam siue spem regni cœlorum, vel charitatem & dulcedinem cœlestis vitę. Vnde legitur in Euangelica parabola de homine quærenti bonas margaritas, quod, inuenta Matth.13. vna preciosa margarita, abierit & vendiderit omnia, quę habuerat, & emerit agrum illum; quia qui cœlestis vitæ dulcedinem (in quantum possibilitas admittit) perfecte cognouerit, ea, quæ in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione eius vilescunt omnia. Deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cœlestibus animus; nil in terrenis libet; deforme despicitur, quicquid de terrena placebat specie; quia sola preciosa charitas fulget in mente.

Capvt IX.

De crystallis.

Crystallus resplendens & aquosus colore. Traditur, quod nix sit glacie durata per annos, vnde & nomen ei Græci dederunt. Gignitur autem in Asia & Cypro: maxime in septentrionum alpibus, vbi nec æstate sol feruentissimus inuenitur: ideoq; ipsa diuturna & annosa duricia reddit hanc speciem, quæ crystallus dicitur. Hic oppositis radiis solis adeo rapit flammam, vt aridis fungis vel foliis ignem præbeat. Vsus eius etiam ad pocula destinatur: nihil autem aliud, quam frigidum pati potest. Crystallus aliquando significat Baptismi sacramentum: aliquando firmitatem sanctorum angelorum: aliquando etiam incarnationem Dominicam. Baptismum enim significat in illo, quod in Apocalypsi scriptum est: *In con-* Apoc.4. *spectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Propter fidem veritatis Baptisma refertur ad vitrum, in quo non aliud videtur exterius, quam quod gestat interius. Crystallo quoque, quod de aqua in glaciem & lapidem pretiosum efficitur, Baptismi gratia figuratur. Quod autem crystallus significet soliditatem angelorum, vel incarnationem Dominicam, in illo testimonio Ezechielis Prophetæ

Ezech. 1. phetæ probatur, quo ait: *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis & extenti super capita eorum desuper.* Possunt enim firmamenti nomine cœlestes potestates intelligi. Quod firmamentum recte quasi aspectus dicitur crystalli: quia videl. crystallũ forte quidem nimis est, sed ex aqua solidatum: & natura angelica quando creata liberum arbitrium accepit: vt vtrum vellet in humilitate persistere; & in omnipotentis Dei aspectu permanere, an ad superbiam laberetur, & à beatitudine caderet, per similitudinem aqua fuit. Sed quia, cadentib. alijs, angeli sancti in sua beatitudine persiterunt, atque hoc acceperunt in munere, vt iam cadere omnino non possint: in eis natura sua, quia iam duci mutabiliter non potest, quasi ad imaginem crystalli durata est. Item humana natura priusquam à Creatore omnium susciperetur, terra erat. Nam firmamentum non erat: peccanti quippe homini dictum est: *Terra es, &*
Gen. 3. *in terram ibis.* At postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in cœlis subleuata, & super angelos ducta: firmamentum facta est, quæ terra fuit. Sed firmamentum, quod aspicitur, cuius habebat similitudinem, subinfertur, cum dicitur: *quasi aspectus crystalli horribi-*
Ezech. 1. *lis.* Crystallum (sicut dictum est) ex aqua congelascit & robustum fit. Scimus ergo, quanta sit aquæ mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri quia vsq; ad mortem passioni subiacuit, aquę simile iuxta aliquid fuit: quia nascendo, crescendo, lassescendo & esuriendo, sitiendo, moriendo, vsque ad passionem per momẽta temporum mutabiliter decurrit. Aqua ergo in crystallum versa est; quando corruptionis eius infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis firmitatem est immutata. Adamas Indicus lapis & indecorus, ferrugineum habens colorem; & splendorem crystalli. Nunquam autem vltra magnitudinem nuclei auellani repertus. Hic nulli cedit materiæ, nec ferro quidem, nec igni; nec vnquam incalescit. Vnde & nomen interpretatione græca indomita * ius accepit. Sed dum sit inuictus, ferri ignisque
* vis contemptor, hircino rumpitur sanguine recenti, & calido maceratur, sicque multis ictibus ferri perfrangitur. Cuius fragmenta sculptores pro gemmis insigniendis perforandisque vtuntur. Hic autem dissidet cum magnete lapide in tantum, vt iuxta positus ferrum non patiatur abstrahi à magnete: aut si admotus magnes comprehenderit, rapit atq; aufert. Fertur quoq; in electri similitudine venena deprehendere, metus vanos expellere, maleficis resistere artibus. Genera eius sex. Significat autem iste lapis duriciam cordis Iudæorum, qui indomabilis & intractabilis semper ad pœnitẽtiam erat. Vnde ita legitur in Ieremia Propheta: *Peccatum inde scriptum*
Ierem. 17. *est stylo ferreo, in vngue Adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.* Peccatũ autem ius indelebile atq; (vt ita dicam, nulla ratione abolendum, scriptum est stylo ferreo, vngue adamantino. Per stylum ergo ferreum fortis sententia, per vnguem vero adamantinum signatur finis æternus. Peccatũ vero inde stylo ferreo in vngue adamantino scriptum dicitur: quia culpa Iudæorum per fortem Dei sententiam in fine seruatur infinito: qui in passione
Matth. 27 Saluatoris dixerunt: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Aliter de Iuda proditore & consortib. eius dictũ ac-
Matth. 26 cipi potest, de quo Veritas ait: *Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem tradetur: melius erat ei si natus non fuisset homo ille.*

Capvt X.

De Vitro.

Vitrum dictum, quod in sui perspicuitate translucear. In alijs enim metallis, quicquid intrinsecus continetur, absconditur, in vitro vero quilibet liquor vel species, qualis est interius, talis exterius declaratur & quodãmodo clausus patet; cuius origo hæc fuit. In parte Syriæ, quæ Phœnicis vocatur finitima Iudææ circa radicẽ montis Carmeli palus est, ex qua nascitur Belus amnis, quinque millium passuum spatio in mare fluens iuxta Ptolomaidem, cuius arenæ, decurrente fluctu, à sordibus eluũtur. Hinc fama est, pulsa naue mercatorum vitri cum sparsim per litus epulas pararent, nec essent pro attollendis vasis lapides, glebas vitri naui subdiderunt: quibus accensis, permixta harena littoris, translucentes noui liquoris fluxisse riuos, & hanc fuisse originem vitri. Mox vt est ingeniosa solletia, non fuit contenta solo vitro, sed alijs mixturis hanc artẽ studuit; leuibus enim aridisq; lignis coquitur, abiecto cypro ac vitro, continuisq; fornacibus vt æs liquatur massæque fiunt. Postea ex massis rursus funditur in officinis, & aliud flatu figuratur. Aliud torno teritur: aliud argenti modo celatur: tinguitur etiam multis modis, ita vt hyacintos sapphirosque virides imitetur, & onyces, vel aliarum gemmarum colores: neq; est alia speculis aptior. Maximus tamen honor in candido vitro, proximaq; in crystalli similitudine. Vnde & optandum argenti metalla & auri repulit; vitrum olim fiebat & in Italia, & per Gallias & Hispaniam: harena alba mollissima pila molaque terebatur. Vitrum aũt quod Baptismatis sacramentum significet, in quo abluimur ab omni sorde peccatorum, & puritati restituimur, iam superius dictum est. Vnde in Apocalypsi ita scriptũ de structura ciuitatis supernæ; *Ipsa vero ciuitas aurum mundum simi-* Apoc. 21.
lis vitro mundo. Ecclesia in auro figuratur, quæ in candelabris aureis & phialis propter sapiẽtiæ cultũ sæpe cõpta describitur: vitrum aũt ad fidem verã retulit; quia quod foris videtur, hoc est & intus; & nihil simulatũ est & non perspicuum in sanctis ecclesiæ. Potest & ad illud tempus referri, quo sibi inuicem cogitationes in alterutrum perspiciuntur & declarantur.

Capvt XI.

De Metallis.

Metallum dictum græce apo to meta, quod natura eius ea sit, vt vbi vna vena apparuerit, ibi spes sit alterius inquirendi. Septem autem sunt genera metallorum; aurum, argentum, æs, electrum, stagnum, plumbũ, &, quod domat omnia, ferrum.

Capvt XII.

De Auro.

Avrum ab aura dictum, i. e à splendore, eo quod percusso aëre plus fulgeat. Vnde & Virgilius:

Discolor inde auri per ramos aura refulsit.

Hoc est, splendor auri; naturale n. est, vt metallorũ splendor plus fulgeat luce alia repercussus. Hinc & aurarij dicti, quorũ fulgor splẽdidos reddit. Aurũ splendorem sapientiæ, vel intellectũ spiritalem sacrarũ scripturarũ, vel caritatis eminentiã significare potest; vt est illud in Psal.
Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Ideo supra vir- Psal. 44.
tutes alias gratia caritatis apparuit; quia omnia eius fulgor excellit, & sapientiæ lumen splendidissimũ est, quod maxime in scripturarum meditatione percipietur. Obrizum aurum dictum, quod obradiet splendore: est enim coloris optimi, quod Hebræi ofaz, græci aurum vocant. De auro autem obrizo in Iob, vbi de sapiẽtia diuina scriptura commemorat, ita legitur: *Non dabitur aurum obrizũ* Iob. 28.
pro ea: quid namq; per aurum obrizum, nisi sancti angeli designantur? qui recte & aurum vocãtur obrizum; aurũ, quia fulgent claritate iustitiæ; obrizum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines vero iusti quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter viuũt, aurum quidem esse possunt: obrizum esse omnino nõ pos-
sunt: *quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & depri-* Sapien. 9.
mit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nam quamuis in hac vita ex magna iustitiæ claritate resplendebant, nequaquam tamen ad purum peccatorum sordibus carent. Item in eodem libro legitur: *Si putaui aurum robur* Iob. 31.
meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Quid in hoc loco aurum accipimus, nisi præclari intellectus ingeniũ. Quid obrizum, nisi mentẽ, quæ dũ igne amoris excoquitur, semper in se seruat claritatem pulchritudinis cottidiana nouo-

tione feruoris. Nescit enim mens per torporem verrescere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Sancti autem viri robur suum aurum non deputant: quia quantolibet ingenio fulgeant, nihil se esse ex suis viribus pensant: & cum sentire omnia valenter possint, prius intelligere semetipsos cupiunt: quatenus lumen ingenij, more solis, prius illustret locum, in quo oritur, & postmodum cætera, ad quæ procedendo dilatatur: ne si intendendo cognoscendis alijs semetipsos nesciant, ibi solis radius vbi oritur, tenebrescat. Item in auro Deus intelligitur: sicut in canticis canticorum pro Christo dicitur: *Caput autẽ*
Cant. 5. *eius aurum optimum.* In Apostolo: *Caput autem Christi Deus.*
1. Cor. 11. Aurum spiritualis est sensus in scriptura diuina vt in psal-
Psal. 61. mo: *Posteriora dorsi eius in virore auri.* Aurum, sancti, de quo
Iob. 31. in Iob legitur: *Ab aquilone aurum veniet*, id est, Apostolo
Ps. 71. gentium credentes in Christo. Et in psalmo: *Viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ.* Aurum sapientia, sicut in Exodo in ornamento sacerdotis hoc ipsum priore in loco habere præcipitur. Aurum, reprobi quiq; apud Dominum reiecti, & apud homines electi, de quibus in Iob pro diabolo dici-
Iob. 41. tur: *sternet sibi aurum quasi lutum.* & in Abacuc: *Esca eius e-*
Hab. 1. *lecta.*

CAPVT XIII.

De argento.

ARgentum non longe à græca appellatione distat: hoc enim illi argyrum vocant. Cui mirum in modum illud, dum candidum sit, impressum corpori lineas nigras reddit. Argentum viuum dictum, quod excitat materias, in quibus iniicitur: hoc & liquidum, quia percurrit. Inuenitur specialiter in metallis siue in argentarijs fornacibus guttarum concretione tectis inhærens: sæpe etiam & in stercore vetustissimo cloacarum, vel puteorum limo. Mystice in argento eloquia diuina siue intellectus literæ vel historiæ exprimitur, vt est illud in propheta
Ioel. 3. contra hæreticos: *Argentum meum & aurum meum tulistis &*
Ps. 11. *posuistis in delubris vestris.* & in psalmo: *Eloquia*, inquit, *Domini eloquia casta, argentum igne examinatum terræ, purgatum septuplum:* definiuit per similitudinem metalli candidi, quod sint eloquia casta argentum terræ igne examinatum, quod solet esse purissimum, quando frequenti fuerit decoctione mundatum: examinatum quippe, vel purgatum contra illud ponitur, quod de peccatoribus ait:
Ibid. *Labia dolosa, in corde & corde locuti sunt:* & vt, quam plurimum distaret, agnosceret, addidit: *purgatum septuplum:* qui numerus ad septiformem spiritum videtur pertinere, id est, timorem Dei, pietatem, scientiam, fortitudinem, consilium, intelligentiam, sapientiam. Per quæ verbum diuinum in succensis fornacibus, manens veritatis rutila coruscatione. Item argentum, oris confessio si-
Exod. 25. ue munditia castitatis. In Exodo: *Omnis, qui percipit corde offerat initia Domino aurum & argentum & æramentum.* Rur-
Ier. 6. sum argentum populus Iudæorum in Ieremia: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos.* Item argentum sermonem prædicationis significat. Vnde in Exodo columnæ tabernaculi deargentatæ esse perhibentur.

CAPVT XIV.

De ære.

ÆS ab splendore æris vocatum, sicut aurum & argentum. Apud antiquos autem prior æris, quam ferri, cognitus vsus. Ære quippe primi proscindebant terram, ære certamina belli gerebant: eratque in precio magis æs. Aurum vero & argentum propter inutilitatem reijciebantur. nunc versa vice iacet æs: aurum summo cessit honore. sic voluenda ætas commutat tempora rerum. & quod fuit in precio, fit nullo denique honori. Vsus æris postea transijt in simulachris, in vasis, in ædificiorum structuris maxime, & ad perpetuitatem monumentorum. Etiam publice in eis constitutiones scriptæ sunt. In ære autem vanitas, vel inanitas fidei exprimitur: vt est illud in Apostolo: *Factus sum velut æs sonans, cymbalum tinni-* 1. Cor. 13.
ens. Item aliam significationem habet in illo psalmista: Psal. 17.
Posuisti, inquit, *vt arcum æreum, brachia mea.* Hic ergo propheta demonstrat, qualiter contra diabolum oportet dimicari. Brachia vero Christi pro, hetæ sunt & Apostoli, per quos desiderium suæ voluntatis operatus est. His comparat æreum arcum, quia nesciunt ictu Dei prædicando mollescere: sed in cælesti fortitudine permanentes, verbis salutaribus emissis, tanquam sagittis eminus iaculatis, deuotorum hominum corda compungunt.
Item æs sunt scripturæ diuinæ: vnde in Esaia: *pro ære*, Esa. 60.
inquit, *afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs.* & in Deuteronomio propter terram repro-
missionis, quæ est Ecclesia, ait: *Cuius lapides ferrum sunt,* Deut. 8.
& de cuius montibus, id est, doctoribus, *æris metalla fodiuntur.* Æs pœnitentiæ est fortitudo vel sonus prædicationis. vt in Exodo: *Omnis*, inquit, *qui percipit corde, offe-* Exod. 25.
rat Domino aurum & argentum & æramentum. Item æs fortitudinem Ecclesiæ in longanimitate patientiæ significat: vnde est illud in Iob: *Lapis solutus calore in æs ver-* Iob. 28.
titur. Item de Antichristo in eodem libro legitur: *Repu-* Iob. 41.
tauit ferrum vt paleas, & æs in lignum putridum. In quo denotatur eius pertinaciæ rigor. Rursum æs murmuratores in flagellis Dei significat, vt in propheta: *Omnes*, in- Ezech. 22.
quit, *isti conuersi sunt in scoriam argenti in medio fornacis æs, stagnum & plumbum.* Aurichalcum dictum, quod & splendorem auri, & duritiam æris possideat: est autem nomen compositum ex lingua latina & græca: æs enim sermone græcorum chalco vocatur: fit autem ex ære & igne multo, ac medicaminibus perducitur ad aureum colorem. Corinthium est commixtio omnium metallorum, quod casus primum miscuit, Corintho, cum caperetur, incensa. Nam dum hanc ciuitatem Hannibal cæpisset, omnes statuas æneas in vnum rogum congessit, & eas incendit. Ita ex hac commixtione fabri sustulerunt: & fecerunt paropsides: sic Corinthia nata sunt ex omnibus in vnum, nec hoc, nec illud. Vnde & vsque in hodiernum diem: siue ex ipso, siue ex imitatione eius æs Corinthium vel Corinthia vasa dicuntur. Legitur enim
in Apocalypsi de similitudine Filij hominis: quod ca- Apoc. 1.
put eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix: & oculi eius velut flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco sicut in camino ignis ardentes. Pedes ignitos nouissimi temporis Ecclesiam dicit, quæ vehementibus est examinanda & probanda pressuris. Aurichalcum quippe est æs multo igne & medicamine perductum ad aureum colorem. Alia translatio, quæ dicit similes aurichalco Libani significat in Iudæa, cuius Libanus mons est, Ecclesiam esse persequendam præcipue nouissimis diebus. In scoria autem potest intelligi populus Iudæorum, vel reprobi omnes à naturali metallo per vitium peccati reprobati ac proiecti. In
propheta: *Omnes isti conuersi sunt in scoriam argenti*, & Ezech. 22.
cætera.

CAPVT XV.

De electro.

ELectrum vocatum, quod ad radium solis clarius auro argentoque reluceat. Sol enim à poetis elector vocatur: defecatius est enim hoc metallum omnibus metallis. Huius tria sunt genera. Vnum, quod ex pini arboribus fluit, quod succinum dicitur. Alterum metallum, quod naturaliter inuenitur & in pretio habetur. Tertium, quod fit de tribus partibus auri, & argenti vna, quas partes, etiamsi naturale soluas, inuenies inde nihil interesse, natum an factum: vtrumque enim eiusdem naturæ est. Electrum, quod est naturale, eiusmodi naturæ est, vt in conuiuio & ad lumina clarius cunctis metallis fulgeat, & venenum prodat. Nam si eo infundis, venenum stridores edit, & colores varios in modum arcus cælestis emittit. De electro autẽ in visione Ezechielis

Ezech.1. prophetæ ita ſcriptum eſt: *Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis intrinſecus per circuitum a lumbis eius & deſuper. & a lumbis eius vſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu. velut aſpectum arcus, cum fuerit in nube in die pluuiæ.* Quid eſt, quod aſpectus hominis videtur in throno, quaſi ſpecies electri: niſi quod in electro aurum & argentum miſcetur, vt res vna ex metallis duobus fiat, in qua & per argentum auri claritas temperatur, & per claritatem auri ſpecies clareſcit argenti. In Redemptore autem noſtro vtræque naturæ, id eſt, diuinitatis & humanitatis, inconfuſe atque inſeparabiliter ſibimet ſunt vnitæ: vt per humanitatem diuinitatis eius claritas noſtris poſſet oculis temperari, & per diuinitatem humana in eo natura clareſcere atque exaltata fulgorem vltra hoc, quod creata fuerat, habere.

Capvt XVI.

De ſtagno.

Stagni etymologia apoxupizion, id eſt, ſeparans & ſecernens mixta eum & adulterata inter ſe per ignem metalla diſſociat, & ab auro & argento æs plumbumque ſecernit. Alia quoque metalla ab igne defendit: & cum ſit natura æris ferrique duriſſima, ſi abſque ſtagno fuerit, vritur & crematur. Stagnum illitum æreis vaſis ſaporem facit gratiorem, & compeſcit virus æruginis. Specula etiam ex eo temperantur. Ceruſſa quoque ex eo, ſicut ex plumbo, conficitur. Stagnum allegorice ſophiſticam locutionem, & hæreticorum ſimulationem ſignificare poteſt. Vnde & in Ezechiele, vbi de Tyri negotiis memoratur, ita ſcriptum eſt: *Carthaginenſes negociatores tui a multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, ſtagno, plumboque repleuerunt nundinas tuas.* Ergo nundinas Tyri non auro nec lapide precioſo, ſed argento, ferro, ſtagno plumboque multiplicant, habentes eloquij venuſtatem & arma ad expugnandum, & in ſtagno eloquij ſimilitudinem, quod mentitur argento, & in plumbo impietatem grauiſſimam iuxta Zachariam, in quo mulier ſedit ſuper talentum plumbi, & Ægyptij demerſi ſunt in profundum, ſicut plumbum. Longa ſingulorum diſputatio metallorum, ſed breuitati ſtudendum eſt. Item ſtagnum eſt ſimulatio ſanctitatis, vt in propheta: *Omnes iſti conuerſi ſunt mihi in ſcoriam argenti, æs, ſtagnum & plumbum.*

Ezech.27.

Ezech.22.

Capvt XVII.

De plumbo.

Plumbum dictum, quod ex eo primum pilis factis maris altitudo temptata eſt. Huius duo genera ſunt, nigrum & candidum: ſed melius candidum quod prius in inſulis Athlantici maris inuentum eſt. Siquidem & in Luſitania & in Gallia gignitur: ſumma terra harenoſa & coloris nigri & pondere grauis. Interueniunt & minuti calculi, maxime è torrentibus ſiccatis: lauant eas harenas, &, quod ſubdit, coquunt in fornacibus. Inueniuntur & in aureis metallis: aqua miſſa calculi nigri & graues, & dum aurum colligitur, cum eo remanent: poſtea ſeparatim conflantur, & in plumbum album reſoluuntur. Inde & eadem grauitas plumbi, quæ auri eſt. Sic & cupiditas mundi & auaritia pecuniarum oneroſa eſt, & grauiſſima iniquitate opprimit amatorem ipſius.

Capvt XVII.

De ferro.

Ferrum dictum, quod farra, id eſt, ſemina frugum terræ condat. Idem & calybs à Chalybe flumine, vbi ferrum optima arte temperatur. Vnde abuſiue dicitur calybs ipſa materies, vulnificuſque calybs ferri vſus poſt alia metalla repertus eſt: cuius poſtea verſas in opprobrium ſpecies. nam vnde pridem tellus tractabatur, inde modo cruor effunditur. Ferrum [illegible] ſignificat [illegible] tribulationem & anguſtiam, vt eſt illud in pſalmo de Ioſeph: *Ferrum pertranſiuit animam eius.* Ferrum autem hic [illegible] tribulationem duræ neceſſitatis, quæ inſtante animam peruagatur, dum de futuris ſolicite iam mala patitur, quæ timere non deſinit. Talis illa in Euangelio locutio eſt, vbi Simeon dicit ad Mariam: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius* ſignificans, habituram matrem glorioſam triſtitiam Dominicæ paſſionis. Quod [illegible] locutionis tenet propria ſcripturæ diuinæ credimus adnotandum. Item ferrum fortes quoque in Eccleſia, vt eſt illud in libro Iob. *Ferrum de terra tollitur.* & in Deuteronomio: *Cuius lapides ferrum ſunt.* Item ibi de Eccleſia dicitur: *Ferrum & æs calciamentum eius.* Rurſum ferrum acumen mentis ſignificat, vnde per Salomonem dicitur: *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.* Item ferrum eſt ſermo increpationis, vt eſt illud in Deuteronomio: *Si quis abierit cum amico ſuo ſimpliciter in ſiluam ad ligna cædenda, & ferrum de manubrio eius exierit, & amicum eius occiderit.* Rurſum ferrum inſidiæ ſunt inimici, ſicut per Salomonem dicitur: *ſicut ferrum æruginat malitia eius.*

Pſ.104.

Luc.2.

Iob.28.

Deut.8.

Deut.33.

Prou.27.

Deut.19.

Eccl.12.

FINIS LIBRI XVII.

INDEX CAPITVM LIBRI XVIII.

INCIPIT LIBER XVIII.

Capvt I.

De ponderibus.

Pondervm ac menſurarũ iuuat cognoſcere modum. nam omnia corporalium (ſicut ſcriptum eſt) à ſummis vſq; ad * vina, *in menſura & numero & pondere diſpoſita ſunt atq; formata.* Cunctis enim corporeis rebus pondus natura dedit. Suum quoque regit omnia pondus. Primum Moyſes, qui omnes antecedit gentiliũ philoſophos tempore, nouit numeros, & menſuras & pondus diuerſis ſcripturæ ſuæ locis ornauit. Deinde Fidon argiuus ponderum rationem in Græcia conſtituit. & licet alij antiquiores extiterunt: ſed iſte hac arte experientior fuit. Pondus dictum eo, quod in ſtatera libratum pẽdeat: hinc & penſum. Abuſiue autem pondus libra vna eſt. Vnde etiam dipondius dictum eſt, quaſi duo pondera: quod nomen adhuc in vſu retinetur. Trutina eſt gemina ponderum lancis æquali examine pendens facta propter talenta & centenaria adpendenda: ſicut momentana pro parua modicaq; pecunia. Hæc & moneta vocata, eadem & ſtatera, nomen ex numero habens, quod duabus lancibus & vno in medio ſtylo librata æqualiter ſtet. Examen eſt filum medium, quo trutinæ ſtatera regitur, & lances æquantur: vnde & in lancis amẽtum dicitur. In ſtatera æquitatis vel diuinæ gubernationis potentia ſignificatur, vt in Eſaia: *& librauit in pondere montes, & colles in ſtatera*, hoc eſt, iudicat in iuſtitia maiores & minores, potentes & infirmos, nobiles & ignobiles: quia *ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate. & populos in veritate ſua.* Hinc & Iob ait: *Vtinã appenderentur peccata mea, quibus iram merui. & calamitas, quam patior, in ſtatera.* Quis alius ſtateræ nomine, niſi Dei & hominum mediator, exprimitur? qui ad penſandum vitæ noſtræ meritum venit, ac ſecum iuſtitiam ſimul & miſericordiam detulit: ſed miſericordiæ

Sap.11.

* ima.

Eſa.40.

Pſal.9.

Iob.6.

lance præponderans culpas nostras parcendo leuigauit. Libra enim ponderis mystice iustitiæ obseruantiam significat: quia ibi probatur, quid æquum, & quid contrarium æquitati sit. Cuius rei plurima in scripturis inueniũtur probamenta: & non necesse est, inde aliqua hic numerari.
Psal. 10. Propheta igitur testante, *iustus Dominus & iustitiam diligit, æquitatem vidit vultus eius.* Iustum dicit Deum amare iustitiam: quia nescit alios respicere, nisi qui norũt custodire iustitiam. Adiecit: *æquitatem vidit vultus eius*, illam scilicet æquitatem quam tamen propitius ipse concedit. Nõ enim quicquam ex se probi humanitas habet, nisi quod à Domino bonorum omnium susceperit largitore. Hinc
Prou. 21. & in prouerbiis ita scriptum est: *Qui sequitur iustitiam diligitur à Domino*: & alibi de sapientia dictum est: *Qui continẽs*
Syr. 15. *est*, inquit, *iustitiæ, apprehendet illam.* Vnicuiq; a. ponderi certus est modus nominibus propriis designatus. Calcus minima pars ponderis, quarta pars oboli est, constans lentis geminis grauis. Appellatur a. calcus, quod sit paruulus, sicut & lapis calculus, qui adeo minimus est, vt sine molestia sui calcetur. Siliqua vicesima quarta pars solidi est, ab arbore, cuius semen est, vocabulum tenens. Ceraten oboli pars media est, habens siliquam vnam & semis: hunc latinitas semiobolum vocat: ceraten autem græce, latine siliqua cornu interpretatur. Obolus siliquis tribus appenditur, habens cerates duos, calcos quatuor: fiebat enim olim ex ære ad instar sagittæ, vnde & nomen à græcis accepit, hoc est, sagitta. Scrupulus sex siliquarum pondere constat: hic apud græcos gramma vocatur: scrupulus autem dictus per diminutionem à lapillo breui, qui scrupus vocatur. Dragma autem octaua pars vnciæ est, & denarij pondus argenti, tribus constans scrupulis, id est, decem & VIII. siliquis. Dragma enim similitudo ad hominem refertur in parabola euangelica, vbi Dominus
Luc. 15. ait: *Aut quæ mulier habens dragmas x. & si perdiderit dragmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniatur*, & cætera. Qui signatur per pastorem ipse, & per mulierem Dominus noster Iesus Christus: & quia imago hominis exprimitur in dragma, tunc mulier dragmam perdidit: quando homo ad imaginem Dei conditus peccando à similitudine sui Conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam: quia Dei sapientia ipse Dei Filius cum de Mariæ vtero humanam naturam suscipiens, in humanitate apparuit, mortalitatis nostræ se conscientia concussit: & ad immortalitatem, vnde per peccatum cecidit, per Christum se redire posse conspexit. Denarius autem dictus, quia pro decem nummis imputabatur. Denarius allegorice significat remunerationẽ futuram sanctorum, quæ illis pro bono labore hic pro-
Matth. 20 mittitur, & in futuro datur. Vnde in euangelio paterfamilias operariis vineæ suæ in fine operis sui legitur dedisse denarium. Denarij, duo præcepta charitatis, vel vtrumq; testamentum, hoc est, nouum & vetus, significat: vnde in
Luc. 10. euangelio dicitur: *& alio die protulit denarios duos, & dedit stabulario.* Solidus nuncupatur, quia nihil illi deesse videtur: solidum enim veteres integrum dicebant & totũ. Ipse quoque nouissima vocatur pro eo, quod nominibus principum effigieque signetur. Ab initio vero vnum numisma, vnus argenteus erat: hoc enim ab Assyriis cœpit: dicunt autem Iudæi, quod Abraam in terram Chanaan primus hanc aduexerit formam. Solidus apud latinos alio nomine sextula dicitur, quod his sex uncia compleatur. Hunc (vt diximus) vulgus aureum solidum vocat: cuius tertiam partem ideo dixerunt tremissem, eo quod solidum faciat termissus. Expressio enim nomismatis in censu, significat imaginem Conditoris in humana anima, qui ab vno quoq; nostrum expetitur, quando credulitas rectæ fidei cum bonis operibus à nobis exquiri-
Matt. 22. tur. Vnde Dominus ad eos, qui eum tẽptabant, in euangelio ait: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Nummus autem ostensus imaginem Cæsaris tenuit: & ideo Cæsari reddere nummum, tributum, pecuniam, & honores terrenos iussit. Deus autẽ nosmetipsos, id est, imaginem Dei, quam ipse condidit in nobis, quæ non est in auro picta, sed in hominibus figurata. Sextula bis assumpta duellam facit, ter posita staterem reddit, statera autem medietas vnciæ, appendens aureos tres. vnde & vocatur stater, quod tribus solidis stet. Hæc & semiuncia, quia semis habet de vncia: hæc & semissis, quia ponderis semis est, quasi semis assis. Quadrantem hebræi similiter codrantem vocant: & vocatur quadrans, quod vnciæ quartam partem appendat. De quadrante autem in euangelio ita legitur, vbi commemoratur nocentis traditio in carcerem. *amen dico tibi*, inquit, *non exies inde, donec* Matth. 5.
reddas nouissimum quadrantem. Quadrans genus nummi est, quasi duo minuta: vnde in alio in euangelio mulier illa Mar. 12.
paupercula & vidua dicitur misisse quadrantem in corbanam: in alio duo minuta, non quod dissonent euangelia, sed quod vnus quadrans duos minutos nummos habeat. Hoc est ergo, quod dicit; *non egredieris de carcere*, do- Matth. 5.
nec etiam minuta peccata persoluas; de soluendo autem nouissimo quadrante potest non absurde intelligi aut pro eo positum, quod nihil relinquatur impunitum; sicut loquentes etiam dicimus, *vsq; ad fecem*, cum volumus exprimere * aliud ita exactum, vt nihil relictum sit, vel vt signi- * aliquid.
ficarentur nomine quadrantis nouissima terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum huius mũdi, & ea nouissima, terra inuenitur; vt incipias à cælo, secundum aerem, numeres aquam tertiam, quartam terram. Sicel, qui latino sermone siclus corrupte appellatur, hebræum nomen est, habens apud eos vnciæ pondus. Apud latinos autem & græcos quarta pars vnciæ est, & stateris medietas, dragmas appendens duas. Vnde cum in literis diuinis legitur siclus, vncia est; cũ vero in gentiliũ, quarta pars vnciæ est. Vncia dicta, quod vniuersitatem minorum ponderum sua vnitate vinciat, id est, complectatur. Constat a. dragmis octo, id est, scrupulis XXIV. quod proinde legitimum pondus habetur; quia numerus scrupulorum eius horas diei noct.q; metitur; vel quia libram efficit, duodecies computata. Libra duodecim vnciis perficitur, & inde habetur perfecti ponderis genus; quia tot hæc constat vnciis, quot mensibus annus. Dicta autem libra, quod sit libera, & cuncta intra se pondera prædicta concludat. Mna in põderibus centum dragmis appenditur, & est nomen græcum. Significat mna decem verba legis, quæ hominibus diuinitus data sunt, vt in eis operentur, & lucrum spiritale efficiant; vnde in euangelio le- Matth. 25.
gitur, quod homo nobilis, qui abiit in regionem longinquam, expẽderit seruis suis pecuniam suam; cui reuersẽti singuli exposuere, quæ lucrificauerunt. Iste a. homo nobilis Redemptor noster est, qui abiit in regionem longinquam; quia, passione sua & resurrectione completa, ascẽdit in cælum, & sedit a dextris Dei. In die autem iudicij venturus, vt exquirat ex singulis debitoribus pecuniam, quam eis commendauerat; *& reddet vnicuique secundum o-* Matt. 16.
pera sua. Talentum, summum esse pondus perhibetur in Rom. 2.
græcis; nam nihil est calco minus, nihil talento maius; cuius varium apud diuersas gentes pondus habetur. Apud Romanos enim talentum est LXX. duarum librarum, sicut Plautus ostendit, qui ait, duo talenta esse centum quadraginta quatuor libras. Est autem triplex, i. minus, medium, summum, minus quinquaginta; medium septuaginta duarum librarum; summum centum viginti constat. Centenarij enim numeri nomen est eo, quod centum librarum ponderis sit; quod põdus propter perfectionem centenarij numeri instituerunt Romani. Talenti nomine plenitudo & perfectio donorum significatur; vnd in eu- Matth. 25.
angelica parabola Dominus dicit, hominem peregre proficiscentẽ vocasse seruos suos, & tradidisse illis bona sua; & vni dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij vero vnũ. Quinque n. sunt corporis sensus, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus; quinq igitur talentis donum quinq; sensuum, id est, exteriorum scientia exprimitur; duobus vero intellectus & operatio designatur; vnius autem talenti nomine intellectus tantummodo designatur. Decem milia talenta operationem decem præceptorum legis in euangelio significãt, vbi ita legitur; *& oblatus* Matth. 18.
est vnus, qui debebat decem milia talenta. Item talentum in malam partem ponitur in Zacharia, vt est illud, *vidi*, inquit, Zach. 5.
iniquitatẽ super talentum plumbi. Antiquissimi, nondũ auro argentoq; inuento, ære vtebantur; nam prius ærea pecu-

nia in vſu fuit, poſt argentea, deinde aurea ſubſecuta eſt, ſed ab ea, quę prima fuit, & nomen retinuit. Vnde & ęrarium dictum, quia prius æs tantum in vſu fuit, & ipſum ſolum recondebatur, auro argentoq; nondum ſignato: ex quorum metallis quamuis poſtea fuiſſet facta pecunia, nomen tamen ærarij permanſit ab eo metallo, vnde initium ſumpſit. Theſaurum iuxta græcā apo tis theſeos, à poſitione, hoc eſt, à repoſito nominatur. Nam theſis poſitio dicitur: & eſt nomen ex græco latinoque ſermone compoſitum: nam theſis græci repoſitum dicunt: *latini aurum, quod iunctum ſonat, *repoſitum aurum*. Auraria nomen habet ab auro. De theſiuri ſignificatione euangelica parabola manifeſtum indiciū dat, vbi Dominus ait:

** & ex latino.*

Matth. 13. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuerſa, quæ habet & emit agrum illum.* Theſaurus autem cæleſte eſt deſiderium. Ager vero, in quo theſaurus abſconditur, diſciplina ſtudij cæleſtis. Quem profecto agrum, venditis omnibus, comparat, qui voluptatibus carnis renuncians, cuncta ſua terrena deſideria per diſciplinæ cuſtodiam cæleſtis calcat: vt nihil, quod caro blanditur, liceat: nihil, quod carnalem mentem trucidat, *ſpiritum perhorreſcat. Item theſaurus iſte, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, aut Dei Verbum eſt, quod in carne Chriſti videtur abſconditum: aut ſanctæ ſcripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris. Quem cum quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius ſeculi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere, quem reperit. Tributa vero eo, quod antea per tribus ſingula exigebantur, ſicuti nunc per ſingula territoria. Sic autem in tres partes diuiſum fuiſſe Romanum populum conſtat: vt ea, quæ erant in ſingulis partibus, tribuni dicerentur. Vnde etiam ſumptus, quos dabant populi, tributa nominarunt. Vectigalia ſunt tributa à vehendo dicta. Stipendium à ſtipe pendenda nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam ſoliti erant magis, quam annumerare. Quid autem diuites, qui theſaurorum poſſeſſores ſunt, & quid diuitiæ myſtice ſignificent, breuiter dicamus.

** Spiritus.*
Col. 2.

Eph. 2. Diues dicitur Deus vt in Apoſtolo: *Deus, qui diues eſt in miſericordia.* *1. Cor. 1.* Diuites, ſancti ſunt, vt in Apoſtolo: *Quia diuites facti eſtis in illo in omni ſapientia & prudentia.* Diues, eſt populus Iudæorum, de quo in euangelio dicitur: *Matth. 19.* *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Alij autem hunc diuitem, ſuperbum quemlibet intelligunt. Diuites ſunt Iudæi philoſophi, vel ſuperbi huius mundi, vt in pſalterio: *Pſal 33.* *Diuites eguerunt & eſurierunt.* & alibi: *Luc. 1.* *Diuites dimiſit inanes.* Diuitiæ ſunt virtutes animæ, ſiue ſermo ſapientiæ, vt in Apoſtolo: *1. Cor. 1.* *Quia diuites facti eſtis in illo in omni ſapientia & prudentia.* & in Salomone: *Prou. 13.* *poſſeſſio animæ viri propriæ diuitiæ:* & in aliam partem pro hæretico, vt in Iob legitur: *Iob. 20.* *Diuitias, quas deuorauit, de ventre illius extrahet eas Deus.* Pecunia ergo verba diuina ſunt: vt in Euangelio: *Matth. 25.* *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis.* Sacculus theſaurizatio in Deum, vt in Euangelio: *Luc. 12.* *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcant.* Sacculus congregatio auaritiæ, vt in Aggæo propheta: *Agg. 1.* *Et qui mercedes congregauit, miſit eos in ſacculum pertuſum.* Negociatores Apoſtoli ſunt: ſicut in Iob pro diaboli corpore, hoc eſt, omnibus iniquis de eiſdem prædicatoribus dicitur: *Iob. 40.* *Concident eum amici, diuident eum negociatores.* Item in malam partem, vt in Ezechiel: *Ezech. 27.* *Negociatores cum agnis & hædis venient ad te.* Monera appellata eſt, quia monet, ne qua fraus in metallo vel in pondere fiat. Nomiſma eſt ſolidus aureus, vel argenteus, ſiue æreus: qui ideo nomiſma dicitur, quia nominibus principum effigieq; ſignatur. Prius nummus argyrus nuncupabatur: quia quam plurimū ex argento percutiebatur. Nummi autem à Numa Romanorum rege vocati ſunt, qui eos primum apud latinos imaginibus vocauit, & titulo nominis ſui præſcripſit. In nomiſmate tria quæruntur: metallum, figura, & pondus: ſi ex his aliquid defuerit, nomiſma non erit. De nomiſmatis myſtica ſignificatione ſuperius dictum eſt. Tria ſunt autem genera argenti & auri & æris: ſignatum, factum, infectum. Signatum eſt, quod in nummis eſt: factum, quod in vaſis: infectum, quod in maſſis id eſt maſſa. In nouiſſam autem formatum metalla ita venerunt: dum enim quacunq; cauſa ardentes ſiluæ excoquerent terram, quæ calefactis venis fudit riuos cuiuſcunq; ſtructuræ, ſiue æs illud fuerat, ſiue aurum, cum in loca terræ depreſſiora decurreret, ſumpſit figuram, in quam illud vel profluens riuus, vel excipiens lacuna formauerat: quarum rerum ſplendore capti homines cum legatas attollerent maſſas, viderunt in ea terræ veſtigia figurata, in quæ excogitauerunt liquefactas ad omnem formam poſſe deduci.

CAPVT II.

De menſuris.

MEnſura eſt res aliquando ſuo vel tempore circumſcripta. Hæc aut corporis eſt aut temporis: corporis, vt hominum, lignorum & columnarum longitudo & breuitas. Sed & ſolem iſtum propriam ſui orbis habere menſuram: quod geometrici perſcrutari audent: temporis, vt menſura horarum, & dierum añorum: vnde & metiri pedes horarum dicimus, hoc eſt, menſurari. Legitur enim in ſapientiæ libro, quod Deus omnia menſura, numero & pondere diſponat. *Sap. 11.* In quibus tribus diffinitionibus, vt reor, hæc intelligi poſſunt: vt in menſura conſtet qualitas: in numero quantitas: in pondere ratio. Hæc peræquata in iudicio & miſericordia Dei conſtant: quia in his duobus terminis omnia concluſa ſunt. In quibus hūc mundum conſtituit, gubernat & iudicaturus eſt: in his Deus iudex iuſtus comprehēdi poteſt: Omnia ergo, quæ ſuperius diximus vel dicemus, in clauſula horum trium nobis nunc abſcondita latent, quæ ſolis clauibus iudicij & miſericordię Dei nunc reſerabuntur, vt ſciantur: quando in aduentu Domini illuminabuntur abſcondita tenebrarum, & reuelabuntur conſilia cordium, vt laus ſit vnicuique à Deo vel pœna. *1. Cor. 4.* Proprie autem menſura vocata, quod ea fruges metiuntur atq; frumentum, id eſt, humida & ſicca: vt per modos, venas, & am, horas. Menſurarū pars minima coclear, quod eſt dimidia pars dragmæ appendens ſiliquis nouem, qui triplicatus conculam facit. Concula dragma vna & dimidia adimpletur. Cyathi pōdus decem dragmis appenditur, qui etiam à quibuſdam cauſatus vel laſſatus nominatur. Oxifalus fit, ſi quinque dragmæ adduntur ad decem. Acitabulus quarta pars eminæ eſt, duodecim dragmas appendens. Cotula emina eſt habens cyathos ſex, quæ idcirco cotula vocatur, quia cote græco ſermone inciſio dicitur, & emina ſextarij in duo æqua inciditur, & cotulam facit: emina autem appēdet libram vnam, quæ geminata ſextarium facit. Sextarius duarum librarum eſt, qui bis aſſumptus nominatur bilibris: aſſumptus quater fit græco nomine cenix: quinquies complicatus quinam ſiue gomor facit. Adiice ſextum, congium reddit: nam congius ſex metitur ſextariis, à quo & ſextarij nomen dederunt. De ſtatere & bilibri in Apocalypſi deſcriptione tertij ſigilli ita ſcriptum eſt: *Apoc. 6.* *Et cum aperuiſſet ſigillum tertium: audiui tertium animal dicens. veni & vide. & ecce equus niger. & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem: bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læſeris. Et ecce equus niger. & qui ſedebat ſuper eum, ſtateram habebat in manu ſua. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium*, & cætera. Equus niger falſorum caterua eſt fratrum, qui ſtateram rectæ profeſſionis habent, ſed ſocios lædunt per opera tenebrarum. Dum enim in medio animalium dicitur, *ne læſeris*: oſtenditur, illic eſſe, qui lædat. De hoc & præcurrente equo dicit Apoſtolus: *2. Cor. 7.* *Foris pugnæ, intus timores.* Bilibris tritici denario, & vinum & oleum ne læſeris. Caue, inquit, ne exemplo peſſimo fratrem tuum ſcandalizes, propter quem Chriſtus mortuus eſt, & ſacri ſanguinis chriſmatiſque portat inſignia: quia ſiue perfecti meritis, ſiue etiam minimi quique in Eccleſia fide tamen ſanctæ Trinitatis imbuti, omnes eodem perfecto pretio ſanguinis Dominici ſunt redempti: nec inmerito bilibri & [illegible] plici libra fidei vel operis perfectio exprimitur, [illegible]

tre-

traque in radice geminæ consistit charitatis. Metrum est mensura liquidorum: hęc à mensura accepit nomen: metron enim mensuram dicunt græci, & inde appellata metreta. Licet & vrna & ampliora & reliqua huiusmodi nomen à mensura sumpserunt: tamen ista hoc nomen à denarij numeri perfectione accepit. Metrum ad omnem mensuram pertinet. Metrum enim gręce, latine mensura dicitur. Nam & cyathus mensura est, & amphora mensura est, & quicquid plus minusue capit, mensura est. sed ideo hoc nomen specialiter sibi assumpsit, quod sit mensura perfecti numeri, id est, denarij. Vnde in Euangelio scriptum est de conuiuio nuptiali: vbi Dominus aquas in
Ioan. 2. vinum conuertit. *Erant*, inquit, *lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas*. Hydrię vocantur vasa aquarum receptui parata: græce enim aqua hydor dicitur. Aqua autem scripturæ sacræ scientiam designat: quæ suos auditores & à peccatorum sorde abluere, & diuinæ cognitionis solet fonte potare. Vasa sex, quibus continebantur, corda sunt deuota sanctorum, quorum perfectio vitę & fidei ad exemplum recte credendi ac viuendi præposita est generi humano. per sex seculi labentis ætates, id est, vsq; ad tempus Dominicæ prædicationis. Et bene lapidea sunt vasa, quia fortia sunt præcordia iustorum: vt puta illius fide & dilectione solidata: *capiẽtes*, inquit, *singulæ metretas binas vel ternas*. quia scripturæ sanctæ auctores & ministri prophetæ modo de
Psal. 103. Patre tantum loquuntur & Filio, vt est illud: *omnia in sa*
1.Cor. 1. *pientia fecisti* (virtus enim Dei & sapientia Christus est) modo etiam Spiritus sancti faciunt mentionem, iuxta il
Psal. 32. lud eiusdem psalmigraphi: *Verbo Domini cæli firmati sunt Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Modius dictus ab eo, quod sit suo modo perfectus: est autem mensura librarum quadraginta quatuor, id est, sextariorum viginti duorum: cuius numeri causa inde tracta est, eo quod in principio Deus viginti duo opera fecerat. Nam prima die septem opera fecit, i. materiam informem, angelos, lucem, cælos superiores, terram, aquam atq; aerem: Secunda die firmamentum solum: tertia die quatuor, maria, semina, sationes atq; plantaria: quarta die tria, solem & lunam & stellas: quinta die tria, pisces & reptilia aquarũ, & volatilia: sexta die quatuor, bestias, pecudes, reptilia terræ, & hominem, & facta sunt omnia vigintiduo genera in diebus sex. & 22. generationes sunt ab Adam vsq; ad Iacob, ex cuius semine nascitur omnis gens Israel: vigintiduo libri veteris testamenti vsq; ad Hester. & vigintiduo literarum sunt elementa, quibus constat diuinæ legis doctrina. His igitur exemplis modius vigintiduorum sextariorũ à Moyse secundum sacræ legis mensuram effectus est: & quamuis diuersæ gentes huic mensuræ pondus vel adiiciant ignoranter, vel detrahant: apud hebræos constitutione diuina tali ratione seruatur. Modius enim à modo dictus. Hinc & modica, id est, moderata: modicis enim modius nomen imposuit: nam modica pro paruis abusiue non proprie dicimus. In scriptura sacra modius æquitatem iustitiæ significat. Vnde Dominus in lege præcepit dicens:
Deut. 25. *Non sit tibi modius maior & minor, sed modius iustus, æquusq; sextarius*. Item modius corpus humanum vel legis literam
Luc. 8. 11. significat. Vnde Dominus ait in euangelio: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*. Ponere ergo lucernam sub modio est, superiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis: vt ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet, ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus molestiæ patiatur. Sub modio ergo lucernam ponit, quisquis lucem doctrinæ bonæ commodis temporalibus obscurat & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subiicit: vt superior sit prædicatio veritatis: inferior, seruitus corporis: per ipsam tamen corporis seruitutem excellentior luceat doctrina, qui per officia temporalia, id est, per vocem & linguam & cæteros corporis motus exhibetur. Satum est genus mensuræ iuxta morem prouinciæ Palestinæ, vnum & dimidium modium capiens, cuius nomen ex hebræo sermone tractum est. Satum enim apud eos nominatur sumptio siue leuatio, eo quod qui metitur, eandem mensuram sumat ac leuet. Est & alias satum mensura, sextariorum viginti duorum capax, quasi modius. Vnde in euange- Matt. 13.
lio scriptum est de muliere quæ abscondit fermentum in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Nam hæc mulier significat sanctam Ecclesiam: quę doctrinam Euangelij & intellectus sacrarum scripturarum condit in peccatoribus humanis, donec coadunet tres partes orbis, quod de tribus filiis Noe exortum in orbe continet: triquadro conuertens ad fidem sanctæ charitatis: vt Spiritus & anima & corpus in vnum redacta non discrepent inter se. Possunt itaq; præter hæc & in farinæ satis tribus illi Dominici seminis fructus, tricesimus scilicet, sexagesimus & centesimus, intelligi, id est, coniugatorum, continentium atq; virginum. Et pulchre dicit, eatenus absconditum in farina fermẽtum, donec fermentaretur totum: quia charitas in nostra mente recondita, eousq; crescere debet, donec totam mentem in sui perfectionem commutet. Batus autem vocatur hebraica lingua ab olearia mola, quæ apud eos baluata nominatur, capiens quinquaginta sextarios, quæ mensura vna molæ vice proteritur. Ephi ergo mensura est trium modiorum, vt in libro Ruth ostenditur: & gomor mensura est atticorum cenicũ trium. Vnde & in Leuitico & in Numerorum libro quotiescunq; decima pars ephi in sacrificio exhiberi iubetur, mensura gomor expensa intelligitur. Ephi eandem mensuram habet in aridis, quam in humidis batus. Amphora vocata, quod hinc & inde leuetur: hæc græce à figura sui dicta dicitur, quod eius ansæ geminatæ videantur aures imitari. Recipit autem vini vel aquæ pedẽ quadratum, frumenti vero modios Italicos tres. Cadus gręce amphora est continens vrnas tres. Vrna mensura est, quã quartarium dicunt: proprie autem vrna vas est, quod pro condẽdis defunctorum cineribus adhiberi solet, de quo poeta: *Cælo tegitur, qui non habet vrnam*. Medunna mensura est quinq; modiorum: medunna autem latina lingua vocatur, id est, dimidia, eo quod quinq; modios metiatur, qui est dimidius numerus à perfecto denario. Artaba mẽsura est apud Ægyptios sextariorum septuagintaduorũ, composita ex numero propter lxx. & duas gentes vel linguas, quæ orbem impleuerunt. Gomor quindecim modiorum onus appendet. Corus xxx. modiorum mensura completur. Hic ex hebraico sermone descendit, qui vocatur coria à similitudine collis. Coria enim hebraice colles appellãtur: coaceruati enim modij triginta instar collis videntur, & onus cameli efficiuntur. De amphora in
Zacharia propheta ita scriptum est: *Et ecce mulier vna sedens* Zach. 5.
in medio amphoræ, & dicitur: *hæc est impietas: & proiecit eam in medio amphoræ, & misit plumbeam massam in os eius*. & cætera. Amphora autem hic significat mensuram grandem ini-
quitatis Iudæorum: de qua Saluator ad ipsos ait: *Implete* Matth. 23.
mensuram patrum vestrorum. Super hanc mensuram omniũ delictorum media sedebat impietas, quam alio nomine idololatriam possumus appellare, & negationem Dei. Missa est ergo massa plumbea in os synagogę Iudæorum, vt arrogantia eius conquiescat. Hæc ergo impietas synagogæ, quæ sedebat super peccata Israel, & in suo scelere gloriabatur, postea mittitur in medium Babylonis, & captiuitatis malo deprimitur, vel certe ab angelo: vt quæ prius latebat in scelere, æterno silentio conticescat. Legi- Luc. 16.
mus in euangelio, quod villicus iniquitatis debitoribus domini sui, qui debebant domino suo grande debitum reddere, hoc est, vnus centum cados olei, alter centum choros tritici: ipse pensam temperarit, & iusserit priori pro centum cadis olei scribere quinquaginta: sequenti vero pro centum choris tritici scribere octoginta: quibus rebus instruimur, vt misericordiam debiti remissione facientes, ipsi à misericorde Domino remissionem debitorum nostrorum consequamur.

CAPVT III.

De numero.

NVmerorum enim ratio in multis iuxta allegoriam typica significatione mysterium nobis venerandum ostendit. Vnde primus numerus, hoc est, vnus ad vnitatem deitatis refertur. De quo in Exodo scriptum est: Deut.6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Item vnus ad vnitatem ecclesiæ siue fidei pertinet. Vnde in Actibus Act. 4. Apostolorum de credentibus scribitur: *Erat illis cor vnum, & anima vna.* Rursum vnus ad vnitatem fidei siue operis perfectionem respicit. Hinc in Genesi de arca Gen. 6. scriptum est: *& in cubito consummabis summitatem eius.* Iterum vnus malorum vnitatem exprimit, vt est illud in Matt. 22. euangelio: *& vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Nam binarius numerus ad duo testamenta respicit, vnde 3.Reg.6. in Regum libro scriptum est: *Et fecit duo cherubim, decem cubitorum magnitudine.* Item duo ad duo præcepta Matth.22. charitatis pertinent: vnde dicit in euangelio: *In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Rursum duo duas dignitates exprimunt, regiam scilicet & sacerdotalem: quarum figuram duo illi pisces quinque panibus adiuncti in euangelio gerebant. Iterum duo mysterium significant duorum populorum, id est, Iudæorum & gentium. Zach.6. Vnde in Zacharia scriptum est: *& pax erit inter duos illos.* Necnon & duo animæ & corporis conuentionem signi- Matth.18. ficant: vnde Dominus dicit in euangelio: *si duo ex vobis consenserint super terram,* & reliqua. De quo & Amos di- Amos 3. cit: *Nunquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?* Item duo electorum atque reproborum præfigurationem gerunt. Vnde Dominus dicit in euangelio: *Tunc duo erunt in* Matt. 24. *agro: vnus assumetur, & alius relinquetur.* Ternarius ergo numerus ad Trinitatis mysterium pertinet, vt in epistola 1.Ioan.5. Ioannis: *Tres sunt,* inquit, *qui testimonium dant.* Item tres ad passionis Domini sepulturam & resurrectionis Sacramẽ- Ose. 6. tum respiciunt; vnde in Osee scriptum est; *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus.* Rursum tres ad fidem, spem, charitatem exprimendam valent; quarum virtutum figuram tres illæ ciuitates in Deuteronomio, ad quas homicida, qui nolens proximum occiderit, confugere præcipitur, habere dicuntur. Item tres tria tempora significant, hoc est, primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Vnde in euangelica Luc.13. parabola legitur; *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea, & non inuenio.* Iterum tres trimodam hominum operationem in bono vel in malo præfigurant, id est, cogitatione, sermone, & opere; vt in Apostolo; *si* 1.Cor.3. *quis* inquit, *ædificauerit super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.* Rursum tres trimodam fidelium professionem demonstrant, id est, clericorum, monachorum, & coniugum. De hac tripertita Ezech.14. in Ecclesia professione per Ezechielem loquitur Dominus, dicens; *Si tres viri isti, Noe, Daniel & Iob fuerint in medio eorum, filium & filiam non liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur.* Quaternarius ergo numerus ad quatuor pertinet euan- Ezech.1. gelia, vt in Ezechiel; *& in medio,* inquit, *eorum erat similitudo quatuor animalium.* Item quatuor ad quatuor sanctorum virtutes mysticam significationem ducunt, hoc est, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam; quibus animæ sanctorum, Domino largiente, reficiun- Mar.8. tur; vnde scriptum est; *Erant autem, qui manducauerunt, quasi quatuor millia hominum, & dimisit eos.* Rursum quatuor ad quatuor mundi partes pertinent, ex quibus sancta Ecclesia congregatur. Vnde dicitur per prophetam; Esa.43. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te, dicam Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere.* Similiter quatuor ad quatuor elementa mundi, quibus humanum corpus compactum est, possunt referri; quia inde corporis conditio maxime roboratur & subsistit. Nam in euangelio scriptum est, quod paralyticus in lecto portaretur à quatuor. Quinarius ergo numerus ad quinque legis libros Moysi significationem aliquando 1.Cor.14. tribuit, de quibus Apostolus ait; *Volo in Ecclesia quinque verba sensu meo loqui* vel ad quinque sensus corporis, id est, visum, auditum, gustum, odoratum & tactum. Vnde in Euangelio scriptum est: *Simile est regnum cælorum decem virginibus:* Matth.25. quinque enim ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Item ibi; *& vni dedit quinque talenta.* Hinc & Do- Ibid. minus ad Samaritanam mulierem ait: *quinque enim viros* Ioan. 4. *habuisti.* Senarius ergo numerus ad dies sex, in quibus Deus omnem condidit creaturam, significationem refert: vt est illud in Exodo: *sex enim diebus condidit Deus cæ-* Exod. 20. *lum & terram:* vel ad omne tempus præsentis seculi, quod sex ætatibus voluitur: vnde Dominus perfector totius operis sui, sexta ætate in mundum veniens, sexta feria passus est, in sabbatho requieuit in sepulchro, & in die Dominica resurrexit à mortuis. Septenarius igitur numerus multiplicem significationem habet: quia aliquando ad diem septimum refertur, in quo, perfectis omnibus, Dominus requieuit. Vnde & sanctorum animæ post laborem bonorum operum requiescunt ab omni opere suo in æterna beatitudine. Aliquando autem ad septiformem gratiam Spiritus sancti pertinet, de quo in Apo- Apoc. 5. calypsi scriptum est: *Septem cornua, & septem oculi, septem sunt Spiritus Dei missi per omnem terram.* Item septem le- Apoc.1. guntur Ecclesiæ in Apocalypsi, quæ per septem candelabra & per septem stellas figurantur. In quibus plenitudo sanctorum versatur, sicut idem testatur: quia septem candelabra, septem Ecclesiæ sunt: similiter & septem stellæ. Item per septem omne præsens tempus huius seculi designatur, quod per septem dierum circulum voluitur. Et in contrariam partem per septenarium numerum plenitudo peccati, id est, vniuersitas septem principalium vitiorum figuratur: vnde Dominus de inmun- Luc.11. do spiritu in Euangelio ait: *Tunc vadit & assumit alios Spiritus septem nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hinc & in Salomone legi- Prou.26. tur: *Ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in anima illius,* hoc est, diaboli. Rursum septem perfectionem fla- Leuit.26. gellorum Dei demonstrat: vt in Leuitico: *Castigabit,* inquit, *vos Dominus septies pro peccatis vestris.* Præterea septem & octo legis & euangelij figurationem tenent: vnde in Eccl.11. Ecclesiaste scriptum est: *Da partes septem, nec non & octo.* Similiter septem & octo quietis & resurrectionis obtinent sacramentum. Octo enim ad diem Dominicæ Resurrectionis siue omnium sanctorum futuram resurrectionem pertinent. De qua in titulo psalmi sexti scribitur: *in finem pro octaua.* Nouem namque ad Sacramentum passionis Domini demonstrandum satis valet: quia ipse Dominus hora nona clamans voce magna emisit spiritum. Item nouem leguntur esse ordines angelorum, id est, angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubin, & seraphin. Quod significant nonagintanouem oues in euangelica parabola, relictæ in deserto siue in montibus. Item nouem imperfectionem mandatorum Dei, siue inplenitudinem omnium bonorum designant: sicut in Deuteronomio de lecto Og regis Basan, qui typus est diaboli, scriptum est, quod nouem cubitis sit longitudo eius. Denarius ergo numerus ad decalogum legis aliquando refertur. Vnde Psalmista ait: *In psalmo* Ps. 32. *decem chordarum psallam tibi.* Item eodem numero perfectio operum, vel plenitudo sanctorum designatur, quarum figuram illæ decem cortinæ, quæ in tabernaculo testimonij, iubente Domino, factæ sunt, obtinuerunt. Vndenarius numerus transgressionem legis, vel peccatorum obtinet figuram; sicut & vndecimus psalmus, qui in eodem numeri Sacramento præsignatus est, ostendit, dicens; *Saluum me fac Domine quoniam defecit sanctus:* vnde & Ps.11. in tabernaculo fœderis in similitudine peccantium eiusdem numeri saga cilicina fieri præcipiuntur. Duodecim ad Apostolos pertinent, sicut in euangelio demonstratur, vbi ita legitur; *Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt.* Matt. 10. Hinc ipse Dominus ad discipulos suos ait; *Nonne ego vos* Ioan.6. *elegi duodecim?* & cætera. Itẽ duodecim ad omnium sanctorum pertinent Sacramentũ, q ex quatuor mundi partib. p fidem Trinitatis electi vnã ex se faciunt ecclesiã, horũ electorum duodecim illi lapides pretiosi, ex quibus in

Apocalypsi ciuitas regis magni construitur, figuram habent. Hi sunt 12. tribus filiorum Israhel, sensu videntes Dominum. Tredecim vero ad legis plenitudinem & fidē
Ezec. 40. Trinitatis pertinent, vt in Ezechiele: *& mensus est*, inquit, *altitudinem portæ tredecim cubitis*. Quatuordecim vero ad Sacramentum dominicæ generationis respiciunt, vt in principio Euangelij Matthæi satis demonstratur:
Matth. 1. *Ab Abraham vsque ad Dauid generationes* 14. Item quatuordecim ad præsens tempus vel futurum pertinent, sicut in Leuitico demonstratur, vbi scriptum est de muliere, quæ genuerit fœminam, quod duabus hebdomadibus, hoc est, præsenti & futuro sit immunda. Quindecim autem numerus, legis & Euangelij, quietis & resurrectionis obtinet mysterium: vt in Actibus apostolorum Paulus apostolus quindecim dieb. cum Petro Apostolo cōmoratisse dicitur. Sedecim ad numerū sedecim prophetarum. Decem & septem ad Sacramentum omnium prophetarum: quia decem præcepta legis per septiformem gratiam Spiritus sancti operantur. Viginti ad perfectionem operum, quæ per caritatem operantur. Decalogus enim legis per duo dilectionis præcepta duplicatus viginti efficit. Vnde & duo cherubin, quod est plenitudo scientiæ, in templo eiusdem numeri cubitos habuisse narrantur. Viginti duo pertinent ad Sacramentum diuinorum voluminum secundum Hebræorum litteras. Vigintiquatuor numerus ad viginti quatuor libros veteris testamenti, iuxta Hebræorum traditionem, à quibusdam figuram habere dicitur. Alij vero patres veteris ac noui testamenti sub eodem numero intellexerunt. In Apocalypsi: *& super thronos* 24. *seniores sedentes*.
Apoc. 4. Nam 25. corporis quinque sensibus in semetipsis multiplicatis perueniunt ad Sacramentum, sicut in Ezechiele manifestatur. Viginti octo numerus ad legis & Euangelij pertinet mysterium, sub cuius numeri Sacramento cortinæ tabernaculi eiusdem numeri cubitos in longitudine habuisse feruntur in Exodo. Triginta vero ad
Matth. 13 fructus fidelium coniugatorum, vt in Euangelio: *& dabit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum*. Triginta duo ad mysterium ætatis, qua Dominus noster in carne conuersatus est: vnde (vt quibusdam videtur) ait Apostolus: *Donec occurramus ad vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei in virum perfectum in mensuram*
Eph. 4. *ætatis plenitudinis Christi*. Quadraginta vero numerus legis & Euangelij obtinet Sacramentum. Item quadraginta ad quadragesimæ Sacramentum pertinet. Vnde
Matth. 4. in Euangelio de Domino scriptum est: *& agebatur in spiritu in deserto* 40. *diebus*. Iterum 40. Resurrectionis Dominicæ Sacramentum continent: vnde in Actibus apostolorum ita scriptum est: *& conuersatus cum eis dies* 40.
Act. 1. Præterea 40. numerus omne præsens huius seculi tempus figurare dicitur: quatuor enim sunt mundi partes, & omnis creatura visibilis ex quatuor constat elementis. Denarius vero numerus in bonam vel malam partem perfectus est: qui denarius per quaternarium ductus quadragenarium implet. Hinc est, quod per Psalmistam dicitur: *Quadraginta annis proximus fui generationi*
Psal. 94. *huic*: & in diluuio iuxta eiusdem numeri dies & totidem noctes super terram Dominus pluit: & in Iona prophe-
Ion. 3. ta scriptum est: *Post quadraginta dies Niniue subuertetur*: quod & ipsum secundum historiam in eadem ciuitate factum non est: in mundo vero, cuius figuram ciuitas illa habuit, impletum erit. Quadraginta vero ad numerum in heremo mansionum, vel ad numerum generationum, quæ ab Abraham sunt vsque ad Dominum Iesum Christum, pertinet. Quinquaginta autem ad pentecosten vel aduentum Spiritus sancti: vnde dicitur in Actibus
Act. 2. Apostolorum: *Dum complerentur dies pentecostes*. Item quinquaginta ad indulgentiam pertinet peccatorum, in cuius numeri Sacramento quinquagesimus Psalmus positus est. Sexaginta vero numerus ad omnium perfectorum pertinet Sacramentum: vnde dicit in Cantico
Cant. 3. Canticorum: *En lectulum Salomonis*, id est, Christi Ecclesiam, *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israhel*. Item sexaginta ad fructum viduis siue continentibus deputa-
Matth. 13 tur. Vnde in Euangelio legitur: *& dabit fructum, aliud sexagesimum*. Septuaginta vero ad veterum patrum pertinere dicitur Sacramentum. In quorum figuram Salomon ad ædificium templi septuaginta milia operariorum elegisse dicitur, qui in humeris portabant. Nam 70. & 80. ad figuram legis & Euangelij simul pertinent, vt in Psalmo scriptum est: *Dies annorum in ipsis* 70. *anni. Si* Ps. 89.
autem in potentatibus, octoginta anni. Septuaginta vero duo ad numerum presbyterorum pertinet Moysi vel discipulorum, quos Dominus in prædicationem Euangelij elegit. Septuaginta quinque ad numerum animarum pertinent, quæ cum Iacob in Ægyptum descendisse narrantur in Actibus apostolorum. Octoginta ad quorundam Christianorum animas, quæ Domino fide tantum, non operibus cohærent: de quibus in Canticis Canticorum scriptum est: *Septuaginta sunt reginæ*, id est, ani- Cant. 6.
mæ perfectorum, *& octoginta concubinæ*. Centum ad martyrum fructum siue virginum pertinent, vt in Euange-
lio: *& dabit*, inquit, *fructum, aliud centesimum*, & reliqua. Matth. 13.
Centum viginti numerus perfectionem legis & Euangelij per figuram ostendit. Vnde legislator Moyses centumuiginti annorum esse describitur: & Spiritus sanctus in die pentecostes descendit super centum viginti animas credentium, qui fuerunt in cœnaculo Sion congregati. Nam leguntur ante diluuium centumuiginti anni ad pœnitentiam hominibus decreti: Salomonici templi altitudo centum 20. cubitorum erat. Hoc autem, quod omnis templi altitudo centum 20. cubitorum fuit, ad idem Sacramentum respicit, quod primitiua in Ierosolymis Ecclesia propter passionem, resurrectionem & ascensionem Domini in cœlos in hoc numero virorum gratiam Spiritus sancti accepit. Itaque procedente naturalis numeri progressione ab vno vsque ad 12. & collectis in vnum omnium locorum summitatibus 120. fiunt. 15. namque, quæ ex septem & 8. constant, solent nonnunquam ad significationem referri vitæ futuræ, quæ nunc in sabbatismo geritur animarum fidelium: perficietur autem in fine seculi resurrectione corporum immortalium. Centum quinquaginta quatuor numerus ad electorum pertinet Sacramentum, in quorum figuram eiusdem numeri pisces post resurrectionem Domini ab Apostolis in Euangelio capti referuntur. Trecenti ad numerum perfectorum, qui per crucem Iesu de mundo triumphantes victoriam reportant, in quorum typo Gedeon in Iudicum libro eiusdem numeri pugna- Iud. 7.
tores elegisse scribitur. Quingenti ad quinque ætates mundi (vt a quibusdam putatur) pertinet Sacramentum, quibus translactis Saluator mundum visitare dignatus est: in cuius typo Noe cum quingentorum esset annorum, diuinitus inspiratus aptauit arcam in salutem domus suæ. Millenarius numerus perfectionem beatitudinis significat. Vnde in Cantico Canticorum legitur:
Vinea fuit pacifico, in eaque habet populos: tradidit eam custodi- Cant. 8.
bus: vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea, id est, Ecclesia fructu habundans fidei, fuit pacifico, id est, Domino Christo, quam tradidit custodibus, hoc est, prophetis & apostolis atque angelicis dignitatibus: pro cuius fructu ipse vir affert mille argenteos, hoc est, perfectionem retributionis. Mille ducenti apostolicorū doctorum gerunt figuram: qui omnia mundi dimittentes, in verbo prædicationis laborare non cessant. Hi duplici remuneratione, quæ in ducentis designatur, donantur: de quibus scriptum est: *Mille tui, Pacifice, & ducentis his, qui custo-* Cant. 8.
diunt fructus eius. Septem milia numerus ad omnium electorum pertinet Sacramentum, qui pleni Spiritu sancto per hebdomadam huius mundi ad regna cœlorum colligunrur. De quo in libro Regum, *reliqui*, inquit, *mihi se-* 3. Reg. 19.
ptem milia virorum. Sexcenta milia quingenti ad Sacramentum filiorum Israhel, qui egressi sunt de Ægypto, vt in Exodo. Decem milia numerus ad Decalogum pertinet legis, vt in Euangelio: *& oblatus est ei vnus, qui debe-* Matth. 18.
bat decem milia talenta. Centum 40. quatuor milia ad Sacramentum electorum, qui ex Iudæis in fine mundi credituri sunt in Christo (vt quidam volunt) vbi & supra. Rursum 40. quatuor milia ad Sacramentum omnium virginum, de quibus in Apocalypsi: *& nemo*, in- Apoc. 14.

Ibid. quit, *poterat canticum illud dicere, nisi illa 140. quatuor millia.* & post pauca: *virgines enim sunt & in ore ipsorum non est inuentum mendacium.*

CAPIT. IV.

De Musica & partibus eius.

MVsica est peritia modulationis sono cantuque consistens: & dicta musica per deriuationem a musis. Musæ autem appellatæ apo to masan. id est, à quærendo: quod per eas (sicut antiqui voluerunt) ius carminum & vocis modulatio quæreretur: quarum sonus ex sensibilis re est, & præterfluit in præteritum tempus, inprimiturque memoriæ. Inde à poetis Iouis & Memoriæ filias musas esse confictum est: nisi enim ab homine memoria teneatur, soni pereunt: quia scribi non possunt. Moyses dixit, repertorem musicæ artis fuisse Tubal, qui fuit de stirpe Cam ante diluuium. Græci vero Pythagoram dicunt huius artis inuenisse primordia ex malleorum sonitu, & cordarum extensione percussa. Alij Linum Phebeum & Zetum & Amphion in musica arte primos claruisse ferunt. Post quos paulatim directa est præcipue hæc disciplina, & aucta multis modis: eratque tam turpe nescire, quam litteras. Interponebatur autem non modo sacris, sed & omnib. solemnibus, omnibusq; lætis vel tristioribus rebus. Vt enim in veneratione diuina hymni, ita in nuptiis hymenæi, & in funetibus threni & lamenta à tibiis canebantur. In conuiuiis vero lyra vel cithara circumferebatur, & accubantibus singulis ordinabatur conuiuiale genus canticorum. Itaque sine musica nulla disciplina potest esse perfecta: nihil enim sine illa. Nam & ipse mundus quadam harmonia sonorum fertur esse compositus: & cœlum ipsum sub armoniæ modulatione reuoluitur? Musica mouet affectus, prouocat in diuersum habitum sensus: in præliis quoque tubæ concentus pugnantes accendit: & quanto vehementior fuerit clangor, tanto fit ad certamen animus fortior. Siquidem & remiges cantus hortatur ad tolerandos quosque labores: musica animum mulcet, in singulorum operum fatigationem modulatione vocis solatur: excitatos quoque animos musica sedat: sicut de
1.Reg. 16. Dauid legitur, qui ab spiritu immundo Saulem arte modulationis eripuit: ipsas quoque bestias nec non & serpentes volucres, delfinas ad auditum suæ modulationis musica prouocat. Sed quicquid loquimur, vel intrinsecus venarum pulsibus commouemur, per musicos rythmos harmoniæ virtutibus probatur esse sociatum. Musicæ partes sunt tres, id est, harmonica, rythmica, metrica. Harmonica est, quæ * decernit in sonis acutum & grauem. [* discernit] Rythmica est, quæ requiritur incussione verborum, vtrum bene sonus an male cohæreat. Metrica est, quæ mensuram diuersorum metrorum probabili ratione cognoscit: vt verbi gratia heroicon, iambicon, elegiacon, & cetera. Ad omnem autem sonum, quæ materies cantilenarum est, triformem constat esse naturam. Prima est harmonica, quæ ex vocum cantibus constat: secunda organica, quæ ex flatu consistit. Tertia rythmica, quæ pulsu digitorum numeros recipit. Nam aut voce editur sonus, sicut per fauces: aut flatu sicut per tubam aut tibiam: aut pulsu, sicut per citharam aut per quodlibet aliud, quod percutiendo canorum est: Prima diuisio musicæ, quæ harmonica dicitur, id est, modulationis, pertinet ad comœdos, tragœdos vel choros, vel ad omnes, qui voce propria canunt. Hæc ex animo & corpore motum facit, ex motu sonum: ex quo colligitur musica, quæ in homine vox appellatur. Vox aer spiritu verberatus, vnde verba sunt nuncupata. proprie autem vox hominum seu irrationabilium vel animantium. Nam in aliis abusiue non proprie sonitum vocem vocari: vt, vox tubæ infremuit, fractasque ad litora voces. Perfecta est autem vox alta, suauis & clara: alta, vt in sublime sufficiat: clara, vt aures adimpleat: suauis, vt animis audientium blandiatur. Si ex his aliquid defuerit, vox perfecta non fuerit. Secunda diuisio organica est in his, quæ spiritu reflante completa in sonum vocis animantur, vt sunt tubæ, calami, fistulæ, organa, pandoria, & his similia. Tertia diuisio rythmica pertinens ad neruos & pulsus, cui dantur species citharatum diuersarum. Tympanum quoque, cymbalum, sistrum, acitabula ærea & argentea, vel alia, quæ metallico rigore repercussa, reddunt cum suauitate tinnitum, & cetera huiusmodi. Canticum significat lætitiam spiritalem, vt in Psalmo: *Cantate Domino canticum nouum.* Psallere est opus bonum exercere. Canticum ad contemplatiuam: psallere refertur ad actiuam vitam, vbi & supra. Iubilatio clamor spiritali feruore expressior, siue gaudium ineffabile, quod humana lingua minus fari non valet, vt in Psalmo: *Beatus populus, qui scit iubilationem.* Psal. 32. Psal. 88.

Primo omnium ad organi (eo quod maius esse his omnibus generibus in sonitu & fortitudine nimia computatur) clamores veniam, quod de duabus elephantorum pellibus concauum coniungitur, & per 12. fabrorum sufflatoria compulsatum per 12. cicutas æreas in sonitum nimium, quem in modum tonitrui concitat ita vt per mille passus sine dubio sensibiliter seu vtique amplius audiatur: sicut Hebræos de organis, quæ ab Hierusalem vsque ad montem oliueti, & amplius sonantera idiuntur, comprobatur. Duo genera à plerisque organi esse dicuntur. Primum est id, quod diximus, & aliud, quod de peregrinatione Israhel propheta præposuit apud Babylonem, & subito scribitur, ita dicens: *Super flumina Babylonis* & reliqua. Psal 136 Hoc totum figuraliter ac spiritaliter CHRISTI Euangelium significat: quoniam & illud de duabus, id est, duarum legum asperitate coniungitur per 12. sufflatoria fabrorum, id est, per patriarchas ac prophetas: per duodecim cicutas æreas, id est, per Apostolos sonum nimium emittit, sicut scriptum est: *In omnem terram exiuit sonus eorum,* id est, vox Euangelij in toto orbe terrarum, sicut scriptum est: *Vox toni tui in rota.* Ps. 18 Ps. 76 Nam per mille passus, id est, per perfectum numerum decem verborum legis impletur sonus eius. In falcibus id est, per laborem vnius cuiusque doctoris & per motum labiorum eius Euangelium prædicatur. Item organum homo siue corpus dominicum, vt in Psal. *Laudate eum in chordis & organo.* Psal. 150. Et in aliam partem de vana impiorum lætitia vt in Iob: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi.* Iob 21 Tuba itaque, de qua in Daniele scriptum est: *Cum audieritis vocem tubæ, fistulæ, citharæ,* & reliqua: Dan 3. diuersis figuris ac formis efficitur. Aliter enim est tuba congregationis populi, aliter conductionis, aliter victoriæ, aliter persequendi inimicos, aliter conclusionis ciuitatum, & reliqua. Tuba autem congregationis apud rerum peritissimos hoc modo intelligitur: tribus fistulis æreis in capite angusto inspiratur in capite voluto per quatuor vociductas æreas, quæ per æreum fundamentum quaternas voces producunt, mugitum nimium vehementissimumque proferunt. Ita Euangelium in trina confessione trium personarum sanctæ Trinitatis in capite angusto, hoc est, in natiuitate Christi diuinitate inspiratur, & per quatuor vociductas æreas, per quatuor Euangelistas, per æreum fundamentum, stabilitatem scilicet fidei & operum in toto orbe vocem nimio clamore quasi in modum tubæ congregationis emittit. De fistula autem refertur ita, quod sit bumbolum æreum ductile quadratum, latissimumque, in modum coronæ cum fistulo æreo ferreoque commixto, quod in ligno alto speciosoque formato superiore capite constringitur. In hoc quoque per singula latera duodecim bumbula ærea 12. fistulis in medio positis in catenis dependent. ita tria bumbula vno bilatere per circuitum vtrique finguntur: & concitato primo bumbulo, & consequenter 12 bumbolorum fistulis in medio positis, clamorem magnum, fragoremque nimium supra modum simul proferunt.

Bumbolum itaque cum fistulis, id est, doctor in medio Ecclesiæ est cum Spiritu sancto qui loquitur in ea constringitur in ligno alto, id est, in Christo qui a sapientibus ligno vitæ comparatur: in catena, i. e in fide, & in [illegible]

gittern, id est, operibus carnalibus. Duodecim Apostoli cum fistulis, id est, cum diuinis eloquiis. Cithara de qua in quadragesimo secundo Psalmo scriptum est: *confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus* propriæ consuetudinis apud Hebræos, quæ cum chordis viginti quatuor, in modum deltæ literæ (sicut peritissimi tradunt) vtique componitur, & per digitos Pindari variis vocibus, tinnulisque actibus in diuersos modos concitatur. Cythara autem, de qua sermo est, Ecclesiæ spiritaliter typum habet, quæ cum viginti quattuor seniorum dogmatibus trinam formam habens in modum deltæ litteræ fidem sanctæ Trinitatis significat: & per manus apostolici ordinis, qui prædicator illius est, in diuersos modulos veteris & noui testamenti aliter in littera, aliter in sensu figurate concitatur. Psalterium, quod Hebraice Nablum, græce aût Psalterium, latine autem Laudatorium dicitur, de quo in quinquagesimo & 4. Psal. dicit: *exurge psalterium & cithara* non quod in modum citharę, sed q; in modum clipei quadrati conformetur cû chordis decem, sicut scriptum est:
Psal. 143. *In psalterio decem cordarum psallam tibi.* Sed hinc inde chordæ eius contritæ sunt: vt resurgentem ab inferis ad cœlorum regna per indicium manus concitantis ab imo in altum significarent psalterium, quod vulgo canticum dicitur, & à psallendo est nominatum: quod ad eius vocem chorus consonando respondeat. Est autem similitudo citharæ barbaricæ (vt alij volunt) in modum deltæ litteræ. Sed Psalterij & citharæ hæc differentia est, quod Psalterium lignum illud concauum, vnde sonus redditur, superius habet, & deorsum feriuntur chordæ, & desuper sonant. Cythara vero concauitatem ligni inferius habet. Psalterium autem Hebræi decachordon vsi sunt propter numerum decalogum legis. Cithara significat pectus deuotum, in quo, tanquam nerui, sunt virtutes, hoc est, spiritalia bona, vt in
Psal.107. Psalmo *Exurge Psalterium & cithara*, id est, operacum
Esai. 5. fide. Et in malam partem vt in Esaia: *Cithara & lyra & tympanum & vinum in conuiuiis vestris*. in quo designatur voluptuosorum luxuria. Psalterium vero opera bona significat, vt est illud in Psalmo: *Psalterium iocundum cum*
Psal. 18. *cithara.* Item Psalterium decem chordarum operatio
Ps. 143. decem præceptorum legis: vt in Psalmo: *In Psalterio de-*
Ps. 191. *cem chordarum psallite ei.* Item ibi *in decachordo*, inquit, *Psalterio cum cantico & cithara*, id est, sensu & fide. De tuba autem psalterio & cithara in Psalmo scriptum est:
Psal. 150. *Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.* Hæc instrumenta musica significabili modo ad aliquid ponuntur in ordinem: vt tuba concrepet regi: psalterium canat Deo. cithara cum reliquis sponso. Ista enim ibi non esse manifestum est: sed hæc omnia mysticis allusionibus ad Christum Dominum constat esse referenda, qui est rex & Deus, & sponsus sanctæ Ecclesiæ. Sambuca itaque apud peritissimos Hebræorum ignota res est. Antiquis autem temporibus apud caldæ-
Dan. 3. os fuisse reperitur, sicut scriptum est: *Cum audieritis vocem tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ*, & reliqua. Bucina vocatur tuba apud Hebræos: deinde per diminutionem bucina dicitur: sambuca autem sol apud Hebræos interpretatur, sicut scriptum est: *Samson sol eorum.* Propterea autem sambuca apud eos inscribitur: quia multi corticem alicuius arboris esse putant. & per linituram ceræ mellis esse sonorum, quod in modum tubæ de ramo arboris moueri potest. Et ideo sambuca dicitur, quod in tempore æstatis tantum fieri potest, & vsq; ad frigoris tempus durare potest. Arescit enim secundum communem consuetudinem: hæc typum tenet eorum, qui Dominum in bonis suis laudant, in tempore frigoris, id est, in tempore tribulationis vel persecutionis laudare enim non possunt, propter infidelitatem vitæ eorum, & habundantiam diuitiarum suarum. Lira dicta apo tu liron, id est, a varietate vocum, quod diuersos sonos efficiat. Liram primum à Mercurio inuentam fuisse dicunt hoc modo: cum regrediens Nilus in suos meatus varia in campis reliquisset animalia: relicta etiam testudo est, quæ cum putrefacta esset & nerui eius remansissent extenti; intra corium percussa à Mercurio sonitum dedit, ad cuius speciem Mercurius liram fecit, & Orpheo tradidit, qui eius rei maxime studiosus erat: vnde & æstimatur eadem arte non feras tantum, sed & saxa atque siluas cantus modulatione applicuisse. Hanc Musicæ structuram propter studij amorem, & carminis laudem, etiam inter sidera suarum fabularum commentis collocatam esse. Lira enim mystice significat sanctorum exultationem. Vnde in Paralipomenon legitur: *in liris & nablis.* & in malam partem, vt in Amos: *& canti-* 1.Par. 15. Amos 5.
*ca liræ tuæ non * audiant.* Tympanum est pellis vel corium * audiam
ligno ex vna parte extentum: est autem pars media symphoniæ in similitudinem cribri tympanum dictum est, quod in medio est: vnde & margaritum medium tympanum dicitur; & ipsum symphonia ad virgulam percutitur. Tympanum paucis verbis explicari oportet, quod minima res est, eo quod in manu mulieris portari potest, sicut scriptum est in Exodo: *Sumpsit autem Maria* Exod. 15.
prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: & est tuba cum vna fistula in capite angusto, per quod inspirat: sic & minima sapientia legis veteris in manu Iudæorum synagogæ antiquis temporibus fuit. Item tympanum corpus attenuatum in ieiunio significat: vt in Psalmo:
Laudate eum in tympano & choro. Chorus quoque simplex Ps.150.
pellis est cum duabus cicutis æreis, & per primam inspiratur: per secundam, vocem emittit, typus populi prioris, qui angustam intelligentiam legis acceperat, & per angustam voluntatem prædicationis omnia mirifice prædicauit. Si autem terrena sapienter ac diligenter respiciamus, spiritaliter ac mystice intelligenda Ibid.
sunt. Item alio modo, chorus concordia est caritatis, Thren. 5.
vbi & supra: *Laudate eum in tympano & choro:* & in aliam Iob.30.
partem, vt in Hieremia: *Versus est in luctum chorus noster:* & alibi: *& organum meum in vocem flentium.* Cymbalum acitabula quædam sunt, quæ percussa inuicem se tangunt, & faciunt sonum: dicta autem cymbala, quia cum
ballemacia simul percutiuntur, cum enim græci dicunt Ps.150.
cymbala ballemacia, de quo in Psalmo scriptum est: *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus.* Cymbala bene sonantia labia nostra debemus accipere, quæ non immerito inter musica instrumenta posita sunt: quia & similitudo quædam est cymbalorum: & per ea voces humanæ harmoniam reddere suauissimam comprobantur. Harmonia est enim diuersarum rerum in vnam conuenientiam redacta copulatio: quod & in voce humana constat accidere: quando & tempora ipsa & syllabæ in vnam vocis concordiam perducuntur. Sistrum ab inuentrice vocatum: Isis enim regina Ægyptiorum id genus inuenisse probatur. Iuuenalis:

Isis & irato feriat mea lumina sistro.

Inde & hoc mulieres percutiunt, eo quod inuentrix huius generis mulier fuit. Vnde & apud Amazonas sistro ad bellum fœminarum exercitus vocabatur. Tintinnabulum de sono vocis nomen habet: sicut & plausus manuum, stridor valuarum. Symphonia vulgo appellatur lignum cauum ex vtraque parte pelle extenta, quam virgulis hinc & inde musici feriunt: fitque in ea ex concordia grauis & acuti suauissimus cantus.

CAPIT. V.

De Medicina.

Medicina est, quæ corporis vel tuetur, vel restaurat salutem: cuius materia versatur in morbis vel vulneribus. Ad hanc itaque pertinent non ea tantum, quæ ars eorum exhibet, qui proprie Medici nominantur: sed etiam cibus & potus, regimen & tegumen: defensio denique omnis atque munitio, qua sanum corpus aduersus externos ictus, casusque seruatur. Nomen autem Medicinæ à modo, id est, temperamento impositum æstimatur. Nam in ea multum contristatur natura, mediocriter autem gaudet: vnde & qui pigmenta & antidota satis vel assidue biberint, vexantur. Immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert. Medicinæ autem artis auctor ac repertor apud græcos perhibetur Apollo: hanc filius eius Æsculapius laude vel

opere ampliauit. Sed postquam fulminis ictu Æsculapius interiit, interdicta fertur medendi cura, & ars simul cum auctore defecit, latuitque per annos pene quingentos vsque ad tempus Artaxerxis regis Persarum: tunc eam reuocauit in lucem * Ypocras Asclepio patre genitus in insula Choo. Sanitas est integritas corporis, & temperantia ex calido & humido, quod est sanguis: vnde & sanitas dicta est, quasi sanguinis status. Morbi generali vocabulo omnes passiones corporis continentur: quod inde veteres morbum nominauerunt, vt ipsa appellatione mortis vim, quæ ex eo nascitur, demonstrarent. Inter sanitatem autem & morbum media est curatio, quæ nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. Morbi omnes ex quatuor nascuntur humoribus, id est, ex sanguine & felle, melancholia & phlegmate: ex ipsis enim reguntur sani, ex ipsis læduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum naturæ creuerunt, ægritudines faciunt: sicut autem quatuor sunt elementa, sic & 4. humores: & vnusquisque humor suum elementum imitatur: sanguis aerem: cholera ignem: melancholia terram: phlegma aquam: & sunt quatuor humores, sicut elementa, quæ conseruant corpora nostra. Sanguis ex græca etymologia vocabulum sumpsit, quod vegetet & sustentet & viuat. Cholera græci vocauerunt, quod vnius diei spacio terminetur: vnde & cholera, id est, fellicula nominata est, hoc est, fellis effusio: Græci enim fel cholen dicunt. Melancholia dicta eo, quod sit ex nigri sanguinis fece, admixta habundantia fellis: græci enim melan nigrum vocant, fel autem cholen appellant. Sanguis latine vocatus, quod suauis sit: vnde & homines, quibus dominatur sanguis, dulces & blandi sunt: phlegma autem dixerunt, quod sit frigidum: græci enim rigorem phlegmonem appellant. ex his quatuor humoribus (vt diximus) reguntur sani, ex ipsis læduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum naturæ creuerunt, ægritudines faciunt: ex sanguine autem & felle acutæ passiones nascuntur, quas græci oxea vocant: phlegmate vero & melancholia veteres causæ procedunt, quas græci cronia dicunt. Oxea est acutus morbus, qui aut cito transit aut celerius interficit, vt pleuresis, phrenesis: * axi enim acutum apud græcos, & velocem significat. Cronia est prolixus corporis morbus, qui multis temporibus remoratur, vt podagra, * tisis: cronos apud græcos tempus dicitur. Quædam passiones ex propriis causis nomina acceperunt. Febris a feruore dicta: est enim abundantia caloris. Phrenesis appellata, siue ab impedimento mentis, quia græci mentem phrenas vocant: seu quod dentibus infrendant. Medicinæ curatio spernenda non est, quia & sanctos viros ea vti legimus, & in Ecclesiastico de ea ita scriptum est: *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela: quoniam al tissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Sed omissis his quæ secularium litterarum scriptores de morbis & de medicina arte conscripsere: ea hic commemorare sufficiat, quæ in diuinis libris legimus: quia & in lege de variis morborum generibus narratur: & propheta Esaias medicinæ arte subuenit Ezechiæ regi Iuda. Et Paulus apostolus Timotheo modicum vinum prodesse dixit. Languor est viciorum morbus, vt in Exodo legitur: *Si obseruaueritis præcepta mea, omnem languorem, quem induxi super Aegyptum, non inducam super te.* Infirmitas significat impossibilitatem mentis, vt est illud in Apostolo: *Qui infirmus est, holera manducet.* Febris est carnalis cupiditas, insatiabiliter ardens, sicut in Euangelio socrum Petri figuraliter febricitantem dicit. Paralyticus significat animam victis dissolutam, atque in carnis suæ languore peccatorum depressam: vt in Euangelio legitur: *Ecce paralyticus in grabato portabatur a quatuor.* Hydropicus significat avarum hominem: quia sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit: sic auarus quanto plus de pecunia congregat, tanto plus auaritiæ ... anhelat. Lepra est doctrina hæreticorum falsa atque varia, vel Iudæorum infidelitas siue confusio ... peccatorum, vt in Leuitico, Dictum est Dominum ad Moysen & Aaron dicens: *Homo ... carne & cute ortus fuerit diuersus color siue pustula aut ... quippiam, id est, plaga lepræ, adducatur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius qui cum ... lepram in cute, & pilos in album colorem mutasse ... ad arbitrium eius separabitur.* Leprosi sunt hæretici Dominum Iesum Christum blasphemantes. Leprosi in Barba, id est, hæretici de incarnatione Saluatoris vel de sanctis Apostolis praua sentientes. Leprosi ... in corpore, id est, qui & supra blasphemiam suam ... omnem scripturarum seriem permiscentes. lepra tumens, inflata superbia: lepra limpidis, ... dis, vel latens blasphemia. lepra rubens iracundia ... dis. lepra alba est hypocrisis. Lepra in domo ... tas est tota in plebe. Lepra in vestimento significat vicia carnis. Lepra in carne viua, peccata ... in .... Lepra volatica, vicium quodlibet ex se generans .... fluxum seminis, immoderata est locutio. nocturna pollutio, peccatorum occulta cogitatio est. Mulier menstrua, anima est immundis cogitationibus polluta, vt in Hieremia dicitur: *Omnes qui remeseam non defi- cient, in menstruo eius inuenient illam.* Fluxus sanguinis, est profusio peccatorum. Debilitatio membrorum, debilitatio mentium est, vt in Leuitico legitur: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: loquere ad Aaron & ad filios eius: Homo de semine vestro per familias qui habuerit maculam, non accedat ad altare, nec offerat panis Deo suo, si cæcus fuerit, si claudus, si torto naso, si fracta manu, si gibbus, si lippus ... si iugem scabiem, vel ponderosus*, & cetera. Cæcus dicitur, qui superna luce priuatus, quo gressum operis tendat, omnino nescit. De hac cæcitate per Malachiam ad sacerdotes dicitur. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est?* Et in bonam partem accipitur, vt in Euangelio legitur: *Si cæci * essetis, non haberetis peccatum.* Mutus est, qui non prædicat Dei verbum, nec laudem Deo cantat: surdus, qui contemnit audire verbum Dei. Aurem abscissam habet, qui obedientiam in Dei præceptis non exhibet. Lippus oculis est, qui ingenium quidem intelligentiæ habet: sed hunc solicitudo seculi superna contemplari non sinit. Torto naso est, qui ad discretionem boni ac mali idoneus non est. Linguam abscissam haber, qui fidem rectam minime confitetur. Manum fractam habet, qui ab actione recta ex ors vacat. Claudus est, qui quo operis gressus tendat videt, sed eum infirmitas mentis bene agere non sinit. Et in bonam partem in Euangelio accipitur: *& pauperes ac debiles introduc huc.* Lippus est, quem terrena cupiditas deprimens, mentis oculos ad cœlestia contemplanda eleuare non sinit. Confractis testiculis est, qui viribus sensus aduersus vitia non habet. Ponderosus est, quem praua cogitatio indesinenter grauat in mente. Scabiem in corpore habet, quem luxuria carnis dominatur in mente. Impetiginem habet, cui auaritia ... in corde. Alij hanc impetiginem conciliabula hæreticorum intellexerunt. Abstractus est, qui peccatis propriis exigentibus, a Christi corpore, quod est Ecclesia, separatus est. Medicus Christus, vt in Euangelio: *Non egent sani medico, sed male habentes.* Resina, cœlestis medicina est, vt Hieremias dicit: *Nunquid non est resina in Galaad.* hoc est, in Ecclesia. *aut Medicus non est ibi?* ... propter animam peccatorum languore infirmam ... *...ite, inquit, resinam ad dolorem eius, si forte sanetur.* O... vocatus ab acre: thymiama, græca lingua vocatum, quod sit odorabile: nam timo ... citur flos, qui odorem refert, de quo Virgilius, *redolentque thymo.* In ... dictum, quia igne consumitur, dum offertur ... carnem incensum orationis puritatem: vnde ... in Psalmo: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo.*

Et in Exodo DOMINVS ad Moysen ait: *Sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum: æqualis ponderis erunt omnia: facies que thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum*

dil...

*Hippocrates — *oxy — *phthisis — Eccl. 38. — Esai. 38. — 1.Tim 5. — Exod.15. — Rom.14. — Matt.8. — Marc. 2. — Iere.2. — Leuit. 21. — Malach. 1. — Ioan. 9. — Luc. 14. — Matth. 9. — Iere.8. — Iere. 51. — Psal. 140. — Exod. 30.

diligenter & purum. Thymiama compositum ex aromati-
bus facimus, cum in altari boni operis virtutum multi
plicitate redolemus: quod mixtum & purum fit: quia
quantum virtus virtuti iungitur, tantum incensum boni
operis sincerius exhibetur. Aromata ergo in puluerem
redigere, est virtutes recogitando terere & subtiliter ex
aminare. Incensum odoriferum de pigmentis est suauis
adustio, quæ carbonibus concremata carissimum fu-
mum porrigit ad superna, & odorantes se delectabili io-
cunditate permulcet. sic beatorum oratio, igne caritatis
incensa, diuinis conspectibus ingeritur, quæ magis hu-
militatis & compunctionis pondere subleuatur. Virtu-
tibus enim Dominus noster tanquam bonis delectatur
odoribus: nam orationem sanctam, velut odorem sua-
uissimum, suscipere Dominum, & in Apocalypsi legitur,
Apoc. 8. vbi dictum est: *Stetit Angelus iuxta aram templi, habens
thuribulum aureum, & ascendit fumus supplicationum de ma-
nu angeli in conspectu Domini, vt daret de orationibus sanctorum,
quod est ante Dominum.*

Finis Libri XVIII.

INDEX CAPIT. LIBRI XIX.

INCIPIT LIBER DECIMVS NONVS.

CAPIT. I.

De cultura agrorum.

CVLTVRA est, qua frumenta vel vina magno labore quæruntur, ab incolendo vocata. Diuitiæ enim antiquorum in his duobus erant, bene pascere, & bene arare. Cultura agri, cinis, aratio, intermissio, incensio stipularum, stercoratio, occatio, runcatio. Cinis est incendium, per quod ager inutilem humorem exudat. Aratio dicta, quia de ære prius terræ culturam exercebant, antequam ferri fuisset vsus repertus. Duplex ergo aratio vernalis & autumnalis. Intermissio est, qua alternis annis vacuus ager vires recipit. Stercoratio est lætaminis aspersio. Stercus autem vocatum, vel quia sternitur in agris, vel quia extergi oporteat, quod sordidum in ciuitate redundat. Idem & fimus est, qui per agros iacitur: & dictus fimus, id est, stercus, quod vulgo lætamen vocatur: eo quod suo nutrimento læta faciat germina, reddatque arua pinguia & fæcunda. Occatio est, cum rustici, satione facta, bobus dimissis, grandes glebas cædunt ac ligonibus frangunt: & dicta occatio, quasi occæcatio, quod operiat semina: occare igitur est operire terra semina, vites, vel arbores. Runcatio est à terra herbas vellere: nam rus terra est: sulcus à sole vocatus, quod proscissus solem capiat. Veractum dictum, quasi vere actum, id est, verno aratum. Proscissio est aratio prima, cum adhuc durus ager est. Satio dicta, quasi seminis actio, vel quasi satorum actio. Serere autem vocatum quod hoc sereno cœlo faciendum est, nó per imbres. Hinc est & illud Virgilianum: *nudus ara: sere nudus.* Messis à metendo, id est. à recidendo dicta: seges autem de semine dicta. quod iacimus: siue à sectione. Spiritaliter aũt in scripturis sacris agricultura corda credentiũ intelliguntur, in quibus fructus virtutum
1. Cor. 3. germinant: vnde Apostolus ad credentes ait: *Dei agri-
cultura estis, Dei ædificatio estis.* Agricola autem Deus est:
vnde Dominus in Euangelio ait: *Ego sum vitis vera, & Pa-* Ioan. 15.
ter meus agricola est. Item agricola Apostoli sunt, vel ce-
teri prædicatores. Coloni vero sancti intelliguntur.
Vnde in Euangelio dicit: *malos male perdet*, id est, Iudæ- Matt. 21.
os, *& vineam suam tradet colonis aliis.* Operarij Apostoli,
vel ceteri prædicatores. In Euangelio legitur: *rogate* Matt. 9.
Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Aliter o- Phil. 3.
perarij hæretici, in Apostolo: *Videte*, inquit, *canes: videte
malos operarios: videte concisiones.* Incenduntur ergo igne a-
gri vt omnis humor inutilis exudet, quando per zelum
Dei omnis superfluitas viciorum à cordibus electorum
exuritur: ne ibi quicquam pestiferum germinet. Aran-
tur agri, quando per doctorum prædicationem turbæ
credentium exercentur & præparantur ad accipiendum
semen verbum Dei: *semen enim est verbum Dei*, vt in Eu- Luc. 8.
angelio Dominus ipse ostendit. Stercora ergo in agrum
mittuntur, vt melius fructificet: quia per recordatio-
nem peccatorum quique fideles ad pœnitentiam prouo-
cabuntur: vt melius in sulcis iustitiæ crescat germen re-
ctæ fidei, & fructus bonæ operationis. Sulci sunt cor-
da fidelium, vt in Psalmo: *sulcos eius inebria.* & in Iob: *si* Ps. 64.
aduersum me in terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent. Iob. 31.
Semen, diuina prædicatio, vt in Euagelio: *Exiit qui semi-* Matt. 13.
nat semen suum. Semen, hæreticorum prædicatio, aqua
stultitiæ perfusa, vt in Pentateucho: *Omne semen, su-* Leu. 11.
per quod ceciderit aqua, immundum erit. Arator crux, siue
prædicationis officium, vel inchoatio bonorum ope-
rum, vt in Euangelio: *Nemo mittens manum suam in ara-* Luc. 9.
trum, & respiciens retro aptus est regno cælorum. Arare prædi-
cationis est officium exercere: vnde in libro Regum le-
gitur: *& ipse in 12. arantibus vnus erat.* Seminare est præ- 3. Reg. 19.
dicationis sermonem in corda fidelium spargere, vt in
propheta: *& seminabunt agros.* Segetes autem plebes Psal. 106.
sunt fidelium quas mundant & expurgant agricultores
spiritales, hoc est, doctores sancti, ne quicquam ibi
crescat inutile atque virulentum. Messis vero vbertas est
vel copia fidelium, vt in Euangelio Dominus ad Aposto-
los ait: *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt* Ioan. 4.
iam ad messem. Aliter autem messis consummatio est se- Matt. 13.
culi, messores vero angeli Dei, triticum autem electi
sunt, & Zizania reprobi. Colliguntur ergo segetes &
rediguntur in manipulos, vt in horreum Domini col-
locentur: cum sancti viri cum manipulis virtutum in cœ-
lestem mansionem recipiuntur: vt est in Psalmo: *Veni-* Psal. 125.
entes, inquit, *venient in exultatione portantes manipulos suos*,
hoc est, mercedem bonorum operum metentes. Ziza-
nia vero scandala vel male viuentes intelliguntur vt in
Euangelio scriptum est: *Venit inimicus, & superseminauit* Matth. 13.
zizania in medio tritici & paulo post: *Alligate*, inquit, *zi-* Ibid.
*zania, fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate
in horreum meum.*

CAPIT. II.

De frumentis.

FRumenta sunt proprie, quæ aristas habent: fruges au-
tem reliquæ. Spiritaliter autem frumentum aut i-
psum Redemptorem nostrum significat, qui in Euange-
lio ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fu-* Ioan. 12.
erit, ipsum solum manet: vel sanctos viros, qui membra
sunt corporis eius. Item frumentum prædicationis ser-
monem significat, vnde Salomo ait: *Qui abscondit fru-* Prou. 11.
mentum, maledicetur in populis. Triticum autem simili-
ter electos significat, qui pertinent ad horreum Domi-
nicum, sicut supra ostendimus. Siligo genus tritici, à
serendo dictum: nam in pane species eius præcipua est.
Hordeum dictum, quod præ ceteris generibus frumen-
ti antea fiat aridum: vel quod spica eius ordines habeat.
Significat autem hordeum, literam legis veteris, quæ
carnalibus Iudæis ad alimentum data est: vnde in Euan
gelio legitur, quod ex quinque panibus hordeaciis quin-
que milia hominum Dominus satiauit. Rursum in Ge- Ioan. 6.
nesi scriptum est de Isaac: *Seuit Isaac, & inuenit in illo an-* Gen. 26.
no centuplum hordei. Arista appellata, quod prius ipsa

arescat. Culmus est ipse calamus spicæ, qui à radicibus nascitur: & dictus culmus, quasi calamus. Folliculum est theca frumenti, in qua granum seruatur interius. Hæc super spicam vallo instructa munimen prætendit, ne auium minorum morsibus spica fructibus exuatur, aut vestigiis proteratur. Hæc quoque obseruantiam carnalem legis veteris significant, in qua medulla sensus spiritalis condita latet. Spicæ initia fidei, vel inchoatio bonorum operum, sicut in Iob de hæreticis dicitur: *& esurientibus tulerunt spicas.* Stipula, aridi ad fidem, vel inanes in Apostolo: *lignum, fœnum, stipulam.* & in propheta: *heu mihi quia factus sum sicut, qui colligit stipulam in messe*, hoc est, nullum boni operis fructum inueni. Stipula autem ac paleæ peccatores significant, qui apti sunt ad incendium æternum: vnde scriptum est: *Paleas autem exuret igni inextinguibili.* In Hieremia quoque scriptum est: *quid paleis ad triticum: dicit Dominus.* Aceruus, collectio fidelium ad aream Ecclesiæ, siue sanctorum prædicatio perfecta: sicut in Iob de hæreticis dicitur. *inter aceruos eorum meridiati sunt.*

Iob 24. 1. Cor. 3. Mich. 7. Matt. 3. Ier. 23. Iob. 24.

CAPIT. III.

De leguminibus.

LEgumina à legendo dicta, quasi electa: veteres enim meliora quæque legebant: siue quod manu legantur, nec sectionem requirant. Leguminum plurima genera ex quibus faba, lenticula, pisum, faselum, cicer, lupinum, grat ora in vsu hominum videntur. Mystice autem legumina continentiam luxuriæ, & mortificationem corporis significare possunt: vnde in Daniele propheta, ipse Daniel & tres pueri cum eo, contemptis deliciis regalibus, appetisse cibum leguminum: contritis carnalibus desideriis, merito viri desideriorum spiritalium possunt nuncupari.

Dan. 1.

CAPIT. IV.

De vitibus.

VItis plantationem primus Noe instituit rudi adhuc seculo. Apud græcos autem constat inuentorem vitis Liberum appellari: vnde & eum gentiles post mortem deum esse voluerunt. Vitis dicta, quod vim habeat citius radicandi. Alij putant vites dictas, quod inuicem se vites innectant, vicinisque arboribus repetando religentur: est enim earum natura flexibilis, quod, quasi brachiis quibusdam, quicquid comprehenderint, stringant. Labrusca est vitis agrestis, quæ in terræ marginibus nascitur: vnde & labrusca dicta à labris & extremitatibus terræ: summitates vitium & fruticum flagella nuncupantur, eo quod agitentur. Palmes vitis, materia mollis, qui per nouella brachia missus fructum affert. Corimbi sunt anuli, qui proxima quæque ligant & comprehendunt, ne longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur. Vuæ dictæ, quod intrinsecus humore sint plenæ, succique & pinguedinis: nam humidum est, quod exterius humorem habet: vuidum, quod interius, vt acina botrus. Racemus est botryonis pars, & botryo græcum est. Mystice autem vinea Ecclesia vel populus Israhel potest intelligi: de quo in Esaia ita scriptum est: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei & sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular exstruxit in ea, & exspectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas*, & cetera. Quod autem vinea Dei appellatur populus Israel, & in fine huius cantici legimus: *Vinea Domini exercituum domus est Israel, & vir Iuda germen laudabile eius.* & in 70. nono Psalmo: *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.* In Euangelio quoque pene iisdem verbis, quibus propheta nunc loquitur, Dominus texit parabolam: *Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & maceriam illi circumdedit, & fodit in ea torcular, ædificauit turrim, & locauit eam agricolis* & cetera. Et in Hieremia legimus: *Ego plantaui te vineam fructiferam totam veram: quomodo conuersa es in amaritudinem vinea aliena?* Itaque Hierusalem (vt diximus) plangitur, & sermone prophetico illi de ruina cantatur. Porro Ecclesiæ & populo quondam gentium aliud carmen est editum, de quo in Psalmis legimus: *Cantate Domino omnis terra, annuntiate de die in diem salutare eius, annunciate in gentibus gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.* Per metaphoram (vt diximus) vineæ describit populum Iudæorum quem sepsit angelorum auxilio, & lapides elegit ex eo, vel idola, vel omnia, quæ Dei cultum poterant impedire: & plantauit eam vineam sorech, quam solus Symmachus electam interpretatus est. Ædificauit quoque turrim in medio eius, templum videlicet in media ciuitate, & torcular struxit in ea, quod quidam altare significare putant: vt in cantico Esaiæ dicitur: *& torcular fodit in ea.* Torcular est futura tribulatio, vt in Apoc. *Et ipse calcauit torcular vini iræ furoris Domini.* Sicut enim ad torcular omnes vuæ comportantur atque calcantur, vt ex eis exprimatur vinum: sic altare omnis populi suscipit fructus, & immolatas hostias deuorat iuxta illud, quod de Beniamin legitur: *Beniamin lupus rapax mane comedit, & ad vesperam dabit escas.* Cuncta, quæ dicuntur de vinea, possunt & ad animæ humanæ referri statum, quæ à Deo plantata in bonum, non vuam attulerit, sed labruscas, & postea sit tradita bestiis conculcanda, nec diuinarum imbrem susceperit doctrinarũ, quia præterita contempserit. Vitibus inter cetera magis ista conueniunt: oblaqueatio, putatio, propaginatio, fossio. Oblaqueare est circa radicem terram aperire, & velut lacus efficere. Putare est virgam ex vite superuacuam resecare, cuius flagellis luxuriat: putare enim dicitur purgare, id est, amputare: traducere, transducere. Propaginare vero flagellum vitis terræ submersum sternere, & quasi porro pangere. Hinc propagines à propagare & protendere dictæ. Fodere vero est quasi foueam facere ac fouere. Hæc omnia si quis diligenter intenderit, in Ecclesiæ instructione spiritaliter inuenire poterit: vnde in Cantico Canticorum sponsa dicit: *Flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit*, id est, vt amputatis inutilibus vanæ religionis sarmentis, futuro fidei fructui præparetur. Vitis vero allegorice significat Christum, qui dicit in Euangelio: *Ego sum vitis vera.* Item in aliam partem vineæ vel vitis significatio trahitur, vt est illud in cantico Deuteronomij: *Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorra.* Palmites autem Apostoli vel sancti allegorice intelliguntur: vnde Dominus ad Apostolos ait: *Ego sum vitis vera, & vos palmites*, & cetera. Similiter & vua fructum iustitiæ significat, & econtrario sub alia significatione legitur: *Vuæ eorum, vua fellis, botrus amaritudinis in ipsis.* Botrus autem alibi Ecclesiam siue corpus Domini significat. Vnde in Numerorum libro scriptum est, quod duo viri portarent botrum in vecte de terra repromissionis: quia duo ordines prædicatorum, Christi incarnationem voce & verbo credentibus afferunt: quia quem prophetæ futurum annunciauerunt, hunc Apostoli iam venisse testantur. Vindemia autem mystice consummatio seculi intelligitur, vel vindicta in populum. Vnde in Psalmo legitur: *Vindemiant eam omnes, qui transeunt viam.* & Iohel, *mittite*, inquit, *falces: & vindemiate vineam terræ, quoniam matura sunt vuaeius.* Vinea est Ecclesia, vt in Cantico Canticorum dicitur: *Vinea fuit Pacifico, & tradidit eam custodibus*, id est, Apostolis. Item vinea, plebs iudaica, vt in Psalterio: *Vineam ex Aegypto transtulisti:* Vinea, fidelium plebs, vt in Salomone: *Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas.* Vineæ, bonorum operum actiones, vt in propheta: *& plantabunt vineas:* & in aliam partem, vt in Salomone legitur: *Transiui per vineam viri stulti, & ecce omnia repleuerunt vrtica.* Torcular (sicut supra diximus) altare significat ab eo, quod ibi oblationes, tanquam fructus, conferantur: & aliter torcular tribulationum pressuram significat, in qua fideles probantur. Vnde in titulo quorundam psalmorum scriptum est: *In finem pro torcularibus.*

Esai. 5. Matt. 21. Ier. 2. Psal. 95. Esai. 5. Apoc. 14. Gen. 49. Cant. 2. Ioan. 15. Deut. 32. Ioann. 15. Deut. 32. Num. 13. Psal. 79. Ioel 3. Cant. 8. Ps. 79. Cant. 2. Esai 65. Prou. 24.

Capit. V.

De Arboribus.

ARborum nomen siue herbarum ab aruis inflexum creditur, eo quod terris fixis radicibus adhærent. vtraq; autem ideo sibi pene similia sunt: quia ex vno alterum gignitur. Nam dum sementem in terram ieceris, herba prius oritur: dehinc confota surgit in arborem: & infra paruum tempus, quam herbam videras arbustum suscipis. Arbusta arbor nouella & tenera, in qua insertio fieri potest: & dicta arbusta, quasi arboris hasta. Alij arbustum locum, in quo arbores sunt, volunt accipere, sicut salectū: sic & vireta, vbi virgultæ nouellæ virentes sunt. Luc. 13. Arbor autem humanum genus significat, vt est illud: *Arborem fici quidam habuit plantatam in vinea.* Mat. 7. 12. Item arbor bona dicitur bonus homo, & mala arbor, malus homo. Quidam in hoc testimonio arborem voluntatē hominis magis quam ipsum hominem accipiendū putant: & fructum bonum, bona opera: malum vero mala opera. Radix autem originem mystice significat: vnde in Apostolo scriptum est: Rom. 11. *Quod si radix sancta, & rami.* Item de peccatore dicitur: Psal. 51. *Destruet te Deus, in finem euellet te, & emigrabit de tabernaculo suo, & radicem tuam de terra viuentium.* Rami vero propaginem cuiuslibet exprimunt, in bonam partem siue in malam translatam. In bonam, vt est illud in Euangelio de grano sinapis, de quo Dominus ait: Matth. 13. *Fit arbor, ita vt veniant volucres cæli, & habitent in ramis eius.* Item in aliam partem in Daniele scriptum est: Dan. 4. *præcidite arborem & ramos eius.* Et in Salomone: Sap. 4. *Et præcidantur rami inconsummati.* Folium vero sermonem doctrinæ significat. vnde in Psalmo scriptum est de ligno illo mirabili, Psal. 1. *quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non decidet.* Hoc enim lignum significat Dominum nostrum Iesum Christum, propter passionem crucis, cuius virtutum fructus pabula sunt credentium, cuius folia non decidunt: quia nullo casu verba eius à veritate discedunt. Hæc sunt aquæ spiritales hæc folia salutaria, de quibus in Apocalypsi beatus Iohannes dicit: Apoc. 22. *Et ostendit mihi flumen aquæ vitæ splendidum, tanquam crystallum, exiens de throno Dei & agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis arborem vitæ, quæ facit fructum, duodecies singulis mensibus reddens fructum suum, & folia illius arboris sunt in sanitatem gentium deputata.* Flos enim Christum mystice significat qui in Cantico Canticorum dicit: Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Flores significant incrementa bonæ conuersationis, vt est illud in Cantico Canticorum: Ibid. *Flores apparuerunt in terra,* id est, initia fidei & iustitiæ floruerunt in mundo, crescente ecclesia Christi. Item flos gloria seculi huius. In Esaia: Esa. 40. *Omnis, inquit, caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.* Poma significant fructus sanctorum in virtutibus, vt est illud in Cantico Canticorum: Cant. 4. *Et manducet fructum pomorum suorum.* Item sponsa ad sponsum dicit: Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Poma noua & vetera, præcepta siue promissa sunt noui testamenti & veteris quæ omnia ad Christi gratiam referre ecclesiam manifestum est. Rursum poma dulcedo peccati: vnde in Amos legitur: Amos 8. *quid tu vides Amos? Et dixi vncinum pomorum,* hoc est, supplicia peccatorum. Matura dicuntur, quod apta sunt ad mandendum: sic & immatura, quia priusquam matura fiant, dura sunt ad mandendum. Allegorice autem matura dicuntur illa, quæ perfecta sunt: immatura autem, quæ imperfecta esse dinoscuntur. Siluæ autem siue saltus mystice gentes significant, vel etiam sacram scripturam allegoricis testimoniis obumbratam, vt est illud: *Deus à Libano veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso.* Psal. 131. De quo in Psalmo scriptum est: *Inuenimus eam in campis siluæ.* Campi vero siluæ indicant corda gentilium, quæ ex peccatis quasi siluestribus ac dumosis locis, mundante Domino, campestri puritate patuerunt. De his siluis egressi sunt duo vrsi reges videlicet Romanorum ad præceptum typici Helisæi, & post quadraginta duos annos ascensionis eius ad cælos Iudaicos pueros comederunt. Psal. 79. Siluæ gentes sunt, vt in Psalmo: *Exterminauit eam aper de silua.* Condensa autem, hoc est opaca siluestria quæ loca significāt diuinæ scripturæ occulta: vt est illud in Psalmo: *Reuelauit Dominus condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.* Psal. 28. Reuelauit enim timor Domini condensa, quando ignoratione deposita ad intelligentiam diuinæ legis deuoti populi conuenerunt. Pro qua re in Ecclesia eius omnes referunt gloriam: prout vnus quisq; præfati spiritus septiformis dona suscipit: gloria enim (sicut dictū sæpe meminimus) laus est facta celebratione multorum. Item saltus significat populum ecclesiæ, de quo in Propheta scriptum est: *Qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.* Ezech. 34. Rursus saltus meridianus typum tenet populi Iudæorum: vt in Ezechiel dicit: *Hæc dicit Dominus ad saltum agri meridiani: Ecce ego succendam ignem in te, & deuorabit omne lignū viride, & omne lignū aridum.* Ezech. 20. Ligna dicta, quia incensa conuertuntur in lumen: vnde & lucinium dicitur, quod lumen det. Astula ab tollendo nuncupata. Fomes est astula, quæ ab arboribus excutitur recisione: aut astulæ ambustæ, aut ligna cauata, à fungis nomine accepto: quod ita capiat ignem, de quo Virgilius: *rapuitque in fomite flammam.* Ligna enim & in bonam partem & in malam posita reperiuntur: in bonam vt est illud: *Gaudebunt campi, & omnia ligna siluarum ante faciem Domini, quoniam venit.* Psal. 95. In malam vero vt est illud in Ecclesiaste: *Qui scindit ligna periclitabitur in eis:* Eccles. 10. quia quicunque executor est peccatorum, æterno incendio deputabitur. Item ligna angeli, vt quidam putant sicut in Ezechiele Propheta per diabolo dicitur: *Omne lignum paradisi non est assimilatum ei.* Et post pauca: *Cedri non fuerunt altiores illo.* Ezech. 31. Lignum Christus siue sancti, in Psalmo: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Psal. 1. Et in Euangelio: *Si in viride ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. Lignum homo, vt in Ecclesiaste: *Si ceciderit lignum ad austrum, siue ad aquilonem,* id est, in bonam vel in malam partem, *vbicunque ceciderit, ibi erit.* Eccles. 11. Ligna testimonia scripturarum in Leuitico: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiciens ligna mane per singulos dies.* Leuit. 6. Huic testimonio Salomonis sententia congruit, in qua ait: *Qui addit scientiam, addit dolorem.* Eccles. 1. Lignum crux Christi in libro sapientiæ: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia.* Sap. 14. Et in Psalmo: *Dominus regnauit à ligno.* Psal. 95. Ligna peccata in Deuteronomio: *Si quis abierit cum proximo suo simpliciter in siluam ad ligna cædenda.* Deut. 19. Torris lignum adustum, quem vulgus titionem appellat extractum foco semiustum & extinctum. Quisquiliæ stipulæ immixtæ surculis ac foliis aridis: sunt autem purgamenta terrarum. Mystice autem torris vel titio significat sapientiam vanam, quæ veræ sapientiæ cōtraria est: vnde legitur in Esaia Propheta, Dominū dixisse ad ipsum Prophetam: *Egredere in occursum Achaz, tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis, & dices ad eum: Vide, ne sileas: noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, & filii Romeliæ, eo quod consilium inierit contra te Syria in malum Effraim, & filius Romeliæ, dicentes: Ascendamus ad Iudam & suscitemus eum, & euellamus eum ad nos.* Esa. 7. Duas autem caudas tortium fumigantium (vt prius diximus) vocat sapientiam secularem, hæreticumq; sermonem, quorum finis exustio est: qui frustra inierunt consilium, vt ascenderent contra Iudam, & quasi negligentem & dormientem caperent, & suis erroribus copularent. Caries putredo lignorum: dictum hoc nomen, quod eueniat lignis virtute carentibus. Caries autem significare potest putredinem peccatorum: vnde homines carnales vermibus concupiscentiæ exesi inhabiles efficiuntur ædificio spiritali pertinenti ad ciuitatem Dei.

Capit. VI.

De propriis nominibus arborum.

PAlma dicta, quia manus victricis ornatus est: vel quod oppansus est ramis in modum palmæ hominis. Est enim arbor insigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto, diuturnisque vestita frondibus, & folia sua sine vlla successione conseruans. Hanc græci phœnicem dicunt, quod diu durat, ex nomine auis illius Arabicæ quæ multis annis viuere perhibetur. Quæ dum in multis locis nascatur, non in omnibus fructus perficit maturitatem: fre-

quenter autem in Ægypto & Syria, fructus autem eius dactyli à digitorum similitudine nuncupati sunt. Palma enim dicta est, quasi pacis alma, quæ præmium est in agone vincentibus, sicut Apostolus dicit: *Phil. 3.* *Nunc tendo ad palmam supernæ vocationis.* Hæc super terras hispida est, & quibusdam tumoribus inæqualis: sed vbi ad superna processerit, dulcissimorum fructuum suauitate completur, & quasi quibusdam radiis ornata distenditur: sic iustorum conuersatio in hoc mundo duris est laboribus plena: sed in supernis probatur esse pulcherrima. Palma autem significare potest homines virtutum decore semper virentes, & victoriam de vitiis omnibus & hostibus spiritualibus capientes: vnde præmium coronæ æternæ à Domino accipiunt, de quo in Psalmo scriptum est: *Psal. 91.* *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Et in Cantico *Cant. 5.* Canticorum sponsa de sponso dicit: *Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Comæ cateruæ sanctorum quæ Deo fideli famulatu adhærent: elatæ palmæ propter caput Domini: nigræ propter despectionem apud homines: vel elatæ ob victoriam, nigræ ob pressuras. Laurus à verbo laudis dicta: hac enim cum laudibus victorum capita coronabantur. Apud antiquos autem laudea nominabatur: postea d litera sublata, & subrogata r dicta est laurus: vt in auriculis, quæ in initio audiculæ dictæ sunt: & medidies, qui nunc meridies dicitur. Hanc arborem græci dafnem vocant: quod nunquam deponat viriditatem, inde illa potius victores coronabantur: sola quoque hæc arbor fulgore fulminari minime creditur. Hæc arbor bene potest significare martyrum victorias & coronas inmarcescibiles: malum à græcis dicta, quod sit fructus eius pomorum omnium rotundissimus: vnde & hæc sunt vera mala, quæ vehementer rotunda sunt. Malamaciana à loco vocata, vnde prius aduecta sunt. Nam multæ arbores nomina ex prouinciis vel ciuitatibus, de quibus allatæ sunt, acceperunt. Virgilius amantibus quid ex malo quæri soleat, ostendit. Mala cidonia nomen sumpsit ab oppido, quæ est in Insula creta, de qua græci dicere solent vrbium Cretensium matrem Cidoniam, ex cuius pomo cidonicum conficitur. Fit quoque ex ea & vinum, quo languentium desideria falluntur: nam specie, & gustu, & odore cuiuslibet vini veteris imaginem repræsentat. Malomelum à dulcedine appellatū, vel quod fructus eius mellis saporem habeat, vel quod in melle seruetur. Malum autem allegorice significat Dominū Christum: vnde sponsa in Cantico Canticorum dicit: *Cant. 2.* *Sicut * malum inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filias: sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo:* ** malus* hoc est, sicut malum visu, odore & gustu antecedit ligna siluestria: sic Christus antecellit omnes sanctos, qui filij Dei dicuntur: sed gratia, ille solus natura, & eodem prodeunte, quem semper adesse quæsiui, quiesco ac secura permaneo: quia gratiæ suæ cælesti dulcedine me reficit. Malum punicum dici eo, quod ex Punica regione sit genus eius translatum: idem & malumgranatū, eo quod intra corticis rotunditatem granorum contineat multitudinem. Malapunica ecclesia est siue vnitas fidei, & pacis concordia, ob cuius figuram Israelitici exploratores *Num. 13.* in libro Numeri de terra repromissionis malumpunicum cum botro pariter & ficis portabant. Et in Exodo, In ornamento sacerdotis malapunica tintinnabulis aureis cōiungi præcipiuntur. Malum autem punicum significat cœtum sanctorum & electorum virorum: vnde sponsa *Cant. 6.* ad sponsum in Cantico Canticorum dicit: *Sicut cortex malipunici, genæ tuæ, absque occultis tuis.* Genæ sanctæ ecclesiæ spirituales sunt patres: qui virtutibus sunt mirabiles, & moribus venerabiles, & in cruce Christi gloriari non erubescentes. Et hæc magna sunt valde, quæ videntur in ea: sed multo maiora, quæ non videntur & in futura reseruantur. Potest & in malo granato intelligi ecclesia de multis gentibus congregata siue diuersas in se gratias habens: vnde in Canticis Canticorum de ea scriptum legitur: *Cant. 4.* *Emissiones tuæ paradisus malorum granatorum cum fructu pomorum.* Ficus latine à fœcunditate vocatur: feracior est enim arboribus cæteris: nam ter quaterque per singulos annos generat fructum, atque altero maturescente alter oboritur: hinc & caricæ à copia nominatæ sunt. Ficus mystice significat synagogam Iudæorum, vt est illud in Euangelio: *Matt. 21.* *Arefacta est continuo ficulnea.* Et in Abacuc: *Ficus,* inquit, *non afferet fructum, & non erit generatio in vineis, &c.* Ficus vineæ & oliua erat synagoga Iudæorum, quando dulcedinem bonæ operationis, flagrantiam mutuæ dilectionis, pinguedinem animi misericordis Deo deuota proferebat: sed hæc ficus, Domino ad eam tertio veniente, hoc est, in legislatione per Moysen, in sedula increpatione & exhortatione per Prophetas, in oblatione gratiæ per seipsum, virtutis fructum ferre neglexit: propter quod ad maledictionem eius æterna ariditate damnata est. Item ficus, prisca lex: vnde dicitur in Euangelio: *Matt. 21.* *Luc. 13.* *Homo quidam plantauit vineam,* hoc est, plebem iudaicam, *& in vinea plantauit ficum.* Folia ficus, asperitas est legis, vel prurigo viciorum. Hinc est illud in Genesi. *Gen. 3.* *Et consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* hoc est, succinctoria genitalium. Caprificus appellata eo, quod parietes, quibus innascitur, carpat: rumpit enim & prodit ex latebris, quibus concepta est. Alij caprificum putant dictum, quod ficus arbor eius remedio fœcundetur. Morus à græcis vocata, quam latini rubū appellant eo, quod fructus vel virgulta eius rubent. Est enim mora siluestris fructus afferens, quibus in deserto pastorum fames ac penuria consouetur: huius folia superiactata serpenti feruntur interimere eum. Rubus ergo (vt quidam opinantur) Mariæ virginis * præfiguratione eo, quod quasi de ** præsentans* humani corporis rubo, Saluatorem tanquam rosam emiserit: aut quod vim diuini fulgoris sine sui consumptione pertulerit. Vnde in Exodo legitur: *Exod. 3.* *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet & non combureretur.* Sicomorus, sicut & morus græca nomina sunt: dicta autem sicomorus eo, quod sint folia eius similia moro. Hanc latini celsam appellant ab altitudine, quia non est breuis, vt morus. Alij autem dicunt eam ficum esse siluestrem. Vnde Amos Propheta ad Amasiam ait: *Amos 7.* *Non sum propheta, nec filius prophetæ: sed cum essem armentarius, & ruborum mora stringerem: tulit me Dominus sequentem greges.* Hoc dicendum est, quod humilem pastorem & rusticum assumpserit Dominus, & miserit ad populum suum Israel, & præceperit ei, vt egrederetur de terra sua, & Samariam pergeret. Item sycomorus vana scientia. In Hieremia: *Ier. 50.* *Habitabunt dracones,* hoc est, dæmones, *cum fatuis ficariis.* Item in bonam partem: *Luc. 19.* *Ascendit Zachæus in arborem sicomorum.* Nux appellata quod vmbra vel stillicidium foliorum eius proximis arboribus noceat: hanc alio nomine latini ioglandem dicunt, quasi Iouis glandem: fuit enim hæc arbor consecrata Ioui, cuius pomum tantam vim habet, vt missum inter suspectos herbarum vel fungorum cibos, quidquid in eis virulentum est, elidat, rapiat, atque extinguat. Nuces autem generaliter dicunt omnia poma tecta corio duriore: vt pineæ, nuces, auellanæ, glandes, castaneæ, amygdalæ: hinc & nuclei dicti, quod sunt duro corio tecti. At contra poma omnia mollia mala dicta, sed cum adiectione terrarum in quibus antea nata sunt: vt persica, punica, maciana, cidonia, &c. Mystice autem nucis arbor significat ecclesiam vel sanctum virum dulcedinem fructuum virtutum in abdito cordis gestantem. Vnde sponsa in Cantico Canticorum *Cant. 6.* dicit: *Descendi ad hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Hortus etenim nucum ecclesia est præsens, vbi nostras conscientias alterutrum minime videmus: sed fracta per temptationem testa corporis, apparebit internæ dulcedinis gustus. Poma conuallis fructus est humilitatis. descendit sancta ecclesia per doctores sanctos: vt videat qui proficiant ad fructus bonos, quiue adhuc indigeant doctrinæ irrigatione. Item nuces incarnationem Domini Saluatoris, siue mysterium sanctæ Trinitatis (vt quidam putant) significant. Vnde in libro Numeri de virga Aaron ita legitur: *Num. 17.* *& germinauit nuces.* Amygdala græcum nomen, quæ latine nux longa vocatur: hanc alij nuculam vocant, quasi minorem nucem, de qua Virgilius.

—— Cum se nux plurima siluis
Induit in florem: ——

Cunctis enim arboribus prior se flore conuestit, & adfer-

fer-

terenda poma adbusta sequentia praeuenit. Vnde & primitiuam Ecclesiam in quae ex Iudaeis credidit, significat: de qua Salomon ait: *Florebit amygdalus*: quae sententia & aliter iuxta allegoriam intelligi potest. Dicit enim Ecclesiastes (Eccles. 12.) *Florebit amygdalum, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae.* Tradunt per haec humanorum membrorum fieri significantiam: nam in flore amygdali canos capillos, in impinguatione locustae humorem pedum, in dissipatione capparis concupiscentiae frigus ostendit: quae cum seni in postremae aetatis tempore acciderunt, tunc necesse est, vt in terram, id est, quasi in aeternitatis suae domum redeat. Bene quoque hanc aeternitatis domum, illam futuram terram accipimus, de qua scribitur: *Placebo Domino in regione viuorum.* (Psal. 114) Legitur Iacob Patriarcha tulisse virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis atque ex parte eas decorticasse, & posuisse in canalibus, vbi effundebatur aqua ante oues: vt cum venissent greges ad bibendum, coram se haberent virgas, vt in aspectu earum conciperent. (Genes. 30.) Quid est virgas virides amygdalinas, atque ex platanis ante oculos gregum ponere: nisi per scripturae seriem, antiquorum patrum vitas vel sententias in exemplum populis praebere? Quae nimirum quia iuxta rationis examen rectae sunt: virgae nominantur, quibus ex parte corticem subtrahit: vt in his, quae expoliantur interius candor appareat & ex parte corticem seruant, sicut fuerant exterius, in veritate permaneant: variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur, & ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostrae oculos praecedentium patrum sententiae quasi virgae variae ponuntur. In quibus dum plerumque intellectum literae fugimus, quasi corticem subtrahimus: & dum plerumque intellectum literae sequimur, quasi corticem reseruamus. Dumque ab ipsis cortex literae subtrahitur, allegoriae candor interior demonstratur, & dum cortex relinquitur exterioris intelligentiae, viuentia exempla monstrantur. quas bene Iacob in aquae canalibus posuit: quia & Redemptor noster in libris eas sacrae scientiae, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ouibus coeunt, quia rationabiles nostri spiritus intellectus dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur, vt tales foetus operum procreent, qualia exempla praecedentium in vocibus praeceptorum vident. Castaneam latini a graeco appellant vocabulo: hanc enim graeci castaneam vocant, propter quod fructus eius gemini in modum testiculorum intra folliculum reconditi sunt, qui dum eiciuntur, quasi castrantur. Haec arbor simul vt excisa fuerit, tanquam silua, expullulare consueuit. Haec arbor continentium coetum significare potest, qui per castitatem corporis multos virtutum fructus affert. Ilex ab electo vocata: hoc enim arboris fructum homines primum ad victum sibi elegerunt: vnde & poeta:

Mortales primi ructabant gutture glandem.

Prius enim, quam frumenti vsus esset, antiqui homines glande vixerunt. Ilex vero mysterium tenet crucis Christi. vnde legitur, quod Abraham habitauerit ad ilicem Mambre: quia in mysterio praefigurabat passionem Christi. Fagus & esculus arbores glandiferae ideo vocatae creduntur, quod fructibus earum olim homines vixerunt ac cibum sumpserunt, escamque habuerunt. Nam esculus ab esca dicta, fagus vero a graeco vocabulum traxit. *Fage autem graece comedere dicitur, in quo facto ad monendum abstinentiae operam dare, vt magis studeamus parco victu contenti esse, quam carnalibus epulis audere incumbere. (*phagin) Silicum, quam latini corruptae siliquam vocant, ideo a graecis tale nomen accepit, eo quod ligni eius fructus sit dulcis. *Xilo quippe dicunt lignum: *licon dulce. (*xylon *glyky) Huius arboris pomis succus expressus accacia dicitur a graecis. Mystice autem siliqua aut voluptatem mundi, aut sapientiam secularem significat: vnde luxuriosus filius in Euangelio legitur, (Luc. 15.) dum pasceret porcos & egeret fame, quod cōcupisceret siliquas, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Daemonum enim cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & vniuersa vicia haec blanda sunt & lasciuia, & cuncta voluptatem demulcent. Itemque vt apparuit nimis, aliquem prouocant: quibus adeo luxuriosus adolescens nequaquam poterat saturari: quia semper voluptas famem sui habet, & numquam acta non satiat. & satanas cum aliquem sua arte ceperit & proprium ei imposuerit iugum, vltra ad vitiorum abundantiam prouocare non procurat, sciens esse iam mortuum: sicuti multos idolatras videmus panis miseria & egestate confectos. Item daemonum cibus est carmina poetarum, secularis sapientia rhetoricorum pompa verborum. Haec sua omnes suauitate delectant, & dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt. Verum vbi cum summo studio fuerunt ac labore perlecta, nihil aliud nisi inanem *somnium & sermonum strepitum suis lectoribus tribuunt: (*sonum.) nulla ibi saturitas veritatis, nulla iustitiae refectio reperitur: studiosi earum in fame veri & virtutum penuria perseuerant. Pistatia dicitur, quod cortex pomi eius nardi pisticae odorem referat, de quo in sequentibus dicemus. Pinus arbor picea ab acumine foliorum vocata. pinum enim antiqui acutum nominabant. Pinum autem aliam pitim, aliam graeci peuren vocant, quam nos piceam dicimus, eo quod desudet picem: nam & specie differunt. In Germaniae autem insulis huius arboris lacrima electrum gignit: gutta enim defluens rigore vel tempore in soliditatem durescit, & gemmam facit, de qualitate sua & nomen accipiens, id est, succinum, eo quod succus sit arboris. Pinus creditur prodesse cunctis, quae sub ea serantur, sicut ficus nocere omnibus. Potest autem timor gehennae per pinum piceam significari. quia sicut pinus arboribus creditur prodesse cunctis, quae sub ea consistunt: sic timor gehennae iis proderit, qui propter timorem poenarum agunt poenitentiam peccatorum suorum. E contrario vero ficus, hoc est, carnalis luxus nocet omnibus, qui sequuntur & abutuntur rebus concessis per illecebram voluptatum. Item pinus leues in ecclesia significat, & ad omne opus bonum paratos: vnde in Esaia ita legitur: *Abies & buxus & pinus simul.* (Esa. 60.) Rursum pinus diuites seculi huius significat, vt supra. Pix inquinamentum & nigredo delictorum. In Salomone: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* (Eccles. 13.) Abies dicta quod prae ceteris arboribus longe eat & in excelsum promineat: cuius natura expers est terreni humoris, ac perinde habilis atque leuis: de qua Virgilius: *& casus abies visura marinos.* quia ex ea naues fiunt. Hanc quidam gallicum vocant propter candorem: est autem sine nodo. Abies vero propter altitudinem sui, & robur diu durabile, mentem electorum infima quaeque desideria spernentem, & coelestium contemplationi semper intentam, virtute quoque patientiae singulariter excellentem non incongrue demonstrat. Vnde in libro Regum scriptum est de Salomone ac templi aedificatione: *& texit*, inquit, *pauimentum tabulis abiegnis, vestiuit eas auro.* (3. Reg. 6.) Auri autem laminae quae marmori ac tabulis sunt abiegnis superpositae, ipsa est latitudo caritatis de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, quae sicut aurum aliis preciosius est metallis, ita ceteris eximior virtutibus in templo Dei singulari luce refulget. Item in aliam partem in Zacharia significatio abietis est, vbi dicitur: *Vlula abies, quia cecidit cedrus.* (Zach. 11.) Cedrus, quam graeci cidrosin vocant, id est, arboris humor ardentis, cuius folia ad cypressi similitudinem respondent. lignum vero iocundi odoris est, & diu durans, nec à tinea vnquam exterminatur, de quo Persius: *Et cedro digna locutus est*, scilicet propter durabilem perpetuitatem. Vnde & in templis propter diuturnitatem ex hoc ligno laquearia fiunt. Huius ligni resina cedria dicitur, quae in conseruandis libris adeo est vtilis, vt perliti ex ea nec tineis patiantur, nec tempore consenescant. nascitur in Creta, Africa atque Syria. Cedrus namque (vt diximus) arbor est imputribilis omnino naturae, odoris iocundi, aspectus nitidi serpentes accensa nidore fugans ac perimens: quae vniuersa perfectis quibusque conueniunt, quorum insuperabilis est patientia. fama virtutum eximia: praesentia cunctis gratissima bonis: auctoritas ad reuincendos confutandosque eos qui veri-

ratu resistunt, constantissima: qui & in hac vita & in futura singulari præ ceteris laudis eminentia fulgent. Nempe cedrus Christum siue sanctam ecclesiam mystice significat. Vnde in Ecclesiastico scriptum est: *quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Item cedrus Prophetas atque Apostolos
Eccles. 24.
vpice figurat. Vnde dicitur in Psalmo: *Saturabuntur omnia ligna siluarum, & cedri Libani, quas plantasti: illic passeres nidificabunt,* hoc est, viri spirituales in doctrina Prophetarum & apostolorum conuersantur. Item cedri superbos hæreticos, siue philosophos, seu etiam dæmones figurant: vnde scriptum est in Psalmo: *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas.* Et in Esaia: *super omnes,* inquit, *cedros Libani & erectas.* Cyparissus græce dicitur, quod caput eius à rotunditate in acumen erigitur. Vnde & conon vocatur, id est alta rotunditas. Hinc & fructus eius conus, quia rotunditas eius talis est, vt conum imitetur. Vnde & coniferæ cyparissi dicuntur: huius lignum cedro pene proximam habet virtutem, templorum quoque trabibus aptum, in penetrabili soliditate nunquam oneri cedit: sed ea, quæ in principio fuerit firmitate perseuerat. Antiqui cypressi ramos prope rogum constituere solebant, vt odorem cadauerum, dum vrerentur, opprimerent iocunditate odoris sui. Cypressus etiam in eo, quod medendis apta est corporum passionibus, quod suæ venustatem comæ nullo ventorum impulsu deponit, constantiam exprimit, eorumq; actionem, qui altioribus virtutum ornatibus sanctam ecclesiam decorant. Cypressus namque Christum vel ecclesiam significat: vnde est illud: *quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in montibus Hermon.* Item cypressus Prophetas vel Patriarchas vel doctores sanctos figurat: vnde in Cantico Canticorũ sponsa dicit: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Tigna & laquearia doctores sunt in sancta ecclesia propter munimen & decorem: cedrina & cypressina, propter eximias virtutes eorum & odorem bonæ vitæ. Iuniperus græce dicta siue quod ab amplo in angustũ finit, vt ignis: siue quod conceptum diu teneat ignem, adeo vt si prunæ eius ex eius cinere fuerit opertæ, vsque ad annum perueniant. pyr enim apud græcos ignis dicitur. De hac arbore in libro Iob scriptum est: *Radix iuniperorum erat cibus eorum.* Arbor namque iuniperi pro foliis punctiones habet: sic quippe sunt hirsuta, quæ profert, vt spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Quid ergo per radicem iuniperi, nisi auaritia, designatur? ex qua peccatorum omnium spinæ producuntur. De qua & per Paulum dicitur: *Radix omnium malorum cupiditas.* Ipsa quippe latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in opera. Ebenus in India & Æthiopia nascitur, quæ cæsa durescit in lapidem, cuius lignum nigrum est, & cortex leuis, vt lauri: sed indicum maculosum est in paruulis distinctionibus albis ac fuluis: Æthiopicum vero, quod præstantius accipitur, in nullo est maculatum: sed est nigrum, lene & corneum. Platanus à latitudine foliorum dicta, vel quod ipsa arbor patula sit & ampla. nam platos græci latum vocant. Expressit huius arboris scriptura & nomen & formam, dicens: *quasi platanus dilatata sum in plateis:* est autem tenerrimis foliis ac mollibus, & vitium similis. Mystice autem hæc arbor Dominũ Christũ significat, qui in toto orbe in membris suis dilatatur, & mansuetudinis atque innocentiæ suæ vbique fidelibus salutifera monstrat exempla: de quo in Psalmo scriptum est: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Bene vt arbitror ligno fructifero comparatus est Dominus Christus propter crucem, quam pro hominum salute suscepit. Item platanus sanctos significat in sermone prædicationis quasi dilatatos foliis: vnde legitur in Ezechiel: *Platani fuerunt æquæ frondibus eius.* Quercus siue quernus vocatur, quod ea soliti erant dij gentium quæ [illegible]bus responsa præcanere: arbor multis annosa: sicut legitur de quercu Mambre, ub[illegible] Abraham, quæ fertur vsque ad Constantini [illegible] imperium per multa secula perdurasse. Huius fructus galli appella-

Eccles. 4 — Psal. 103. — Psal. 28. — Esa. 2. — Eccles. 24. — Cant. 1. — Iob 30. — 1 Tim. 6. — Eccles. 24. — Psal. 1. — Ezech. 31.

tur, ex quib[illegible] [illegible]ur ex [illegible]ta. quidam [illegible] Per[illegible] hæc arbor typice significare patientiam atque [illegible] mitatem sanctorum, qua [illegible] ipsi [illegible] [illegible] [illegible]in constan[illegible] [illegible] tolerare omnia ferunt. Per quercum (vt dixi) [illegible] que [illegible] [illegible] Esaia mystice [illegible] ita legitur: *Et erit ostensio sicut terebinthus, & sicut quercus quæ expandit ramos suos.* Item in aliam partem. *& super omnes quercus,* inquit, *Basan.* Fraxinus vocari fertur, quod [illegible] gis in aspera loca montana atque frugi nascatur. Hinc per deriuationem fraxinus, sicut à monte montanus: [illegible] Ouidius:

Esa. 6. — Esa. 2.

—— *& fraxinus vtilis hastis.*

Potest autem significare arma virtutum, quibus [illegible] sancti contra hostes suos. Taxus venenata arbor [illegible] toxica venena exprimuntur. ex hac arcus Parthi & [illegible] gentes faciunt. Vnde & poeta:

—— *ista recisa taxus torquetur in arcus.*

Hæc arbor potest dolos & venenata dogmata hæreticorum exprimere quæ pariunt mortem, & afferunt interitum his, qui in his læsi fuerint. Alnus vocatur, quod alitur amne: proxima enim aquæ nascitur, nec facile extra vndas viuit. Hinc & tenera & mollis, quia in hu[illegible] loco nutritur. Vlmus nomen accepit quod [illegible] cis & humidis melius proficit. Nam in montibus & [illegible] ris minus læta est. Possunt autem hæ duæ arbores [illegible] significare, qui irrigatione sacrarum scripturarum, & humilitate morum magis proficiunt, quam illi, qui in potentia propria confidunt. Populus dicta, quod ex eius calce multitudo nascatur: cuius genus duplex est. Nam altera est alba, altera nigra. Alba autem populus dicta, quia folia eius vna parte sunt alba, altera viridia. Hæc ergo bicolor, habens quasi noctis & diei notas, quæ tempora ortu solis occasuque constant. Generant etiam resinam circa Eridanum fluuium, velut alij narrant, in [illegible]bus Syriæ. Populus virgulta castitatis (vt quidam volunt) in Leuitico significat. & in malam partem illud accipitur in Osee, vbi dicitur: *subtus populum & terebinthum, quia bona est vmbra eius.* Tiliam dicunt vocatam eo, quod [illegible] sit ad vsum telorum, nitore & lenitate iaculandi. Est enim genus materiæ leuissimæ, quæ & apibus ad mel conficiendum vtilissima est: sic & in doctoribus mansuetudo laudabilis est, & valde suauis est prædicatio verbi. Salix dicta, quod celeriter saliat hoc est, velociter crescit arbor lenta, vinibus habilis vinciendis: cuius semini hanc dicunt esse naturam, vt si quis illud in poculo hauserit, liberis careat: sed & feminas infœcundas efficit. Salices [illegible] ta mysterium fideles sunt in ecclesia prope flu[illegible] næ prædicationis radicati, in Esaia, vbi dicitur: *[illegible] sicut salices iuxta fluentes aquas.* Item salices homines in[illegible] sunt; vnde est illud in Iob: *Circumdabunt eum,* hoc est, diabolum, *salices torrentis.* Et alibi: *Ad torrentem salicum ducent eos.* Populus autem, & salix, & tilia, molles materiæ sunt, & ad sculpturam aptæ. De populi autem significatione & ceterarũ iam superius dictum est. M[illegible], quam latini tramaraciam vocant, ex amaritudine nomen nacta: [illegible]stus enim eius nimis amarus est. Hæc arbor in solitudine & saxosa humo nascitur. ex qua etiam arbore mal[illegible]cis artibus mistra, id est, odia concitari dicuntur. De hac arbore similitudo dicitur in Hieremia Propheta q[illegible] *Hæc dicit Dominus: maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit, cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili.* Hoc de populo dicitur Iudæorum, qui ha[illegible] in deserto, fructusque non faciunt: & sunt in terra [illegible] nis quæ nullos fructus facit, & inhabitabili, quæ [illegible] tem non habet Deum, nec angelorum præs[illegible] ritus sancti gratiam, nec sententiam magistrorum. Myrtus a mari dicta, eo quod magis litorea arbor sit. vnde & Virgilius: *litora myrtis lætissima.* Et *amantes litora myrta.* Hinc est, quod à græcis myrteæ dicuntur. Medici [illegible] libri hanc arborem aptam scribunt mulierum [illegible] tibus plurimis: myrtus enim populus [illegible]

Ose. 4. — Esa. 44. — Iob 40. — Esa. 15. — Ierem. 17.

cat. Vnde huius arboris mentio fit in Zacharia Propheta, *Zach. 1.* vbi ita legitur: *Et ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, &c.* Hunc virum Hebræi Michaelem Archangelum putant, qui vltor iniquitatum & peccatorum sit in Israel, & quod steterit inter myrteta, quæ erant in profundo, intelligi volunt prophetas & sanctos, qui in medio capti populi conuersabantur & erant in profundo. Lentiscus, quod cuspis ipsius lentus sit & mollis: nam lentum dicimus, quicquid flexibile est. Vnde & lentum vimen & vites. Virgilius: *& lenti vites*: pro flexibiles. Huius fructus oleum desudat. Cortex resinam, quæ mastix appellatur, cuius plurima & melior in Chio Insula gignitur. Lentisci enim mentio est in Danielis libro, vbi Susannæ historia scripta est. & vbi de scino & prino responsio presbyterorum ostenditur. Latini enim scinum & prinum ilicem & lentiscum interpretantur, quorum sensus ibi manifestatur. Terebinthus arbor, græcum nomen, generans resinam omnium resinarum præstantiorem. Legitur & in Geneseos, quod Patriarcha Iacob conuocata omni domo sua iuxta præceptum Domini dixerit ad eos: *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt: & mundamini ac mutate vestimenta vestra: surgite, & ascendamus in Bethel vt faciamus ibi altare Domino, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & fuit socius itineris mei. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum. At ille infodit eas subter teribinthum, quæ est post vrbem Sichem*: *Gen. 35.* quod significat ecclesiam omnia simulacra gentilium abiicere, & perpetuæ obliuioni damnando illa tradere, vt solius & vnius veri Dei cultus vbique celebris fiat. Terebinthus sancti, vt in Esaia: *Esa. 6.* *Et erit in ostensione sicut terebinthus.* Sicut in aliam partem, vt in Osee: *Ose. 4.* *Subtus populum & terebinthum: quia bona erat vmbra eius.* Buxus græcum nomen est, ex parte à latinis corruptum: pixos enim appellatur apud eos arbor semper virens, & lenitate materiæ elementorum apicibus apta. Vnde & scriptura dicit: *Esa. 30.* *Scribe buxo, & diligenter in libro exara illud.* Buxus autem lenes in ecclesia significat, qui licet fructus spiritales minime habeant, tamen perpetua fidei confessione virent: vnde est illud in Esaia: *Esa. 60.* *Abies & buxus & pinus.* Arundo dicta, quod cito arescat: hanc veteres cannam vocauerunt. arundinem postea Varro dixit. Sciendum sane, quod latinum canna de lingua hebræa nomen sumpsit: apud eos enim calamus canna dicitur. Arundo autem significat instabilitatem humanæ mentis. Vnde Dominus dicit de Iohanne ad Iudæos: *Matth. 11.* *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Sed Iohannes arundo vento agitata non erat: qui nunquam in alteram partem flecti poterat, & nec laudibus vanis fauebat, nec aduersitatibus cedebat. Arundo aurea incarnationem Saluatoris significat, siue diuinam scripturam, vt in Apocalypsi: *Apoc. 21.* *Et in manu eius arundo aurea.* Item calamus prædicatio sanctorum est, vt in Esaia: *Esa. 35.* *Orietur viror calami & iunci.* Iuncus fidelis est in ecclesia iuxta fluenta diuinæ legis semper morans, vt in Iob: *Iob 8.* *Nunquid viuere potest scirpus absque humore: aut crescit carectum sine aqua?* Paliurus herba aspertima & spinosa. Paliurus est defensio peccati siue impuritas mentis. Vnde in Esaia: *Esa. 34.* *Et paliurus in munitionibus eius.* *Mich. 7.* *Qui rectus est in eis sicut paliurus: & sicut spina de sepe.* Ramnus genus est rubi, quam vulgus senticem vrsinam appellat, asperum nimis & spinosum: sentix dicta à situ, quod est terra inculta, in qua sentices spinæque nascuntur. Maiores autem nostri omnem arborem spinosam veprem dicebant, quod vi prendat: de ramno igitur ita in Psalmo legitur: *Psal. 57.* *Priusquam producant spinæ vestræ rhamnos, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* Ergo Rhamnus (vt diximus) spinarum genus est permolestum, quod prius in herbam mollissimam pubescit: sed vbi adulta ætate coaluerit, ramusculos producit acuminatos, posteaque eius sudes durescunt in arborum firmitatem. Hoc ergo Iudæis præsens sententia comminatur, quod prius absorbeantur, quam longa ætate eorum malicia conualescat: sicut & in alio loco de talibus dicitur: *Psal. 54.* *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Sequitur celeritas perditionis eorum: *Psal. 57.* *Sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* Bene dixit, *sicut viuentes*: quia viuere videntur, & mortui sunt: omnis enim peccator in prauitate degens veritati moritur. Spinas enim diuitias & sollicitudines seculares ipse Dominus, cum exposuisset parabolam sementis, interpretatur in Euangelio, dicens: *Luc. 8.* *Quod autem in spinis cecidit, hi sunt, qui audierunt verbum, & a sollicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur & non referunt fructum.* Similiter spinæ iuxta allegoriam vitiorum sordes exprimere possunt, quæ pungunt illicitis desideriis mentem humanam, & ad peccandum prouocant. Tribuli vero aculei vitiorum vel temptationum intelliguntur, vt est illud in Genesi: *Gen. 3.* *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Et in Propheta: *Ose. 10.* *Peccatum*, inquit *Israel lappa & tribulus.* Vepres ablatio peccatorum in Esaia: *Esa. 7.* *Omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror veprium & spinarum.* Vrticæ prurigo luxuriæ in Esaia: *Esa. 34.* *orientur in domibus eorum*, hoc est in cordibus reproborũ *spina & vrtica.* Oleaster dictus, quod sit foliis oliuæ similibus, sed latioribus: arbor siluestris, amara atque infructuosa: cui insertus oliuæ ramus vim mutat radicis, & vertit eam in propriam qualitatem. Lacrima oleastri arboris duplex. Alia enim gummi simulat sine vllo qualitatis morsu: alia ammoniaci guttam ex distillatione collectam ac remordentem. Oliua græce oleon dicitur, ex quo in latinum tractum est, vt oliua dicatur: olea autem ipsa arbor est: fructus oliua: succus oleum est. Arbor pacis * insignis, cuius fructus diuersis nominibus appellatur. ** insigne* Oleaster autem infructuosa arbor significat gentiles: qui quam diu sine Christo erant fructum rectæ fidei & bonorum operum gignere non poterant: postquam autem ab errore vetusto abscisi, ad Christi fidem conuersi sunt radici Patriarcharum & Prophetarum protinus inserti sunt, & facti sunt socij radicis & pinguedinis oliuæ: de quo Apostolus ad Romanos scribens, eleganter disputat, *Rom. 11.* & Propheta de Christi corpore, quod est ecclesia, canens in Psalterio ait: *Psal. 51.* *Ego sum sicut oliua fructifera in domo Domini: speraui in misericordia Dei mei in æternum, & in seculum seculi.* Oleum enim aliquando gratiam Spiritus sancti significat: aliquando caritatem, & aliquando misericordiam, & econtrario aliam significationem habet, vbi Psalmista ait: *Psal. 140.* *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Est enim oleum in bonam partem causa splendoris, pabulum luminis, præstans nitorem pariter & salutem. In malam vero partem (sicut hic ponitur) oleum peccatoris est dilectio simulata, verborumque adulationibus & blandimentis nostras mentes, velut olei pinguedo, leniter ingrediens rigorem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti potius ostentatione perducit. Oliua Christus in ecclesia: vnde & in Ecclesiastico legitur: *Eccles. 24.* *Sicut oliuam speciosam fructiferam vocauit Dominus nomen tuum.* Et post pauca: *Exarsit ignis in ea.* Oleum gratia spiritus sancti in Deuteronomio: *Deut. 32.* *Suxerunt mel de petra, & oleum de firmissima petra.* Et in Iob: *Iob 29.* *Petra mihi fundebat riuos olei.* Et alibi: *Esa. 10.* *computrescet iugum à facie olei.* Oleum opera misericordiæ, vt in Psalmo: *Psal. 108.* *Et caro mea immutata est propter oleum.* Oleum hilaritas mentis, vt in Euangelio: *Matth. 6.* *cum ieiunias, vnge caput tuum.* Et in Psalterio: *Psal. 103.* *vt exhilaret faciem eius in oleo.* Oleum testimonium conscientiæ bonæ, vt in Euangelio: *Matt. 25.* *Prudentes autem sumpserunt oleum in vasis suis.* Oleum sermo deceptoris, in Psalmo: *Psal. 140.* *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Oleum, hæreticorum subtilis & blanda deceptio: sicut in Salomone de eadem praua doctrina dicitur: *Prou. 5.* *nitidius oleo guttur eius.* Et in Osee: *Ose. 12.* *& oleum in Aegyptum ferebant*, hoc est, ad secularium mentes decipiendas. Vnguentum nomen Saluatoris. In Salomone: *Cant. 1.* *vnguentum effusum nomen tuum.* Vnguentum gratia Spiritus sancti, in Salomone: *Eccles. 10.* *muscæ morituræ*, id est, dæmones, *exterminant vnguentum suauitatis.* Vnguentum chrismatis vnctio. In Psalterio vt quidam volunt: *Psal. 4.* *à fructu frumenti & olei multiplicati sunt* & in Exodo plurima de hoc narrantur. Oleum fomentum blanditiæ in prædicatione diuina, in Euangelio: *Luc. 10.* *Et appropians alligauit vulnera eius: infundens vinum & oleum.* Amurca olei pars aquosa ab emergendo dicta, id est, quod ab oleo se emergat, & fex sit eius: hanc græci amircen vocant, ex latina lingua tra-

hentes.

hentes. Gummen græcum nomen est: hoc enim illi gummi dicunt. Resinam græci retinā vocant: rethi enim græce dicitur, quidquid manat. Est enim lacrima sudore exhalata lignorum: vt cerasi, lentisci, balsami, vel reliquarum arborum siue virgultorum, quæ sudare produntur: sicut & odorata Orientis ligna, sicut gutta balsami ac ferularum vel siccinorum, cuius lacrima durescit in gemmam. Prima est resina terebinthina omnium præstantior.
* Petraa. Affertur autem ex Arabia * patria atque Iudæa & Syria, Cypro & Affrica, ex insulis quoque Cycladibus. secunda est lentiscina quæ mixtix vocatur: hæc ex Chio Insula deportatur: tertia pinalis.

Capit. VII.

De aromaticis arboribus.

Aromata sunt quæque fragrantis odoris, quæ India vel Arabia mittit siue aliæ regiones. Nomen autem aromata traxisse videntur, siue quod aris imposita, diuinis inuocationibus apta videantur: seu quod sese aeri inserere ac miscere probantur: nam quid est odor, nisi aer contactus? Aromata, varia virtutum ornamenta significant: sicut in libro Regum de Saba regina legitur. *non* 3.Reg.10.
sunt allata huiuscemodi aromata, sicut Saba regina dedit Salomoni. Pigmenta, varia virtutum odoramenta, vbi & supra: cum vniuersis pulueribus pigmentarius. Tus arbor Arabica immensa atque ramosa, leuissimi corticis, ramis ad aeris qualitatem, amygdalæ modo succum aromaticum fundens album, & ad masticationem velut in puluere resolutū: & cum frangitur intus, pingue & igni appositum facile ardescit: & appellatur apud nos masculus eo, quod sit natura rotundum, in modum testiculorum, reliquum planum, & pene scabrosum, minus optimum. Adulteratur autē mixta resina siue gummi, sed dinoscitur sua proprietate. Nam thus igni impositum ardescit, resina fumescit. Gumen vero liquescit calefactum. Thus autem à tundendo dictum: hoc & Libanum vocatum à monte Arabiæ, vbi Sabæi sunt. Nam mons eorum Libanus dicitur, vbi thura colliguntur. Myrrha arbor Arabiæ, altitudinis ad quinq; cubitorum, similis spinæ, quam achantum dicunt. Cuius gutta viridis atque amara: vnde & nomen accepit: myrrha & gutta eius sponte manans pretiosior est: elicita corticis vulnere vilior iudicatur. Sarmenta eius Arabes ignibus fouent: quorum fumo satis noxio, nisi ad odorem scotacis occurrant, plerumq; insanabiles morbos contrahunt. Myrrha autem Trogoditæ ab Insula Arabiæ dicta, vbi melior colligitur & purior. Diuersa enim aromata diuersas species significant virtutum, quibus sancta decoratur ecclesia. Vnde in Cantico Canticorum scriptum est: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut*
Cant. 3. *virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii?* Miratur synagoga quomodo gentium populus nullo circumcisionis mysterio emundatus, nulla prophetarum ammonitione eruditus, subito ab infimis voluptatibus per desertum gentilitatis & idolatriæ ad alta virtutum culmina & sponsi amplexus ascendisset, igne amoris accensa, omni nisu virtutum ad cœlestia tendit. Ex mortificatione carnalium voluptatum & puritate orationum, & omnium virtutum odore. Hinc item scriptum est: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris:* quia
Cant. 4. in myrrha mortificatio carnis, in thure deuotio orationis exprimitur. Hinc rursum sponsus dicit: *messui myr-*
Cant. 5. *rham meam, cum aromatibus meis.* Per myrrham passio vel mortificatio, per aromata omnes virtutes exprimuntur. Metit myrrham cum aromatibus, quando martyres cum ceteris electis ad maturitatem præmiorum perducit. Hinc rursum per Prophetam de Domino Saluatore dictum est: *Myrrha & gutta & casia a vestimentis tuis:* sanctum
Psal. 44. Domini corpus quoddam Deitatis fuisse cognoscitur vestimentum. Nam sicut vestibus cooperiuntur membra mortalium: ita & maiestas Verbi in fidelium oculis carnis velamine videbatur abscondi. Ab hoc ergo vestimento, id est, incarnationis arcano congrue venisse dicitur myrrha, gutta & casia. Myrrha mortem significat, quam pro omnium salute suscepit: gutta vero, quæ dicitur ammoniaca, [illegible] curat aliqua necessitate contractas: quæ pulchre incarnationi Domini comparatur quia [illegible] ticiam cordis humani sancta prædicatione [illegible] Casia, quæ a nostris fistula dicitur, redemptio generis humani per aquam baptismatis indicatur: quoniam hoc herbæ genus aquosis locis dicitur inueniri. His rebus cui odor est suauis, vt merito sanctæ incarnationi & virtutum herbarum & odoris suauitas compareretur. Gutta vis amoris Dei, & arbor caritatis intelligitur, vbi & supra: *[illegible]*
tum guttæ dilectus meus mihi. Storax arbor Arabiæ, similis Cant. 1.
malocedonij, cuius virgulæ inter caniculæ ortum cauernatim lacrimam fluunt: distillatio eius in terra cadens munda non est: sed cum propriæ corticis scrobe seruatur illa autem, quæ virgis & calamis inhæserit, munda est & albida. dehinc fulua sit sola causa, & ipsa storax calamos pingues, resinosa, odoris iocundi, humecta, & velut mellotum liquorem emittens. Storax autem vocata, quod sit gutta arboris profluens & congelata. Nam græci stiriam guttam dicunt, græce autem sturax, Latine storax dicitur. Hoc ergo pigmentum cum ceteris aromatibus duxerunt filij Israel in Ægyptum, & obtulerunt Ioseph pro munere, quod sancti viri in peregrinatione huius seculi Saluatori nostro afferunt dona bonæ voluntatis & ta[illegible] rarum virtutum, quibus ipse delectatur, vt placabilis sit & annuens votis eorum. Bdellium Indiæ & Arabiæ arbor, cuius lacrima melior Arabica: est enim lucida subalbida, leuis, pinguis æqualiter, cerea, & quæ facile mollitur, neque ligno vel terra commixta, amara, odoris boni. Nam ex India sordida est & nigra & maiore gleba. Adulteratur enim admixtum gummi, quæ non ita amarificat gustum. Mastix arboris lentisci gutta est: hæc granomastix dicta, quia in modum granorum est. Piperis arbor nascitur in India in latere montis Caucasi, quod soli obuersum est: folia iuniperi similitudinem habent, cuius siluas serpentes custodiunt: sed incolæ regionis illius, cum maturæ fuerint, incendunt: & sic serpentes igne fugantur, & inde ex flamma nigrum piper efficitur. Nam piperis natura alba est, cuius quidem diuersus est fructus. Nam quod immaturum est, piper longum vocatur: quod incorruptum ab igne, piper album: quod vero cute rugosa & horrida fuerit, ex calore ignis trahit & colorem & nomen. Piper si leue est, vetustum est: si graue, nouellum. Vitanda est autem mercatorum fraus: solent enim vetustissimo piperi humecto argenti spumam aut plumbum aspergere, vt ponderosum fiat. Aloe in India atque Arabia gignitur, arbor odoris suauissimi ac summi: denique lignum ipsius vice thymiamatum altaribus adoletur, vnde & nomen traxisse creditur. De aloe autem in Euangelio de sepultura Domini ita legitur: *Venit ergo Ioseph, & tulit corpus Iesu. Venit* Ioan. 19
autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Hinc & in Cantico Canticorum scriptum est in laudem sponsæ. Cant. 4.
myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Myrrha enim & aloe arbores sunt aromaticæ, quæ continentiam carnis exprimunt, cum omnibus primis vnguentis, id est, charismatibus virtutum. Casia nascitur in Arabia, virga robusti corticis, & purpureis foliis, vt piperis: est autem virtute cinamomo similis, sed potentia inferior: vnde pro cinamomi vice duplex eius pondus in medicamentis admiscetur. Cinamomum dictum, quod cortex eius in modum cannæ sit rotundus & gracilis. Gignitur autem in Indiæ & Æthiopiæ regionibus, frutice breui duorum tantum cubitorum, colore subnigro vel cinereo tenuissimarum virgarum. Nam quod in crassitudinem extenditur, despectui est: quod vero gracilius prouenerit, eximium: quod cum frangitur, visibile spiramentum emittit ad imaginem nebulæ seu pulueris. De his arboribus in Cantico Canticorum scriptum est: *Fi-* Cant. 4.
stula & cinamomum cum vniuersis lignis Libani. Fistula, quæ & casia, arbor aromatica est, sed modica: & ideo humiles spiritu designat. Mystice casia est doctrina recta siue opinio bonorum operum, vt in Psalterio. *Et casia a ve-* Psal. 44.
stimentis tuis. Item cinamomum, qui [illegible] signat: quia & ipsa est breuis arbor, sed odorifera & dulcis. sic & humilitas magnam habet laudem & dulcedi-

nem apud Deum: quia sicut fistula & cinamomum humiles sanctorum cogitationes: sic & ligna Libani sublimes eorum actiones demonstrant. Calamus aromaticus à similitudine calami vsualis vocatur. Gignitur in India, multis nodis geniculatus, fuluus, flagrans spiritus suauitate. Qui cum frangitur, in multas fit partes scissilis, simulans gustu casiam cum leui acrimonia remordente. Calamus ergo simul cum ceteris aromatibus, hoc est, cum myrrha, cinamomo & casia verbo Domini ad sacræ vnctionis oleum misceri iubetur, vt sanctificetur tabernaculum Dei, & omnia vasa eius. Porro vnguentum quo perunguitur tabernaculum, chrisma est, quo vngitur fidelis populus, in quibus diuinitas, tanquam in tabernaculo, habitat. Potest quidem intelligi hoc vnguentum etiam in virtutes sanctorum, siue odor iustitiæ longe lateque diffusus. De quo dicit Apostolus: *Deo autem gratias, qui triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos.* (2. Cor. 2.) Balsami arbor in Iudæa intra terminos tantum viginti iugerum erat: postea quoniam eadem regione Romani potiti sunt, etiam latissimis collibus propagata est: stirpe similis viti, foliis similis rutæ, sed albidioribus semperque manentibus. Arbor autem balsamus. lignum eius xylobalsamum dicitur: fructus siue semen carpobalsamum: sucus opobalsamum. Quod ideo cum adiectione significatur, eo quod percussus ferreis vnculis cortex ligni per cauernas eximij odoris guttas distillat. Cauerna enim græco sermone ope dicitur: cuius guttam adulterant, admixto cyprino oleo vel melle: sed sincerus probatur à melle, si cum lacte coagulauerit: ab oleo, si instillatus aquæ, aut admixtus, facile fuerit resolutus. Præterea etsi laneæ vestes ex ipso pollutæ non maculantur: adulteratus quidem neque cum lacte coagulat, & vt oleum in aqua supernatat, & vestem maculat. Balsama autem si pura fuerint, tantam vim habent, vt si sol excanduerit, sustineri in manu non possint. Huius ergo liquoris, hoc est, balsami mystice mentio fit in libro Iesu filij Syrach, vbi ita scriptum est: *& balsamum non mixtum, odor meus.* (Eccles. 24.) Et in Cantico Canticorum, dicente sponsa de sponso, ita scriptum legitur: *Dum esset rex in recubitu suo, nardus mea dedit odorem suum: fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* (Cant. 1.) Botrus ergo cypri factus est Dominus in resurrectione, qui fuerat fasciculus myrrhæ in passione. Qui bene etiam in vineis Engaddi esse memoratur: nam quæ in vineis Engaddi (vt præfati sumus) balsamum gignitur, quod in carissima confectione liquori oliuæ admisceri ac pontificali benedictione solet consecrari: quatenus fideles omnes cum impositione manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur, hac vnctione signentur.

CAPIT. VIII.

De herbis aromaticis siue communibus.

EXtant & quarundam herbarum nomina, quæ ex aliqua sui causa resonant habentes nominum explanationem: non tamen omnium herbarum etymologiam inuenies: nam pro locis mutantur etiam nominibus. Folium dictum, quod sine vlla radice innatans in Indiæ litoribus colligatur, quod in lino perforatum siccant Indi, atque reponunt. Fertur autem paradisi esse herba, gustu nardum referens. Nardus herba est spicosa: vnde & à græcis nardostacos appellata, quarum alia Indica, alia Syricina vocatur, non quod in Syria nascatur, sed quod mons, in quo inuenitur, alio latere Indiam spectat, alio Syriam: est autem Indicum multiforme, sed melius Syriacum, leue, fuluum, comosum, spica paruum, odorissimum cyperũ similans: quod similis cum in ore tardauerit, linguam siccat. Nardum Celticum à regione Galliæ nomen traxit: nascitur enim sæpius in Liguriæ alpibus & in Syria, frutice paruo, radicibus in manipulum collectis ligamentis. Flos eius tantum propter odorem bonum, cyrti eius atque radiculæ vtiles probantur vsibus nostris. Nardus autem significat odorem virtutum sanctorum in ecclesia: vnde sponsa dicit in Cantico Canticorum *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, (Cant. 1.) hoc est, regi Christo in beatitudine cœlestis secreti quiescenti sanctorum virtus in ecclesia magnæ nobis gratiam suauitatis administrat. Item sponsus dicit de sponsæ gloria in eodem libro: *Emißiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo.* (Cant. 4.) Nardus & crocus per irrigationem sacri Baptismatis sancta ecclesia paradysum ex se emiserit malorum punicorum, i. e. sanctorum martyrum cum pomorum fructibus, i. e. cum sanctorum virtutum fructu. Cyprus arbor aromatica est significans cœlestis gratiæ benedictionem. Nardus Dominicæ passionis typum, crocus caritatis feruorem exprimit. coniungitur cyprus nardo, cum diuina gratia confortat nos pro Christo pati. Item nardus croco iungitur: cum caritate Christi mortem libenter suscipimus. Crocum dictum ab oppido Ciliciæ, quod vocatur Coricium, quamquam & alibi nascatur: sed non tantum vel tale, quale in Cilicia, vnde & à potiori parte nomẽ accepit: nam multæ res nomina sumpserunt à locis, vbi plus * peruenit & melius aliquid. Optimum autem est, quod fuerit recens odoris boni, a bedine parua, porrectæ longitudinis integrum & neq; in fragmenta comminutum, inspiratione bona, & cum carpitur, manus inficiens, & leuiter acre. Quod si eiusmodi non fuerit: aut vetustum, aut infusum cognoscitur. Item cyprus incorruptionem significat: nardus fortitudinem: crocus martyres. Hysopus herba humilis, cuius radices saxum penetrant: quod significat humilitatem pœnitentiæ, siue Baptismum, vt in Psalterio: *asperges me hysopo, & mundabor.* (Psal. 50.) Costum radix herbæ est, nascentis in India, Arabia & Syria. sed melius Arabicum: est enim album & leue suaue, iocundi odoris. Indicum colore atro & leue, vt ferula: Syriacum vero pondere graue colore buxeo, odore acri. summum tamen album leue, aridum gustu incendens. Flos enim vel Christum significat qui de virga radicis Iesse effloruit, vel specimen iustitiæ, vt in Psalmo: *Iustus*, inquit, *vt palma florebit.* (Psal. 91.) Rosa ab specie floris nuncupata, quod rutilanti colore rubeat. Significat autem rosa martyres: vt est illud: *sicut rosa germinant super humida flumina.* (Eccles. 39.) Lilia lactei floris herba: vnde & nuncupata, quasi laclia, cuius dum candor sit in foliis, auri tamen species intus effulget. Lilium autem Christum significat, qui in Cantico Canticorum ait: *Ego flos campi & lilium conuallium.* (Cant. 2.) Et item: *vt pascatur in hortis, & lilia colligat*: (Cant. 6.) ac si diceret. Ego sum decus mundi, & gloria humilium: qui de sponsa sua sic ait: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: (Cant. 2.) quia candor castitatis eius tribulationibus probatur, & maior est fructus prædicationis quam quietis. Potest & in lilio virginitas exprimi: quia excellentior est castitas virginalis, quam cæteræ virtutes, sicut in Apocalypsi ostenditur. Viola propter vim odoris nomen accepit: huius genera sunt tria: purpureum, album, melinum. Viola quoque significat confessores ob similitudinem liuidorum corporum. Vnde scriptum est in Cantico Canticorum. *flores in terra visi sunt*: (Cant. 2.) quibus etiam regnum cœlorum promissum est. Edera dicta, quod arboribus reptando adhæreat: de qua Virgilius:

Inter victrices ederam tibi serpere lauros.

Alij ederam aiunt vocatã, quod hædis supra lactis abundantiam in esca à veteribus præbebatur. Ederæ, frigidæ terræ indices sunt. Fisicus nam antifarmacon ebrietatis est, si qui potus edera coronetur. Edera autem typum Iudaici populi habet, qui aliquando florebat: sed non diu in virore pristino remanebat. Vnde in libro Ionæ Prophetæ edera, sub cuius vmbraculo Ionas sedebat in ascensione vermis diluculi in crastinum, exaruit in resurrectione illius vermis, qui ait: *Ego sum vermis, & non homo.* (Psal. 21.) Iudaica plebs per infidelitatẽ exaruit: quæ quondam florebat in Patriarchis & Prophetis. Galbanum dictus mons Cretæ, ex quo dictannum herba nomen accepit, propter quam apud Virgilium cerua vulnerata saltus peragrat dictamneos: tantæ enim potentiæ est, vt ferrum à corpore expellat, sagittas excutiat. Vnde & eius pabulo feræ percussæ sagittas à corpore inhærentes eiiciunt. Hanc quidam latinorum poleium martis dicunt propter belli tela excutienda. Mandragora dicta, quod habeat mala suaue olentia in magnitudinem mali maciani: vnde & eam latini

* prouenit

malum terræ vocát. Hanc poetæ anthropomorpheos appellant, quod radicem formam hominis ſimulantem, cuius cortex vino immixta ad bibendum datur, quorũ corpus propter curam ſecandum eſt: vt ſoporati dolorem non ſentiant. Huius ſpecies duæ. Femina foliis lactucæ ſimilibus mala generat in ſimilitudinem prunorum; maſculus vero foliis betæ ſimilibus. De mandragora ſponſa
Cant. 7. dicit in Cantico Canticorum: *Mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris.* Mandragora propter multimoda medicaminum genera ſanctorum virtutibus comparatur. Portæ eccleſiæ doctores ſunt ſancti. In huiuſmodi portis mandragoræ dant odorem: cum ſpiritales quiq; ex ſe virtutum palmam longe lateq; ſpargunt. Legitur in Gene-
Geneſ. 30. ſeos, quod Ruben filius Liæ egreſſus in agrum inuenerit mandragoras, & dederit eas Liæ matri ſuæ. quod ſignificat famam bonam, quam quiſq; bene ſtudioſus adipiſcitur ex mundanis hominibus, referre hanc debet ad matrem eccleſiam. Vnde dicit Apoſtolus de epiſcopo ordi-
1. Tim. 3. nando: *oportet etiam illum teſtimonium habere bonum ab eis, qui foris ſunt:* qui licet parum ſapiant, reddunt tamen plerumque labori eorum, per quos ſibi conſulitur, & ſplendorem laudis, & honorem bonæ opinionis. Herbæ æternæ paradiſi viriditas & ſanctarum animarum paſcua: vt in
Ioan 10. Euangelio: *Si quis per me introierit, ſaluabitur: & ingredietur*
Ezech. 34. *& egredietur, & paſcua inueniet.* Et per Ezechielem: *In montibus excelſis Iſrael, vbi paſcam eas in herbis virentibus.* Et econtrario de ariditate mentis ſuæ de Iudæis per Hieremiam
Ierem. 14. dicitur: *defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Herba vi-
Iob 40. ta carnis eſt, vt in Iob pro diabolo: *huic montes,* hoc eſt, luxurioſi diuites *herbas ferunt.* Herba vita mortalium, vt in
Pſal. 89. Pſal. *mane ſicut herba tranſeat.* Pratum eſt, cuius fœni copia armenta tuetur: cui veteres Romani nomen indiderunt ab eo, quod protinus ſit paratus, nec magnum laborem culturæ deſideret: prata autem eſſe, quæ ſecari poſſunt. Pratum myſtice intelligi poteſt ſancta eccleſia, vel ſcriptura ſacra, in quibus flores diuerſarum virtutum reperiuntur, & paſtus ſpiritalis piis animalibus, hoc eſt, fidelibus hominibus præparatur. Vnde ſponſa in Cantico
Cant. 2. Canticorum dicit: *Flores apparuerunt in terra,* id eſt, in ocio fidei & iuſtitia floruerunt in mundo, creſcente eccleſia.
Ibid. Hinc item ipſa doctoribus dicit: *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo:* ac ſi diceret: conſolamini me exemplis ſeu incipientium, ſeu terminantium viam ſalutis, dum adhuc in huius peregrinationis tædio amore ſupernæ viſionis langueſco. Prata patefacta eſt ſcriptura di-
Prov. 27. uina, vt in Salomone: *Aperta ſunt prata, & apparent herbæ vi-*
Sap. 2. *rentes.* Item in malam partem, vt in Salomone: *nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Auena lolium, zizania quam poetæ ſemper infelix loliũ dicunt, quod ſit inutile & infœcundum, myſtice ſignificant peccatores &
Matth. 13. vitia, vnde in Euangelio dicitur, quod in ſegete Domini inimicus ſuperſeminauerit zizania. Fœnum dictũ, quod
**autem* eo flamma nutriatur: fos enim flamma eſt. Fænum *enim iuxta allegoriam ſignificat fragilitatem humanæ naturæ:
Pſal. 36. vnde legitur in Pſalmo de peccatoribus: *Quoniam, tãquam fœnũ, velociter areſcent: &, ſicut olera herbarum, cito cadent.* Fœnum pulchra eſt res, dum viret, dum floret, ſed cum aruerit, mutato protinus colore marceſcit: ſic ſunt impij, qui quaſi florida lætitia relucentes, præmaturo fine ſiccantur. Primo fœno comparati ſunt, vt areſcerent: nunc agreſtibus oleribus, vt deciderent: non enim dixit, holera hortorum, ſed *herbarum:* vt ſignificaret potius illa viliſſima, quæ per agros ſponte naſcuntur. Fœnum hiſtoriam
Pſal. 146. legis aut temporalia ſignificat, vt in Pſalmo. *Qui producit in montibus fœnum.* Fœnum peccatores, vt in Euangelio:
Matth. 6. *Si enim fœnum, quod hodie in agro eſt, & cras in clibanum mittitur.* Olera enim ab olla dicta ſunt, vbi collecta decoquuntur: quapropter fœnum mundi nobilibus comparemus, qui & facile proficiunt, & viriditatis magna quaſi gratia veſtiuntur. Olera herbarum, mediocres ponantur & humiles, quæ per loca inculta, copia pullulante, conſurgunt, & naturæ ſuæ agreſtem atque hiſpidam retinent qualitatem. Sed & illud velociter areſcit: & iſta cito decidunt.

Capit. IX.

De oleribus.

ORtus nominatur, quod ſemper ibi aliquid oriatur. Nam cum alia terra ſemel in anno aliquid pegnat: ortus nunquam ſine fructu eſt. Olus ab alendo dictum, eo quod primũ homines oleribus alerentur, antequam fruges & carnes ederent. Tantum enim pomis arborum & oleribus alebantur, ſicut animalia herbis. Ortus enim ſanctam ſignificat eccleſiam, in qua variæ ſpecies virtutum gignuntur. Vnde ſponſus de ſponſa dicit: *ortus conclusus, ſoror mea ſponſa: ortus concluſus, fons ſignatus.* Ortus *Cant. 4.*
concluſus, eccleſia eſt: quia multifaria ſpiritalium operum germina gignat: fons eſt, quia doctrina ſalutari redundat. Concluſus, quia Domini protectione vncta perſiſtat. ſignatus ſermone fidei. Item aliam ſignificationem habet ortus in hoc teſtimonio libri Regum, vbi narrat, quod Achab rex diceret ad Naboth Iezrahelitam. *da mihi vineam tuam, vt faciam mihi ortum olerum, quia vicina eſt &* *3. Reg. 21.*
prope domum meam, &c. Naboth ergo qui interpretatur, *cõſpicuus*, ſignificat Dominum Saluatorem, qui eſt ſemen quod interpretatur Iezrahel quia verus eſt filius Dei: hic habuit vineam, de qua in Eſaia ſcriptum eſt. *Vinea enim Domini Sabaoth domus Iſrael eſt.* Hanc concupiuit Achab, *Eſa. 5.*
qui interpretatur, *frater patris*, populus videlicet Iudaicus, de quo Chriſtus carnem aſſumere dignatus eſt vt fieret in ea ortum olerum, hoc eſt vt vbi vinum gratiæ ſpiritalis germinare debuit, ibi fragilia quæque dogmata per Phariſaicam ſuperſtitionem tranſplantaret. Sed Naboth hanc vineam dare nolenti, id eſt, Chriſto Phariſæorum ſuperſtitionibus non conſentienti impia vxor Iezabel, hoc eſt ſynagoga Iudæorum machinata eſt mortem eius. Ortus internas delitias paradiſi ſignificat: vnde dicitur: *intra ortum meum ſoror mea ſponſa.* Item ortus eſt po- *Cant. 5.*
pulus Iudæorum, de quo dicitur: *dilectus meus deſcendit in* *Cant. 6.*
ortum ſuum ad areolam aromatis. Rurſum ortus quædam hypocritarum ſimulatio, vt in Eſaia: *qui mundos ſe putabant in ortis.* Areola virgo Maria in Cantico Canticorum: *Eſa. 66.*
Dilectus meus aſcendit ad ortum ſuum, ad areolam aromatis. Areolæ corda ſanctorum, virtutum odore fragrantes, vbi *Cant. 6.*
& ſupra: *Areolæ aromatum conſita à pigmentariis.* Olus, ſimplex eſt & aperta prædicatio, vt in Apoſtolo: *qui infirmus eſt, olera manducet.* Olus minimum operatio bona, ex *Cant. 5.* *Rom. 14.*
qua quidam hypocritæ hominibus placere ſtudent, vt in Euangelio: *Væ vobis Phariſæi hypocritæ: qui decimatis mentam & anetum, cyminum & omne olus.* Cepe & alia corruptionem mentis, & acredinem peccati ſignificant, quæ *Matt. 23.*
quanto amplius eduntur, tanto magis dolore cruciant: vnde & in Numerorum libro filij Iſrael murmurantes leguntur dixiſſe: *in mentem veniunt nobis cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi manna.* Sinapis appellatur *Num. 11.*
quod foliis ſit ſimilis napis. Hæc herba myſtice ſignificat Euangelium Chriſti, ſicut ipſe Dominus oſtendit dicens: *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis,* & reliqua. *Matth. 13.*
quod in corde credentium ſeminatum germinat, *& recta fidei ac bonorum operum profert fructum.* Rafanum græci, nos radicem vocamus eo, quod totus deorſum nititur: dum reliqua olera in ſumma magis proſiliant: cuius ſemine macerato quiſquis ſuas manus infecerit, ſerpentes impune tractabit: ſiquidem ex ipſius radice etiam ebur albeſcit, in cibo quoque venenis reſiſtit. Nam contra venena radices, nuces, lupini, citrum, apium proſunt ſed contra futurum, non contra acceptum venenum. Vnde & apud veteres ante alias epulas hæc ſolebant menſis apponere. Hæc continentiam figuraliter poteſt exprimere & cautelam, quæ multum valet contra venenatas ſuggeſtiones diaboli & contra vitia carnis. Lactuca dicta eſt, quod abundantia lactis exuberet, ſeu quod lacte nutrientes feminas impler: hæc & in viris veneris vſum coercet. Lactuca agreſtis, quam ſarſiliam nominamus eo quod dorſus eius in modũ ſerræ eſt. Præceptum eſt ergo filiis Iſrael vt lactucas agreſtes in paſcha comederent cum aſſis agni carnibus. Lactucæ vero agreſtes valde amaræ ſunt: carnes vero agni cum lactucis agreſtibus ſunt edendæ,

vt cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris et fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho pestiferæ amorem vitæ. Cucumeres quod sunt interdum amari, qui dulces nasci perhibentur, si lacte mellito eorum semen infundatur. De cucumeribus & peponibus in pentateucho legitur, quod eos filij Israel concupierunt, spernentes manna: sicut concupiscentia carnalis fastidit cibum spiritalem, & spernit eum. Cucurbita herba est alieno egens sustentaculo: quæ significat infirmos quosq; & indoctos, qui aliorum indigent solatio, quo fulciantur, ne

Ion. 4. corruant. De cucurbitis in Iona Propheta legitur. Apium dictum quod ex eo apex, id est, caput antiquorum triumphantium coronabatur. Hercules autem hanc herbam primus capiti circumtulit: nam nunc populum capite præferebat, nunc oleastrum, nunc apium, cuius radices efficaciter pugnant contra insidias veneriorum; eius generis sunt petrosilenon, ipposilenon & oleosilenon. Petrosilenon vocatum, quod sit similis apio & nascatur in petris montibusque præruptis: quod nos petrapium dicere possumus. Silenon enim græce apium dicitur, sed est summum ac probabile acedonicum, gustu suaue, & odore aromatico. Feniculum latini vocant, quod eius tyrsi seu radicis succus acuat visum, cuius virtus traditur, vt serpentes annuam senectutem eius gustu deponant: hoc olus græci maratron vocant. Quid autem olera, quæ contra venenum valent, mystice significent, iam superius dictum est. Ligusticum à regione nomen accepit: nascitur enim plurimum in Liguria, odore aromatico, & gustu acri. Coriandrum ex græco nomine sumptum, quod illi corian vocant, cuius semen in dulci vino datum proniores reddit in venerem: si supra modum dederis, amentiam nutrit canos etiam ex coriandro infici traditum est. Legitur in Exodo, quod manna simile esset semini coriandri, album & sublucidum: sic & verbum Dei albedinem habet castitatis, & lumen scientiæ spiritalis: vnde animæ fideles quotidie pascuntur. Ruta dicta, quod sit feruentissima, cuius altera agrestis atque virtute acrior, sed vtraque feruentissima comprobatur: hanc venenis repugnare mustelæ docent, quæ dum cum serpente dimicauerint, cibo eius armantur. Hæc fidem Christi significat: quæ contra antiqui serpentis venena plurimum valet.

FINIS LIBRI DECIMINONI.

INCIPIT LIBER XX.

CAPIT. I.

De bellis.

PRimus bella instituit Ninus rex Assyriorum. Ipse enim finibus suis nequaquam contentus, humanæ societatis fedus irrumpens, exercitus ducere, aliena vastare, liberos populos aut trucidare, aut subiicere cepit, vniuersamque Asiam vsque ad Libyæ fines noua seruitute perdomuit. Hinc etiam studuit vrbes in mutuo sanguine alterna grassari cæde. Quatuor autem sunt genera bellorum: id est, iustum, iniustum, ciuile, & plusquam ciuile. Iustum bellum est, quod ex prædicto geritur de rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causa. Iniustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione initur, de quo in republica Cicero dicit: *Illa iniusta bella sunt, quæ sunt sine causa suscepta: nam extra vlciscendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri iustum nullum potest.* Et hoc idem Tullius paruis interiectis subdidit: *Nullum bellum iustum habetur nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus.* Ciuile bellum est inter ciues orta seditio & concitati tumultus: sicut inter Syllam & Marium, qui bellum ciuile inuicem in vna gente gesserunt. Plusquam ciuile bellum est, vbi non solum ciues certant, sed & cognati: quale actum est inter Cæsarem & Pompeium, quando gener & socer inuicem dimicauerunt. sic in hac pugna frater cum fratre dimicauit, & pater aduersus filium arma portauit. Lucanus:

—— *In fratrum ceciderunt præmia fratres.*

Item:

—— *cui ceruix cæsa parentis*
Cederet. ——

Bella itaque dicuntur interna, externa, seruilia, socialia, piratica. Nam piratica bella sunt sparsa latronum agmina per maria myoparonibus leuibus & fugacibus, non solum nauibus commeatus sed etiam insulas prouinciasque vastantibus, quos primum Gn. Pompeius post multam vastationem, quam terra marique diu egerat, mira celeritate compressit ac superauit. Sicut autem bellum vocatur, quod contra hostes agitur: ita tumultus, quod ciuili seditione concitatur. Nam seditio est dissensio ciuium: dicta, quod seorsum alij ad alios eant. Alij æstimant, dissensionem animorum seditionem vocari, quam græci diastasin vocant: quoniam autem differant, vtrumque Cicero docet: *potest enim*, inquit, *esse bellum, vt tumultus non sit: tumultus autem esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? vnde etiam dictus tumultus, quasi timor multus: grauius autem esse tumultum, quam bellum. Nam in bello vacationes valent, in tumultu non valent.* Differt autem bellum, pugna & prælium: nam bellum vniuersum dicitur aut punicum, cuius partes sunt pugnæ, vt Cannensis, Ferinensis. Rursum in vna pugna multa sunt prælia. aliud enim in cornibus, aliud in media, aliud in extrema acie geritur. Bellum igitur est totum, pugna vnius diei, prælium pars pugnæ est. Bellum antea duellum vocatum eo, quod duæ sint partes dimicantium: vel quod alterum faciat victorem, alterum victum: postea, mutata & detracta litera,

[illegible] bellum. Alij per Antiphrasin putant dictum, eo quod sit horridum: vnde illud. *Bella, horrida bella*. cum bellum contra sit pessimum. Prælia dicuntur ab imprimendo hostem: vnde & prælia ligna, quibus vua [illegible]. Pugna vocata eo, quod in initio vlus fuisset in bello pugnis contendere: vel qui primo bello pugnis incipiebant: vnde & pugna etiam duorum est aliquando, & sine ferro. Hæc enim bella apud carnales sunt, qui de potentia mundana confligunt. Ceterum apud christianos & fideles Dei famulos alius mos pugnandi est, de quo scribit Apostolus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Et idem. *Castigo* inquit, *corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Item bella vel pugnæ certamen aduersus nequitias spiritales, vel aduersus vitiorum conflictiones, vt in Apostolo: *sic pugno, non quasi aerem verberans.* Rursum bella vel certamen diaboli aduersus sanctos: vt in Hieremia: *& bellabunt aduersum te, & non præualebunt.* Semper enim sancti viri contra vicia & contra temptamenta diaboli, contraque oblectamenta carnis & illecebras voluptatum dimicant: vt sint sancti & immaculati in conspectu Dei perficientes sanctificationem in timore ipsius, quibus pax Christus est qui discipulis suis ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Quatuor autem in bello geruntur: pugna, fuga, victoria, pax. Pacis vocabulum videtur à pacto sumptum posterius autem pax accipitur, fœdus primum initur. Fœdus est pax, quæ fit inter dimicantes, vel à fide, vel à * fecialibus, id est à sacerdotibus dictum: per ipsos enim fiebant fœdera, sicut per seculares bella. Alij fœdera dicta putant à porca fœde & crudeliter occisa: cuius mors optabatur ei, qui à pace resiluisset. Virgilius: *& cæsa iungebant fœdera porca fœde.* Fœderis partes induciæ: & dictæ induciæ, quasi in die ocia.

Ephes. 6.
1. Cor. 9.
Ibid.
Ieremi. 1.
Ioan. 14.
Ephes. 2.
* fecialibus.

Capit. II.

De triumphis.

OMne regnum seculi huius bellis quæritur, victoriis propagatur. Victoria dicta, quod vi, id est, virtute adipiscatur: hoc enim ius gentium vim vi expellere: nam turpis est dolo quæsita victoria. Certa autem victoria est, vel occisio hostis, vel expoliatio, vel vtrumque. Non est autem iocunda victoria, quæ per immensa detrimenta contingit. & hoc est, quod laudat Salustius, duces victoriam incruento exercitu deportasse. Pompa dicta est græca significatione, Pompeii, hoc est, publice ostentari. Præcedit autem victoria pompam ideo, quod iturus ad hoc certamen prius est victoriæ votum conuertione. Trophæum dictum apo to strofes, id est, à conuersione hostis & fuga: nam ab eo, quod hostem quis fugasset, merebatur trophæum: qui occidisset, triumphum, qui dictus est apo striambes, id est, ab exultatione. Plenæ enim victoriæ triumphus debetur, semiplenæ trophæum: quia nondum plenam est victoriam cõsecutus: non enim obtinuit, sed fugauit exercitum. Hæc tamen nomina scriptores confundunt: erat autem Romanorum vt triumphantes quadrigis veherentur, ex illo, quod soliti priores duces hoc habitu bella inire. Quicunque autem in conflictu vicissent, palma aurea coronabantur, quia palma stimulos habet: qui vero sine conflictu fugientem prostrauisset, laurea: eo quod hæc arbor sine spinis est. Duobus autem generibus deletur exercitus: aut internicione, aut dispersione. Salustius inquit: *hostes oppressi aut dilapsi forent.* Sic & vtrumque Virgilius internicione:

—— submersasque obrue puppes.

Dispersione:

Aut age diuersas, aut disiice corpora ponto.

Spolia [illegible], prædæ, manubiæ, exuuiæ, partes. [illegible] vocata: [illegible] eo quod manibus [illegible] exuuiæ [illegible], quia exuuntur: [illegible] pro [illegible] qualitate, [illegible]. Spolia autem à, [illegible], quasi expolia: [illegible]. V[illegible] stæ est [illegible] triumphi [illegible] crux est, quæ [illegible] victi, & [illegible] super [illegible]. Spolia [illegible] de [illegible] honorati sunt in Deum credentes, qui [illegible] testate Dei [illegible] regno [illegible] legitimo [illegible]. [illegible] ipsa Veritas in Euangelio ait. *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat & spolia eius distribuet.* Victoria est de bello [illegible] sanis triumphus: vt est illud Apostoli: *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam.* Brauium est constitu[illegible] rum præmium meritorum [illegible] Apostol[illegible] *destinatum [illegible] quor brauium in superna vocationis.* Corona æternæ gloriæ [illegible] iustitia merces, vt in Apostolo: *de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Pax Christus est, quia ipse est, qui fecit vtraque vnum. Pax carnis aduersus spiritum, concordia in bonum vt in Psalmo: *Rogate, quæ ad pacem sunt in Hierusalem.* E[illegible] aliam partem pro Iudæis vel hæreticis accipitur vt in Deuteronomio: *Non loqueris ei pacifica omni tempore.*

Luc. 11.
1. Cor. 15.
Phil. 3.
2. Tim. 4.
Ephes. 2.
Psal. 121.
Deut. 23.

Capit. III.

De instrumentis bellicis.

SIgna bellorum dicuntur, quod ex his exercitus & pugnandi & victoriæ receptui accipit symbolum: nam aut per vocem tubæ, aut per symbolum ammonetur exercitus.

Capit. IV.

De buccinis & tubis.

BVccina qua signum datur in hoste, dicta à voce, quasi vocina: nam pagani agrestesque ad omnem vsum buccina ad compita conuocabantur. Proprie ergo hoc agrestibus signum fuit, de quo Persius:

Buccina cogebat priscos ad arma quirites.

Huius clangor buccinium dicitur. Tubam Tyrrheni primi inuenerunt tubã dictam, quasi tofam, id est, cauam. Iterum tubam, quasi tibiam. Inter tubam autem & buccinam veteres discernebant. Nam buccina insonans sollicitudinem ad bella nunciabat. Virgilius:

—— Buccina signum

Dira dedit. ——

Tuba autem prælia indicabat:

—— Dat tuba terribilem sonitum.

Cuius sonus varius est: nam interdum canitur, vt bella committantur: interdum, vt insequantur eos, qui fugiunt: interdum canitur receptui. Nam receptus dicitur, quo se exercitus recipit: vnde & signa receptui canere dicuntur. Tuba autem siue buccina sanctorum prædicatorum vocem significat, quæ in toto mundo per prædicationem euangelij sonat, & ad certamen spiritales milites Christi prouocat: hij docendo ammonendo & exhortando populum Dei instruunt: &, quid faciendum, vel quid deuitandum sit, demonstrant. Quisquis autem iuxta eius iudicia se obseruat, & secundum eius magisterium vixerit, vitam percipiet sempiternam.

Capit. V.

De Armis.

ARma generaliter omnium rerum instrumenta sunt: vnde & vbi reponuntur armaria dicta sunt. Item arma dicuntur tela omnium generum sed arma sunt, quibus ipsi tuemur: tela sunt, quæ emittimus. Nam arma duplicia sunt, id est, vel quibus percutimus, vel quibus tegimur. Arma autem dicta proprie sunt eo, quod armos tegant. nam arma vel ab armis dicuntur, id est, ab humeris vt:

—— Lateri huic hasta per armos

Acta tremit. ——

Vel apo tu areos, id est, à Marte. Mystice autem prolatentiis sanctarum scripturarum, vel * exercitus [illegible] accipiuntur: vnde Apostolus ait: *Nam arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritalia sunt & potentia Deo ad destructionem aduersarium munitionum*, hoc est, virtutes [illegible] rorum, quibus diabolo [illegible], hominibus [illegible] contra milites Christi pugnatur. Armarium vero [illegible] est sacra, vel fides recta: vnde pro[illegible] arma [illegible]

* exercitia.
2. Cor. 10.

lia contra hostes christianæ fidei, & oppugnatores veræ religionis: arma protectionem diuinam significare, & adiutorium eius in sanctos, vt in Psalterio: *Apprehende arma & scutum.* (Psal. 34.) Arma, opera iustitiæ aduersus diaboli vitia, vt in Apostolo: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere.* (Ephes. 6.) Arma, opera peccati, vel diaboli insidiæ, vt in Psal. *Arma & scuta comburet igni.* (Psal. 45.)

CAPIT. VI.

De Gladiis.

GLadius generaliter dicitur ensis in prælio, sed ensis ferrum tantum est. Gladius vero totus: proprie autem appellatur gladius, quod gulam diuidit, id est, ceruicem secat. Ad hoc enim primum est factum: nam membra securibus magis cæduntur, collum gladio tantum: acies autem gladii ab acumine dicta. Capulus vocatus, vel quia caput est gladij, vel quia capitur ibi, vt teneatur. Nam alias acies ferri non sinit. Mucro non tantum gladij est, sed & cuiuslibet teli acumen: dictus à longitudine. nam Macron græci longum vocant: hinc & machæra. Machæra autem est gladius longus, ex vna parte acutus. Framea vero gladius est ex vtraque parte acutus, quam vulgus spatam vocat: ipsa est romphæa. Framea autem dicta, quia ferrea est: nam sicut ferramentum, sic framea dicitur. ac proinde omnis gladius framea. Gladius enim in bono & in malo accipitur: in bono, vt in Apostolo: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* (Ephes. 6.) In malo, vt est illud Psalmistæ: *Gladium euaginauerunt peccatores.* (Psal. 36.) Gladius peccatoris est, quilibet dolus, alterius appetens læsionem. nam & ille, qui inopem spoliare contendit, peruerse consilij sui gladium educet: & ille, qui praua suasione desiderat decipere animas innocentum, ensem pessimæ cogitationis ostendit. *Euaginauerunt* autem significat, *nudauerunt*: vt quod ante erat in cogitatione, tanquam in vagina, reconditum, post eductum reuelatis cogitationibus appareret. Framea vltionem diuinam significat in impio, vnde est illud in Psalmo: *Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui me persecuuntur.* (Psal. 34.) Et in aliam partem: *Eripe à framea animam meam*: (Psal. 21.) nam liberari se postulauit à morte, quam subiturus erat, collato scilicet resurrectionis auxilio. Framea enim synonymum nomen est, significans siue hastam, siue gladium, siue qualibet arma, per quæ voluit futurum crucis exitum competenter aduerti, qui per ipsam plerumque succedit: sed primo dixit, *eripe animam meam*: modo petit liberari ecclesiam, quæ est illi vnica, id est, catholicam: vt intelligatur doctrinas nouas & conciliabula perditorum vnitatis vocabulo respuisse. Item framea significat vindictam in insontem prolata, vt est illud Psalmistæ de peccatoribus: *Inimici defecerunt frameæ in finem.* (Psal. 9.) Inimici, genitiuus casus est, id est, diaboli, cuius framea defecisse testatur. Framea enim hebraicus sermo est, significans gladium, quo hostis ille bacchabatur: quod autem dixit, *in finem*, consummatio seculi datur intelligi, quando virtus diaboli omnipotenti illo gladio probatur interimi: de quo dixit in septimo Psalmo: *nisi conuertimini, gladium suum vibrabit, &c.* (Psal. 7.) Spato à passione dictum, græco verbo: quoniam * patin græce dicitur pati: (* paschin) vnde & *patior* & *patitur* dicimus. Semispatium gladius à media spatæ longitudine appellatus: vt imprudens vulgus dicit: sine spatium, dum sagitta velocior sit. Pugio à pungendo & transfigendo vocatus. est enim gladius paruus & bis acutus, lateri adhærens. Idem & clunabulum dictum, quod religetur ad clunes. Sica à secando dicta: est enim gladius breuis, quo maxime vtuntur, qui apud Italos latrocinia exercent: a quo & sicarij dicti. Gladius enim plures significationes habet: & in bono, & in malo accipitur, vt supra ostendimus. Nam gladius verbum Dei, & seueritatem legis atque Prophetarum significat, vt in Apocalypsi: *Et gladius egrediebatur de ore eius*, (Apocal. 1.) id est, verbum Domini. Gladius vis est amoris Dei, vt in Euangelio: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* (Matth. 10.) Gladij sunt in manibus sanctorum testimonia diuinæ scripturæ ex vtroque testamento legis in acumine perducta, vt in Psalmo: *& gladij bis acuti in manibus eorum.* (Psal. 149.) Et in Apostolo: *& gladium spiritus, quod est verbum Dei.* (Ephes. 6.) Gladij, duo sunt testamenta legis, vt in Euangelio secundum Lucam: *Ecce gladij duo hic.* (Luc. 22.) Gladius est hæreticorum prædicatio, vt in Salomone: *Qui pro dentibus gladios habet.* (Prou. 30.) Et in Euangelio: *Omnis qui percusserit gladio, gladio morietur.* (Matt. 26.) Gladius est seductio diaboli, vt in Psalterio: *Qui liberasti seruum tuum de gladio maligno.* (Psal. 143.) Gladius est damnatio sempiterna, vt in Iob: *Si multiplicati fuerint filij eius*, i.e. hæreticorum discipuli, *in gladio erunt.* (Iob 27.) Gladius est iudicium Dei, vt in Hieremia: *A facie gladij columbæ vnusquisque ad populum suum conuertetur.* (Ierem. 46.) Gladius est vindicta vel sermo Domini, vt in Apostolo: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.* (Hebr. 4.) Romphæa idem est, quod & supra. Machæra, sermo dolosus & insidiis plenus: vt est illud in Psalmo: *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta.* (Psal. 56.) Secures signa sunt, quæ ante consules ferebantur, quas Spani ab vsu Francorum per deriuationem franciscas vocant. Ea solebant signa portari, ne aut vsum perderet belli, aut vacans aspectum amitteret gladiorum. Dicitur autem securis ferramentum, quo cæduntur ligna ad vsum hominum: quod etiam mystice aut euangelicam prædicationem aut iudicij sententiam significat: vnde est illud in Euangelio: *Iam enim securis ad radices arborum posita est.* (Matth. 3.) Arbor huius mundi est vniuersum genus humanum: securis vero est Redemptor noster, qui velut ex manubrio & ferro constat, tenetur que ex humanitate, sed incidit ex diuinitate. Quæ videlicet securis iam ad radicem arboris istius posita est: quia etsi per patientiam expectat, videtur tunc, quod factura est. Potest & securis nomine prædicatio sermonis euangelici intelligi: quia, secundum Apostolum, *viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, conpagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum.* (Hebr. 4.) Et Ieremias Propheta verbum Domini securi comparat cædenti petram. Siue securis sententiam iudicij altissimi significat, quæ ad radices arborum, id est, ad finem regni populi Iudaici posita est: vt eos, qui in Christo credere noluerunt, de terra viuentium abscidat.

CAPIT. VII.

De hastis.

HAsta est contus cum ferro, cuius diminutiuum facit hastilia. Nomen autem hastæ ab hastu sumpsit, vnde & astutia. Contus ferrum non habet, sed tantum cuspide acuto est. Virgilius:

Ferratasque sudes, & acuta cuspide contus.

Contum autem quasi contium: est enim contum acuta rotunditas. In significatione autem hastæ vel hastilium potest temptatio diabolica intelligi, per quam saluti generis humani ipse antiquus hostis inuidet, & interfectionem præparat: vnde est illud, quod de Goliath gigante scriptura refert, dicens: *Hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium, &c.* (1. Reg. 17.) Pugna vero Philistinorum contra Israel non inconuenienter malignorum spirituum prælium aduersum ecclesiam Dei accipi potest. Inde egreditur de castris, scilicet Philistinorum, vir spurius, nomine Goliath, nimiæ magnitudinis: qui bene potest significare diaboli superbiam, quam Dauid noster, singulari certamine congressus, prostrauit, ac populum Dei à timore eius eripuit: qui leonem & vrsum necauit, vrsum, videlicet diabolum: leonem, antichristum, alterum nunc hominibus latenter insidiantem: alterum in posterum manifestissime sæuientem. Lancea est hasta amentum habens in medio: dicta autem lancea, quod æqua lance, id est, æquali amento ponderato vibratur. Amentum vinculum est iaculorum: hastiliarium, quod in medijs hastis aptatur: & inde amentum, quod media hasta religetur & iaculetur. Claua est, qualis fuit Herculis: dicta, quod sit clauis ferreis inuicem religata, & est cubito semis facta in longitudine: hæc & cateia, quam Horatius caiam dicit: est enim genus Gallici teli ex materia quam maxime lenta, quæ iactu non quidem longe propter grauitatem euolat: sed quo peruenit, vi nimia perfringit

quod si ab artifice mittatur, rursum redit ad eum. Lancea enim potest significare passionis dolorem, vel sacramentorum apertionem: vnde in Propheta scriptum est: *Lanceis suis vulnerauerunt me.* Et in passione Domini *vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.*
Ioan. 19. Eleganti ergo euangelista verbo vsus est, vt non diceret: latus eius percussit aut vulnerauit: aut quid aliud sed, *aperuit*, vt illic quodammodo vitæ hostium panderetur: vnde sacramenta ecclesiæ manauerunt sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum. aqua illa salutare temperat poculum hæc & lauacrum præstat & potum.

Capit. VIII.
De sagittis.

Sagitta à sagaci ictu, id est, veloci ictu vocata. Pennis enim fertur, quasi auis, & celeriter mox percurrit ad hominem. His primum Cretenses vsi sunt, quibus pennæ (vt diximus) ideo agglutinantur, vt leues sint & præuolent hastas. Spicula sunt sagittæ vel lanceæ breues ab spicarum specie nuncupatæ. Scorpio est sagitta venenata, arcu vel tormento excussa quæ dum ad hominem venerit, virus, quo figit, infundit: vnde & scorpio nomen
Iob 6. accepit. De sagittis ergo in Iob ita scriptum est. *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Hic sagittarum nomine animaduersionis sententia designatur. Vir igitur sanctus quia peregre nationis sua ærumnam respicit, quod sub persecutionibus Dominicæ animaduersionis ingemiscat, dicit: *vnde & verba mea dolore sunt plena: quia sagittæ in me sunt Domini:* ac si diceret: Ego in exilij damnatione non gaudeo: sed sub iudicio positus doleo, quia vim percussionis agnosco. Sagitta. Dominus Iesus Christus, corda electorum suorum salubriter
Esa. 49. vulnerans: vt in Esaia: *sicut sagittam, abscondit me in pharetra*
Psal. 63. *sua.* Sagitta præceptum diuinum, vt in Psalterio: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum*, hoc est, Apostolorum.
Psal. 17. Et alibi: *misit sagittas suas, dissipauit eos.* Sagittæ insidiæ ini-
Ierem. 9. mici, siue sermo hæreticorum. vt in Hieremia: *sagitta vulnerans, lingua inimici.* Aliquando vero sagittarum nomine (vt diximus) sententiæ diuinæ legis exprimuntur: vnde
Psal. 44. est illud in Psal mo: *Sagittæ tuæ acutæ potentissime.* Et alibi:
Psal. 119. *sagittæ acutæ* sunt verba Domini Saluatoris hominum *potentis acutæ.* Sagittæ corda salubriter infigentia, quæ ideo vulnerant, vt sanent: ideo percutiunt, vt liberent: ideo prosternunt, vt erigant. Nam & aliam significatio-
Psal. 10. nem sagittæ habent in illa Psalmi sententia: *Parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Permanet in comparatione sagittarij: nam sicut iste habet sagittas in pharetra, ita ille gestat in corde verba venenosa: in obscuro vero siue cum persecutionibus perturbatur ecclesia, quando timore periculi carnales homines creduntur facilius immutari: siue in abscondito consilio, cum opportunius putant christianos decipere, quando eos iudicant sua consilia non videre: sed cum dicit, *rectos corde*, insidias eorum ostendit inanes & vacuas.

Capit. IX.
De pharetris.

Pharetra, sagittarum theca, à ferendo iacula dicta, sicut & feretrum, vbi funus defertur: quæ idcirco etymologiam communem habent: quia pharetra mortem, feretrum mortuum portat. Coriti propriè sunt arcuum thecæ, sicut sagittarum pharetræ. Pharetra enim aut scriptura est sacra, vnde sagittę sententiarum diuinarum proferuntur, & Prophetæ atque Apostoli prædicationis iacula mittunt: aut humanitatem Saluatoris nostri, qui in
Esa. 49. Esaia loquitur, dicens: *Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me.* Quando dicit, *sagittam electam*: ostendit habere Deum sagittas plurimas sed nõ electas: quæ sagittæ Prophetæ sunt & Apostoli, qui in toto orbe
Psal. 44. discurrunt: de quibus & in alio loco canitur: *Sagittæ tuæ*
Psal. 119 *acutæ potentissime populi sub te cadent.* Et iterum: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Coritus autem de [illegible] sagittis & filijs pluribus, vna sagitta electa, & fi-
lius [illegible] cultus est [illegible] in humano corpore vt [illegible] orpo [illegible] raro inque esset [illegible] co & sæp a dictatur. *Tu es Deus absconditus* [illegible] Quæ sagitta & ipsa [illegible] volutus accipiens loquitur [illegible] co Canticorum: *Vulnerata caritate ego sum.* Vagina [illegible] lata eo, quod in ea [illegible] vel gladius baiuletur. [illegible] eo quod aliquid receptum tegat, c. litera [illegible] Alij græco nomine thecam vocari asserunt, [illegible] ponatur aliquid: inde & bibliotheca, librorum [illegible] tio dicitur. Vagina autem occultationem [illegible], vel [illegible] relationem iudicij significat: vnde in Psal [illegible] est: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit.* Com[illegible] ret Iudæos, qui Domini lege contempta idolorum cultu[illegible] ris nefandissimis seruiebant: ipsis, nisi conuerti[illegible] dium suum vibrabit, id est, vnicum Filium [illegible] cente claritate missurus est. Vibrare enim [illegible] quod modo lumen, modo vmbras tremulas probatur ostendere: hoc constat in incarnatione Christi Domini prouenisse, quando perfidis tenebras, fidelibus [illegible] lumen suæ deitatis ostendit. Arcus vocatus eo, quod [illegible] ceat aduersarium: vnde & arces dicuntur, a quibus ar[illegible] centur hostes. Item arcus dicitur ob species, quod api[illegible] ra eius sint curuata arcibus. Arcus est [illegible] lum euangelicus sermo, vt in Genesi: *Sedet in forti arcus eius*, id est, Domini. Et in Apocalypsi: *Datus est ei arcus.* Arcus, hæreticorum dogma. vt in Psalterio: *Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum suum.* Item de arcu in Psalmo ita scriptũ est: *Arcum suum tetendit, & parauit illum.* Arcum itaque scripturam noui & veteris testamenti congruenter accipimus: quia duobus quodammodo [illegible] flexibus de toto tum colla complectitur: hic fidelibus suaue iugum ostenditur: contumacibus autem arma terribilia de [illegible]antur: *tetendit*, adiectum est, ne eius patientia remissa putaretur. Quod autem sequitur: *& in ipso parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus efficit*: Hic distributio diuinæ maiestatis ostenditur: quia per arcum, i. e per [illegible] tus & nouum testamentum, sicut iam dictum est, & effectus mortis venit, & sagittis ipsius vita præstatur. Egressæ sunt autem de isto arcu tanquam sagittæ, i. e Apostoli, qui ardentibus, hoc est, desiderantibus animis in modum sagittarum præcepta salutaria transmiserunt: vnde & impij sauciarentur, & fidelibus efficax cura proueniret.

Capit. X.
De fundis.

Funda dicta eo, quod ex ea funduntur lapides, i. e emittantur. Balista genus tormenti, ab emittendo [illegible] dicta: ballin enim græce mittere dicitur. T[illegible] enim verbere neruorum, & magna vi iacit aut hastas [illegible] saxa: inde & fundibalus, quasi fundens & emittens, dicitur. Contra balistam testudo valet: series enim fit ar[illegible] rum vmbonibus inter se colligatis. Funda est [illegible] cut in Iob pro Antichristo dicitur: *In stipulam versi [illegible] omnes lapides fundæ.* Et in Zacharia: *subiicient in lapidibus fundæ.* De funda autem in libro Regum ita scriptum legitur: *Elegit Dauid sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum*: quod significat Christum per quinque libros legis in vnitate carnis diabolum funda prædicationis superasse atque proprio gladio, hoc est, nequitia ipsius, damnasse atque interemisse.

Iob 41.
Zach. 9.
1. Reg. 17.

Capit. XI.
De Ariete.

Arieti nomen species dedit eo, quod cum impetu impingit murum in modum arietum pugnantium. Valide enim ac nodose arboris caput ferro vel[illegible], ca[illegible] suspensa funibus multorum manu ad in[illegible] deinde retrorsum ducta maiori impetu d[illegible] crebris ictibus concussum murum [illegible] cedit, [illegible] atumque irrumpit ac fenestram facit. Contra inpulsum arietis remedium est saccus paleis plenus & in eum [illegible] sus, quo aries percutit. Laxo enim saccum [illegible]

arietis ad usus mollib. duriora n. mollioribus facilius cedunt. Plerique sunt tamen cotio etiendo in textæ quæ in opere faciendo hosti obiiciuntur. Arietes sunt téptationum stimuli, vel impetus percussionis: vt est illud: *& ponis arietes in gyro.* Ezech. 4

CAPIT. XII.

De clipeis.

CLipeus est scutum maius dictum ab eo quod clepet, id est celet corpus, periculisq; subducat Onomatopœion. Oppositus enim sua defensione ab hastis & iaculis corpus munit. Clipeus autem peditum est, scutum equitum. Scutum appellatum eo, quod a se excutiat telorum ictum: vt enim telis resistatur, clipeus antefertur. De clipeo in prouerbiis scriptum est *Omnis sermo Dei clipeus ignitus est sperantibus in se.* Hæc tota Christi Ecclesia nouit, & illi maxime sentiunt, qui, Deo secum morante, terrenæ fastum sapientiæ contemnunt. Quia nimirum omnis sermo diuinæ auctoritatis corda electorum & igne caritatis accendit, & scientia veritatis illustrat, & vitiorū sordes (si quos in eis inuenerit) consumit, & ab hostium insidiis sperantes in se cunctisq; defendit aduersis. Item in cantico canticorum scriptum est: *Mille clipei pendent ex eo, omnis armatura fortium:* quod significat testimonia scripturarum sanctarum. Vmbo, sicut vmbilicus, pars media est, quasi ancile, vocatur scutum breue & rotundum, de quo Virgilius:

Proæ. 30.

Cant. 4.

Læua ancile gerebat.

Et ancile dictum ab ancisione quod sit ab omni parte veluti ancisum, hoc est, rotundum. Ouidius.

Idq, ancile vocant, quod ad omni parte recisum.
Quaque notu oculis angulus omnis abest.

Peltum, scutum breuissimum in modum lunæ mediæ: de quibus meminit liber Regum *Fecit rex Salomon ducenta scuta de auro puro, & trecentas peltas ex auro probato.* Cetra scutum loreum sine ligno, quo vtuntur Affri & Mauri, de quo Poeta:

3. Reg 10

Læuas cetra tegit.

Parma leuia arma, quasi paruus clipeus: dicitur autem & testudo scutorum: nam in modum testudinis fit. Clipeus & testudo est scutorum connexio curuata in testudinis modum. Namq; in armorum generibus milites etiam ab animalibus nomina sumunt, vt aries. Et Salustius, *in modum,* inquit, *ericij militaris.* Scutum autem fidem significat, vt est illud Apostoli: *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Aut adiutorium diuinum, vt est illud Psalmistæ: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Item scutum obduratio cordis vel peccati defensio. vt illud Hieremiæ: *Dabis eis Domine scutum cordis laborem tuum.* Arma ab arcendo dicta sunt, quod per ea hostes violentissimos arceamus: & ideo hoc humana consuetudine dicitur, quæ armat manum, vt opprimat inimicum. Ceterum arma & scutum sola voluntas est Domini, qui protegit periclitantem, & expugnat aduersum: scutum enim dictum est, quasi sculptum, quod in ipso antiqui sua facta signabant nam quod dicit *apprehende:* nunquid ab eo sumitur ad tempus peregrina defensio? semper ille paratus est ad exitus rerum, qui probatur omnipotens: nec quasi de quiete exurgere creditur, qui nunquam iacuisse declaratur. Arma igitur pertinent ad indumenta ferrea, per quæ salus humana defenditur: scutum ad repellendos ictus inimici, vt frustrata tela cadant, quæ fuerant ad exitium hominis destinata.

Eph. 6.

Psal 34.

Thr. 3.

CAPIT. XIII.

De loricis.

LOrica vocata eo, quod loris careat: solis enim circulis ferreis contexta est. Squama est lorica ferrea ex laminis ferreis aut æreis concatenata in modum squamæ piscis, & ex ipso splendore squamarum & simi itud ne nuncupatur. In ciliciis aūt & polumur loricæ, & teguntur. Significat aūt lorica iustitiæ obseruantiam, quæ protegit hominem, & illæsum seruat ab hoste: quia sicut difficile vulneratur in his vel maxime locis, quæ vitam tenent, qui * conseruatam hamis & circulis ferreis inuicem se renentem loricam virtutis indutus est: ita qui est circundatus multiplici veste iustitiæ, nec ad similitudinem cerui

* confer. tam.

in iecur accipiet sagittam, nec in desideria corruet, & furores sedat immundo cordis habens artificem huius loricæ Deum, qui vnicuiq; sanctorum omnia arma fabricatur, & non sinit ab iaculo volantis perire, & a sagittis ardētibus perculi pariter & verari. Item lorica in malā partē accipitur, vt in Ezechiel. *Aduersus Gog oes scutati & loricati.* Ezech. 38.

CAPIT. XIV.

De galeis.

CAssis de lamina est: galea de corio. Nam galeros coriū dicitur cussidem aūt a Tuscis nominatam. Illi n. galeā cassim nominant, credo, à capite. Apex est, ꝙ in summo galeæ eminet, quo figitur crista, q̄ græci conū vocāt: nam conus est curuatura quæ in galea prominet, super q̄ cristę sunt. Nam cassis vel galea, quæ caput nostrū, h. e. mentem nostram contra arma inimici defendit, spes est in Dn Saluatorē: vnde monet Apostolus nos induere galeā salutis: quoniā contra atrocissimos hostes, oī ieiginerlatione callidos bellum gerimus. Idcirco oī cautela & sollicitudine vigilare debemus, vt qualitercūq; tēptauerint, munitos nos & præparatos inueniant. Necesse est n. vt Deus adiuuet, quos viderit in precio vigilare, & de armis eius expectare victoriā in huiusmodi ergo bello sobria mēte opus est & pura conscientia: quia nō contra carnalia nequitię, sc. aduersus spiritalia dimicatur. Contra terrigenas n. hostes corpus sagina roboratur, & populo mēs incenditur, vt repugnando suat audaciā: aduersus spiritalia n. nequitiæ spiritaliter repugnandu & sobrietatis & abstinēntiæ arma sumēda sunt: vt in iusti. Spiritu immundos & erraticos spiritus deuincam* sic itaq; succingem* lūbos nostros in veritate, si parati sumus errori resistere. Omnis n. qui operari vult, succinget se, vt, ablato impedimento, diligētius operetur.

Eph. 6.

CAPIT. XV.

De foro.

FOrum exercendarum litium locus à fando dictus: qui locus & prorostra vocat ab eo, ꝙ ex bello Punico captis nauib. Carthaginensium rostra ablata sunt & in foro Romano præfixa, vt esset huius insigne victoriæ Prima species fori, loc* in ciuitate ad exercēdas nūdinas relict*. Secunda, vbi magistratus iudicare solet. Tertia, quam supra diximus, quam calcatorium nominauimus. Quarta, spatia plana in nauibus. De quibus Virgilius:

Laxa: que foros.

Constat aūt forus causā, lege, & iudice. Causa vocata à casu, quo euenit: est n. materia & origo negocij, necdu discussionis examine facto. Quæ dū proponitur, causā est: dū discutitur, iudicium est: dū finitur, iustitia. Vocatū aūt iudiciū, quasi iuris dictio: & iustitia, quasi iuris status. Iudiciū aū: prius inquisitio vocabatur: vnde & auctores iudiciorū præpositos, quæstores vel quæsitores vocantus. De causa ergo in psalterio scriptū est: *Exurge Dn. & iudica causam tuā.* Post eūcta, quæ dixit, nunc facit iudicis causam: vt eū efficaci* cōmoueret, cui negotij sui qualitas intimatur: Nūc ad ipsum Dn. verba cōuertit, expetēs, vt causam suā cōtra illos diiudicet, qui nō desinunt prauissimis murmurationib. intonare. Iudicat n. causam suā, dū errantes facit manifesta cognoscere. vt cōuersi prædicēt, ꝙ stultis cogitationib. abnuebant. De iudicio vero ita scriptū legitur: *Deus iudiciū t. ū regi da* Iudicium n. dictum est, quasi iuris diciū, i. e. quod in eo ius dicatur Et vt veracissime probaretur esse petitio, eadē iterū sequēti cōmate geminauit. Hoc est n. ꝙ dicit: *& iustit ā tuā filio regis:* quod superius ait *iudiciū tuum regi da:* ꝙ in scripturis diuinis ad exprimendā causam frequēter inuenis repetitū. Negotiū multa significat: modo actū rei alicuius, cui cōtrarium est ociū: modo actionē causæ, ꝙ est iurgiū litis: & dictū negociū, quasi ne ociū, i. e. sine ocio Negotiū aūt in causis, negociatio in cōmerciis dicitur vbi aliqd datur, vt maiora lucrentur. Iurgiū dictū, quasi iuris garriū, eo ꝙ hi, q causā dicūt iure disceptēt. Lis a cōtētione limitis prius nomē sumpsit, de quo Virgilius.

Psal. 73.

Psal. 71.

Ibid.

Limes erat positus litem vt discerneret agris.

Causa autē aut argumento, aut probatione constat. Argumentum nunquam testibus, nunq̄ tabulis dat probationē sed sola inuestigatione inuenit veritatē: vnde dictū est: Argumentum, argutum inuētum. Probatio aūt testib

& fide tabulatum constat. Negotium enim aliquod laudabile est, hoc est, quando in studiis spiritalibus laboratur: vt est illud in Euangelio:
Luc. 19. *Negociamini, donec veniam.* Hinc dicuntur negotiatores spiritales, qui bonas margaritas quærunt. Et econtrario aliud est negocium vituperabile, hoc est, quod in cupiditate mundana exercetur, de quo dicit Apostolus:
2.Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Similiter autem & causæ aliquando laudabiles sunt: aliquando vituperabiles. Tunc enim laudabiles sunt causæ, quando ad virtutes spectant: tunc autem vituperabiles, quando ad contentiones seculares pertinent. Dicit enim Psalmista:
Ps. 42. *Iudica me Deus, & discerne causam meã de gente non sancta.* Non enim petit peccata sua discuti, sed ab iniquorum consortio liberari. Esset enim periculosum dici *iudica me*, nisi addidisset. *& discerne causam meam*: id est, diuide permixtionem meam, quam in seculo isto sustineo, & aliquando segregatum me ab impiis in populi tui electione constitue. Addit, *de gente non sancta*: hoc est, de peruersis ac male viuentibus. Legimus & in alio propheta Dominus increpasse peccantes, ita dicens:
Esa. 58. *Ecce ad lites & contentiones vigilatis & percutis pugno impie*: quod quam sit vituperabile, manifestum est. In omni autem iudicio sex personæ quæruntur: iudex, accusator, reus, & tres testes. Iudex dictus, quasi ius dicens populo: siue quod iure disceptet. Iudex autem in scripturis sacris aliquando ipse Deus noster, qui omnia secundum æquitatem iudicat: vnde propheta ait:
Ps. 7. *Deus iudex iustus, fortis & longanimis.* Item homines iudices
Deute. 16. dicuntur. Vnde in lege scriptum est: *Iudices in portis tuis constitues, qui iudicent populum in æquitate.* Accusator, vocatur, quasi accausator, qui ad causam vocat eum, quem appellat. Accusator significat diabolum, de quo in Apocalypsi scriptum est:
Apoc. 12. *Lætamini cæli, & exultate omnes, qui habitatis in eis: quoniam proiectus est accusator fratrum nostrorum.* Reus à re, qua petitur, nuncupatur: quia quamuis sceleris conscius non sit, reus tamen dicitur, quandiu in iudicio pro re aliqua petitur. Reus enim in scripturis pro son
Exod. 21. te & peccatore ponitur: vnde est illud: *Qui hominem occiderit, reus est mortis.* Testes antiquitus superstites dicebantur: eo quod super statum causæ proferebantur: nunc, parte ablata nominis, testes vocati: testis autem consideratur conditione, natura & vita. Conditione, si liber, non seruus: nam sæpe seruus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Natura, si vir, non fœmina. nam *varium & mutabile semper fœmina.* Vita, si innocens & integer actu: nam si vita bona desuerit, fide carebit. Non enim potest iustitia cum scelerato habere societatem. Duo autem sunt genera testium, aut dicendo id, quod viderunt: aut proferendo id, quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt, cum aut falsa promunt, aut vera silentio obtegunt. Testes autem in scripturis sacris illi dicuntur, qui ea, quæ viderunt & audierunt, veraciter protulerunt. Vnde ipse Deus ad Apostolos suos ait:
Act. 1. *& eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.* Vnde & Petrus & Ioan. cum à Iudæis tenti fuissent & probibiti, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu vlli hominum: respondentes dixe-
Act. 4. runt ad eos: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deũ, iudicate. non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* Hinc & illi, qui in recta fide & in confessione nominis Christi vsque ad mortem perseuerunt, martyres, h.e. testes Christi nuncupantur: qui recte loquendo & bene operando in vita sua nec non & in morte testimonium fidele Domino præbuerũt. Vnde & Apostolus, sanctorum
Hebr. 11. virtutes numerando, ad extremum subiunxit, dicens: *Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt.* Et vt breuiter cuncta replicemus, Iudex Deus est, sicut supra ostendimus,
Psal. 7. vt in Psalterio: *Deus iudex iustus, fortis & patiens.* Iudices sunt
Matt. 19. Apostoli, vt in Euangelio: *Sed. bitis super sedes 12 iudicantes* *tribus Israel.* Testes sunt Apostoli vel ceteri fideles, vt
Act. 4. 5. in Apostolo: *Testimonium dicemus de Deo, quod suscitauit Iesum*
Apoc. 1. *Christum a mortuis.* Testes Christus, vt in Apocalypsi: *Iesus*
Esa 55. *Christus, qui est testis fidelis:* & in Esaia: *ecce testem populis dedi*
Ps 26. *eum.* Testes falsi sunt Iudæi siue hæretici, vt in Psalmo *quo-*
Deut. 19. *niam insurrexerint in me testes iniqui.* Et in Deuteronomio: *si steterit testis iniquus* [illegible] *ximum suum.* Iudicium est decretum boni aut mali, vi [illegible] *si vere vtique iustitiam loquimini, recte iudicate* [illegible] iudicium [illegible] honor in a [illegible] tate [illegible] vt in Euangelio [illegible] *Deus, & discerne causam meam.* Iudicium [illegible] sicut in Euangelio pro fidelibus Veritas loquitur [illegible] *dit in me, nõ iudicatur.* Et econtrario de reprobis [illegible] *credit, iam iudicatus est,* h.e. condemnatus. Iudicium [illegible] iusta reprehensione vel damnatione, vt in Euangelio: *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Et in Apostolo: [illegible] *qui non manducat, manducantem non iudicet.* Iudicium confessionis pœnitentis in eo enim, quod se accusat, & Dei iudicium laudat [illegible] iudicium est. De quo iudicio Dominus per Esaiam loquitur, dicens: *reduc me in memoriam, & iudicemur simul* & in [illegible] *& dignum dutu super huiusmodi aperire oculos tuos, & adducere cum secum in iudicium.* Et in Apostolo: *quod si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq. iudicaremur.* Iudicium, quorundam præsumptio & de propria se extollentium iustitia, quib. Dn.
Iere. per Ieremiam respondit dicens: *quid vultis mecum iudicio contendere? omnes me dereliquistis.* Inimicus diabolus iuxta allegoriam intelligitur: vt in Euangelio: *inimicus homo hoc fecit.* Inimici, Iudæi vel hæretici, vt in Michea: *inimici hominis, hoc est, Christi, domestici eius.* Aduersarius, sermo diuinus, eo quod contrarius cõtraria hominũ voluntati præcipiat, vt in Euangelio: *esto consentiens aduersario tuo cito, dum es cum illo in via.* Aduersarius diabolus, vt in Zacharia: *& satan stabat a dextris eius ita vt aduersaretur ei.* Crudelis diabolus, vt in Salomone: *ne des alienis*, h.e. dæmonibus, *honorem tuum & annos tuos crudeli.* Alieni, dæmones, Iudæi siue hæretici, vt in Psal. *quoniam alieni insurrexerunt aduersum me.* Extranei, dæmones, vt in Salomone: *ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.* Fur diabolus, vt in Osee: *& fur spolians, latrunculus foris.* Latrones dæmones, in Iob: *simul uenerunt latrones eius & fecerunt sibi viam per me.* Fures & latrones, hæretici siue Iudæorum doctores. In Euangelio: *omnes, quotquot venerunt fures sunt & latrones.* Fur, mors ex improuiso adueniens, vt in Euãgelio: *hoc autem, inquit, scitote, quia si sciret paterfamil. as qua hora fur veniret: vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam.* Fur dies iudicij in Apostolo: *dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.*

CAPIT. XVI.

De spectaculis.

Spectacula (vt opinor) generaliter nominantur voluptates, quæ non per semetipsas inquinant: sed per ea, quæ illic geruntur. Dicta autem spectacula eo, quod hominibus publica ibi præbeatur inspectio. Hæc & ludicra nuncupata, quod in ludis gerantur aut in scenis. De spectaculo autem in Apostolo ita legimus: *spectaculũ facti sumus huic mundo, & angelis & hominibus.* Quia erunt spectaculum Enoch, & Helias vsq; adeo, vt corpora eorum in platea proiiciantur in conspectu totius populi infidelis [1.Cor. 4.] ita & apostoli spectaculum facti sunt: quia publice irridebantur positi ad iniuriam & mortem, quam passi [illegible]. Mundum autem angelos & homines dicit: quia & angeli mali sunt, dicente Dauid in Psal. 74. *vexabant illos per angelos malos.* Et homines mali atq; increduli his apostolorum iniuriæ oblectamenta sunt: mundus autem idcirco infidelitas dicitur, quia visibilia sequitur.

CAPIT. XVII.

De ludo gymnico.

Gymnicus ludus est velocitatis ac virium gloria. Cuius locus gymnasium dicitur, vbi exercetur athletæ, & cursorum velocitas cõprobatur. Hic accidit, vt omnium prope artium exercitia gymnasia dicantur. Ante enim in ludis certantes cincti erant, ne nudarentur: post relaxato cingulo repente prostratus & exanimatus est [illegible] curior: quare ex consilij decreto archon Ypomenes, vt nudi deinceps exercitarentur, permisit. Exinde gymnasium dictum, quod iuuenes nudi exercentur in campo, vbi sola [illegible] verecundia [illegible] periuntur.

Capit. XVIII.

De generibus gymnicorum.

GEnera gymnicorum quinque sunt: id est, saltus, cursus, iactus, virtus, atque luctatio: vnde ferunt, quendam regem tot filios adolescentes habentem totidem generibus de regno successisse contendere.

Capit. XIX.

De saltu.

SAltus dictus, quasi exilire in altum: est enim altius exilire vel longius. Saltus enim mystice profectum virtutum significat: vt est illud in Esaia: *tunc saliet claudus, sicut ceruus.* Esa. 35. Saltare totis viribus in Domino gaudere. sicut in libro Regum de Dauid dicitur: *& saltauit coram arca Domini totis viribus.* 2. Reg. 6. & in aliam partem in Euangelio: *cantauimus vobis tibiis, & non saltastis.* Luc. 7.

Capit. XX.

De cursu.

CVrsus à velocitate crurum vocatur: est enim cursus celeritas pedum. Mystice autem cursus ad transitum præsentis vitæ pertinet, vel certaminis agonem, quo milites Christi in hoc mundo laborant: vnde dicit Apostolus: *Nescitis, quod hij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Vos quidem sic currite, vt comprehendatis*, hoc est, vt palmam victoriæ & plenam mercedem laboris vestri accipiatis. 1. Cor. 9.

Capit. XXI.

De iactu.

IActus dictus à iaciendo: vnde & piscatorum rete iaculum dicitur. Huic arti vsus est acceptos lapides procul ferire, hastas pondere librato iacere, sagittas arcu emittere.

Capit. XXII.

De virtute.

VIrtus est immensitas virium, in labore & pondere corporis. Virtus pertinet ad exercitium spiritale, vt virtutibus vincamus, vicia superemus.

Capit. XXIII.

De luctatione.

LVctatio à laterum complexu vocata, quibus cominus certantes innituntur: qui græca appellatione athletæ vocantur. Nam & luctatio nostra spiritalis est, non carnalis: quia, teste Apostolo, non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Eph. 6.

Capit. XXIV.

De palestra.

LOcus autem luctationis palestra dicitur. Palestram autem vel apo tu palesi, id est, a luctatione vel apo tu palin, id est, a motu ruinæ fortis nominatam dicunt: scilicet quod in luctando cum medios arripiunt fere, quatiunt, idque apud græcos palin vocatur.

Capit. XXV.

De agone.

QVæ latini certamina, græci agonas vocant, quæ celebrantur: siquidem omnem cœtum atque conuentum agona dici. Alij, quod in circulis & quasi agonis, id est, sine angulosis locis ederentur, nuncupatos agones putant.

Capit. XXVI.

De generibus agonum.

AGonum genera sunt hæc: immensitas virium, cursus celeritas, sagittandi peritia, standi patientia, ad citharam quoque tibiis incitandi gestus, de moribus quoque, de forma, de cantandi modulatione, terrestris quoque belli, & naualis prælij, perpetiendorumque suppliciorum certamina. De agone autem mundano Apostolus sumpsit exemplum ad agonem spiritalem, dicens: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam, &c.* 1. Cor. 9. A quibus omnibus, dicimus, inquiramus, vt possit nobis spiritalis agonis in huiusmodi comparatione carnalis acquiri. Illi etenim, qui in hoc agone visibili student legitime decertare, vt nulli omnino vitiis cedant, quas desiderij libido suggesserit, non habent facultatem: sed illis tantummodo, quas eorundem certaminum statuit disciplina. Et non solum interdictis escis & ebrietate, omnique crapula eos necesse est abstinere: verum etiam cuncta inertia & ocio atque desidia, vt quotidianis exercitiis, iugique meditatione virtus eorum possit accrescere: & ita omni sollicitudine ac tristitia, negotiisque secularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiuntur alieni: vt præter exercitium disciplinæ nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitus implicentur: ab eo tantum, qui certamini præsidet, sperantes quotidiani victus substantiam, & coronæ gloriam, condignaq; præmia victoriæ laude conquirere. Itaq; si agonis mundialis intelligimus disciplinam, cuius exemplo beatus Apostolus nos voluit erudire, docens, quanta custodia quid nos conueniat facere: qua puritate oporteat custodire nostri corporis atque animæ castitatem, quos necesse est quotidie sacrosanctis agni carnibus vesci. Quod enim illi in corporis puritate cupiunt assequi, nos debemus etiam in cordis conscientia possidere. In qua Dominus arbiter atque * agonthea residens, pugnam cursus atq; certaminis nostri iugiter exspectat: vt ea, quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem concalescere in cauta cogitatione patiamur: & in quibus humana cogitatione confundimur, ne occulta quidem concupiscentia polluamur. Quæ licet possit hominum præterire notitiam sanctorum tamen angelorum, ipsiusq; omnipotentis Dei scientiam nulla subterfugiunt secreta, nec latere poterunt. Et in hoc multum dispar donum est. ac per hoc diligentiores nos esse debere, quibus non terrenis & marcescentibus floribus, sed æternis conserta gemmis, in modum regalis diadematis, spiritalis corona seruatur.

* agonotheta.

Capit. XXVII.

De ludis circensibus.

LVdi circenses sacrorum causa ac deorum gentilium celebrationibus instituti sunt: vnde & qui eos exspectant, dæmonum cultibus inseruire videntur.

Capit. XXVIII.

De circis.

IN circo, vnde emittuntur equi, carceres dixerunt ab eare, qua & ille carcer, qui est in ciuitate: quod sicut ibi homines damnati atq; inclusi, ita hic equi coercentur, ne exeant, antequam signum emittant. Carcer autem spiritaliter pœnam significat præsentem vel futuram: vt est illud Psalmistæ: *Educ*, inquit, *de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Psal. 141. Hic carcerem duplici modo maiores intelligere voluerunt: aut seculi istius pœnales angustias, quas patimur in isto corpore constituti: aut magis custodias inferni, quas euadere non licet lege humanitatis infirmæ. Carcer enim dictus est, quasi arcer eo quod à se arceat exire conclusos. Sed cur se de isto carcere liberare desideraret, causa subsequitur: *Ad confitendum nomini tuo.* Tunc enim à cunctis fidelibus Patri confessio laudis exhibetur, quando eum resurrectionis miraculo de inferni carcere constat eductum.

Capit. XXIX.

De aurigis.

ARs circi, auriga & currus, equites siue pedites. Auriga proprie dictus, quod currum agat & regat, siue quod feriat iunctos equos. Nam auriga ferit, vt latus haurit apertum. Ipse est & agitator, id est, verberator ab agendo dictus.

Capit. XXX.

De curru.

CVrrus autem à currendo dictus, vel quia rotas habere videtur. vnde & currum, quasi currum. Currus sub allegoria duplici modo intelligitur. Aut enim angelicus exercitus in eo exprimitur: vnde legitur in libro Regum

4.Reg.2. Helias igneo curru raptus in cœlum: per angelos quippe illa facta, & ostensa sunt adiumenta: quia nec ad cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat: aut sanctorum omnium societas: vnde est illud Psalmistæ. *Currus Dei decem milium multiplex, milia lætantium: Dominus in illis.* Sanctorum ergo vnanimitas currus est Domini, quem ille, velut auriga, insidet, & ad voluntatis suæ ministerium salutari lege moderatur: sed vt istum currum ostenderet non equis deditum sed humanis cogitationibus attributum: ait: *Decem milium multiplex*: quod bene ad innumeros populos, non ad equos noscitur pertinere. subiunxit: *Milia lætantium*: quod vtiq; de fidelibus debet intelligi. Et vt ostenderetur lætitiæ plenitudo, ait: *Dominus in illis*: qui magnæ exultationis est cumulus, & bonorum omnium dulcedo mirabilis. Nam aliquando currus societas impiorum, vinculo peccatorum alligata, intelligitur. Vnde in Exodo scri-

Psal.67.

Exod.15. ptum est: *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.*

Capit. XXXI.

De equis, quibus curritur.

QVadrigæ, & bigæ, & trigæ, & seiugæ a numero equorum & iugo dicti. ex quibus quadrigas soli, bigas lunæ, trigas inferis, seiugas Ioui, desultores lucifero & hespero sacrauerunt. Quadrigam ideo soli iungunt, quia per quatuor tempora annus vertitur: vere, æstate, autumno & hieme. Bigas lunæ quoniam gemino cursu cum sole contendit, siue quia die & nocte videtur: iungunt enim vnum equum nigrum, alterum candidum. Trigas diis inferis, quia hij per tres ætates homines ad se rapiunt, id est, per infantiam, iuuentutem, atq; senectam. Seiugum maximus cursus currui Iouis: propter quod maximum deorum suorum eum esse credunt. Quadrigæ autem in scripturis sacris aut quatuor Euangelistæ siue Euangelia intelliguntur, vel quatuor virtutes principales, hoc est, prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia. In quibus omnium virtutum summa consistit: quæ etiam hominem ad celsitudinem perfectionis prouehunt & ad cœleste regnum perducunt. In his autem duo testamenta intelliguntur, aut duo populi fidelium, ex Iudæis videlicet & gentibus, quos auriga cœlestis secundum voluntatem suam ducit: vnde & Psalmista ait: *Deduc me Do-*

Psal. 85. *mine in via tua, & ambulabo in veritate tua.*

Capit. XXXII.

De septem spaciis.

SEptem spacia quadrigæ currunt referētes hoc ad cursum septem stellarum, quibus mundum regi dicunt: siue ad cursum septem dierum præsentium, quibus peractis vitæ terminus consummatur, quorum finis est erinis, id est, iudicium.

Capit. XXXIII.

De equitibus.

POrro equites singulares ideo currere dicuntur: quia singulariter vnusquisq; cursum vitæ huius peragit atque transit: alius alio tempore sequens alium, per vnam tamen viam mortalitatis vsque ad propriam metam mortis.

Capit XXXIV.

De peditibus.

PEdites aūt sunt propterea pede currere: quia pedibus [illegible] mortalitatem. Ob hoc a superiori parte currunt [illegible] inferiorem, i.e ab Oriente vsq; ad Occidentem: quia mortales [illegible] & occidunt. Nudi currunt quia & homini in seculo nullæ reliquiæ sunt. Recto spacio currunt: quia inter vitam & mortem nihil distat. Sed hęc [illegible] propterea fingunt, vt [illegible] suas & sacrilegia excusare conentur. Equites autem [illegible] Prædicatores qui [illegible] certaminis [illegible] vnde & [illegible] propheta [illegible] dicit: *Ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ sanitas*, id est, apostolos in cursu [illegible] per illuminationem [illegible] per [illegible] ut eam incedant, perque orbem [illegible] ferentes perpetuæ salutis mundo vitam prædicent. De peditibus autem item scriptura dicit. *Pedes autem sanctorum suorum seruabit: & impij in tenebris conticescent.* Pedes [illegible] sanctorum suorum Dn. seruabit, hoc est, electorum suorum opera in viam iustitiæ diriget: & impij in tenebris conticescent, *quia mittentur in tenebras exteriores: vbi erit fletus & stridor dentium*. vbi concrescent, id est, ab arrogantia superbiæ suæ cessabunt.

Capit. XXXV.

De coloribus equorum.

CIrca causas quoq; elementorum iidem gentiles etiam colores equorum iunxerunt. Roseos enim soli, id est, igni, albos aeri, prasinos terræ, venetos mari assimulantes. Item roseos æstati currere voluerunt, quod igneí coloris sint, & cuncta tunc flauescant. Albos hiemi, quod sit glacialis, & frigoribus vniuersa canescant. Vernum prasinos viridi colori quod tunc pampinus densantur. Venetos siue ruffos autumno currere, quos & Marti sacrauerunt, a quo Romani exoriuntur: inde & vexilla Romanorū cocco decorantur, eo quod mars sanguine gaudet. Sed hæc vana sunt fidei Christianæ contraria: vnde animaduertere debes Christiane, quod circum numina immunda possideant. Quapropter alienus erit tibi locus, quem plurimi satanę spiritus occupauerunt: totum enim illum diaboolus & angeli eius repleuerunt. Attamen in Apocalypsi legimus, quod apparuerit Ioan. equus albus, rufus, niger, & pallidus: quorum diuersitas spiritalem quærit intelligentiam. Vnde equus albus significat Ecclesiam super niuem gratia dealbatam *super quem sedebat ille, qui habebat arcum, cui & data est corona: & exiuit vincens, vt vinceret*, quod Dn. supra Ecclesiam sedens spiritalis doctrinæ contra impios arma ferens victoriam suis percipit. Equus autem rufus, super quem sedebat ille, qui sumpserat pacem de terra, significat populum sinistrum, ex sessore suo diabolo sanguinolentum, cui semper discordia placet. Equus vero niger, super quem sedebat, qui staterem habebat in manu sua, falsorum caterua est fratrum: hij staterem rectæ professionis habent: & socios lædunt per opera tenebrarum. Nam equus pallidus, in quo sedebat ille, cui nomen erat mors, & quem infernus sequebatur, hæretici sunt: qui * se catholicos fallunt morte [illegible] * si digni, perditorum post se rapiunt exercitum. Diabolus enim & ministri eius metonymicôs mors & infern⁹ dicti sunt: eo quod multis causa mortis & infernorum sunt.

1.Reg.2.

Matth.8.

Apoc.6.

Capit. XXXVI.

De theatro.

THeatrum est, quo scena includitur, semicirculi figuram habens, in quo stantes omnes inspiciunt. Cuius forma primum rotūda erat sicut amphitheatrum, postea ex medio amphitheatro theatrum factum. Theatrum autem ab spectaculo nominatum apo to theoro, quod in eo populus stans super atq; exspectans ludos contemplaretur. Idem vero theatrum, idem & prostibulum eo, quod post ludos exactos meretrices prosternerentur. Idem & lupanar vocatum ab eisdem meretricibus, quæ propter vulgati corporis leuitatem lupæ nuncupantur. Nam lupæ meretrices sunt a rapacitate vocatæ eo, quod ad se rapiant miseros, & apprehendant. Lupanaria enim a paganis constituta sunt, vt pudor mulierum infelicium [illegible] publicaretur, & ludibrio haberentur [illegible] quam qui paterentur. Mystice autem [illegible] rem mundum significare [illegible] huius seculi sequuntur [illegible] habent [illegible] rum pœnas spectando lætentur. Vnde Apostolus [illegible]

1.Cor.4 *Spectaculum sumus facti in hoc mundo angelis & [illegible] propter Deum.*

Capit. XXXVII.
De ferali certamine.

FErarum pugna erat, emissas bestias iuuenes excipere: aduersus eas vltroneo funere certare, non crimine, sed furore.

Capit. XXXVIII.
De horum execratione ludorum.

HÆc quippe spectacula crudelitatis, & inspectio vanitatum, non solum hominum vitiis, sed & dæmonum iussis instituta sunt. Proinde nihil esse debet Christiano cum circensi insania, cum impudicitia theatri, cum amphitheatri crudelitate, cum atrocitate arenæ cum luxuria ludi. Deum enim negat, qui talia præsumit, fidei Christianæ præuaricator effectus: qui id denuo appetit, quod in lauacro iam pridem renunciauit, id est, diabolo cum pompis & operibus eius.

Capit. XXXIX.
De nautibus.

ARtium quarundam vocabula, quibus aliquid fabricatur huiuscemodi, deinceps ex parte notanda decerno. Artifex generale nomen: vocatus, quod artem faciat: sicut aurifex, qui aurum. Faxo enim pro faciā antiqui dicebant. Nauclerus Dominus nauis est appellatus: ita quod nauis in sorte eius sit. Cleros enim græce sors dicitur. Ceteri autem in naui in gubernatione eius sunt. Gubernio, qui & gubernator, quasi cohibernator, quod cohibeat prudentia sua hibernia. id est, tempestates maris. Nauta a naue dictus per deriuationem: nauita autem pro nauta poetice dicitur: sicut Mauors pro Mars: nam rectum est nauta. Remex vocatur, quod remum gerit: sic autem remex, quomodo tuber, dicitur nominatiuo casu. Epibata græco nomine appellatur, qui latine dicitur superueniens: hic nihil habet negotij, sed naulo dato in alias terras transire disponit. Nauim quidam perhibent dictam eo, quod gnauum rectorem quærat, id est, peritum, sapientem, strenuum, qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula & casus: vnde & illud Salomonis: *Intellegens gubernacula possidebit*. Nauis enim mysti-
Prou. 1. Matt. 14. ce aut Ecclesiam significat, vt est illud in Euangelio: *Na-
Psal. 103. uis autem iactabatur in mediis fluctibus*. Et in Psalmo: *Hoc mare magnum & spaciosum*, &c. vsque: *illic naues pertransibunt*. In nauibus autem merito significantur Ecclesiæ, quæ periculosos fluctus mundi per lignum gloriosæ crucis euadunt, portantes populos, qui signo fidei crediderunt. In his nauibus habitat Christus: qui si à credentibus excita-
Psal. 47. tur, dicit immanissimæ tempestati, vt quiescat: & quiescit. Item alibi idem propheta ait: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*: quia per Spiritus sancti gratiam philosophorum dogma, qui in mare istius seculi disputando transfretant, per prædicatores euacuatum est. Dominus ergo nauis ecclesiæ, ipse Saluator est, qui & gubernator: quia per Spiritum suum ipse eam regit atq; gubernat, do-
Esa. 23. nec eam ad portum salutis æternæ perducet. Item in aliam partem nauis accipitur, vt in Esaia: *Vlulate naues maris*: quo nomine designantur philosophi, vel hæretici manibus quæstionibus oberrantes. Rates, primum & antiquissimum nauigij genus, trudibus, tignis, asseribusque consertum: ad cuius similitudinem fabricatæ naues, ratariæ dictæ. Nunc iam rates abusiue naues: nam propriæ rates sunt connexæ inuicem trabes. Trieris nauis ma-
Esa. 33. gna, quam græce dirconem vocant, de qua in Esaia: *Non transibit per eam trieris magna*. Liburneæ dictæ à libiis: naues enim sunt negotiatorum, de qualibus Horatius.

Ibis liburnis inter alta nauium.

Rostratæ naues vocatæ ab eo, quod in fronte rostra ærea habeant propter scopulos, ne feriantur & collidantur. Longæ naues sunt, quas dromones vocamus: dictæ eo, quod longiores sint ceteris: cuius contrarius musculus, curtum nauigium. Dromo autem à decurrendo dictus: cursum enim græce dromon vocant. Classis dicta est græco vocabulo apo ton calon, id est, lignis vnde & calones nauiculæ, quæ ligna militibus portant. Barca est, quæ cuncta nauis commercia ad litus portat: hanc nauis in pelago propter nimias vndas suo suscipit gremio: vbi autem appropinquauerit portum, reddet vicem barcanaui, quam accipit in pelago. Paro nauigium piratarū aptum, & ex his ita vocatum. Myoparo quasi minimus paro: est enim scafa ex vimine facta, quæ contecta crudo corio genus nauigij præbet: qualibus vtuntur germanorum piratæ in oceani litoribus vel paludibus ob agilitatem. de qualibus historia: *gens*, inquit, *Saxonum ... ro ... non ... ribus nituntur*, fugæ potius, quam bello parati. Celones, quos græci celectas vocant, i. e. veloces biremes vel triremes, agiles, & ad ministerium classis aptæ. En ... *labitur vncta carina per æquora alta celo ...*. Lembus nauicula breuis, quæ alia appellatione dicitur & cumba & caupolus, sicut & lintris, i. e. carabus, quem in Pado paludibusque vtuntur. Carabus est parua scafa ex vimine facta, quæ cōtecta crudo corio genus nauigij præbet. Varia enim nauium genera diuersa conuenientia possunt exprimere bonorum & malorum. In quibus boni bona, mali autem mala machinantur. Similiter & instrumenta nauium varia diuersas artes significant, in quibus boni prodesse student: mali autem nocere.

Capit. XL.
De partibus nauium, & armamentis.

PVppis posterior pars nauis est, quasi post: prora autem anterior, quasi priora. Cumba locus vnus nauis, quod aquis incumbat. Carina à currendo dicta, quasi currina. Fori nauium, latera concaua à ferendo onere dicta, siue tabulata nauium, quæ sternuntur: dicta ab eo, quod incessus ferunt vel foris emineant. Transtra sunt tabulæ, vbi sedent remiges, quod in transuerso sint ducta, quæ Virgilius iuga appellat. Remi a remouendis & decutiendis fluctib. sicut tonsores à tondēdis & decutiendis capillis. Palmula est extrema latitudo remi, palma dicta, qua mare impellitur. Antemnæ aūt dictæ, quod ante amnem sint positæ: præterfluit enim eas amnis. Cornua, extremæ partes antemnarum sunt dictæ per tropum. Malus est arbor nauis, qua vela sustinentur. Malus autem dictus, quia habet instar mali in summitate: vel quia quasi quibusdam malleolis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela facilius eleuantur. Clauus est, quo regitur gubernaculum de quo Ennius.

Vt clauum rectum teneam, nauemq; gubernem.

Porticulus malleus in manu portatur, quo modus signumq; datur remigantibus, de quo Plautus: *Ad loquendum atq; tacendum tute habes porticulum*. Tonsilla, vncinus ferreus vel ligneus, ad quem in littore defixum funes nauium illigantur, de quo Ennius:

Tonsillas capiunt, configunt litus ad vncas.

Anchora dens ferreus ex græca etymologia nomen ducit: quod, quasi hominis manus, comprehendat vel scopulos vel harenas: nam manus græce chir dicitur: apud Hebræos autem aspirationem non habet: nam ancira dicitur. Vnde apud maiores sine aspiratione proferebatur. Significat autem anchora in tentationem sanam, & affectum animi bonum, quo homo tendit ad Deum & ad vitam æternam. Vnde Apostolus hortatur nos dicens: *Fortissimum sol. tium habeamus, qui confugimus ad tenendam* Heb. 6.
propositam spem. quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor introiuit pro nobis Iesus, & cetera.

Capit. XLI.
De velis.

VEla græci armena dicunt proinde, quod aere moueantur. Apud latinos autem vela à volatu dicta. Vnde est illud: *Velorum pandimus alas*. Vela ergo nauium typice exprimere possunt voluntates hominum, quæ vento, hoc est, spiritali impulsu ad cursum vitæ bonæ, siue malæ ad interitum impelluntur. Spiritus enim Dei bonus deducit in viam rectam: & nequam spiritus in viam prauam.

Capit. XLII.

De funibus.

Funes dicti, quod antea in usum luminis fuerunt circundati cera: unde & funalia. Retes sunt, siue quod rates contineant, seu quod his retes tendantur. Rudentes sunt funes nauium ex nimio stridore ita dicti. Funes vero siue rudentes retinacula exprimere possunt voluptatum, quæ & animas hominum, ne in præcipitium ruant, retinent. Funis, fides Trinitatis, vt in Salomon. *Funis triplex difficile rumpitur.* Funes populi fideles in Trinitatis fide contexti, vt in Psalmo: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Funes prolongatio peccatorum, vt in Esaia. *Væ, qui trahitis iniquitatis in funiculis vanitatis.*

Eccl. 4. Psal. 15. Isai. 5.

Capit. XLIII.

De retibus.

Retes vocatæ siue à retinendis piscibus, siue à restibus, quibus tenduntur. Minus autem rete simplagium dicitur a plagis. nam proprie plagas dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam & summam partem. Funda genus est piscatoriæ retis, dicta ab eo, quod in fundum mittatur: idem etiam a iactando iaculum dicitur. Plautus: *Prob. quide antea iaculator eras.* Tragum genus retis ab eo, quod trahitur, nuncupatum, id est & verriculum: verrere enim trahere est. Retia siue sagenæ prædicationem mystice designant Euangelij. Vnde & Apostoli, typici piscatores, à Domino mittuntur in mare illius seculi, vt dogmatibus suis eruant homines ab erroribus mundanis, & perducant ad rectam fidem Dei. De sagena vero ita in Euangelio legitur: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Sub hac ergo parabola sancta Ecclesia sagenæ comparatur: quia & piscatoribus est commissa, & per eam ad æternum regnum à præsentis sæculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profunda mergatur: quæ ex omni genere piscium congregat: quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & seruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat. Vnde per Psalmistam de eo dicitur: *Ad te omnis caro veniet.* Quæ sagena scilicet tunc vniuersaliter repletur, cum in fine suo humani generis summa concluditur, quam educunt & secus litus sedent: quia sicut mare seculum, ita seculi finem significat litus maris, in quo scilicet fine boni pisces in vasis eliguntur, mali proiiciuntur foras: quia & electus quisque in tabernacula æterna recipitur; & æterni luce regni perdita, ad exteriores tenebras reprobi pertrahuntur. Nam retia aliquando deceptionem diaboli designant, vt in Psalmo: *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Conopeum rete, quo culices excluduntur in modum tentorij quo magis Alexandrini vtuntur quia ibi ex Nilo culices copiosi nascuntur: vnde & conopeum dicitur: nam Canopeus Ægyptius est. Legitur quoq; in libro Iudith de Holoferne, quod habuerit conopeum & vsus esset illo. Columna quæ erat ad caput lectuli Holofernis, significat duritiam praui cordis. quæ errorem genuit malefidæ securitatis: gladius, qui in ea ligatus pendebat, malitia est iniquæ intentionis. Coma capitis elatio superbæ mentis: ceruix vero contumacia iniquæ actionis: & conopeum, hoc est, rete muscarum insidias significat dolosæ cogitationis. Commendat ergo Iudith nostri puellæ suæ ostiorum custodiam: quia sancta Ecclesia vnicuique fidelium Catholicæ fidei præcipit habere obseruantiam. Orat ipsa cum lacrimis: quia supernum auxilium poscit intima deuotione cordis. Accedit ad columnam, & exsoluit pugionem, per quem hostis nequissimi amputet caput: cum denudata malitia duri cordis abscidit ab hoste occasionem proternæ temptationis. Aufert & conopeum quia fraudes eius deteg[it], quibus simplices & incautos implicare contend[it]; si q; truncum hostis corpus euoluit, cum ipsum inimicum ex omni parte infirmum & debilem esse ostendit: vt eo facilius bellatores Christi

Matth. 13. Psal. 64. Psal. 140. Iud. 10.

confidant hostem nequissimum se vincere posse, [quem] eum pleniter educunt fragilem & superabilem fore.

Capit. XLIV.

De fabrorum fornace.

Faber à faciendo ferro impositum nomen habet: hinc diriuatum est nomen ad alias artium materias [fabros] vel fabricas dicere: sed cum adiectione, vt faber lignarius, & reliqua, propter operis sc firmitatem: in fabrorum autem fornace gentiles Vulcanum auctorem dicunt, figuraliter per Vulcanum ignem significantes, sine quo nullum metalli genus fundi extendiq; potest. Nihil est enim pene quod igne non efficiatur. Alibi enim vitrum, alibi argentum, alibi plumbum, alibi minium, alibi pigmenta, alibi medicamina efficit. Igne lapides in æs resoluuntur, Igne ferrum gignitur ac domatur. Igne auium perficitur, Igne cremato lapide cementa, & parietes ligantur. Lapides nigros ignis coquêdo candificat: ligna candida vrendo obfuscat. Carbones ex pruna fulgida nigros facit, de lignis duris fragiles, de putribilibus impurtribiles reddit, stricta soluit, soluta restringit, dura mollit, mollia dura reddit, habet & medicaminis vsum. Nam sæpe tum prodest, pestilentiæ quoque, quæ obscuratione solis continetur, auxiliari certum est. In opere quoq; aliud gignit primis ignibus, aliud secundis aliud tertiis. Habet quoq; & aliam in se diuersitatem ignis: nam alius est, qui vsui humano: alius, qui in iudicio apparet diuino: siue qui de cœlo fulmen astringit. siue qui de terra per vertices montium eructuat. Ignis autê dictus, quod nihil gigni potest ex eo est enim inuiolabile elementum, * assumens cuncta, quæ rapit. De ignis autem mystica significatione iam superius dictum est, vbi de quatuor elemêtis disputatum est. Si autem quis hæc, quæ hic scripta sunt, illis comparare voluerit, per efficientias earum forsitan adhuc plura mysteria inde poterit explanare. Faber vero Deus intelligitur, pro eo, quod omnem fabricam cœli & terræ operatus sit, vt in Euangelio: *Nonne hic est fabri filius?* Fabri, sancti prædicatores, sicut Regum liber dicit: *Porro faber ferrarius non inueniebatur in Israel.* Fabri regna gentium a quatuor mundi partibus populum Israel, vel ceteros humiles seruitutis pondere deprimentes, vt in Zacharia: *Ostendit quatuor fabri.* Fabrica duabus rebus constat, ventis & flamma. Flamma vero proprie fornacis est dicta, quod flatu follium excitetur. Fornax vero ab igne vocara: fos enim ignis est. Caminus, fornax, græcum est diriuatum a [ka]mo: fornax enim siue caminus aut tribulationem [huius] præsentis temporis typice exprimere potest: vt est id testimonium propheticum: *liberauit vos Dominus de fornace ferrea*, hoc est, Ægypto, vbi populus Dei grandi tribulatione vexabatur: aut gehennæ tormentum significat vt est illud in Euangelio: *mittite eos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium.*

* *al. [...]*

Marc. [6]. 1. Reg. 13. Zach. 1. Ier. 11. Math. 13.

Incus est, in qo ferrum tunditur, à cædendo dictus; eo quod illic aliquid cudamus, id est, feriêdo producamus. Cudere enim cædere & ferire est. Veteres autem non incudem vocabant sed intudem eo quod in ea metallum tundatur, hoc est, tendatur. Vnde & tudis malleus, a tundendo, id est, tendendo dictus. De incude autem ita in libro Iob scriptum est, cum de leuiathan narratur: *Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Incudem quippe malleator solis aptam percussionibus figit. Ad hoc namq; incus statuitur, vt crebris ictibus feriatur. Leuiathan ergo, vt malleatoris incus, stringetur: quia inferni vinculis coartabitur, vt æterni supplicij continua percussione tundatur. Qui modo quoq; per [...] iusti quique illo in insidiis vigilante, sed doloribus [...] scente, saliantur. In incude autem alia vasa fo[rmantur ...] ipse vero tot percussionibus in vas aliud non [mutatur]. Recte ergo leuiathan iste incudi com[paratur ...] nos, illo persequente componimur, ipse [autem se]mper percutitur, & in vas vtile nunquam mutatur.

Iob. 41.

Malleus vocatur, quia, dum quid calidum molle est, cædet & producet: in scriptura enim sacra malleus [...] aliquando diabolus designatur, per quem [...] de-

linquentium culpæ feriuntur: aliquando vero percussio cælestis accipitur. quia valde leuiter supernos ictus sentiunt, vt a prauis operibus coerceantur: vel iusta ira reprobos percutit, vt iam supplicia æterna præueniens, quid etiam in posterum mereantur, ostendit. Nam quia appellatione mallei antiquus hostis exprimitur, Propheta testatur, cum super eum vim extremi iudicij contem-
Ier. 50. platur, dicens: *Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ?* Ac si diceret, eum, per quem vascula sua Dominus in ministerij vsu formanda percutit, quis perpendat, quo turbine, veniente extremo iudicio, in æterna damnatione confringat. Rursum per malleum percussio cælestis exprimitur: quod Salomone templum ædifi-
3. Reg. 6. cante signatur cum dicitur: *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est. malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Quid enim domus illa, nisi sanctam Ecclesiam, quam in cælestibus Dominus inhabitat, figurabat, ad cuius ædificationem electorum animæ, quasi quidam expoliti lapides, deferuntur: qui cum ædificantur in cælis, nullus illic iam disciplinæ malleus resonat: quia dolati atque perfecti illuc lapides ducimur, vt locis iuxta meritum congruis disponamur. Item mallei sunt comminationes di-
Ier. 23. uinæ aduersus peccatores, vt in Hieremia: *Nonne verba mea sunt sicut ignis, & sicut malleus conterens petras.* Item mal-
Prou. 19. lei, flagella peccatorum, sicut Salomon dicit: *mallei stultorum corpora percutientes.*

Forcipes quasi ferricipes eo, quod ferrum candens capiant teneantque: siue quod ab his aliquid forunum capimus & tenemus: quasi foruicapes: nam forunum est calidum. Vnde & formosos dicimus, quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat. De forcipe ita in Esaia
Esa 6. legitur: *Et volauit ad me vnus de seraphin, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari.* Vnde in forcipe, quia calculus comprehenditur, duo testamenta designantur: quæ inter se Spiritus sancti vnione sociantur: & verbum Dei ad purgandum labia prophetæ per angelica ministeria affert, vt populo digne possit nunciare voluntatem Dei. Lima dicta eo, quod lene faciat: nam limum lene est, in quo boni doctoris exprimi potest officium: qui mentes hominum iocundis sermonibus lenificat, & placidum facit ad audiendum verbum Dei, & ad perficiendum bonis operibus voluntatem ipsius.

FINIS LIBRI XX.

INCIPIT LIBER VICESIMVS PRIMVS.

INDEX CAPITVM LIBRI VICESIMI PRIMI.

CAPITVLVM PRIMVM.

De fabricis parietum.

IN fabricis parietum atq; tectorum græci inuentorem Dædalum asserunt. Iste enim primus didicisse fabricam à Minerua dicitur. Fabros autem siue artifices græci tectarios vocant, id est, instructores. Architecti autem cementarij sunt, qui disponunt in fundamentis: vnde & Apostolus de semetipso, *quasi sapiens,* inquit, *architectus fundamentum posui.* Machiones dicti à machinis, in 1. Cor. 3.
quibus insistunt propter altitudinem parietum.

CAPVT II.

De dispositione.

ÆDificiorum partes sunt tres: dispositio, constructio, venustas. Dispositio est areæ vel soli & fundamentorum discretio.

CAPVT III.

De constructione.

COnstructio est laterum & altitudinis ædificatio. Constructio autem vel instructio vocata eo, quod instringat & cohærere faciat, vt lapides, lutum & lignum inuicem sibi. Nam intinctio ferri in aqua instructura est. Nisi enim candens tingatur, stringi & cohærere non potest ferrum. Item cōstructio à multitudine lapidum & lignorum dicta, vnde & strues. Aliud est enim ædificatio, aliud instauratio. Nā ædificatio noua constructio est. Instauratio vero, quæ reparatur ad instar prioris. Nam *instar* veteres pro similitudine ponebant. Inde & instaurare dicebant. Cōstat a. constructio fundamento, lapidibus, calce, harena & lignis. Fundamentum dictum, quod fundus sit ædificij. Idem & cæmentum à cædendo dictum, quod cęso lapide surgat. De mystica autem significatione fundamenti iam superius dictum est. Lapides ergo diuersi generis in structuris apti sunt, quorum significatio (vt supra iam dictum est) & in bonam & in contrariam partem ponitur: quia dicuntur lapides viui, hoc est, sancti, qui ad cælestem constructionem habiles sunt. & lapides insensati & duri, qui ferramentis spiritualibus nullo modo cæduntur, quia nulla nunquam conuersionis pœnitentia molliuntur: nec calcis, hoc est, charitatis glutino adinuicem copulari consentiunt. Arena autem, quæ per se infirma est, & fluida atq; instabilis manet, quando cū calcis adiunctione commiscetur, firmitatem percipit & ad ædificationē vtilis habetur. Sic & peccatorum sterilitas, quæ per se vtilis non est, tamen per conuersionem ad sanctorum societatem pertingit, stabilitatem bonorum operum percipit, & per dilectionis mandatum ad instructionem sanctæ Ecclesiæ pertinebit.

Fictilium operum ad parietes & fundamenta coctis laterculis, ad tecta imbriculis tegulisq; aptantur. Tegulæ vocatæ, quod tegant ædes: & imbrices, quod accipiant imbres. Tegulæ autem primæ positionis nomen, cuius diminutiuū tigillum. Laterculi vero vocati, quod lati formentur circumactis vndiq; quatuor tabulis. Lateres autē crudi sunt, qui & ipsi inde nominati, quod lati ligneis formis efficiuntur, quorum crates dicuntur, in quibus lutum pro hisdem lateribus crudis portari solet. Sunt enim cōnexiones cannarum, dicti apo to cratin, i. quod se inuicem teneant. Lutum autem vocatur, quidem per antiphrasim putant, quod non sit mundum. Nam omne lutum mundum est. Fictilium autem operum ratio iuxta mysticam significationem ad creationem humanæ con-

Gen. 2. ditionis poteſt referri:quia ſcriptum eſt:*Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem.* Figulus autem noſter Deus eſt, quod Propheta Hieremias & Apoſtolus Paulus probant. Nam apud Hieremiam prophetam tale aliquid legimus, vbi iubetur a Deo introire in domum figuli, & videre eum fingentem vnq; vas collapſum de manibus ſuis, recolligens rurſum finxit illud ſecundum volũtatem ſuam:
Ier. 18. *& factus eſt*, inquit, *ſermo Domini ad eum, dicens: Nunquid ego non poſſum facere domus Iſrael, ſicut figulus iſte?* Et
Eccl. 27. Sapientia dicit: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio.* Habet ergo noſtri Deus poteſtatem, ſicut & figulus luti, vt faciat ab eadem maſſa vaſa ad honorem. & vaſa ad contumeliam. De lateribus autem in Geneſi ita legitur, vbi de conſtructione turris mentionem facit:
Gen. 11. *Cumq; proficiſcerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Senaar, & habitauerunt in eo, dixitq; alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni: habueruntq; lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento* & dixerunt: *venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen noſtrum. antequam diuidamur in vniuerſas terras*, & reliqua. Turris hæc ſuperbiam huius mundi ſignificat, vel impia dogmata hæreticorum: qui poſtquam moti ſunt ab Oriente, id eſt à vero lumine receſſerunt, & venerunt in campum Senaar, qui interpretatur, *excuſſio dentium* ſtatim aduerſus Dominum, impietatis ſuæ ędificant turrim, ac dogmatum ſuperbiam nefario auſu confingunt, volentes curioſitate non licita ipſius cæli alta penetrare: ſed ſicut illi per ſuperbiam ab vna lingua in multis diuiſi ſunt: ita & hæretici ab vnitate fidei confeſſione ſegregati inter ſe, diuerſitate erroris, quaſi per diſſonãtiam linguæ, inuicem ſecernuntur. Cannalis dicta ab eo, quod caua ſit in modum cannæ: ſane eandem melius genere fœminino quam maſculino proferimus. De cannalibus ita
Gen. 30. in Geneſi legitur: *Tollens itaq; Iacob virgas populeas virides & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, & ponebat in cannalibus, vbi effundebatur aqua: & veniebant ad puteum contra pecora, vt conciperent eo tempore, cum venirent ad potandum*, &c. cuius myſterium tale eſt: Quid eſt virgas virides amygdalinas, atq; ex platanis, ante oculos gregum ponere, niſi per ſcripturæ ſeriem, antiquorum patrum vitas atque ſententias in exemplum populis prębere? Quæ nimirum quia iuxta rationis examen rectæ ſunt, virgæ nominantur, quibus ex parte corticem ſubtrahit, vt in his, quę expoliantur, intimus candor appareat: & ex parte corticem ſeruat, vt ſicut fuerat exterius in viriditate permaneat. Viridiorq; virgarum color efficitur: dum cortex ex parte ſubtrahitur, & ex parte retinetur. Ante conſiderationis enim noſtræ oculos prædicantium patrum ſententiæ, quaſi virgæ variæ, ponuntur. In quibus dum plerumque intellectum literę fugimus, quaſi corticem ſubtrahimus, & dum plerumq; intellectum literę ſequimur, quaſi corticem reſeruamus. Dumq; ab ipſis cortex literæ ſubtrahitur, allegoriæ candor interior demonſtratur: & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla mõſtrantur. Quas bene Iacob in aquæ canalibus poſuit, quia & Redemptor noſter in libris eas ſacræ ſcientiæ, quibus nos intrinſecus infundimur, fixit. Has aſpicientes arietes cum ouibus coeunt, quia rationales noſtri Spiritus intellectus dum in earum intentione defixi ſunt, ſingulis quibuſq; actionibus permiſcentur, vt tales fętus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus prę ceptorum vident.

Fiſtulæ aquarum ſunt dictę, quod aquas fundant & emittant. Nam ſtola græce mittere eſt: formæ earum pro magnitudine aquæ, & capacitatis modo fiunt. Poſſunt autem fiſtulæ myſtice deſignare prædicatorum ora, ex quibus aquæ doctrinæ effunduntur in corda auditorum, ex bonis videlicet doctoribus ſalubres aquæ & ſuaues: ex malis vero amaræ & noxiæ.

CAPVT IV.

De venuſtate.

HVc vſq; partes conſtructionis. Sequitur de venuſtate ædificiorum. Venuſtas eſt, quicquid illud ornamenti & decoris cauſa ædificiis additur, vt tectorum auro diſtincta laquearia, & precioſi marmoris cruſtæ, & colorum picturæ.

CAPVT V.

De laquearis.

DE laqueariis iam dictum eſt, quia ſplendorem ſimpliciorum Chriſti famulorum, & tamen virtute ſublimium figuram tenent, & decorem Eccleſiæ præbent.

CAPVT VI.

De cruſtis.

CRuſtæ autem tabulæ ſunt marmoris: vnde & marmorati parietes, cruſtati dicuntur.

CAPVT VII.

De lithoſtrotis.

LIthoſtrota ſunt elaborata arte picturæ paruulis cruſtis ac teſſellis tinctis in varios colores. Teſſellę autem à teſſeris nominatæ, id eſt, quadratis lapillis per diuiſionem. De lithoſtroto autem in euangelio fit mentio, vbi in paſſione Domini Pilatus ſediſſe pro tribunali ſcribitur in loco, qui dicitur Lithoſtrotos, hebraice autem galbata. Ioan. 19. In quo manifeſtatur, quod falſorum accuſatorum varia fictio non potuit vincere ſimplicem aſſertionẽ veritatis: ſed qui poteſtatem habuit ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, dedit ſemetipſum pro nobis: vt per effuſionem ſanguinis ſui maculas diuerſas noſtrorum dilueret peccatorum.

CAPVT VIII.

De plaſtis.

PLaſticen eſt parietum ex gipſo effigies ſignaq; exprimere: pingique coloribus. Plaſticen autem dictum græce, quod latine eſt fingere terra vel gipſo ſimilitudines. Nam & impreſſa argilla formam aliquam facere plaſtis eſt: vnde & protoplaſtus eſt dictus homo, qui ex limo primus eſt conditus.

CAPVT IX.

De pictura.

PIctura eſt imago exprimens ſpeciem rei alicuius. quæ dum viſa fuerit, ad recordationem mentem reduxit.

CAPVT X.

De coloribus.

COlores autem dictos, quod calore ignis vel ſole perficiuntur, ſiue quod initio colabantur, vt ſummæ ſubtilitatis exiſterent. Colores autem naſcuntur aut fiunt, naſcũtur, vt ſinopis, rubrica, paritonium, melinum, erecia, auripigmentum. Cæteri finguntur aut arte, aut permixtione. Colores autem diuerſi diuerſas ſignificant ſpecies virtutum, quibus decoratur plaſma Dei ad imaginem ſui Conditoris, vt ruborem ſinopidis vel minio oſtendat in ardore charitatis, & purpuriſſimum in martyriis & paſſionibus pro Chriſti nomine expenſis, in auripigmento ſplendorem ſapientiæ, in veneto atque hyacintho cæleſtem conuerſationem, in ceruſa candorem caſtitatis, & cæteris ſpeciebus virtutum, vt pro ſe opportunitas temporis afferat, & ratio poſtulat ordinis.

Capvt XI.

De instrumentis ædificiorum.

Structuram autem parietum ad normam fieri, & ad perpendiculum respondere oportet. Norma dicta à græco vocabulo, extra quam rectum nihil fieri potest. Componitur autem ex tribus regulis, ita vt duę sint binorum pedum. tertia habeat pedes duos, vncias x. quas æquali crassitudine politas extremis cacuminibus sibi iungat, vt * scemam trigoni faciant, & erit norma. Regula dicta, quod sit recta, quasi rectula, & impedimentum nõ habeat. Perpendiculũ est, quod semper appenditur. Deniq; in fabrica nisi omnia ad perpendiculum & certam regulam fiant: necesse est, cuncta mendosa instituantur, vt aliqua parua sint, aliqua cubantia, prona nonnulla, alia supina: & propter hoc ruant vniuersa, quæ sunt male constructa. In norma enim & regula atq; perpendiculo æquitatis ratio intelligenda est, vt omnia opera nostra secundum sanctarum scripturarum traditionem & regulam rectæ fidei, perpẽdiculumq; sanæ doctrinæ faciamus, & secundum hoc, quod diuina pręcepta docent, sic opera nostra ad salutem nobis proueniant. Aliter autem perdit suum laborem, qui extra hæc facit: quia *nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Trullæ nomẽ factum eo, quod trudit & detrudit, id est, includit calce vel luto lapides. Trulla autem cęmentarij significat spiritalem ædificationem Dei, quam ipse artifex optimus in cõstructione Ecclesiæ suę agit. Vnde in Amos propheta scriptum est: *Et ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij, & dixit Dominus ad me: quid tu vides Amos? & dixi: trullam cæmentarij: & dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel, non adijciam vltra superædificationem vel misericordiam inducere eum, & demolientur excelsa idoli & sanctificationes Israel desolabũtur.* Dominus autem, qui est structor maceriæ, & lapis angularis, comminatur auferre se trullam in auxilio protectionis suæ à populo Israel. Cumq; Dominus protectionem suam & (vt ita dicam) parietis vestimentum trulla cessante subtraxerit: tunc demolientur excelsa idolorum, & sanctificationes decem tribuum desolabuntur vel destruentur. Iuxta anagogem dicit Dominus Christus, & stat super murum firmissimum, super Apostolos & sanctos suos, quibus dedit, vt ipsi murus firmissimus vocarentur. Vnde & Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Qui murus, nisi Domini defendatur auxilio, omnem fortitudinem amittit: sed eo protegente in tantum robustus est, vt dicatur ad eum: *si transieris per ignem flamma non comburet te*: quanto que magis temptationibus tunditur, tanto plus fortior fit & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur. Scalæ ab scandendo, i. ascendendo vocatæ. Hęrent enim parietibus: scalæ autem dicuntur, aut vnæ sint aut plures, quia numeri tantum pluralis est nomen, vt literæ, quæ epistolam significant. Scalæ enim mystice significant profectus sanctorum per prædicationes eorum. Vnde in Genesi legitur, quod viderit Iacob in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cælum. Somnus iste Iacob mors siue passio est Christi. Lapis ad caput eius, qui nominatim quodamodo dictus est etiam vnctus, Christus significatur. *Caput enim viri Christus est*: quis enim nescit Christum ab vnctione appellari? Domus autem Dei Bethleem dicitur: quia ibi natus est Christus. Porta vero cæli, quia ibi in terram descendit, vbi iterum ad cælum conscendit. Erectio autem lapidis resurrectio Christi est. Porro scala Christus est, qui dixit: *Ego sum via* per hanc ascendebant & descendebant angeli, in quibus significati sunt euangelistę prædicatores Christi: ascendentes vtiq;, cum ad intelligendam eius supereminentissimam diuinitatem excedunt vniuersam creaturam: vt eum inueniant in principio, Verbum Domini apud Dominum, per quẽ facta sunt omnia: descendentes autem, vt eum inueniant factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant, redimeret.

*schema. | Ps. 126. | Amos 7. | Matth. 16. | Esa. 43. | Gen. 28. | I. Cor. 11. | Ioan. 14. | Gen. 28. | Ioan. 1. | Gal. 4.

Capvt XII.

De lignariis.

Lignarius, generaliter ligni opifex appellatur. Carpentarius, speciale nomen est: carpentum facit, sicut nauicularius: quia tantum nauium est fabricator & artifex. Sarcitector dictus, quod ex multis hinc & inde coniunctis tabulis vnum tecti sarciat corpus: idem & lignarius, quia tectoria lignis inducit. Lignarij ergo ac carpentarij atq; sarcitectores possunt intelligi sancti doctores atque prædicatores euangelij, qui spiritale ædificium Deo suis sermonibus atq; bonis exemplis præparant, & siue ex nouiter credentibus domũ Deo ædificant, siue ex his, quos hæretici atq; schismatici per errorem corruperant, iterũ illos increpando, atq; corrigendo, ad spiritale ædificium Dei restaurant. Vnde & in Exodo carpentarij leguntur, & in libro Regum fabri lignorum, & cæmentarij describuntur, qui instaurabunt sartatecta domus Dei. Materia inde dicitur omne lignum, quod ex ea aliquid efficiatur: vel si ad ianuam referas, vel ad statuam, materia erit. Ad aliquid enim semper materia accipienda est, sicut elemẽta materiam rerum esse dicimus: quia inde ea, quæ sunt facta, videmus: & materia, quasi mater, dicta. In materia n. mystice intelligi potest humana creatura: vnde artifex summus per opifices suos, hoc est, doctores sanctos multiplicem præparat ornatum ecclesiæ, & vasa apta ad ministeriũ suum ædificat. Trabes vocatæ, quod in transuerso positæ vtrosq; parietes contineant. Aliud autem sunt tigna, aliud trabes: tigna enim iuncta trabem faciunt. Trabes autem sunt, cum sunt dolatæ. De trabibus autem in libro Regum ita scriptum est: *Posuit Salomon trabes in domo per circuitum forinsecus, vt non hererent muris templi.* &c. Qui itaq; trabes domus, quæ tabulata portabant, nisi prædicatores sancti, sunt typice designati, qui dum ipsi sublimẽ atq; honorabilem in Ecclesia Dei locum teneant, infirmiores quosq; ac fragiles suis prædicationibus ab infirmorum appetitu sustollunt atq; ad cælestia desideranda ac speranda suspẽdunt: suis etiam intercessionibus, vt in ceptis persistant, adiuuantur. Item trabis sub alia significatione in euangelio posita est, vbi Dominus ait, *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, qua in oculo tuo est, non consideras?* Hic trabis peccatum maius, & maxime inuidia intelligi potest: festuca autem peccatum minus siue subitanea iracundia. Asseres ab asse dicti, quia soli ponuntur, neq; coniuncti. Scindulæ eo quod scindantur, id est, diuidantur. In asseribus autẽ quia tecto domus conueniunt, bene pœnitentia accipi potest, vel charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, & in psalmo Propheta dicit: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Epigri & claui sunt, quibus in ligno ligna adhæret. Claui dicti, quasi calabi, quia ex chalybe fiunt: idem ferro: chalybs enim ferrum est. Claui autem mystice sanctorum prædicationes corda hominum transfigentes intelligi possunt: vnde in Salomone scriptum est: *Verba sapientium & stimuli & quasi claui in altum defixi.* Tabulæ à veteribus tegulæ vocabantur, à tegendo scilicet, vnde & tegulæ. Commissura dicitur tabularum coniunctio. Tabulæ autem possunt significare fideles auditores, qui a trabib. vel tignis, hoc est, à sanctis doctoribus sustentantur. Sic & commissura eorum vnitas & charitas intelligi potest. Sectio autem dicta à sequendo ea, quæ cæperit. Nam secare sectare & sequi est. Serra autem nomen de sono factu est, id est, ab stridore. Hæc persecutionem in Christianos factam ab infidelibus significare potest: vnde & in Apostolo legimus: *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sũt.* Et Esaiam prophetam ligneа serra serratum scriptura narrat. Circinus dictus, quod vergendo efficiat circulum, cuius motu duplicata linea fit, quæ simplex per latitudinẽ extensa fuerat. Punctus a medio circa centrum à grecis dicitur, in cuius medium cuncta conuergunt. De circino a, & cæteris instrumentis artificosis in Esaia, vbi de plaste idoli mentio fit, ita scriptum est: *Faber ferrarius lima operatus est in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus est in brachio*

3. Reg. 6. | Matth. 7. | Prou. 10. | Psal. 31. | Eccl. 12. | Heb. 11. | Esa. 44.

fortitudinis suæ. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina: fecit illud in angulari, & in circino tornauit illud, & fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo. Quicquid autem de idolis dictum est, potest referri & ad hæreseos principes, qui simulachra dogmatum suo rumatq; mendacij artifici corde componunt, & venerantur ea, quæ à se sciunt esse simulata. non sufficit eis error proprius, nisi simplices quoq; eorum adulatione deceperint, *1.Tim. 6.* qui quæstum putant esse pietatem, & deuorant domus viduarum, abutentesq; vulgi imperitia, ita arte dialectica, quasi ascia, terebro & lima & runcina, formant dogma suum, & cudunt malleo atq; inaurant sermonis theatrici venustate, *Phil. 3.* *quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorũ.* Securis vocatur eo, quod arbores succidantur, quasi semicuris: ex vna enim parte acuta est, ex altera fossoria. Hæc apud veteres penna vocabatur; vtranq; autem habens aciem, bipennis. Nam bipennis dicitur, quod ex vtraq; parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas: pennum autem antiqui acutum dicebant. De secure autem *Matth. 3.* Ioannes Baptista ad Iudæos ita ait: *Iam enim securis ad radices arborum posita est.* Arbor huius mundi est vniuersum genus humanum. Securis vero est Redemptor noster, qui velut ex manubrio & ferro constat: teneturq; ex humanitate, sed incidit ex diuinitate: quæ videlicet securis iam ad radicem arboris istius posita est: quia & si per patientiam expectat, videtur tamen quid factura est. Potest & securis nomine prædicatio sermonis euangelici intelligi: quia, *Heb. 4.* secundum Apostolum, *viuus sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ, carnis & spiritus compagum quoq; & medullarum, & discretor cogitationum.* Et Hieremias propheta verbum Domini securi comparat cædenti petram: siue securis sententiam iudicij altissimi significat, quæ ad radices arborum, id est, ad finem regni populi Iudaici posita est: vt eos, qui in Christum credere noluerunt, de terra viuentium abscidat. Ascia ab asculis dicta, quas à ligno eximit, cuius diminutiuum est asciola. Est autem manubrio breui & aduersa parte referens vel simplicem malleum, aut cauatum vel bicorne rastrum. De securi autem, ascia & bipenne in Psalterio scriptum est, vbi destructio templi Domini commemoratur: *Ps. 73.* *securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, bipenni & ascia deiecerunt eam.* In securi tribulationem huius seculi demonstrat: in ascia, prauorum persecutionem, qua sanctos vsq; ad interitionem persequuntur. In bipenne geminam afflictionem, qua electos Dei praui homines verbis & factis affligunt, designat. Scalprum dictum, quod scalpturis & foraminibus sit aptum, quasi scaltorius, cuius diminutiuum scalpellus. Terebra vocata à verme ligni, qui nuncupatur terebra, quem græci teredona vocant. Hinc dicta terebra: quod, vt vermis, terendo perforat, quasi terefora, vel quasi transforans. Ædificare est bona opera facere, vel recte docere, vt in Apostolo: *1.Cor. 3.* *Si quis autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos.* Et in aliam partem pro populo Iudæorum per Malachiam *Malach. 1.* dicitur: *Ipsi ædificabunt, & ego destruam.* Destruere est mala opera exercere, vel male docere, vt in Salomone: *Eccl. 34.* *Vnus ædificans, & vnus destruens.* Et in bonam partem per Hieremiam dicitur: *Iere. 1.* *Vt destruas & ædifices.* Mundare est vitus expurgare, vt est illud Euangelij: *Matth. 8.* *Tetigit eum, dicens: volo, mundare. & confestim mundata est lepra.*

Capvt XIII.

De lanificij inuentione.

Mineruam quandam Gentiles multis ingenijs prædicant. Hanc enim primam lanificij vsum monstrasse. Hanc etiam telam ordisse, & colorasse lanas perhibẽt: oleæ [illegible] hanc dicunt inuentricem, & fabricæ, multarumq; [illegible] repertricem. Ideo illi vulgo opifices supplicant [illegible] hoc potissime fingitur. Non enim Minerua illarum artium [illegible] præstitit [illegible] quia sapientia in capite esse dicitur hominis, & Minerua de capite Iouis nata fingitur, [illegible] sensus sapientis, qui inuenit o[illegible] & Dea artium Minerua dicitur: [illegible] ingenio quo reperiuntur vniuersa [illegible]

Capvt XIV.

De vestibus sacerdotum.

Octo sunt in lege genera sacerdotalium vestimentorum. Poderis est tunica sacerdotalis linea corpori astricta, & vsq; ad pedes descendens: vnde & nuncupatur [illegible] vulgus camisiam vocat. Aban est cingulum sacerdotale, rotundum, polymita arte ex cocco, purpura, hyacintho [illegible] que contextum, ita vt flores atq; gemmæ in eo esse videantur distinctæ. Pileum est ex bysso rotundum [illegible] media, caput tegens sacerdotale, & in occipitio [illegible] strictum: hoc græci & nostri tiaram vel galerum vocant. Machin, quod est tunica talaris, tota hyacinthina [illegible] ad pedes septuaginta duo tintinnabula, totidemq; inter mixta ac dependentia malapunica. Ephoth, quod interpretatur latine, *superindumentum.* erat enim pallium superhumerale, ex quatuor coloribus & auro contextum, habens in vtroq; humero lapides duos smaragdos auro inclusos, in quibus sculpta erant nomina patriarcharum. Logicon, quod latine dicitur *rationale,* pannus duplex auro & quatuor textus coloribus, habens magnitudinem palmi per quadrum, cui intexti erant duodecim preciosissimi lapides. Hic pannus superhumerali contra pectus pontificis annectebatur. Petalum, aurea lamina in fronte pontificis, quę nomen Domini tetragramaton hebraicis literis habebat scriptum. Batin siue fæminalia, i. braccæ lineæ vsq; ad genua pertingentes, quibus verecunda sacerdotis velabantur. Mystice autem poderis significat castitatem corporis & animæ vsq; in finem. Cingulum vero continentiam atq; abstinentiam, mortificationemq; carnalium desideriorum. Quatuor quidem colores præcipui [illegible], hyacinthus, purpura, coccusq; bis tinctus, ac byssus retorta ex quibus pontificis habitus contextus erat [illegible] auro, mysticam significationem habent, hoc est, aurum figurat sapientiam spiritalem: hyacinthus cęlestem conuersationem: purpura martyrium: coccus bis tinctus charitatis perfectionem, quæ in duobus præceptis, hoc est, dilectione Dei & proximi: byssus vero castitatem atq; munditiam: Pileum quoq; siue tiara byssina, quæ caput tegebat & ornabat sacerdotis, admonet eum omnes capitis sensus Deo consecratos habere, ne vel oculi eius videant vanitatem, vel aures libentius audiendo opprobrium [illegible] piant aduersus proximum suum: os abundet nequitia, & lingua contineat dolum: siue etiam cor crapula & ebrietate grauetur. vel olfactus aspersum myrrha, aloe & cinnamomo lectum meretricis amplectatur. Tunica vero hyacinthina ostendit, qualis esse debeat vita sacerdotalis, hoc est, supernis solummodo desiderijs incessanter intenta, & conuersationem iuxta Apostolum habens in cælis, *Phil. 3.* ac sui Saluatoris indesinenter expectans aduentum. Quæ videlicet tunica, sicut & byssina, ad pedes vsq; pertingebat: vnde vterq; græce poderis est dicta, vt ostenderet, nil in sacerdotali vita infimum ac sordidum remanere, sed omne, quod ageret, quasi æthereo colore speciosissimum in vniuersa membra eius à capite vsq; ad pedes gratia virtutum contecta esse debere. Ephoth, quod auro & quatuor coloribus contextum erat, & lapides [illegible] conscriptos nominibus filiorum Israel insertos habebat, significat bonam operationem iuxta exempla [illegible] patrum, & exercitium virtutum. Logicon ergo, quod est rationale, quod in pectore sacerdotis ponebatur, ostendit, quod sacerdos & rector populi Dei omnia debet rationabiliter agere, & subtili semper examine bona [illegible] que discernere. Quod autem [illegible] quatuor ordines fuerint, & horum singuli quique tres habuerint lapides: quid nobis insinuatur typice, nisi vt in virtutibus, quę distinguuntur quatuor principaliter, fidem sanctæ Trinitatis non fictam teneamus. Possumus [illegible] te lapidum non solum claritatem [illegible] lis actus & cogitatus, verum etiam spiritualium [illegible] charismata virtutum, a [illegible] ple Dominus Apostolis, *infirmos,* inquit, *curate* [illegible] *citate, leprosos mundate, dæmones* [illegible] Petalum [illegible] tum, hoc est, lamina aurea in fronte pontificis [illegible] sanctũ Domini, hoc est, nomen Domini [illegible] *Matth. 10.*

tius cęteris erat indumentum altius: & merito. Quia sicut diuina potentia cunctis, quæ creauit, supereminet: ita oportebat, vt nomen eius, cæterum pontificis habitum ornatumque transcendens, altius præmineret, &, velut cuncta sanctificans, eximiam in eius fronte sedem teneret. Significat autem ipsam professionis nostrę fiduciam, quam in fronte portamus, dicentes singuli cum Apostolo:

Gal. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Verum quia de cæteris supra tractatum est, fæminalia, quæ ad operiendam carnem turpitudinis fieri mandantur, illam castimoniæ portionem, quæ appetitum copulæ coniugalis cohibet, proprie designant, sine qua nemo vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris potest ministeriũ consecrari, i. si non aut virgo permanserit, aut coniugium contra vxoriæ coniunctionis fœdera soluerit.

Capvt XVI.

De diuersis nominibus vestimentorum.

Diuersitas vestimentorum: tegmen, tegumen, indumentum, vestimentum, & reliqua. Tegmen dictum eo, quod tegat membra, sicut tegumen tecta, quæ tegunt corpora. Vestimentum vero est, quod vsq; ad vestigium prætenditur, quasi vestigimẽtum: vt est tunica talaris, sed & hoc consuetudo sermonis auctorum confundit. Indumentum, quod intus ad corpus induitur, quasi intumentum. Discernitur autem vestitus à cultu, quoniam latius intelligitur cultus. Item cultus ab habitu. Nam habitus ad naturam pertinet: cultus ad homines. Pleræq, a. vestiũ aut à tempore, quo maxime in vsu sunt, appellantur: aut à locis, vbi vel primum confectę, vel maxime venditantur: aut à genere coloris, aut à nomine repertorum. Vestitus a. quando in bonam partem accipitur, mystice significat aut fidem, qua induuntur renati in Baptismate Christi: aut charitatem. Vnde est illud, quod Propheta dicit de

Ps. 44. Ecclesiæ ornatu in Psalterio: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quod dicit, *in vestitu deaurato:* aurum ad charitatis debemus aptare fulgorem, qa virtute circumdata sancta resplendet Ecclesia. Et ne solã ibi intelligeres esse charitatem: *in vestitu*, dixit, *deaurato*, nõ aureo: deauratum enim dicimus, quando superducta species auri in aliqua materia glutinatur. Ideo a. supra virtutes alias gratia charitatis apparuit, qa omnia eius fulgore excellit. Addit, *circumamicta varietate.* Perscrutemur, cur Ecclesia Dei de vestis varietate laudetur, cui totum simplex conuenit atq; vnum? Sed hac varietate aut linguas multiplices significat: quia omnis gens secundum suam patriam in Ecclesia psallit auctori: aut virtutum pulcherrimam diuersitatem. Ornatur n. auro Apostolorum, argento prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura pœnitentium. Ista est ergo varietas vnitatis, quæ oculis Domini ex omnibus gentibus pia conuersatione placitura contexitur. Vestis antiquissima hominum fuit perizomatum, i. succinctorium, quo tantum genitalia cõteguntur. Hoc primum primi mortales è folijs arborum sibi fecerunt, quando post præuaricationem erubescẽtes pudenda velarunt. Cuius vsum quædam barbaræ gẽtes, dum sint nudæ, vsq; hodie tenent. Hęc & campestria nũcupantur pro eo, quod hisdem iuuenes, qui nudi exercẽtur in campo, pudenda operiunt. Perizoma ergo quod consuerunt primi parentes nostri de folijs fici, & se contegebant, hoc significat, quod seculũ asperum amplectuntur, qui prurigine voluptatis carnalis hærent, quiq; decepti hæretica prauitate & gratia Dei nudati, tegumenta mendaciorum, tanq; folia fici, colligunt, facientes sibi succinctoria prauitatis, cum de Domino vel Ecclesia mentiũtur. Tunica vestis antiquissima appellata, quæ in motu incedentis sonum facit. Tonus n. sonus est. Primum a. fuere pelliciæ tunicæ, quibus post offensam & eiectionem de paradiso Adam & Eua induti sunt. Talaris tunica dicta eo, quod ad talos vsq; descendat, & ad pedes defluat, sicut pectoralis: quia apud antiquos breuis erat, vt tantum pectus operiret, licet nunc prolixior sit. Manicleata tunica, i. manicata eo, quod habeat manicas, quam chiroditã græci vocant. Tunica a. indumentum significat fidei integritatem, quam Petrus Apostolus habuisse dinoscitur, de quo in Euangelio loquitur:

Ioan. 21. *Cum audisset Petrus, quia Dominus est: tunica succinxit se, & misit se in mare:* quia fidei firmitate pericula euasit istius seculi, & temptationes superauit. Item in Genesi legitur, quod Iacob patriarcha Ioseph filio suo fecisset tunicam polymitam siue talarem, hoc est, Gen. 37.

* astralogon seu manicatam, quæ haberet manicas: antiqui n. magis colobiis vtebantur. Tunica a. polymita, quã fecit ei pater, secundum allegoriam varietatem populorũ ex omnibus gentibus in corpore Christi congregatam significauit. Item alio modo Ioseph, qui inter fratres vndecim vsq; ad finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Quid est ergo talaris tunica, nisi actio cõsumata? quasi n. propensa tunica talũ corporis cooperit, cum bona actio ante Dei oculos vsq; ad vitæ nos terminum tegit. Dalmatica vestis primum in Dalmatica prouincia Græciæ texta est tunica sacerdotalis candida cũ clauis ex purpura. Serica est à serico dicta, vel quod eam Seres primi miserunt. Holoserica, tota serica: Holon n. totum. Tramoserica stamine lineo trama ex serico. Holofora tota ex purpura: holon n. totum. Byssina candida confecta ex quodam genere lini grossioris: sunt, qui & genus quoddam lini byssum esse existimãt. Vestimentum est Ecclesiæ fides, siue virtutis varietas, vel nationum diuersitas, vt in Psalterio: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et in Esaia: *Consurge consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem, ciuitas sancta.* Vestimenti nomen, Christi corpus assumptum, sicut propheta dicit: *& ecce vir vestitus lineis.* Item vestimentum Christi, populi fideles. Vestimentum sanctorum, opera iustitiæ, siue fideles Christi, vt in Apostolo: *Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Vestimentum impiorum, opera iniquitatis sunt, vt illud Psalmistæ: *Induantur sicut diploide, confusione sua.* Vestimentum caro hominis, sicut in Salomone legitur: *Omni tempore sint vestimenta tua candida,* i. nulla pollutione in luxuria sordida. Vestimentum simulatio hypocritarum, vt in euangelio: *Venient ad vos in vestimentis ouium, intus a. sunt lupi rapaces.* Vestis nuptialis, fides, vel (vt quidam volunt) charitas, vt in euangelio: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem:* Vestimentum lineum, virtus animæ, siue munditia castitatis, vt in Leuitico: *Vestietur sacerdos vestimentis lineis & femoralibus.* Linea dicitur, quia ex solo lino fit. Linostema vestis est ex lana linoq; contexta: & dicta linostema, quia in stamine linum, in trama lanam habet. Linea quidem vestis significat mortificationem vitæ carnalis. Linostema vero, quæ ex lana linoq; cõtexta est, hypocritarum personam signat, qui benignitatem erga proximos ostendunt, & dolosas iniquitates opponunt. Quid ergo per lanam, nisi simplicitas? & quid per linum, nisi subtilitas, designatur? & sępe homo subtilis & acutus exterius simplicitatẽ mansuetudinis ostendit, & interius subtilitatem malitiæ cõtegit. Iste ergo vestem se actionis suæ quasi ex lana & lino induit, quando ab eo & simplicitas monstratur in superficie, & subtilitas malitiæ seruatur in mente. Lumbare vocatur, quod lumbis religetur, vel quod lumbis hæreat. Hoc in Ægypto & Syria non tantũ fæminæ, sed & viri vtuntur. Vnde & Hieremias trans Eufratem tulit lumbare suum, ibiq; illud in foramine petræ abscondit, & postea scissum reperit. Hoc quibusdam & renale dicitur, quod in renibus alligatur. De lumbare ergo Dominus ad Hieremiam ita ait: *Sicut n. adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem Israel & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt esset mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non audierunt.* Cinctorium siue lumbare, quod in renibus iũgitur, populus Israel est, qui in lini similitudinẽ assumptus de terra, & illotus, nec mollitudinem habuit, nec candorem, & tamen per illius misericordiam adhęsit Deo. Cumq; percasset huiuscemodi linum atq; lumbare, ductum est trans Eufraten, i. in Assyrios, & ibi absconditur, hoc est, multitudine magnarum & innumerabilium gentium quodamodo absorptus & nihil reputatus. Post longum a. tempus ipse propheta in typum Domini populũ liberat de captiuitate, qui nihilominus

Marginal notes (right column): * astragalon. — Ps. 44. — Esa. 51. — Ezech. 9. — Gal. 3. — Psal. 108. — Eccl. 9. — Matth. 7. — Matt. 22. — Leuit. 6. — Ier. 13.

manus & post reditum Domini præcepta non fecit: sed secutus Deos alienos, ad extremum etiam in Dei Filium misit manus, & æterna perditione contabuit. Omnis quoq; vir sanctus lumbare Dei est, qui assumptus de terra, & de terræ limo, Dei consortio copulatur quodammodo: quę in Ecclesia eius videntur obscena, maiore diligentia operit atq; circumdat, ne gentilium & hæreticorum moribus pateant. Quod lumbare si aquam tetigit, & Eufratis fluc-
* humoribus. ta transierit, ita vt Assyriæ regionis * honoribus imbuatur, perdit pristinam fortitudinem, & conputrescit atque dissoluitur: & quamuis in vsum Dei redeat, tamen pristinam pulchritudinem habere nō potest, non duritia Dei, sed suo vitio: quia nolunt audire verba eius, & ambulant in prauitate cordis sui: siue, quod sibi rectum videtur, hoc faciunt. Cingulum mystice intelligitur spiritalis operis
Ps. 29. accinctus in psalterio: *præcinxisti me lætitia*. Balteum accinctus virtutum, siue circumspectio mentis: vnde legitur in
Deut. 23. Deuteronomio: *Habebis paxillum in balteo*, id est, stimulum
Iob. 12. compunctionis. Et in aliam partem in Iob: *Balteum regum dissoluit, & præcinget fune renes eorum*. Armelausa vulgo vocata, quod ante & retro diuisa atq; aperta est, in armos tantū clausa, quasi armiclausa, c. litera ablata. Camisias vocari, quod in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris. Femoralia appellata eo, quod femora tegant: ipsæ & braccæ, quod sint breues, & verecunda corporis his velentur.

Capvt XVI.

De proprio quarundam gentium habitu.

Sarabaræ sunt fluxa ac sinuosa vestimenta, de quibus legitur in Daniele: *Et Sarabaræ eorum non sunt immutatæ*. Et Publius: *Quid ergo in ventre duo Parthi Sarabara suspenderunt*. Apud quosdam a. Sarabarę quędam capitum tegmina nuncupantur, qualia videmus in capite magorum picta. Mastruga vestis germanica ex pelliculis ferarum, de qua Cicero pro Scauro: *Quem purpura regalis non commouit, eum sardorum mastruga mutauit*. Mastruga autē, quasi monstruosa, eo quod qui ea induuntur, quasi in ferarum habitum transformantur. Legitur in Apostolo de quibusdam
Heb. 11. sanctis, qui fuerunt sub veteri testamento: *Circumierunt*, inquit, *in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*. In quo manifestatur, quod viri sancti, quibus ad æternam vitam gradiendi amor incumbit, non præsentis vitæ delicijs per voluptatem vti desiderent: sed per continentiam magis virtutū copiam habere studeant. In quibus ornati ad æterni regis conuiuium intrare mereantur.

Capvt XVII.

De palliis virorum.

Pallium est, quo ministrantium scapulæ conteguntur, vt, dum ministrant, expediti discurrāt. Plautus: *Si quid facturus es, appende in humeris pallium, & perge, quantum valet tuorum pedum pernicitas*. Dictum autem pallium à pellibus: quia prius superindumenta pellicia veteres vtebantur, quasi pellea: siue à palla per deriuationem. Chlamys est, quæ ex vna parte induitur, neq; consuitur, sed fibula infrenatur: hinc & græce nomen accepit. Chlamys laudis est ornatus, vt in Salomone: *Et chlamydem fecit viro suo*, id est, vestimentum: quod tanquam de duobus testamentis confectum sit. Toga dicta quod velamento sui corpus tegat atq; operiat. Est autem pallium purum forma rotunda & fusiore, & quasi inundante sinu, & sub dextro veniens supra humerum sinistrum ponitur: cuius similitudinem in opertmentis simulachrorum vel picturarum aspicimus, easq; statuas togatas vocamus. Toga a Romanis in pace vtebantur, belli autem tempore paludamentis: mēsura togæ iustæ, vt sex vlnas habeat. Toga palmata dicebatur, quam merebantur hi, qui reportabant de hostibus palmas. Ipsa vocabatur & toga picta eo, quod victorias cum palmis intextas haberet. Pallium mystice in bono ac-
Esa 61. cipitur, vt est illud *Pallium laudis pro spiritu mæroris*. Item in contrariam partem in psalmo pallium positum est, vbi
Psal. 103. legitur de Ecclesia. *Qui fundauit terram super stabilitatem eius, non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus, sicut pallium amictus eius*. Abyssus enim dicitur aquarum copiosissima multitudo, quę & in bono & in malo plerumq; ponitur. Hæc merito hic superstitiosis atq; persecutoribus comparatur: quia sicut pallium subiecta cooperit: ita illi mundum tædissima superstitione texerunt, vt nō solum mediocres homines, sed in perniciem suam ipsos quoq; sanctos viros atq; eminentissimos tormentis corporum obruere viderentur. Diplois græcum nomen ab eo, quod sit duplex amictus. Horatius: *Contra quem duplici panno patientia velat*. Est autem vestis militaris, cuius vsus gallicis primum expeditionibus cæpit & præda hostili, de qua est vox illa senatus: *Togis depositis Quirites ad saga fugerunt*. Sagum autem gallicum nomen est. Dictum autem sagum quadrum eo, quod apud eos primum quadratum vel quadruplex est.
Nam in propheta scriptum est: *Operiantur, sicut diploide confusione sua*. Decuit ergo, vt vtriusq; legis intelligentia vestiantur, qui nunc vtroq;, perfidia faciente, nudati sunt. Cōfusio n. Iudæorum est legem non intelligere, quæ toties Saluatorem Dominum præcinuit aduenire: siue illud genus vult exprimere, quod solet in prouerbiis dici idest: *Confusionis duplici pallio vestiantur*, dum ante Dominum & homines erubescunt. Sagorum a. mysticus sensus in tabernaculi Mosaici constructione satis explanatus est, ad cuius lectionem lectorem mittimus. Penula est pallium cum fimbriis longis, cuius mentio in epistola Pauli ad Timo- 2. Tim. 4
theum fit. Casula est vestis cucullata, dicta per diminutionem à casa, quod totum hominem tegat, quasi minor casa: inde & cuculla, quasi minor cella. Sic & græce planeta dicta, quia horis errantibus euagatur. Vnde & stellæ planetæ, i. vagæ eo, quod vagæ suo errore motuq; discurrūt. Casula iuxta allegoriam tectæ fidei potest exprimere indumentum, in quo bonorum operum plenitudo consistit. Vnde scriptum est: *In casula ipsius requiescunt bona per cū* Psal. 14.
Melotis, quæ etiam pera vocatur, pellis est caprina, collo pendens, præcincta vsq; ad lumbos. Est n. habitus proprie necessarius ad operis exercitium: fiebat a. prius (vt quidā existimant) ex pelliculis melorum: vnde & melotes vocatæ sunt. Fimbriæ vocatę ora vestimētorum, hoc est, fines, ex græco vocabulum trahunt. Græci n. terminum ora vocant. Fimbrię spiritaliter significant mysteria incarnationis Domini, quam tetigit mulier hæmorrhoissa, & statim sanata est. Item fimbrię significant extremitatem vitæ ho-
minum: vnde in psalmo de Ecclesia legitur: *In fimbriis aureis circumamicta varietate* quia in fine tota perfectio est, vbi charitas non, tanquam deaurata, conspicitur, sed iam plenissima, tamquam aurea. Psal. 44

Capvt XVIII.

De palliis fæminarum.

Segillum est prælatum reginarum amiculum, vnde & appellatum. Peplum matronale pallium ex purpura signatum, cuius fimbriæ aurei staminis summitate resplendent. Palla est quadrum pallium muliebris vestis, deductum vsq; ad vestigia, quod affixis in ordinem gemmis: & palla dicta à Palin, i. à Mobilitate, quæ circa finem huiusmodi indumenti est. siue quod rugis vibrantibus sinuata crispetur. Theristrum palliolum est, quo vsq; hodie Arabiæ & Mesopotamię mulieres velantur, quibus in æstu tutissimo teguntur vmbraculo. Anoboladium amictorium lineum fæminarum, quo humeri operiuntur, quod græci vel latini sindonem vocant. Nam de theristro & in Esaia legitur, & in Genesi de Rebecca ita scriptum est. *Rebecca* Gen. 24.
quoq;, conspecto Isaac, descendit de camelo & ait ad puerum. Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixit ei. Ipse est Dominus meus. At illa tollens cito pallium operuit se. Rebecca vero, Isaac viso, quis ille homo sit, requisito puero, cognoscit: quia quotidie sancta Ecclesia adhuc prophetarum atque Apostolorum dicta, quod de Redemptore non videre debeat, intelligit. Quæ sese mox pallio operuit, quia tanto subtilius Saluatoris sui mysteria penetrat, quanto altius de anteacta vita confunditur: &, quia peruenire egerit, verecundatur. Pallio se cooperire curauit, quia viso Domino infirmitatem suæ actionis erubuit. & illa, quæ prius in camelo libere gestabatur, descendens

postmodum verecundia tegitur. De sindone ergo mystice munditia castitatis exprimitur: vnde corpus Dñi Ioseph inuoluisse legitur, quia inenarrabili castitate demonstrauit illud mundissimum fore, & a mundis hominibus in sacramento percipiendum oportere. Item in Prouer-
Prou. 31. bus de muliere forte, ita legitur: *sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananaeo.* In linteo sindonis subtilis intextio signatur sanctae praedicationis, in qua molliter
Act. 10. quiescit: quia mēs in illa fidelium spe superna refouetur. Vnde & Petro animalia in linteo demonstrantur: quia peccatorum animae misericorditer aggregatae in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo sindonem fecit & vendidit, quia fidem, quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectae cōuersationis accepit: quae & chananaeo cingulum tradidit, quia per vigorem demonstratae iustitiae fluxu operā gentilitatis astrinxit: vt hoc, quod praecipitur, viuendo teneat, sicut
Luc. 12. scriptum est in Euangelio: *Sint lumbi vestri praecincti.* Stola, matronale operimentum, quod cooperto capite & scapula à dextro latere in laeuum humerum mittitur. Stola autem graece vocatur, quod supermittatur: idem amicinum latino nomine appellatum eo, quod dimidia eius pars retro reiicitur, quod vulgo mauortem dicunt. Vocatum autem mauortem, quasi martem: signum autem maritalis dignitatis & potestatis in eo est. *Caput enim mu-*
1. Cor. 11. *lieris est vir:* inde & super caput mulieris est. Stola indumentum Baptismi vel fidei significat, vt in Euangelio:
Luc. 15. *Cito proferte stolam primam, & induite eum.* Item stola remunerationem futuram significat atque immortalitatem: aliquando vero honorem dignitatis siue ordinis facit; vnde
Eccl. 6. scriptum est: *Stola gloriae induet illum.* Remuneratio autem futura in stola significatur, vbi legitur in Apocalypsi, quod animabus sanctorum, quae clamabāt ad Dominum post effusionem sanguinis sui, & vindictam expetebant, re-
Apoc. 6. spōsum sit: *vt requiescerent adhuc modicum tempus donec impleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt similiter, sicut & illi.* Singulas modo stolas habent animae sanctorum de sua immortalitate gaudentes, resurgentibus autem corporibus, iuxta Esaiam, *in terra sua duplicia*
Esa. 61. *possidebunt.* Non desiderium resurrectionis abnuitur, sed ex colligendorum fratrum augmento differtur. Nam & ipsa animarū laetitia potest stolis albis figurari, cum Domino reuelante, didicerint & impios in fine damnandos, & vsque in finem seculi multos suo numero per martyrium esse sociandos: atque interna caritate perfusi maluerint hac consolatione contenti pro suppleudo fratrū
* differri numero hactenus sua gaudia * deferri.

Caput XIX.

De stratu & reliquis vestibus quae in vsu habentur.

STragulum vestis est discolor, quod manu artificis diuersa varietate distinguitur. Dictum autem, quod in stratu & amictu apta sit. De quo Salomon: *stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius.* Stragulata vestis, quae, variante textura, solet firmissima confici fortia Ecclesiae opera & diuersa virtutum eius ornamenta significat. De quibus Propheta in summi regis, viri videlicet illius, laude cecinit: *Astitit regina à dextris tuis in ve-*
Psal. 44. *stimento deaurato, circumdata varietate:* sicut supra ostensum est. Ceruicalia autem sunt, eo quod ponantur sub ceruice vel cubito. Puluillus dictus à puluinari, qui est diuitum lectus. Culcitrae vocatae, quod calcentur, id est, farciantur pluma siue tomento, quo molliores calidioresque sint. Ceruicalia autem siue puluilli seu culcitrae possunt iuxta allegoriam adulationes designare falsorū doctorum & adulatorum, qui decipiunt eos, quibus pro malis operibus impunitatem promittunt, & vitę pręmia indignis spondent. Quibus per Prophetam dicitur: *Vae*
Ezech. 13. *vobis, qui consuitis puluillos sub omni cubito, & ceruicalia ad decipiendas animas* &c. Tapetia dicta, quod pedibus primum sternentur quasi tapegia. Tapetia enim ornatum eloquentiae possunt significare: vnde meretrix in Prouer-

bus ait: *Intexui funibus lectum meum, straui tapetibus pictis ex* Prou. 7.
Aegypto. In lecto ergo funibus intexto meretrix mollitiem quiescendi designat. In tapetibus vero pictis ex Aegypto etiam oculorum temptat illecebras, quibus nephandò aspectu interius facilius ad seducenda mētis arcana penetrat. Quia vero non nunc funium aliquando solent diuina praecepta figurari, quo à nostris nos voluptatibus coercendo religant, promittunt se heretici contextu verborum coelestium salubre suis auditoribus quasi stratum parare, in quo vitiorum tumultibus libero corde quiescant, sed veraciter illis funibus peccatorum construunt locum perditionis, vbi perpetuo pedes manusq; alligati damnentur: de quo Dominus in Apocalypsi: *Et dedi inquit, illi tempus vt poenitentiam ageret, &* Apoc. 2.
non vult paenitere à fornicatione sua. Ecce mitto eam in lectum, & qui moechantur cum ea in tribulationem maximam. In tapetibus vero pictis ex Aegypto ornatus eloquentiae & dialecticae artis versutia, quę ab ethnicis originem sumpsit, intelligitur, per quam mens haeretica sensum doctrinae pestilentis, quasi meretrix florum facinoris, se texisse gloriatur. Manutergia nunc pro operiendis mensis sunt. quae (vt nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus praebebantur. Mappae conuiuij & epularum apposita rum sunt quasi manualię atque ob id nominatę, cuius diminutiuum mappella est siue mandeba à mandendo. Sabanum graecum est. Facitergium & manutergium à tergendo faciem vel manus vocatum. Haec linteamina ad officium mensę pertinent, & ad ministerium humanum. sed non minus ad vsum sacri ministerij, & ad officium altaris pertinere noscuntur, quādo supra mensam, hoc est sacrum altare linteamina munda ponuntur, & mappulae manibus sacerdotum & ministrorum tenentur, vt populus eos semper ad seruitium Dei paratos considerat. Vela dicta, quod obiecto suo interiora domorum velent. Aulea vela picta, & grandia, quae ideo aulae dictae sunt, quod primum in aula Attali regis Asiae, cui successit populus Romanus, inuentae sunt. Cortinae sunt aulea, i. e. vela de pellibus, qualia in Exodo leguntur, à quibus tabernaculum extrinsecus tegebatur. Dictae autē cortinae à corus, eo quod prius ex pellibus fuissent tactae: vnde & in Exod. tabernaculo legis iubentur cortinae fieri ex pellib. arietū rubris, & ex pellibus hyacinthinis. Cilicia Arabes nuncupant velamenta pilis caprarum contexta, ex quibus sibi tentoria faciunt. Vela enim & cortinas atq; saga cilicina in tabernaculo Domini, diuino praecepto, quisquis Exodum legent, facta poterit agnoscere, & inde mysterium congruum sano sensu valet rimari, maxime cum ibi decem cortinae iussae sunt fieri diuersorum colorum specie * varietate; quia sancta vniuersalis Ecclesia ex multis * variegata
electorum personis, ex multis per orbem ecclesiis, ex varijs virtutum floribus aedificatur, cuius omnis perfectio in denario numero continetur Saga ergo, quibus operitur tabernaculum, rectores sunt Ecclesiae sanctae, quorū industria ac labore pecus eiusdem ecclesię protegitur atque incessabili cura munitur: ne videlicet vita fidesque electorum haeretica seductione corrumpi: ne falsorum catholicorum improbitate foedari: ne tentantium vitiorum sorde attaminari: ne temporalium subsidiorum inopia possit ad tristitiam deduci.

Caput XX.

De lana & lino.

LAna à laniando, id est, à vellendo vocata: hinc & vellus dictum, quod prius lanae vellerentur, non tonderentur. Linum ex terra oritur, deflexumque nomen eius à graeco: nam linum graeci linarium dicunt, siue quod sit molle & lene. Possunt autem mystice in lana, quia ouinus est habitus, omnia pietatis & simplicitatis opera, quę proximis impēdimus, accipi. Potest in lino, quod ex terra virens oritur, sed longo ac multiplici exercitio humorem natiuum amittit atq; ad gratiam noui candoris peruenit, castigatio nostrae carnis intimari, cui dū ingenitas vitiorum sordes per continentiam excoquimus, dignam

 protecto

profecto eam, qua Christum induamus, efficimus, iuxta illud Apostoli: *Quotquot ergo in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (Gal. 3.) De lana ergo & lino in Prouerbiis de muliere forti scriptum est: *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* (Prou. 31.) Quærit ergo mulier fortis lanam & linum, & operatur consilio manuum suarum, cum ecclesia sancta sollicite perquirit, quibus se pietatis fructibus exerceat, quomodo à carnalibus emundet illecebris, & hoc vtrumque consilio prudentissimo, hoc est, supernæ solummodo retributionis facit intuitu. Stuppa vero cannabi siue lini hæc secūdum antiquam orthographiā. Stuppa dicta, quod ex ea rimæ nauium stupentur: vnde & stipatores dicuntur, qui in vallibus eam componunt. Hæc potest significare despectam verbi doctrinam iā superbis, quæ tamen frequenter adiuuat necessitatibus populorum in fluctibus huius seculi laborantium. Byssus genus est quoddam lini nimium candidi & mollissimi, quod Græci papacen vocant. De bysso quoque in Prouerbiis scriptum est: *Byssus quoq; & purpura indumentum eius.* (Prou. 31.) Byssus in castitate puræ conuersationis: purpura in effusione pretiosi martyrum sanguinis. Byssus namq; cādidi coloris est: purpureus autem color de sanguine conchyliorum marinorum tinguitur, quod & ostrū vocatur eo, ꝙ ex testæ humore tinguitur; vnde pulchre dictum est à patribus; quia sancta Ecclesia electorum florib. vernans, in pace habeat lilia, in bello rosas. Itē quia byssus de terra virens oritur, sed per exercitationes longas ac multifarias, amisso humore ac virore natiuo, ad decorem cādidę vestis perducitur. Purpura autem regalis est habitus. Bysso induitur Ecclesia, cum castigant corpora sua electi, & seruituti subiiciunt; purpura autem, cum eandem continentiam non ob fauorem vulgi, sed pro acquirenda beatitudine regni perennis exercet. Sed hic virtutum habitus in præsenti quidem nescientib. videtur contemptibilis, sed in futuro, qualis fuerit, manifeste patebit. Vnde pulchre in Apocalypsi sua Iohannes sanctorum se vocem audisse refert, dicentium: *Gaudeamus & exultemus: quia venerunt nuptiæ agni & vxor eius præparauit se. & datum est ei vt cooperiat se byssinum splendens candidum.* (Apoc. 19.) Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum. Et in contrariam partem byssi & purpuræ significatio in Euāgelio traditur, vbi ita legitur: *Erat quidam diues qui induebatur purpura & bysso.* (Luc. 16.) vbi secularium diuitiarum ambitio exprimitur, quæ ad tempus auaris arridet, sed cito decidua ad luctum æternum eos perducit.

Capvt XXI.

De coloribus vestium.

PVrpura apud Latinos à puritate lucis vocata; apud Græcos autem purphira dicitur cum aspiratione, apud nos purpura sine aspiratione. Ferrugo color est purpuræ subnigræ, quæ fit in Hispania: vt ferrugine clarus sidera. Dicta autem ferrugo, quod omnis purpuræ prima tinctura eiusmodi coloris existat. Coccum Græci, nos rubrum seu vermiculum dicimus: est enim vermiculum ex siluestribus frondibus. Coccus, quia ignis habet speciem, merito flagrantissimæ sanctorum dilectioni comparatur. Vnde & quidam ex eis, qui hanc, præsente & comitante secum Domino, conceperant, aiebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* (Luc. 24.) Cui contra de reprobis dicitur: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* (Matth. 24) Hæc quasi bis tinguntur, cum amore Dei & proximi flammescit, cum illum ex toto corde, tota anima, tota virtute, sicut & nos ipsos, diligimus. Hyacinthus quoniam aëris & cœli speciem imitatur, eorundem mentes electorum omni spe & desiderio cœlestia quærentes significat: cuius nobis coloris sacramentum commendans Apostolus ait: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextra Dei sedens.* (Col. 3.)

Capvt XXII.

De instrumentis vestium.

TEla pro longitudine staminum dicta, cuius de[illegible] unum est telaria. Tela pro longitudine dicitur, [illegible] significat aut prolongationem vel ordinationem iudicij, vnde legitur in Propheta: *Et telam quam orditus est super vniuersas nationes terræ.* (Esa. 25.) quia Dominus vndiq; præmia iudicaturus secūdum propria præparat merita. Colum, quod sit in longitudine & rotunditate, quasi columna. Fusus, quod per ipsum fundatur, quod netum est. In colo enim scripturarum scientia exprimitur: & in fuso intentio discretionis: vnde scriptū est in Prouerbiis de muliere forti, *Manus eius misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* (Prou. 31.) Solent enim fœminę nentes, fusum in dextera colum tenere in sinistra. In colo enim lana inuoluta est, quæ fila ducenda & nenda transeat in fusum. Sæpedum in scripturis dextera vitam perpetuam, læua præsentia dona Dei significat: opulentiam videlicet rerum, pacem temporum, sospitatem corporum, scientiam quoq; scripturarum, & cœlestium perceptionem sacramentorum. Hæc & huiusmodi bona, cum Domino largiente, percipimus, iam lanam agni immaculati de colo infusam, de læua in dextram trahimus, quia de bonis nostri Redemptoris, de exemplis operum eius stolam nobis gloriæ cœlestis, ac vestem caritatis nuptialem facimus. Netum enim, vnde fila conficiuntur, laborem exprimit terrenū: vnde homines sibi futuræ remunerationis apparant indumentum. De quo Dominus in Euangelio, volens nos retrahere à mundana concupiscentia, & ad futuram gloriam præparare, ait: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neq; nent, &c.* (Matth. 6.) Stamen dictum, quia rectum stat. Trama, quod via recta transmittatur per telam: est enim filum inter stamen currens, quæ duo possunt significare fidem tectam cum bonis operibus.

Capvt XXIII.

De ornamento.

ORnamenta sunt dicta eo, quod eorum cultu ora vultusq; decorentur. In ornamentis autem virtutum varietates vel diuersæ charismatum gratiæ, quæ animas hominum ornant, intelligi possunt; vnde & in Ezechiele Dominus ad Iudæā dicit: *Indui te subtilibus, & ornaui te.* (Ezech. 16.) Et alibi scriptum: *ornaui te in monilibus.* (Esa. 6.) E contrario vero in Salomone ita legitur: *Ecce mulier in ornamento meretricio.* (Prou. 7.) hoc est, hæretica prauitatis sophistica locutione, & falso virtutum colore. Prima ornamenti est corona, insigne victoriæ siue regij honoris signum, quæ ideo in capite regum ponitur ad significandos circumfusos in orbe populos, quibus accinctus quasi caput suum coronatur. Nomen coronæ hac ex causa vocatum eo quod in initio circum aras curreretur, atque imagine circuitus vel chori esse formatam & nominatam coronam. Imperatores Romani & reges quidam gentium aureis coronis vtūtur: Persæ thiaras gerunt, sed reges rectas, satrapæ incuruas. Reperta est autem thiara à Semiramide Assyriorum regina: quod genus ornamenti exinde vsque hodie gens ipsa retinet. Athenienses enim cycladas aureas gerebant partim in vertice, nonnulli in fronte. Non enim eadem sunt insignia omnium regnorum. Gentilium vates infulas apices pillea siue galeria vtebantur. Corona autem mystice æternæ gloriæ mercedem pro iustitia significat: vnde Apostolus ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* (2. Tim. 4.) Quomodo spiritalium profectuum consummatio prouehit ad coronam: recte horum quoq; re[illegible] nomine coronæ vocitatur. Item corona d[illegible] Domini ambitum vel totius ecclesiæ conuentū ad Christum significat, de quo Psalmista ait: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* (Psal. 20.) Et item: *benedices, inquit, coronam anni benignitatis tuæ.* (Psal. 64.) Corona enim non improbe circum-

erant uni discipulorum videtur significare cōuenire, quia ipsum docent perdiderunt iura Apostolorum: inuenitur autem habebant rerum coronam capitis, sunt regale diadema, quod non ornatui impositum, sed de Christo Dno potius ornaretur. In hac in corona & totius mundi circulum merito possumus adducere, vnquam generalis significatur ecclesia. In contrarium vero corona ponitur, quā tribulationis circumdatione significat; vnde scriptum est: *coronans coronabit te tribulatione.* (Esai. 22.) Nam diadema quidam dicunt esse ornamentum capitis matronarū ex auro & gemmis contextum, quod in se circumactis extremitatib. retro astringitur, & exinde dictum græce, quod præligetur. Infula est fasciola sacerdotalis capitis, alba in modum diadematis, à qua vittæ & ab vtraq; parte dependent, quæ infula vinciunt. Infula aūt plerumq; lata erat, plerumq; tortilis de albo & cocco. Apex est pileum subtile, quo sacerdotes gentiles vtebantur, appellatus ab apiendo, i. e. ligando. Nam virgula, quę in pileo erat connectebatur filo, quod fiebat ex lana ostræ. Galerium pilleum ex pelle cæsæ ostræ factum. Pilleum autem dictū à pelle hostræ, vnde fiebat. Cidarium & ipsum sacerdotum erat, quod à plerisq; mitra vocatur. Mitra est pilleum frigium caput protegens, quale est ornamentū capitis deuotarum: sed pilleum virorum est, mitra aūt fœminarum. Redimicula aūt sunt, quibus mitra alligatur: pilleum autem (vt prædiximus) à pelle erat. Nam mitra ex lana est. Ricula est mitra virginalis capitis; vittæ sunt, quæ in crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli: & vittæ dictæ, quod vinciant. Tenia aūt vittarū extremitas dependens diuersorum colorū. Item vitta est, qua corona vincitur; tænia vero extrema pars vittæ, quæ dependet coronæ. Discriminalia capitis mulierū sunt, vocantur ex eo, quod caput earū à viro discernant; nam & discriminare dicitur. Acus sunt, quibus in feminis ornandorū crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & in sparsos *dispēdet capillos. (* dissipētur) Inaures ab aurīū foraminib. nuncupatæ, quibus pretiosa grana lapidū dependent: harum in Græcia puellæ vtraq; aure, pueri tantum dextera gerebant. Torques sunt circuli aurei à collo ad pectus vsq; pendentes. Torques aūt & bullæ à viris geruntur, à feminis vero monilia & catellæ. Dictæ aūt torques, quod sint tortæ: & bullæ, quod similes sint rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur. Monile ornamentū ex gemmis est, quod solet ex fœminarum pendere collo; dictū à munere. Hoc etiam & serpentum dicitur, quia constat ex amforolis quibusdam aureis, gemmisq; variis in modum facturæ serpentis: licet & segmentatas vestes dicamus, vt ipsa, & segmētatis dormis & paruula cunis. Plerumq; aūt & per monile omnia ornamenta matronarum significātur, quicquid illis muneri datur. Murena vulgo vocatur quod scil. aurimetallo in virgulis lacescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur in similitudinem murenæ serpentis, quæ ad collū ornandum aptatur. Hæc & interdum auri atq; argenti texitur virgulis. Vnde & in Canticis dicitur canticorum: (Cant. 1.) *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* In murenulis quippe scriptura sancta ostenditur, quæ auro spiritalium sensuu fulget interius, & argento cœlestis eloquij nitet exterius: dexteras communes esse virorum ac fœminarum, quia vtriusq; sexus dextræ sunt. Armillæ aut propriæ virorum sunt, collatę victorię causa militibus ob armorum virtutem; vnde & quondam vulgo virile dicebantur. Ab intellectu aūt circuli armilla non discrepat, quia ipsa quoq; hoc, vbi ponitur, ambiendo constringit. Sed armilla latius extenditur, circulus rotundus fit. Fibulæ sunt, quibus pectus fęminarum ornatur, vel palliū tenetur à viris in humeris, seu cingulum in lumbis. Lunulæ sunt ornamenta mulierū in lunæ similitudine bullulæ aureæ dependentes. Specula sunt, in quibus fœminæ vultus suos intuentur. Dictum autem speculum, vel quod ex splendore reddatur, vel quod ibi fęminæ intuētes considerent speciem sui vultus, & quicquid ornamenti deesse viderint, adiciant. Perichelides sunt apud fœminas crurum ornamenta, quibus gressus earum ornantur. Olfactoriola vascula sunt, in quibus odoramenta gestantur.

Caput XXIV.

De anulis.

Anuli autem per diminutionem dicti à circulis & annis, qui sunt circum brachia, & crurum crura: vnde & signa eorum per diminutionem sigilla: nam signa maiora sunt, sigilla vero quasi minora signa. Anulos homines primum gestare cœperunt quarto à pollice digito, quod eo vena quædam ad cor vsque pertingat, quam notandā ornandamque aliquo insigni veteres putauerunt. Apud Romanos anuli de publico dabantur, & non sine discrimine. Nam dignitate præcipuis viris gemmati dabantur, ceteris solidi. Anulum autem neque seruus neque libertinus gestabat in publico: sed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, serui ferreo. Anulus fidei signaculum demonstrat, vt est illud: *Date anulum in manu eius,* hoc est, fidei indicium in bona operatione. (Luc. 15.) In Esaia quoque, vbi enumerantur ornamenta multiplicia, mitrę & ceterorum mentio fit, ita legitur: *In die illa auferet Dominus ornamenta calciamentorum, & lunulas & torques, & monilia & armillas & mitras, discriminalia & perichelidas & murenulas & olfactoriola & inaures & anulos & gemmas in fronte pendentes & mutatoria & pallia & linteamina & acus & specula & sindones & vittas & theristra.* (Esa. 3.) Mystica eorum significatio à sanctis doctoribus lucide exposita est. Describit monilia fœminarum, & per hæc insignia ciuitatum, vel iuxta anagogen variarum ornamenta virtutum habent mulieres in lunæ similitudinem bullulas dependentes, quas nos ad Ecclesiæ ornamenta transferimus, quæ illuminantur sole iustitiæ. Torques quoque, quæ ad pectus vsque dependent, intelligentiam ac principatum mentis in corde demonstrant. Et monilia quæ vno sermone omnia ornamenta significant, & armillarum bona opera, quale Rebecca accepit in sponsalibus. & mitras capitis ornamenta & discriminalia, vt iudicium habeat singulorum: & perichelidas, quibus noster gressus ornatur: Et audimus: *Pes tuus non offendet.* (Prou. 3.) Et: *Et ut pedes meos à lapsu.* (Psal. 24.) Et murenulas, quæ auri atque argenti texuntur virgulis, sensum id est scripturarum. Et olfactoriola: vt Christi bonus odor simus. (2. Cor. 2.) Et inaures, ne audiamus iudicium sanguinis: sed Domini verba dicentis: *Qui habet aures audiendi, audiat.* (Mat. 11. 13) Et anulos quibus signamur ad Domini militiam, *quem Deus signauit Pater:* (Ioan. 6.) vnde dicitur ad Principem Tyri: *Tu es signaculum similitudinis.* (Ezech. 26) Filius quoque prodigus cum stola recepit anulum (Luc. 15.) & calciamenta & gemmas in fronte pendentes, quibus nostra ora decorantur; de cuius capitis ornamento & in Psalmo legimus: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* (Psal. 132.) Mutatoria iuxta anagogen illa sunt, de quibus dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem.* (Psal. 83.) Et linteamina, vt lauti in Domino deliciis perfruamur, secundum illud, quod in Psalmis scriptum est: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* (Psal. 35.) Hæc autem omnia perdiderunt filiæ Sion, quia ambulauerunt extento collo, & oculorum nutib. superbiam gestierunt, putantes suæ esse potentiæ, quod habebant, & non Domini gratiæ. Habent acus mulieres, quibus crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & in sparsos dissipentur capillos. Habent & specula, quibus considerant vultū suum, & si quid deesse viderint, addunt ornamento. Habent & theristra, quę nos pallia possumus appellare, quib. obuoluta est & Rebecca, & hodie Arabię ac Mesopotamiæ operiūtur fœminę. Filiæ ergo Sion ꝓpter superbiam suā perdiderunt acus, quibus omniū præceptorum regula stringebatur, perdiderunt specula, quæ obtulerēt in Exodo, manētes in forib. tabernaculi, mulieres ad lauacrum Dñi fabricandum. De quibus & Paulus Apost. loquebatur: *Videmus aūt nunc per speculum in ænigmate.* (1. Cor. 13.) Amiserunt sindones & vittas, quibus operiebant humeros, & fluentes huc atque illuc animum constringebant, & theristra, quo tutissimo in æstibus tegebantur vmbraculo. Item inaures obedientia siue intellectus in scripturis textus intelligitur: vnde in Exodo viri cum mulieribus præbuerunt ar-

millas & inaures, [illegible] & dextralia. In malá vero par-
tem al[illegible] [illegible] trahũt, vt est illud, quod [illegible]
fornicat[illegible] vituli conflatilis i Exodo legitur, vbi [illegible]
Ex.d. 32. Aaron: *Tollite inaures aureas de vxorum & [illegible] vestrarum auribus, afferte ad me.* Et in lib. Iudic. Gedeon ad populum
Iud.8. dixit: *Date mihi inaures ex preda vestra.* Inaures [illegible] aureas Ismahelitæ, i. obedientes sibi habere consueuerunt. Et post
Ibid. pauca, *fornicatusq; est,* inquit, *[illegible]* Torques prædica-
Ezech.16 tionis decus intelligitur, vt in Ezech. *Dedi* inquit, *armillas in manibus tuis, & torq[illegible] circa collum tuum.* Et in malá par-
Iud.8. tem in lib. Iudic. *preter torques aureas camelorum* h.e. ornatam eloquẽtiam peccatorum. Armillas decus operis vel
Exod.35. virtutis, vt in Exod. *Viri cum mulieribus prabuerunt armillas.* Dextralia, recta operatio, vbi & supra. Discretio boni & mali, vbi & supra Annulus, vt supra diximus, fidei signaculum significat, [illegible] in Euangelio: *Date annulum in manu*
Luc.15. *eius.* Item annulus obsignatio sacræ legis est: non n. omnibus patet mystica & occulta S. Scripturæ intelligẽtia: vnde scriptum est in Apocalypsi: *Vidi librum in dextera seden-*
Apoc.5. *tis signatum sigillis septem.* Et alibi, *clausi* inquit, *signatiq; sunt*
Dan.12. *sermones.* Specula quoq; præcepta diuina siue exemplaria præcedentium patrum intelliguntur, vnde scriptum est
Exod.38. in Exodo: *Fecit & labrum æreum cum basi sua de speculis mulierum excubantium in [illegible] tabernaculi,* h.e. sanctarum animarum, quæ in obseruantia mandatorum Dei quotidie vigilant. In polymito varia virtutum charismata intelliguntur, vt est illud in Ezechiele: *[illegible] te oleo & vestiui te discolo-*
Ezech.16. *ribus.* Et in aliam partem: *Negotiatores tui* hoc est, Tyri, *in*
Ezech.27. *voluceres hyacinthi & polymit[illegible] gazarum pretiosarum.*

Capvt XXV.

De cingulis.

Cinctus est lata zona, & minus lata semicinctium, & vtriusq; diminutiuum cingulum. Nam à cincto per diminutionem cingulum nominatum. Cincto autem iuuenes in exercitatione cãpestri verecunda velabant, vnde & campestris dicebatur. Cingulum ergo spiritalem
Psal. 29. operationem significat, vt est illud in Psalmo: *Præcinxisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, vt non compungar.* Balteus cingulum militare est, dictus per hoc, quod ex eo signa dependent ad demõstrandam legionis militaris summá, id est, sex millium sexcentorum, ex quo numero & ipsi consistunt: vnde & balteus dicitur; non tm̃, quod cingitur, sed etiam à quo arma depẽdent. Balteus vero accinctum virtutum significat, siue circumspectionem mẽtis,
Deut.23. vt est illud in Deuterono. *Habebis paxillum in balteo,* id est, stimulum compunctionis in multiplicatione virtutum. Et in aliam partem baltei significatio in Iob, vbi legitur:
Iob. 12. *Balteum regum dissoluet, & præcinget fune renes eorum.* Zona græcum est, quã illi zonarim, nos cingulũ nuncupamus. Strophium est cingulum aureum cum gemmis, de quo ait Cinna: *Strophio lactantes cincta papilla*: sed prudẽtius nomen hoc gemmæ strophio [illegible]gata est. Zona enim significat mortificationem corpo[illegible]: vnde de Iohanne Bapti-
Matth.3. sta in Euangelio legitur: *Ipse autem Iohannes habebat vestimẽtum de [illegible] camelorum, & zona pellicea circa lumbos suos: esca autem ei[illegible] erat locusta & mel silucstre.* Ecce in Iohanne vilitas ci[illegible] & [illegible]enti laudatur, quorum exercitatio in diuite argu[illegible]r; *& pilis* inquit, *habebat*, non de lana; quia aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ [illegible]ollioris. Zona autem pellicia, qua accinctus fuit & Helias, mortificationis symbolũ est. Porro quod sequitur: *esca autem eius erat locu[illegible] & mel [illegible]stre* habitatori solitudinis congruum fuit: vt non d[illegible] ciborum, [illegible]d necessitatem humanæ carnis [illegible]pleret. Redi[illegible]ulum est, quod succincto[illegible]um siue bracil[illegible] nuncupa[illegible], quod descendens per ceruicem, & à lateri[illegible], colli d[illegible]um, vtrarumq; a[illegible] ambit atq; hinc inde [illegible]cingit, vt constringens latitudinẽ vestis corpu[illegible] contrahat [illegible] c[illegible]ngẽdo componat. Hunc vulg[illegible] [illegible]em [illegible] [illegible]acul[illegible]m dicunt; quamuis non brach[illegible] [illegible] cingulum. H[illegible] habitu cõsue-[illegible] [illegible]uerunt in [illegible] pro[illegible] [illegible]otantes, [illegible] brach[illegible] [illegible] ad om[illegible], e[illegible] redde-r[illegible] [illegible] ep[illegible] [illegible] virtu-

t[illegible] com[illegible]ler[illegible] [illegible]
rant m[illegible] [illegible] manifesta [illegible] paucis [illegible]
d[illegible], [illegible] la[illegible] & [illegible] nocte [illegible]
quem v[illegible] [illegible] auaremini. [illegible] qui [illegible]
d[illegible]. Succinctorium autem vocat[illegible], [illegible]
sub brachiis ductum alarum sinum a[illegible]
cingit. Succinctorium autem sig[illegible]
iustitiæ & veritatis: vnde scriptum e[illegible] in E[illegible]
[illegible] erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides [illegible]
eius: quia ipsi factus est nobis a Deo sapientia & iustitia [illegible]
ficatio & redemptio, qui in Euangelio loquebat[illegible]
Lux & Via, Vita & Veritas de quo in P[illegible]
tas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. [illegible]
hortatur Ephesios, dicens: *State ergo succincti lumb[illegible]*
in veritate, & induti lorica iustitiæ. Fascia est, qua [illegible] pe-
ctus, & papillæ comprimuntur atq; crispanti [illegible]
gustius pectus artatur; & dicta fascia, quod in modum [illegible]
fasculi corpus alligatur; hinc & fasciolæ, quibus vu[illegible]
alligantur: potest autem in fascia sollicit[illegible]
dia erga cogitationes peruersas & desideria noc[illegible]
ligi, quam mulier, hoc est, fidelis anima ad co[illegible]
nem sui sibimetipsi adhibet: vnde dicit Propheta. [illegible]
quid potest obliuisci mulier ornamenti sui, aut fasciæ pectoralis [illegible]
& reliqua.

Capvt XXVI.

De calciamentis.

Svtores nuncupatos, quod insertis filo porco[illegible] [illegible] suant, id est, consuant, quasi setores. Caligarios vero non à callo pedum, sed à calo, id est, ligno vocato[illegible], [illegible] quo consui calciamenta nõ possunt, quos græci [illegible]das dicunt. Fiebant autem prius ex salice tantu[illegible] [illegible] calciamenta dicta, quod in calo, i. ligno fiant, vel [illegible]centur. Calciamẽta ergo mystice significant prædica[illegible]nem pacis, de quibus Propheta ait: *Quam speciosi sunt [illegible] montes pedes euangelizantium pacem, prædicantes bonum.* Et Apostolus, *calciati,* inquit, *pedes in preparatione Euang[illegible].* Hinc & in Ezechiele scriptum est: *Calciaui te hyacinth[illegible],* id est, spe cœlesti, *& calciamento,* exemplo videl. præce[illegible]tium patrum. De quo in Exodo legitur; *Et calciamenta habebitis in pedibus vestris.* Item calciamenta opera sunt [illegible]talitatis, vel exempla prauorum hominum [illegible] Apostolos prohibuit in Euangelio, dicẽ[illegible] *N[illegible] calciamenta portabitis in via.* Ocreæ, tibialia calciamenta, [illegible] [illegible]ra tegant. Cothurni sunt, quibus calciabantur tra[illegible], qui in theatro d[illegible]turi erant, & alta intonantiq; voce carmina cantaturi. Est enim calciamentum in mod[illegible] [illegible]pidat[illegible]m, quo heroes vtebantur; sed tale est, vt [illegible] xtro & in læuo conueniat pede. Soleæ sunt, q[illegible] tantum pedum plantæ teguntur, dictæ à solo ped[illegible]. Item soleæ materiales ex materia corij intexta. M[illegible] [illegible] siue sandalia dis[illegible]retione doctrinæ significant, vnde Dñs in Euangelio secundum Marcum iussit d[illegible]pulo[illegible] [illegible] pedes sandaliis vel soleis: vt pes neq; tectus sit, ne[illegible] tus nudus ad terram: quod mystice signi[illegible] nec [illegible]cultetur Euangelium, nec terrenis co[illegible]odi[illegible] [illegible] Socci, cuius diminutiuum soccelli, appel[illegible] de q[illegible]d soccum habeant, quo pars plantæ inn[illegible]. Cal[illegible] callicæ, vel à callo pedum dictæ, vel quia l[illegible]gant [illegible] socci non ligantur, sed tantum intromittuntur. [illegible] vero [illegible] caligæ in Actibus Apostolorum [illegible], vbi Petrus Apostolus legitur ab Ange[illegible] ad[illegible], [illegible] calciare se caligis suis, & sequeretur eu, quod [illegible], vt solutus a vinculis terrenis libe[illegible]us iret ad pr[illegible] Euangelij. Corrigiæ a core[illegible]s vocantur, vel à co[illegible] ne, quasi colligiæ. Corrigia ergo mystice l[illegible] significat mysterij, vnde Ioannes Baptista d[illegible] D[illegible] *Cuius non sum dig[illegible] corrigiam calciamenti [illegible]* [illegible] [illegible]steria incarnationis eius reuelare; vel [illegible] gnus eius calciamenta p[illegible], id est, non [illegible] p[illegible] vsurpare.

Exod.[illegible]
Marc.[illegible]
Marc.[illegible]
Act.12.
[illegible]

FINIS LIBRI XXI.

INDEX CAPIT. LIBRI XXII.

LIBER XXII.

Capvt I.

De mensis & escis.

PRimus Dædalus mensam & sellam fecit. Coquinæ apparatum Apicius quidã primus composuit, qui in eo assumptis bonis morte voluntaria periit, & merito; quia is, qui gulæ atq; edacitati seruit, & animam & corpus interficit. Ab esu & comesu mensæ factum vocabulum: nullum n. alium habet vsum. Coquere ergo significat verbum Dñi subtiliter in corde debere meditari, hoc est, quasi mente decoquere: cuius verbi frequentatio in libr. Leuitici reperitur. Comedere enim mystice

Ioan. 6. significat verba diuina spiritaliter sumere, & panẽ illum, qui de cœlo descendit, auide delectare: vnde in Iohele

Ioel. 2. scriptum: *Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis Dominum Deum vestrum.* Thorus dicitur à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponuntur. Stesadiũ ab stipitibus dictum, quasi stipadium: sic n. prius scriptum est. Conuiuium apud græcos à cõputatione sympotium, apud nos vero à conuictu rectius appellatur, vel quia vitæ collocutionem habet. Item cõuiuium à multitudine conuescentium: nam priuata mensa victus est, cõuiuium non est. Conuiuij triplex est modus: discumbendi, edendi & bibendi, vt:

Postquam prima quies epulis mensæq; remotæ est,
Crateres magnos statuunt, & vina coronant.

Cõuiuium autem mystice siue S. Scripturæ meditationẽ significat, vbi refectio spiritalis sumitur: vel remunerationẽ futuram demõstrat, vbi plenitudo omnium bonorũ sanctis & dignis hominib. præparata esse creditur. Vnde

Esa. 25. in Propheta scriptum est: *Præparabitur a Domino in mõte hoc conuiuiũ pinguium, conuiuium medullatorũ & vindemiæ defæcatæ.* Cibus dictus, quia capitur ore, sicuti esca quia eam os capit. Victus proprie vocatus, quia vitam retinet: vnde & ad cibum vocare inuitare dicitur. Alimonia dicitur, eo, quod eius sumptu corpus alatur. Hanc iuuenes accipiũt ad incrementum, senes ad perseuerantiam: neq; n. subsistere poterit caro, nisi cõfortetur alimentis. Cibus enim aut prædicationẽ sermonis Domini significat, aut volun

Ioan. 4. tatem Dei: vnde Dñs ait in Euangelio: *Meus cibus est, vt fa-*

Psal. 80. *ciam voluntatem Patris mei.* Et in Propheta: *Cibauit* inquit, *eos ex adipe frumenti* quod siue manna significat, siue corpus Dñi Christi. Adipem quippe dicimus animalium pinguedinem corpulentam; quod nomen ad frumentum abusiue translatum est, vt significaret ei interius aliquam

* inesse * inesse bonitatem. Victus autem necessarium cibum [illegible] non delitiosum: vnde dicit Apostolus: *Habentes*

1. Tim. 6. *autem victum & vestitum* siue (vt in aliis exemplaribus legimus) *habentes alimenta & operimenta his contenti simus.* Ac si diceret: sufficit illa habere, quæ ad vsum sunt nobis necessaria. Hæc enim tueamur sola; cetera vero si cumulata fuerint aliis relinquamus in modum. Habentes autem alimenta & operimenta, & his contenti simus: *operimenta*, inquiens, non *vestimenta*, vt in quibusdã latinis exemplaribus non proprie circumfertur, id est, quæ corpus operiant, nõ quæ amictus gloria blandiantur. Opulentia ab ope dicta est, quam si discutias, inuenies eam tenere modum: nam quomodo opitulatur, quod nimium est: cum incommodius sit, quam parum. Opulentiæ autem nomen non solum ad corporales res, sed etiam ad spiritales pertinet, quia opes fuerunt, hoc est, diuitię terrenæ. Similiter & opes virtutum in scripturis leguntur, quæ magis diuitem faciunt hominem, quam diuitiæ terrenæ; quia ex terrenis desideriis ex cupiditate seculari cruciatur animus hominum: ex amore autem cœlestium consolatur & pascitur; vnde Apostolus ad Timotheum

1. Tim. 6. scribens ait: *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui nobis omnia abunde ad fruendum: bene agere, diuites fieri in operib. bonis facile tribuere, cõmunicare, thesaurizare sibi fundamentum bonũ in futurum, vt apprehendãt veram vitam.* Epulæ ab opulentia rerũ dictæ. Epulæ aũt simplices in duo necessaria diuidũtur, panem & vinum; & duo superflua, quæ terra & mari vescendi causa exquiruntur. Dapes aũt regum sunt, epulæ priuatorum. Delitiæ nuncupatæ, quod his delectentur homines, easq; suauiter appetant. Epulæ aũt quando in bonam partem significationem ducunt, spiritale gaudiũ sanctorum in bonis virtutum & sapientiæ exprimunt.

1. Cor. 5. Vnde & Apostolus ait: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ,* &c. hoc est, lætitiam habentes renouationis facta vetera fugiamus, immundiciam omnem abiicientes à nobis, quæ est corruptio: quia sicut *fermen-*

Ibid. & Gal. 5. *tum totam massam corrumpit* ita & mala vita totum hominem. Similiter autem dapes deliciæ spiritales delicias bonorum actuum & sacræ scientiæ significant, quæ pascunt animam. Econtrario vero quando abutitur homo

* tantum terrenis deliciis, & corporali cibo, nõ * animæ, sed & corpori detrimentum facit. Pulmentum vocatur a pulte: siue n. sola pultis, siue quod aliud eius permixtione sumatur: pulmentum proprie dicitur. Pulmentum n. legitur Isaac

Gen. 27. Patriarcha expetiuisse ab Esau filio suo, quod tamen Iacob bene expleuit; quia Isaac inde bene refectus benedictionem pro eo plenam illi rependit: quod significat: remotãte priori populo in exteriori exercitatione, populus gentium Deo Patri bonę voluntatis & innocentiæ simul offerẽs æternæ benedictionis gratiam accipere promeruit. Satietas autem & saturitas sibi differunt. Nam satietas & ex vno cibo dici potest pro eo, quod satis sit: saturitas autem à satura nomen accepit, quod vario est alimentorum apparatu compositum. Satietas autem aliquando in bonam partem, aliquando vero in contrariam ponitur. In bonam, quando abundantiam virtutum in præsenti, vel plenitudinem remunerationis in fu-

Matth. 14 turo significat; vnde scriptum est in Euangelio: *Satiauit*

Psal. 16. *Dominus quinq; millia hominum.* Et Propheta, *Satiabor*, inquit, *dum manifestabitur gloria tua.* In contrariam autem partem satietas ponitur, dum scriptura dicit de impiis: *Satiabuntur pœnis suis*, hoc est, abundabunt tormentis futuris. Similiter & saturitas in bonam & in contrariam partem reposita reperitur. In bonam vbi Propheta di-

Psal. 21. cit: *Edent pauperes & saturabuntur.* Et in Euangelio Domi-

Matth. 5. nus: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi satura-*

Psal. 16. *buntur.* In malam vero, vbi de Iudæis Psalmista dicit: *Saturati sunt porcina, & reliquerunt quæ superfuerunt, paruulis*: sordibus enim peccatorum suorum replebantur, qui contrarij Filio Dei extiterunt, & transmiserunt reliquias peccatorum filiis suis, quando clamabant: *Sanguis*

Matt. 27. *eius super nos & filios nostros.* Crapula est immoderata voracitas, quasi cruda epula, cuius cruditate grauatur cor, & stomachus indigestus affligitur. Immoderata enim voracitas vitium est: sed tantum id salutis est, quantum

[illegible]ntationi naturæ æque sufficiat. Crapula autem iuxta allegoriam vel tropologiam in contrariam partem magis, quam bonam accipitur: quia ad vitium magis refertur, quam ad virtutes. Hinc Dominus in Euangelio discipulis ait: *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat repente super vos dies illa* & reliqua. Prandium ab apparatu edendi dictum. Proprie autem veteres prandium vocabant omnium militum cibum ante pugnam; vnde est illud ducis alloquium: *Prandeamus, tanquam apud inferos cœnaturi.* Cœnam vocari aiunt à communione vescentium. Cœnon quippe græci commune dicunt, vnde & communicantes, quod communiter, id est, pariter conueniant: apud veteres enim solitum erat in propatulo vesci & communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Est autem cœna vespertinus cibus, quam vespertinam dicebant antiqui: in vsu enim erant prandia. Prandium enim mystice pastum significat præsentis temporis, vbi fideles sanctorum Prophetarum & Apostolorum dictis & exemplis pascuntur. Vnde & in euangelica parabola scriptum est: *Rex seruis suis ait dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri & altilia sunt occisa & omnia parata sunt.* Cœnam autem finem mundi intelligere possumus, vbi Dominus vnicuique reddet opera sua; vnde in Euangelica parabola, dignis in conuiuio recumbentibus, ille, qui non habuit vestem nuptialem, proiectus est de consortio aliorum in pœnam sibi condignam: quia recumbentib. electis in quiete superna soli reprobi proiicientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Panis dictus, quod in omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat. Pan enim græce omne dicitur. Cibarius est, qui ad cibum seruis datur, non ad delicias. Fermentatus panis, fermentis cõlectus: azymus, non fermentatus. Nam azymus est sine fermento, sincerus. Acrizymus leuiter fermentatus, quasi acroazymus. Panis autem & in bonam partem, & in malam accipitur. In bonam vero partem, quando Christum significat, vel sermonem eius. Vnde ipse ait in Euangelio: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et item: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Fidem significat panis, vt in Euangelio: *Quis, inquit, vestrum habebit amicum, & ibit ad illum nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes.* Item panis caritas intelligitur, vnde in Euangelio Dñs ait: *Quis vestrum patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi?* Rursum panes, decem plenitudines omnium [illegible] decalogum seruantium intelliguntur: & panes duodecim, qui super mẽsam propositionis per singula sabbata mutabantur, duodecim Apostolorum obtinent sacramentum. In contrariam vero partem panis ponitur, vbi doctrinam hæreticorum significat: vnde in Salomone scriptum est, *Aquæ furtiuæ dulciores sunt & panis absconditus suauior.* Item ibi, *ne desideres*, inquit, *de cibis eius, in quibus est panis mendacij.* Azyma sinceritatem mentis significant absque fermento malitiæ, vt in Apostolo; *In azymis*, inquit, *sinceritatis.* Simila[illegible]go, fidelium multitudo, puritas mentis, operatio misericordiæ, & fortitudo caritatis intelligitur. Vnde in Leuitico scriptum est: *Si autem offert munus, sacrificium [illegible] simila[illegible]go sit munus eius.* Subcinericius panis dicitur coctus sub cinere & reuersatus: ipse est focacius. Subcinericius humilitatis oblationem significat, vt in Genesi: *Festina citer, ait, conspergetres mensuras similaginis, & fac subcinericium panem.* Et in aliam partem: *Factus est Ephraim, sicut subcinericius, qui reuersatur.* Clibanicius in testa coctus. De clibanicio pane in Leuitico scriptum est: *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila panes scilicet absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita.* Recte ergo sacrificium in hoc loco, vt denunciaret natiuitatem Christi, dicitur coctum clibano, Dei genitricis videlicet vtero. Ille enim clibanus necessario nominatur, qui & panem ignemque desuper clibanus suscepit: sic & Dei genitrix desuper vitæ panem, Deum videlicet Verbum, in suo vtero ignemque suscepit præscientiæ spiritus. Verba ergo Apostolorum, panes [illegible] Prophetarum [illegible]. [illegible] panes [illegible] ad [illegible] aptiores, tantum verba Apostolorum, verba Prophetarum. [illegible] doctrina [illegible] habent, [illegible] scientiæ [illegible] quod [illegible] percipere. Placentæ [illegible] [illegible] placent. Dulcia sunt genera pistorij [illegible] dicta, [illegible] melle enim aspersa [illegible]. [illegible] panis ipsa & fragmenta, quia diuiduntur [illegible]. [illegible] placentis in Hieremia mentio fit, [illegible] luxus, quod placentas siue focacias reginæ cœli [illegible] quod hæreticos siue schismaticos [illegible] [illegible] seculari [illegible] hæresi excoquentes [illegible] Deo, sed malignis spiritibus offerunt illud. [illegible] scriptum: *Mittit crystallum suum, sicut [illegible] panis.* Crystalli substantia obstinati peccatoribus [illegible] tur, qui algore perfidiæ constricti per [illegible] gelascunt. Hos quoque Dominus, velut [illegible] [illegible]ttit, quando conuersos sua facit prædi[illegible] lia, vnde populus esuriens cœlesti pane vescitur. [illegible] enim partes corporis dicimus alicuius. [illegible] quoque doctrinæ diuersa dona, quæ * expectatoribus [illegible] suis Dñs sæpius monstrare dignatus est. [illegible] feruore nuncupatum, q plus vna hora non [illegible] tis; crescendo n. excedit. Farina & furfur est [illegible] cuius sunt purgamenta. Amolum flos farinæ [illegible] mum præcleum [illegible] mola egestum; vnde & appellatum, quasi a mola. [illegible] fides intelligitur in Euangelio, vbi scriptum est, *Mulier accepto fermento misit in farina [illegible] tria.* Item fermentum corruptionem mentis significat [illegible] peccatum, vt in Exodo: *Omnis*, inquit, *qui comedit [illegible] tatum peribit anima eius.* Farina, multitudo fidelium, [illegible] in Euangelio: *Mulier accepto fermento, misit in farina [illegible] ta* quod est Trinitatis mysterium. Farina [illegible] bonum vel malum, sicut est illud in Propheta: *Non est manipulus in eis faciens farinam. quod & si fecerit, alieni comedent ea.* Carnes dictæ, quia caro sunt, siue à creando. vnde & a græcis creas vocatur. Caro sacramentum [illegible] Domini in Euangelio: *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem.* Carnes historia legis [illegible] lunt in Exodo: *Ad vesperum vescemini carnibus, & [illegible] saturabimini panibus*, hoc est, post illuminationem [illegible] resurrectionem Domini nostri Iesu Christi [illegible] vescemini. Caro etiam hominem exteriorem significat, vnde scriptum est in Apostolo: *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* & sanguis operationem carnalem. Vnde Propheta dicit in Psalmo: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Item caro & sanguis ingluuiem ventris atque luxuriam significant, vt in Apostolo; *Caro & sanguis*, inquit, *regnum Dei non possidebunt.* Crudum dicitur, quod sit cruentum, [illegible] cum sanguine coctum. Sed & multi temporis [illegible] coctum vocatur. Assum, quod ardeat, vt arsum. [illegible] xum, quod in aqua sola decoquitur. Lixa enim aqua dicitur ab eo, quod sit soluta; vnde & solutio [illegible] luxus, & membra loco mota luxa dicuntur. Præceptum namque ita est in lege de agni carnibus in Pascha vescendis: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni.* Quid crudæ agni carnes, nisi inconsideratam ac sine reuerentia cogitationis reiectam [illegible] humanitatem significant? Omne enim, quod [illegible] cogitamus, quasi in mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda est, nec aqua cocta, quia Redemptor [illegible] ster nec purus homo æstimandus est, neque per humanam sapientiam, qualiter incarnari Deus potuit, cogitandum. Omnis enim, qui Redemptorem [illegible] purum hominem credit, quid ille aliud quam agni carnes crudas comedit, quas videlicet coquere per [illegible] eius intelligentiam noluit. Omnis enim, qui [illegible] eius mysteria iuxta humanam sapientiam [illegible] nitur, carnes agni aqua vult coquere, id est, [illegible] nis eius mysterium per dissolutam [illegible] [illegible] tiare. Frixum a sono dictum, quando [illegible] Frixura significat tenorem pœnæ. Vnde Psalmista ait: *Ossa mea sunt in frixorio confrixa sunt.* Sicut [illegible] spera bonorum [illegible], [illegible] pinguescit, quando [illegible] conscientia [illegible]

Luc.21.
Matth.22
Ioan.6.
Ibid.
Luc.11.
Ibid.
Exod.25.
Prou.9.
Prou.23.
1.Cor.5.
Leuit.2.
Gen.18.
Osee.7.
Leuit.2.
1.Cor.15.
Exod.12.
Psal.101.

Prou. 15. [illegible] Salomone: *Fama bona impinguat*
* Fama *ossa*. [illegible]
quam [illegible]
& c[illegible]
fugere [illegible], quando [illegible] ignes [illegible]
[illegible], ipsius [illegible]
tore iam fugere. [illegible] m, quasi sale asperum, dempta
[illegible] syllaba [illegible]. Sal enim condimentum
Matth. 5. sapientiæ significat, vt in Euangelio ipsa Veritas ait: *Vos*
Marc. 9. *estis sal terræ*. Et item: *Habete*, inquit, *sal in vobis*. Rursum
sal infirmatus Iudæorum scientiam significat in Leuiti-
co. *Vidi*, inquit, *super terram illam puluerem & sal*. Sal er-
go quoque cordis compunctionem designat, sicut in
Iob. 39. Iob de onagris, hoc est, monachis dicitur: *Tabernacula e-*
ius in terra salsuginis. Item salsugo infidelitas Iudæorum,
Psal. 106. vel ariditas mentis in Psalterio: *Terra fructifera in salsugi-*
nem. Ius coquinæ magistri à iure nuncupauerunt, quia
est lex condimenti eius. Hanc græci zemam vocant.
Coquere ergo diligentem meditationem significat. Ver-
bum Domini subtiliter in corde meditari, quasi mente
decoquere est: quod in Leuitico ita probatur. Come-
dere est diuina verba spiritualiter sumere, & panem il-
lum, qui de cœlo descendit, auide delectare. Vnde in
Ioel. 2. Iohel: *Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis Do-*
minum Deum vestrũ. Fames egestas fidei, & assumptio ver-
Luc. 15. bi diuini in Euangelio: *Facta est fames valida in regione illa,*
Esa. 5. *& ipse cepit egere*. Et in Esaia: *Propterea captiuus ductus est po-*
pulus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interie-
Amos 8. *runt fame*. Et in Amos: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, &*
emittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed
Psal. 32. *audiendi verbum Dei*. Et in Psalmo: *Vt eripiat à morte animas*
eorum, & alat eos in fame. De hac fame verbi Dei pro viro
Psal. 36. iusto in Psalmo dicitur: *Iunior fui & senui & non vidi iu-*
stum derelictum, nec semen eius egens pane. Et in Salomone:
Prou. 10. *Non occidet Dominus fame animam iusti*. Sitis hoc, quod &
superius, [illegible] cordis, vbi non est verbum Domini
Esai. 5. In Esaia: *Multitudo eorum siti * caruit*. Et in Hieremia:
* exaruit *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à siti*. Et in bo-
Ierem. 2. nam partem: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*. Lac à
Matth. 5. græco [illegible] est pro candore. Græci enim
album [illegible] dicunt, quod nutrit & quod nutritur. Nã
[illegible], vulnus, sanguine. Vbera, vnde lac procce-
dit, quatuor Euangelistarum doctrinam significant. Vn-
Cant. 4. de in Cantico canticorum scriptum est: *Meliora sunt vbera*
tua vino. Lac quoque prisca lex per Moysen prolata in-
telligitur: vel prædicatoribus noui Testamenti in Ge-
Gen. 49. nesi dicitur: *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes lacte can-*
didiores. Item lac simplicem doctrinam significat in A-
1. Cor. 3. postolo, vbi dicitur: *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis*
potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Hic lac sen-
sus accipitur, id est, intellectus paruus. Hinc & in E-
Esa. 60. saia scriptum est de ecclesia gentium: *Mamilla regum la-*
ctaberis, hoc est, prædicatione sanctorum doctorum nu-
trieris. Item lac simplicitatem mentis significat in epi-
1. Pet. 2. stola Petri, vbi dicit: *Rationabiles sine dolo lac concupiscite,*
1. Cor. 9. *vt in eo crescatis in salutem*: vnde & alibi scriptum est: *Quis*
pascit gregem, & de lacte gregis non comedit? Quactum,
quasi coactum, id est, quasi coagulatum. Accepta enim
secum alia specie coagulatur. Coagulatum & in bono
& in malo ponitur. In bono sicut in sexagesimo septi-
Psal. 67. mo Psalmo dictum est: *Mons coagulatus, mons pinguis*.
Coagulatum caritatem concretam significat. Mons e-
nim vber est Christus vel Ecclesia. In malam vero par-
Psal. 118. tem, vbi scriptum est: *Coagulatum est sicut lac cor eorum*,
quod significat vitiis concretum. Caseus [illegible]
talis (vt quidam volunt) sicut in libris Regum pro Da-
1. Reg. 17. uid [illegible]. *Dixit ei pater suus: Accipe [illegible] polentæ*, id est,
[illegible] modiorum mensuram, *& decem formellas casei, & fer*
[illegible]: quod [illegible] decem præceptorum legis figuram
[illegible] fide [illegible] Trinitatis. Butyrum euangelicus ser-
[illegible], sicut in Genesi de Abraham
Gen. 18. [illegible] cum cæteris dapibus, hoc est, vitulo &
[illegible] butyrum in prandio Domino obtulit. Item
butyrum [illegible] Ecclesiæ, quæ ex Iudæis credidit: vnde
Esa. 7. in Esaia de Domino [illegible]: *Butyrum & mel manduca-*

bit. Post [illegible] Saluator noster butyrum, hoc est, [illegible]
credentium [illegible], hoc est, dulcedinem di-
lectionis [illegible]. Mel græcæ appellatio-
nis est, quod [illegible] probatur. Nam
apis græce [illegible]. [illegible] erant de
[illegible], inueniebanturque [illegible], vnde &
Virgilius:

Hactenus aerei mellis cœlestia dona.

Siquidem huiusque in India & Arabia colligatum repe-
ritur [illegible] in similitudinem salis. Mel quo-
que mystice significat dulcedinem præceptorum Dei,
vnde Propheta dicit in Psalmo: *Quam dulcia faucibus* Psal. 118.
meis eloquia tua, Domine super mel & fauum ori meo. Item
mel dulcedinem ipsius per figuram exprimit Saluatoris,
de quo in Cantico Deuteronomij dictum est: *Suxerunt* Deut. 32.
mel de petra. Et Psalmista: *De petra*, inquit, *melle saturauit* Psal. 80.
eos. In contrariam vero partem mel ponitur, vbi dulce-
do peccati, & vita voluptuosa designatur. Propter quod
etiam in sacrificio Dei per legem prohibitum est offerri.
Fauum vocari, quia comeditur magis quam bibitur. Fa-
gere enim græci comedere appellant. Fauus enim mel-
lis iuxta allegoriam caro est Saluatoris, diuinitatis dul-
cedine plena, vt in Euangelio: *Et posuerunt*, inquit, *co-* Luc. 24.
ram eo partem piscis assi, & fauum mellis. Item fauus scriptu-
ra est diuina melle spiritualis sapientiæ repleta, vt in Can-
ticis canticorum: *comedi*, inquit, *fauum cum melle meo*. In Cant. 5.
contrariam vero partem fauus est positus, vbi hæreticorum-
rumque illecebrosam deceptionem significat, vnde in
Prouerbiis legitur: *Fauus distillans labia meretricis*. Aiunt Prou. 5.
medici, & qui de humanorum corporum scripsere natu-
ris, præcipueque Galenus in libris, quorum titulus est
Neptie, in quo narratur puerorum & iuuenum ac perfe-
ctæ ætatis, mulierumque corpora insito calore feruere,
& noxios esse his ætatibus cibos, qui calorem augeant,
sanitatique conducere frigida, quæque in vsum sumere,
sicut econtrario senibus, qui pituita laborent & frigore,
calidos cibos & vina vetera prodesse.

CAPVT II.

De potu.

POtio à græca derivatione vocata, hanc enim illi po-
tos dicunt. Aqua generaliter vocata, quod superfi-
cies eius æqualis sit. Hinc & æquora, quam inde recen-
tem dicimus, quæ non est vtilis vetusta, vt [illegible]: sed
statim hausta à flumine, fonte vel puteo. Fœtescit enim
vetusta. Aqua enim naturalis est potus & [illegible]
omnibus communis, vnde & salubrior ceteris. Potus ve-
ro aliquando significat gratiam Spiritus sancti, vt in Psal-
mo: *Torrente*, inquit, *voluptatis tuæ potabis eos*. Item in a- Psal. 35.
liam partem: *Non est*, inquit, *regnum Dei esca & potus*. Vi- Rom. 14.
num dictum inde, quod eius potus venas sanguine re-
pleat. Hoc alij, quod nos cura soluat, lyæum appel-
lant. Veteres viuum venenum vocabant, sed postquam
inuentum est virus lethiferi succi: hoc, vinum [illegible]
illud, venenum. Vnde & Hieronymus in libro, quem
de virginitate conseruanda scripsit, adulescentulas, in-
quit, ita vinum debere fugere, vt venenum: ne pro ætatis
calore feruentis bibant & pereant. Inde est, quod a-
pud veteres Romanos fœminæ non vtebantur vino, nisi
sacrorum causa certis diebus. Merum dicimus, cum vi-
num purum significamus. Nam merum dicitur quic-
quid purum atque sincerum est, sicut & aquam meram
nullo rei mixtam. Hinc & merenda, quod antiquitus id
temporis pueri & operarii quousque panis merus da-
batur, aut quod meridie, hoc est, eo tempore [illegible] ac
separatim cibum sumebant, non vtique sicut in prandio,
aut in cœna, ad vnam mensam. Inde [illegible] illum
illud tempus, quod post medium diem est, [illegible]
appellari, quod purum est. Vinum etiam plures [illegible]
cationes habet: quia aliquando significat [illegible]
Christi, vt in Euangelio: *Qui manducat carnem meam, &* Ioan. 6.
bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Aliquando gra- Marc. 2.
tiam Spiritus sancti, vt: *vinum*, a[illegible] *in vtres no[illegible]*

[illegible] Aliquando [illegible] diuinum [illegible] quod in [illegible] Psalmo: *Potasti nos vino compunctionis.* Aliquando [illegible] diuinum, vt in Apocalypsi: *Ipse calcauit torcular vini iræ furoris Dei omnipotentis.* Aliquando [illegible] doctrinam, vnde per Esaiam ad Iudæos dicitur: *Caupones tui miscent aquam vino.* Aliquando opera luxuriæ, vt in Apostolo: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et alibi: *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas.* Merum autem [illegible] iudicij aut veritatis, vel etiam calorem fidei significat, vt in Psalmo: *Vino, inquit, meri plenus [illegible].* Vnde beatus Ambrosius in hymno sacræ Epiphaniæ [illegible] declarauit ipse splendidissima luce verborum. Quod autem dixit, meri [illegible] semper putum, semper limpidum [illegible] ad gloriam [illegible] ebrietatem [illegible]. Quod [illegible] vetusque significat testamentum, quæ vtraque permixta animarum efficiunt salubertimam potionem. Vinum conditum feruentem amorem significat, id est, [illegible] pigmentis ornatum. Vnde in Canticis canticorum legitur: *Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Mustum [illegible] c [illegible] sublatum, dictum autem [illegible] quod in se limum & terram habeat [illegible]. Nam [illegible] terra, vnde & humus, cuius tanta vis feruoris est, vt vasa quamuis grandia ex eo plena absque [illegible] repleta illico disrumpat. Multum autem significat gratiam Spiritus sancti nouiter datam. Vnde legimus in Actibus Apostolorum, Iudæos de Apostolis dixisse: *Musto pleni sunt isti.* Quod licet illi prauo sensu interpretati sunt, veraciter tamen ipsi diuina gratia sunt repleti, ex qua multos salubri ebrietate potauerunt. Acetum, vel quia acutum, vel quia aquatum vinum, id est, aqua mixtum, cito in hunc saporem redigitur. Vnde & acidum, quasi aquidum. Mystice autem acetum [illegible] mentis significat, vnde in Psalmo scriptum est: *[illegible] potauerunt me aceto.* Matthæus enim refert, cum Dominus dixisset, *Sitio*: oblatum illi fel cum aceto permixtum: vt reuera perfecta Iudæorum amaritudo potionis ipsius [illegible] indicaretur. Ille enim dixit, *Sitio*: quia fidem in ipsis desideratam non poterat inuenire [illegible] obtulerunt amarissimos mores [illegible], qui nulla [illegible] conuersi sunt. Item acetum asperitas [illegible] intelligitur, vnde in [illegible] Nazaræi, qui se sanctificabant Domino, [illegible] prohibitum e [illegible] inebriare potest. Cuius licet nomen Hebræum sit, tamen [illegible] sonat pro eo, quod ex succo frumenti vel pomorum conficitur, aut palmarum fructus in liquorem exprimuntur, coctisque frugib. aqua pinguior, quasi succus, [illegible] & ipsa potio sicera nuncupatur. Sicera autem ebrietatem significat, à qua omnis scriptura sacra nos prohibet. Vnde in lege Dominus dixit ad Aaron: *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij,* id est, id [illegible] ministerium [illegible] doctrinam spiritalem. Tabernaculum enim [illegible] contactio. Vnde non solum [illegible] Apostolus prohibet inebriari, sed etiam Esaias Propheta simili modo ebrietatem detestatur, dicens: *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam,* &c. Item sicera peccati dulcedinem & voluptatem [illegible] significat. Vnde de præcursore Domini Angelus testatus est, dicens: *Vinum & siceram non bibet*; quia [illegible] & abstinentiæ deditus erat. Ebrietas autem aliquando sobrietas mentis intelligitur, vt in Actibus Apostolorum: *Hi ebrij sunt.* Aliter ebrietas & crapula [illegible] significat vitiorum, vt in Euangelio: *Attendite, ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Et in Salomone: *Sicut spina nascitur in manu ebrij,* [illegible] dicta, [illegible] Vnde de [illegible] [illegible] non [illegible] pere [illegible] verum [illegible]

[illegible] ad [illegible] terra. [illegible] Ecclesiæ Catholicæ [illegible]

Capvt III.

De vasis escariis.

Vasa dicta a vescendo, quod in eis escæ apponantur. Cuius diminutiuum, vascula, quasi vescula. Fictilia dicta, quod fiant & fingantur ex terra. Fingere est enim facere, formare & plasmare. Vnde & figuli dicuntur. Et vas fictile dicitur, non fictum, illud, quod mendacium est: sed quod formatur, vt sit & habeat aliquam formam. Vnde & Apostolus dicit: *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quare sic me fecisti?* Fictilia vasa in Samo insula prius inuenta traduntur, facta ex terra cretea & indurata igne; vnde & Samia vasa. Postea inuentum est, rubricam addere, & ex rubra terra fingere. Antiquiorem fuisse vsum fictilium vasorum constat, quam fundendi æris aut argenti. Apud veteres enim nec aurea nec [illegible], sed fictilia vasa habebantur, sicut ad vina dolia excogitata, ad aquas amforis, hydrus ad [illegible] neas, ac reliquis, quæ in vsibus hominum aut tota [illegible], aut manu aptantur. Fictilium ergo vasorum figura ad humanæ conditionis sortem pertinet. Vnde scriptum est: *Formauit Deus hominem de limo terræ.* Quæ [illegible] igne Spiritus sancti ad purum excocta, vasa pretiosa ad seruitium Dei habenda fiunt. Vasa enim pretiosa, aurea & argentea, sancti sunt sapientiæ splendore & eloquentiæ [illegible] fulgentes: sicut econtrario lignea, vel fictilia vasa, illi sunt, qui adhuc aliquid minus de perfectione habent. Vnde Apostolus: *In magna, inquit, domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea atque fictilia: & quædam sunt in honorem, alia vero in contumeliam.* Magna, inquit, domus est ecclesia, ex multis consistens hominibus. Necesse est ergo, non omnes ibi esse æquales. Nam & in magna domo non possunt omnia vasa similia reperiri, licet sit domus valde magna; sed inter aurea & argentea vasa perspiciuntur & lignea & fictilia, & alia quidem multa digna sunt honore, alia vero sunt contemptibilia & ad certum vsum decreta. Deinde quia naturalis erat vasorum diuisio, vt ne quid tale apud [illegible] existimaret, adiecit: *Si enim quis se mundauerit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum Domino, & vtilitatum, ad omne opus bonum preparatū.* Sed quod illic materia naturalis facit, hoc hic arbitrium. Qui enim se à deterioribus segregauerit, est vas vtile in honorem Dei; alia vero in contumeliam. Hoc autem in nostro est positum arbitrio & potestate; verum id, quod melius, an quod deterius est, eligamus. Cælata vasa argentea vel aurea sunt, signis eminentioribus [illegible] [illegible] a cœlo vocata, quod est [illegible] ferramentum, quod [illegible] cilionem vocant. Chrysenda vasa deaurata, [illegible] est. Anaglypha (quod superius [illegible] sculpta. Græce enim ana sursum, glyfe sculptura. Inde anaglypha, id est, sursum sculpta. Vasa enim [illegible] anaglypha [illegible] sanctos, [illegible] insignia distincta atque decoratos. Illa autem vasa, quæ deaurata dicuntur, [illegible] eos, quos donum [illegible] ad [illegible]. De quibus scriptum est in Psalmo: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Aurum ad [illegible] debemus [illegible] fulgorem, qua [illegible] ta sancta [illegible]. Et ne solam ibi intelligas esse caritatem, [illegible] dixit, *deaurato* non aureo. Deaurato [illegible] species [illegible] materia [illegible] Ideo [illegible] varietas [illegible] apparuit; quia [illegible] *circumamicta varietate.* [illegible] Ecclesiam [illegible] vasis [illegible] vsum. Sed hæc [illegible] quia [illegible] gens [illegible] Ecclesia [illegible] aut [illegible]

pœnitentium. Ornantur enim auro Apoſtolorum, argento Prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura pœnitentium. Iſta eſt ergo varietas virtutis, quæ oculis Domini et omnibus gentibus pia conuerſatione placitura conſiſtit. Diſcus antea ſcutella ab ſpecie ſcuti, vnde & menſa Apollinis Delphicus vocatus, quod det eſcas, i.e. apponat quaſi diſcumbentes dicti: ſiue apo to diſ in, i. quod iaceant. Paropſis, quadrangulum & quadrilaterum vas eſt, paribus abſidis. Patena, quod diſpanſis patentibus ſit oris lata. De diſco & parapſide in Euangelio legitur, h. in decollatione Iohannis, diſci cõmemoratio fit. Et in paſſione Saluatoris de parapſide legitur. In quibus admonemur, vt libidinem & crudelitatem fugiamus, & fraudem vel proditionem facere omnino caueamus omnes, qui luxuriam Herodis & auaritiam Iudæ deteſtamur. Menſa enim à menſe dicta eſt; quia eodem die conuiuia ritu gentium exercebantur. De menſa ergo Propheta ait: *Paraſti in conſpectu meo menſam.* Eccleſiæ vero menſa eſt beata conuiuatio, epulatio felix, ſaturitas fidei, eſca cœleſtis. Verum iſtam menſam aduerſus eos paratam eſſe manifeſtum eſt, qui non aliqua peruerſitate diuiſi ab eccleſiam Dei ſuo grauiter errore contriſtant, de quibus Apoſt. dicit: *Qui manducat indigne, iudiciũ ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*, datum ſcilicet ad remiſſionem peccatorum, & vitam perpetuam poſſidendam. Mementote autem, quod menſa in bono & in malo ponitur, ſicut dicit Apoſt. *Non poteſtis communicare menſæ Domini, & menſæ diaboli.* Item menſa altare eſt Chriſti, à quo fideles percipiunt corporis & ſanguinis eius myſterium. Rurſum menſa Domini eſt vtriusq; legis intellectualis epulatio, in qua conuiuarum more paſcuntur, qui delicias Domini auiditate mentis eſuriunt, & ſancti Spiritus ſaluberrima ebrietate impleri ſe deſiderant. Hæc Iudæis fuit in ſcandalum, ſicut Pſalmiſta teſtatur, dicens: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributiones & in ſcandalum:* quando ipſi Iudæi Chriſti ſpiritale deteſtati ſunt conuiuiũ. Præcepit Dominus Moyſi in Exodo, vt faceret menſam de lignis ſethim, & pararet in miniſterium eius diuerſa vaſa, hoc eſt, acetabula, phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda erant libamina, &c. Menſa enim Domini de lignis ſethim facta ſcriptura eſt ſacra, de ſanctis viris prolata. Vaſa varia, quæ ad offerenda ſunt libamina facta, variæ ſunt diſtinctiones eloquij diuini pro diſpari capacitate audientium: non enim vna eademq; omnibus poteſt conuenire doctrina. Aliter nãq; ſapientes, aliter inſipientes, aliter diuites, aliter pauperes, aliter ſani, aliter infirmi, aliter ſenes, aliter iuuenes, aliter viri, aliter feminę, aliter celibes, aliter cõiugati, aliter prælati, aliter ſubditi, docendi ſunt. Quæ tamen vaſa omnia ad offerẽda libamina pertinent: quia cum prudens doctor diuerſa pro diuerſitate audientium loquitur, vniuerſa in regula ſacræ Scripturæ reperiuntur, atque ad offerenda Domino vota bonorum operum corda excitant auditorum. Hinc & in libro Numerorum ſcriptum eſt, quod Principes offerent ad dedicationem altaris diuerſa vaſa, hoc eſt, acetabula, phialas, & mortariola. Quæ vtique myſticam ſignificationem habent. Denique acetabula, quæ anguſtum os habent, anguſtiam literæ legalis, & obſcuritatem locutionis propheticæ per myſterium exprimunt. Phialæ vero, quæ ex vitro primitus factæ dicuntur (nam Græci vitrum hyalon nominant) & cum ſummo ſunt oris latioris, luciditatem ac perſpicuitatem Euangelici ſenſus, in quo myſteria omnia legis & Prophetarum explanata ſunt, & plena locutione doctrinæ Apoſtolicæ, in qua ea, quæ prius in ænigmate latebant, in luce prolata & expoſita ſunt, inſinuant. Et quid in mortariolo aureo, niſi cor electorum plenum diuina ſapientia, & aromata in ſe continens virtutum, ſignificatur?

Matth. 14
Matth. 26
Pſal. 22.
1. Cor. 11
1. Cor. 10
Pſal. 68.
Exod. 25.

Capvt IV.

De vaſis potatoriis.

POculum à potando nominatum: eſt enim omne vas, in quo bibendi eſt conſuetudo. Poculum enim myſtice ſignificat calicẽ ſanguinis Domini, quod ſic inebriat, vt mentem ſanet, à delictis prohibens, non ad peccata perducens. Hæc vinolentia ſobrios reddit, hæc plenitudo malis euacuat; & qui illo poculo non fuerit repletus, æterna redditur egeſtate ieiunus. Inuenitur etiam in malo poſitum, vt Eſaias ait: *Accepi de manu tua calicem ruinæ, poculum iræ & indignationis meæ.* Addidit etiam, quam præclarum eſt vtique, cum talia conferat, vt ad cœlorum regna perducat; de quo poculo in Euangelio dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego do, non ſitiet vnquam, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Pateræ phialę ſunt, dictæ: vel quod in ipſis potare ſolemus, vel quod patentes ſunt diſpanſiſque labris. Phialæ doctores ſunt ſancti in Eccleſia, ampla ſcientia referti. De quo in Exodo. Item phialæ ſors in peccatoribus iræ diuinæ, de quo in Apocalypſi; *Septem*, inquit, *phialæ nouiſſimæ iræ Dei plenæ.* Cratera calix eſt duas habens anſas, & eſt græcum nomẽ: declinatur enim apud eos hic crater; nam latine hæc cratera dicitur: vnde & Perſius; *Sitius crateras argenti.* Virgil.

Crateras magnas ſtatuunt, & vina coronant.

Fiebant autem primum ex connexionibus virgultorum. Vnde & dictæ crateræ apo to cratin, id eſt, quod ſe inuicem teneant. Cyathi quoque ſcyphi. Cimbia & ipſa poculorum ſunt genera, ex quibus cimbia pocula dicta ſunt ex ſimilitudine cimbæ nauis.

Ernſtis ſpecies poculi, quæ ductim, hoc eſt, vno ſpiritu bibitur. Bachea primum à Baccho, quod eſt vinum, nominata: poſtea in vſibus aquarius tranſiit. Calices & calati & ſchalæ, poculorum genera ante ex ligno facta, & inde vocata. Græci enim omne lignum cala dicebant. Calix ſignificat ſacram ſcripturam, id eſt, duo teſtamenta, vt quidam volunt; ſicut in Euangelio ſecundum Lucam duos calices, vnum ante cœnam, & alium poſt cœnam in Paſcha Dominus Apoſtolis tradidiſſe legitur. Item calix figuraliter exprimit ſupplicia peccatorum in Pſalterio: *Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Rurſum calix tribulatio eſt vitæ præſentis, & vindicta in omnes gentes in Hieremia: *Accipe calicem iſtum, & dabis ex eo bibere ad omnes gentes.* Ampulla eſt quaſi ampla bulla; ſimile eſt enim rotunditate bullis, quæ ex ſpumis aquarum fiunt atq; ita inflantur vento. Diximus autem ſuperius de myſtica vaſorum ſignificatione: nec neceſſe eſt denuo id repetere; quod iam pleniter conſtat explanatum eſſe.

Eſai. 61.
Ioan. 4.
Apoc. 16.
Luc. 22.
Pſal. 10.
Ierem. 25.

Capvt V.

De vaſis vinariis ſiue aquariis.

ANoforum vas ferens vinum. Eno enim vinum eſt. De quo eſt illud:

Vertitur enoforis fundus ſententia nobis.

Faſcæ ex græco vocabulo dictæ. Hæ pro vehendis ac recondendis phialis primum factæ ſunt, vnde & nuncupatæ. Poſtea in vſum vini tranſierunt, manente græco vocabulo, vnde ſumpſerunt initium. Lagena & ſitula græca nomina ſunt, inflexa ex parte, vt latina fierent. Illi enim laginos, nos lagenas, illi ſilice, nos ſitulam dicimus. Lagenę, corda hominum, ſapientię vinum retinentes, vt in Propheta: *Omnis laguncula implebitur vino.* Ydria genus vaſis aquatilis per deriuationem vocata: hydros enim græce aquam dicunt. Ydria carnem hominum ſignificat, vt in libro Iudicum; *Et dedit in manus eorum ydrias vacuas.* Et in Salomone: *conteratur*, inquit, *ydria ſuper lacum*, hoc eſt, carnalis cupiditas, de qua in Euangelio legitur: *Reliquit ergo ydriam ſuam, & abiit in ciuitatem.* Sex ergo ydriæ in Euangelio ſignificant ſex ætates mundi, in quibus aqua ſapientiæ legalis per Chriſtum conuerſa eſt in vinum gratiæ ſpiritalis.

Ierem. 13.
Iud. 7.
Eccl. 12.
Ioan. 4.
Ioan. 2.

spiritalis. Situla, quod sit fictitiis apta sit ad bibendum: quod vas græci cadum vocat. Situla mysticè carnem Christi significat. Vnde in libro Numerorum scriptum est: *Fluit aqua de situla eius.* Catinum vas fictile, quod melius neutro genere dicitur quam masculino: sicut & [illegible] vas aptum [illegible]. Catinum, [illegible] significationem habet, quam diximus de parapside, in qua manifestatus est proditor saluatoris. Scyphus, in quo manus lauamus. Orcarum sextola est ordo tectus vel vas fictile vini apud Syriam primum excogitatum, sicut calices à Cilicia nuncupatæ, vnde & primum aduectæ sunt. Scyphus significat scientiam legis: vnde in sacco Beniamin inuentus est scyphus Ioseph: quia in corpore Pauli doctrina cęlestis præfulgebat eloquij. Orcas est amforę species, cuius minore vocabulo vrceus diminutiuo vrceolus est. Dolium cupos & cupas a capiendo, id est, accipiendo aquam vel vinum, vocatas: vnde & cupones. Vter ab vtero vocatus est. De vtre vero Psalm. ait: *Et factus sum sicut vter in pruina, iustificationes tuas non sum oblitus.* Vter enim in pruina natiuo calore vacuatum beneficio conuersionis attrahitur, & cum sic fuerit febricitante maceratum, prouenit, quod sequitur, vt iustificationes Domini nullatenus possint obliuisci. Vter enim corpus mortale significat: pruina beneficium conuersionis ostendit: per quam euenit, vt caro nostra lasciuiens afflictione pœnitentiæ contrahatur. Tantum enim crescit calor fidei, quantum de flamma subtractum fuerit corporali. De vtribus quoque in Euangelio mentio fit, vbi Dominus de prædicatione fidei locuturus ait: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur: sed vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conseruabuntur.* In vtribus veteribus carnales homines designans, & in vtribus nouis spiritales, qui apti sunt ad capiendum vinum gratiæ cœlestis.

Num. 24. Gen. 44. Psal. 118 Matth. 9.

Mulgarium, vas, in quo mulguntur pecora, idem est & mulctrum ab eo, quod ibi mulgetur lac. Mulgarium quoque vas est pastorale, in quo lac infusum est, & significat veterem legem, in qua continebatur lac facilis doctrinæ impetitis conueniens. Labrum vocatū eo, quod in eo lauationem fieri solitum est infantium, cuius diminutiuum, labellum. Idem & albena, quod in ea albationem fieri solitum est. Labrum enim in Exodo positum legitur ante aditum templi Domini, vbi sacerdotes lauabant manus & pedes, quando ingressuri *sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri ad altare, quod significat compunctionis lacrymarum emundationem. Duobus namq; modis lacrymarum & compunctionum status distinguitur; quia primo necesse est, quisq; ad Dominum conuersus pro his, quæ cōmisit, peccatis veniam fusis lacrimis precetur; quod si comitantibus dignis pœnitentię fructibus longo tempore perfecerit, restat, vt securior de accepta peccatorum venia effectus iam desiderio inhiantib. optet venire tempus, quo mereatur inter beatissimos angelorum choros faciem videre Creatoris. Peluis vocata, quod pedes ibi lauentur. Peluis enim, vbi Dominus, [illegible] aqua, lauit pedes discipulorum suorum, significat orationem sanctam, per quam gratia diuina post lauationem baptismatis mundat opera nostra à sordibus terrenis: vnde ipse Dominus in Euangelio ait, *Qui lotus est, non habet opus, nisi pedes lauare: sed est mundus totus.* Quomodo est vtrumque; & mundus & totus, & tamen pedes lauandi sunt? Nisi quia mundus totus est in lauacro sancti baptismatis, sed iterum puluere terrenæ habitationis sordidatur. Vnde & necesse habet iterum lauari per gratiam diuinæ pietatis, licet prius eadem gratia esset totus mundatus, Apostolo Ioanne attestante. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in *eo non est.* Quotidie ergo pedes lauat [illegible], qui interpellat pro nobis; & quotidie nos opus habere, vt pedes lauemus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

*erant Ioan. 13. Ibid. 1. Ioan. 1. *nobis Matth. 6.

CAPVT VI.

De vasis olearijs.

Lenticula vasculum olearium ex ære & argento factum, ab vngendo dictum. His enim reges & sacerdotes vngebantur. Significat autem Scripturam sacram, in qua continetur promissio Spiritus sancti, per cuius gratiam vngimur & sanctificamur Deo, reges & sacerdotes spiritales efficimur. Apoc. 1.

CAPVT VII.

De vasis coquinarijs & pistorijs.

Omnia vasa coquendi causa parata cocula dicuntur. Plautus: *aneo coculis mihi excocta est omnis mina, & cętera.* Olla dicta pro eo, quod ebulliat in ea aqua, igne subiecto, vt altius vapor emittatur, vnde & bulla dicitur, quæ in aqua venti spiritu sustentatur. Patella, quasi patula olla (est enim oris patentioribus. Mysticè ergo in olla genere (vel prosapia, vt quidam volunt) intelligitur: vnde scriptum est in Psalmo: *Moab olla spei meæ* propter Ruth. Item olla damnatio sempiterna, vt in Iohel: *Vultus redigentur in ollam.* Rursum olla plebs est Iudaica, cupiditate carnali accensa, de qua Hieremias: *Ollam*, inquit, *succensam ego video.* Item in nomine ollæ præsens mundus, vel genus humanum, siue quælibet anima peccatrix igni tribulationis apposita notatur, de quo Dominus dixit ad Ezechielem: *Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat æs eius.* Cacabus & cucuma à sono feruoris cognominantur. Hæc in græcis & latinis communia nomina habent: sed vtrum latini à græcis, an græci à latinis hæc vocabula mutuassent, incertum est. Lebetes ænea vasa sunt græco sermone vocata: sunt enim ollæ minores in vsum coquendi paratæ. De lebete ergo in Ezechiele ita scriptum est: *Hæc dicit Dominus Deus: Pone lebetem, & mitte in eam aquam, & mitte in eam diuisiones ossium & carnium*, & cetera. Vbi sub lebetis similitudine vrbem Ierusalem describit & sub ossium & carnium coctione tormenta fortium & fragilium exprimit in eo, & per excoctionem rubri ignis ipsius ciuitatis destructionem propter iniquitates eius significat. Iuxta tropologiam vero vrbs ista & lebes mundum istum significant, qui *in maligno positus est.* Hic in die iudicij diuino igne succenditur, & ciuitas sanguinum ponitur super carbones ignis, vt impleatur, quod scriptum est in Esaia: *Habens carbones ignis, sedebat super eos.* Et impleatur, quod scriptum est: *Nihil occultum, quod non reueletur.* Dicitque se Dominus non misereri, nec mundi præterire peccata, neque parcere impijs, nec placari, vt vix pereant impiorum, secundum illud, quod in primi Psalmi fine ponitur: *Et iter impiorum peribit.* Sartago ab strepitu soni vocata, quando ardet in ea oleum. Item Carthago tribulatio vitæ præsentis, vt in Psalmo: *& ossa mea*, id est, fortes ecclesiæ, *sicut in frixorio confrixa sunt.* Rursum sartago zelus rectitudinis aduersus peccata, & compunctio fraternæ infirmitatis. In Ezechiel: *Et tu fili hominis pone sartaginem inter te & inter ciuitatem.* De hac sartagine loquitur Apostolus: *Quis scandalizatur, & ego non vror?* Mola dicitur à sui rotunditate vocata, vt mala pomorum, sicut & græci. Per molam exprimitur circuitus vitæ præsentis, & labor terrenus. In Euangelio: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Hinc in Esaia aduersus Babylonem dicitur: *Tolle molam, & mole farinam.* Et ibi: **Occisi erunt molentes in minuto numero.* Molæ duæ, duo testamenta legis, vt quidam volunt, significant, vnde legitur in Euangelio: *Duo erunt in molendino, vna assumetur, & vna relinquetur.* Molæ duæ, spes & formido, vt in Deuteron. *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam.* Cribrum, quod ibi cernat frumentum, quasi cernitrigum. Cribrum iuxta allegoriam

Psal. 59. Ioel. 2. Ierem. 1. Ezech. 24 Ezech. 24 1. Ioan. 5. Esai. 50. Matt. 10. Psal. 30. Ezech. 4. 2. Cor. 11 Matth. 18 Esai. 47. Eccl. 12. *otiosi erunt Matth. 24 Deut. 24

nam separatio est fidelium à societate infidelium. De quo in Amos propheta scriptum est, & in euangelio Dominus ad Petrum ait: Ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum, &c.

Amos 9.
Luc. 22.

CAPVT VIII.

De vasis repositorijs.

GAzophylacium vna arca est, vbi colliguntur in templo ea, quæ ad indigentiam pauperum mittuntur: compositum est autem de lingua Persica & græca. Gaza enim lingua persarum diuitiæ,* filaxion vel filaxe græce custodia interpretatur. Mysthice autem gazophylacium corda sunt sanctorum sapientiæ diuinis plena: quod in Ezechiele propheta & in euangelio satis demonstratur. Arca dicta quod arceat visum atq; prohibeat: hinc & archiuū: hinc & archanum, i. secretum, vnde cæteri arcentur. Arcæ autē mystica significatio in Exodo plenissime demonstratur, vbi de constructione arcæ testamenti Domini narratur: quia aut incarnationem Domini ibidem significat, aut sanctam ecclesiam, in qua testamenta diuina recondita sunt. Item arca Noe, quod sanctæ ecclesiæ typum teneat, manifestis indicijs comprobatur. Loculus ad aliquid ponendum intra factus locus, seu ad vestes vel pecuniam custodiendam, Vnde per diminutionem dicitur. Legitur n. de loculo in Genesi, vbi de sepulchro Ioseph narratur, & in euangelio de loculis Iudæ proditoris mentio fit. Scrinia sunt vasa, in quibus seruantur libri vel thesauri. Vnde apud Romanos illi, qui libros & ecclesiasticos thesauros seruant, scriniarij nuncupantur. Saccus à sago dictus, quod eo consuto efficiatur, quasi saggus. Pœnitentium enim iste est habitus & vilium rerum condimentum.

* phylaxion

Marsupium sacculus nummorum, quod greci marsippa appellant. Quædam græca nomina in latinum paulo inflectuntur propter Romanum eloquium. Sistarcia nautarum sunt ab eo, quod consueta sunt. Inuolucrum dictum, quod aliquid in se teneat inuolutum. Fiscus sacculus est publicus, vnde & fiscellæ & fiscinæ dicuntur. Huc habent exactores, & in eo mittunt debitum publicum, quod redditur regibus. Fiscus autem prima positio est, deriuatiuum fiscina, diminutiuum fiscella. Sacculus mystice thesaurizatio est bonorum operum. Vnde Dominus ait in euangelio: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Et in aliam partem illud intelligitur, quod in Salomone legitur: *Marsupium, siue sacculum, commune possideamus*, id est, auaritiam. Pera iuxta allegoriam victus est sollicitudo. Vnde Dominus præcepit, dicens: *Nolite portare sacculum neq; peram in via.*

Luc. 12.
Prou. 1.
Luc. 10.

CAPVT IX.

De canistro.

CAnistrum finis cannis contexitur, vnde & nuncupatum. Alij grecum asserunt. Canistrum autem significat linguam doctoris, in qua offeruntur legis præcepto panes azymorum, hoc est, verbum euangelij in sacrificiū Domini: sicut legitur in vnctione Aaron & filiorū eius factum esse. Cofinus est vas ex virgultis contextum aptum mundare stercora, & terram portare, de quo dicit Psalmista pro Israel: *Manus eius in cofino seruierunt.* Dictus a. cofinus, quasi couus vel quasi cauus. Et hoc quāuis iuxta historiam dici videatur, quando in Ægypto Iudæorum populus diuersis necessitatibus seruiebat: modo vt lateres faceret, vt terrā cofinis modo exhiberet: tamen istud Christianorū patribus diligentius applicamus, à quorū dorso auertit Deus onera peccatorum, quando se felici humilitate prosternunt, sicut ipse dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* Cofinos a. dicimus, per quod sordium purgamenta proicimus, vt loci puritas elucescat. Manus ergo suas in eis reirent, qui peccatorum immundicijs occupantur: sed de hac seruitute liberamur à Domino, quando scelerum nostrorum sordibus expiamur. Item duodecim cofini Apostoli intelliguntur, in quibus collectæ sunt reliquię fragmentorū ex quinq; panib. & duob. piscibus. Sporta vel à sparto fieri solet, vel quod exportet aliquid. In euangelio quoq; legitur, quod tulerunt Apostoli de fragmentis vii. panū, vii. sportas plenas: quod significat apostolicos doctores ea, quæ plebs non valet cōsumere de mysticis doctrinis S. sancti, hoc ipsi in se colligāt.

Psal. 80.
Matth. 11.
Matth. 14.
Matth. 15.

CAPVT X.

De vasis luminariorum.

FOcum antiqui appellabant ignem, fos enim græce, latine ignis est. Vnde & iuxta philosophos calore quo omnia cuncta procreantur, & certum est sine calore nihil nasci: adeo vt de septentrione dicatur: *Verū nec quicquam frigore gignant.* Varro autem focos ait dictos, quod foueant ignes. Nam ignis ipsa flamma est. Quicquid autem ignem fouet, focus vocatur, siue ara, siue aliud, in quo ignis fouetur. Lucerna à lychno dicta est. Vnde & breuis est lu, vt Persius:

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernam.

Si enim à luce diceretur, non staret versus. Lychnus autē quasi lucinius: est enim cincendula lucernæ. Lucerna ecclesiæ fides est, vel opera iustitiæ. Vnde in Salomone scriptum est: *Propterea non extinguetur lucerna eius per totam noctem.* Item lucerna significat propheticum sermonem vel prædicatores diuinæ legis. Vnde Propheta ait in psalmo: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.* Et in euangelio de Ioanne Baptista scriptum est: *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Candelabrum à candelis dictum, quasi candelaforū: quod candelam fert. Candelabrum autem mystice corpus Domini, vel sanctam ecclesiam, aut diuinam scripturam significat. Vnde in Zacharia legitur: *Vidi à dextris altaris candelabra duo argentea.* Nam vii. lucernæ candelabro superpositæ: vt in Exodo legitur, septiformis ecclesię Sacramentū & vii. dona Spiritus sancti significant. Cereus per deriuationem à cera nomen habet, ex qua formatur, de quo dicitur:

Prou. 31.
Psal. 118.
Ioan. 5.
Zach. 4.

Hic tibi nocturnos præstabo cereus ignes:
Subducta luce altera lux tibi sum.

Cereus autē, qui ad illuminandas tenebras noctis accenditur, significat doctrinam fidelis prædicatoris, quæ illuminat animas verbo Dei credentes & obedientes. Item de cera in psalmo scriptum est: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei, & iusti epulentur.* Quoniam in iudicio Dei à facie ipsius sic dispereūt peccatores, quemadmodum cera proximo igne consumitur. Lacunaria pendentia sunt lumina quasi lucenaria, in est, in aere lucentia. Funalia dicuntur, quæ intra ceram sunt dicta à funibus, quos ante vsum papyri cera circumdatos habuere minores: vnde & funera dicuntur. Lampas flamma est in vertice lucens, dicta, quod labentis motum ostendere videatur. De lampadibus autem in euangelio legitur, quod quinq. virgines prudentes lampades suas cum oleo habuerunt: quia electi in cordibus suis oleum misericordiæ & charitatis tenent, quod fatuæ virgines non habent. Vnde, intrantibus prudentibus ad nuptias, fatuæ repelluntur: & eorum opera, quæ clara hominibus foris apparuerunt, in aduentu iudicis intus obscurantur, & à Deo retributionem non inuenerūt: quia pro eis receperunt ab hominibus laudes, quas amauerunt. Item lampades significant sanctorum corda splēdida, & scientiæ lumine semper fulgida, vt in canticis canticorum: *Lampades eius, lampades ignis atq; flammarum.* Item alibi legitur: *Lampas contempta apud cogitationes diuitis*: quod significat doctores esse contemptos in cordibus suis, e bo rum. Fax dicta, quod focos faciat: cuius diminutiuum, facula. Laterna inde vocata, quod lucem interius habeat clausam. Fit enim ex vitro, recluso intus lumine, vt venti flatus adire non possit, & ad præbendum lumen facile vbiq; circumferatur. Pyra est, quæ in modum aræ ex lignis construi solet, vt ardeat. Pyr enim ignis dicitur. Sed pyra est lignorum congeries, cum nondum ardet: rogus est, cum ardere cœperit: bustum vero iam exustum vocatur. Farum est turris maxima, quam græci ac latini à comuni ipsius rei vsu farum appellauerunt eo, quod flamarum indicio longe à nauigantibus videatur: sicut supra diximus: qualē Ptolomeus iuxta Alexandriam construxisse octingentis talentis traditur. Vsus eius est, nocturno nauium cursui ignes ostendere ad pronuncianda vada portus introitus, ne decepti tenebris nauigantes in scopulos incidant. Nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habet. Hinc ergo in portibus machinas ad prælucēdi ministerium fabricatas faros dicunt. Nam fos lux, oros visio dicitur: vnde & lucifer græce fosforus appellatur.

Matth. 25.
Cant. 8.
Iob. 12.

CAPVT XI.

De lectis & sellis.

LEctus à lectis herbis vocatus. Stratus ab sternēdo dictus, quasi storiatus. In his solis antiqui ad dormiendum accubabant, nondum laneis stramentis repertis. Storia, quod sit strata. Cama est breuis & circa terram: græci enim cami breue dicunt. De lectis & stratu Propheta in Psalterio ait: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* (Psal. 6.) Si hoc ad literam velis accipere; merito quidem lectum, quem noctibus polluerat, lachrymis abluebat: sed occurrit possibilitas, vt tanta fuisset copia lachrymarum, quæ non solum faciem, sed & lectum lauisse diceretur. Quapropter melius lectum delectationem corporis intelligamus, in qua, velut in cubili nostro, marcescenti voluptati recumbimus, quam potest homo lachrymis quamuis paucis lauare, si eum contingat cælesti inspiratione deflere. Cubile est cubādi locus. Grabatum græcum est. Baiolana est lectus, qui in itinere baiulatur, à baiolando, i. deportando. De cubili autem ita in psalterio scriptum est: *In cubilibus vestris compungimini* (Psal. 4.)

Ferarum domicilium proprie cubile dicitur à cubando. Ferocium ergo cogitationes apte dixit cubilia: quamuis interdum & in bono abusiue legatur assumptum, vt est de sanctis: *Lætabuntur in cubilibus suis.* (Psal. 149.) Nam quod dicit, *in cubilibus vestris compungimini*, significat, pœnitentiā agite. Nam compunctione quædam animarum fit optata conuersio: ac si diceret: deserite prauas cogitationes vestras, antequam scelera perpetretis. Grabatum enim significat sufferentiam charitatis fraternæ. Vnde scriptum est in Euangelio, quod Dominus dixerit paralytico à se sanato: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* (Matth. 9.) id est, relinque peccata pristina, necessitatibus fratrum succurre: & in vniuersis quæ agis, vide, ne in hoc seculo mentem figas, sed ad videndam faciem tui festines Redemptoris: surge bona operando: porta grabatum tuum, diligendo proximum: & ambula expectando beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei. Nam iuxta allegoriam lectus aut requiem significat in Christo, aut contemplatiuam vitam, aut infirmitatem corpoream, aut vitam opulentam, aut hæreticorum deceptionem, aut tribulationem vitæ futuræ. Lectus enim Ecclesiæ requies est in Christo, vt est illud in cantico canticorum: *Ecce lectum Salomonis lx. fortes ambiunt.* (Cant. 3.) Item lectus requies spiritalis, hoc est, vita contemplatiua in Salomone: *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem desiderat anima mea.* (Ibid.) Et in Euangelio: *Tunc duo erunt in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur.* (Luc. 17.) Rursum lectus, hominis corpus, vel infirmitas carnis in psalmo: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* (Ps. 40.) Et alibi: *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* (Ps. 6.) Lectus vita opulenta: sicut in Amos pro diuitibus huius seculi dicitur: *Qui dormitis in lectis eburneis.* (Amos 6.) Lectus in Ecclesia hæreticorum deceptio, de quo in Salomone scriptum est: *Intexui lectum meum funibus*, hoc est, vinculis peccatorum. (Prou. 7.) Lectus tribulatio vitæ futuræ. Hinc dicitur in Apocalypsi: *Ecce mitto illam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in magna tribulatione erunt.* (Apoc. 2.) Puluinar lectus diuitum est: inde & puluilli. Puluillus enim significat deceptionem adulatorum: vnde scriptum est in Propheta: *Væ vobis, qui consuitis puluillos sub omni cubitu manus, & ceruicalia ad animas decipiendas.* (Ezech. 13.) Sponda autem exterior pars lecti, pluteus interior. Geniales lecti proprie sunt, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti autem à generandis liberis. Cunabula sunt lectuli, in quibus infantuli iacere consueuerunt, dicta, quod partui adhibeantur, quasi cinabula. Nam cine est græce enim: hæc sæpe abusiue pro infantum nutrimento ponūtur. Feretrum dicitur eo, quod in eo mortui deferantur. Quod & iam mystice significat adulatorum fauores, vel malas consuetudines hominum, in quibus peccatis mortui iacere desiderant: vnde cum Dominus voluit suscitare mortuum, iussit stare feretrum: quia vetuit adulationū decipulis in peccatis diutius morari. Scamna sunt, quia lectis altioribus apponuntur, dicta à scandendo: hinc & scabella lectis parua vel sellis ad ascēsum apponuntur. Scabellum autē suppedaneum dicitur. Nam græci hypopodion dicunt: [illegible] quod sub pedibus sit. Scabellum similitudinum subiectionem significat, vt est in psalmo: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* (Ps. 109.) Sedes dicta, quonia apud veteres Romanos non erat vsus accumbēdi: vnde & consedere dicebantur: propterea, vt ait Varro de vita populi Romani, viri discumbere cœperunt, mulieres sedere, quia turpis visus in muliere accubitus. Sedes a mystice significat habitum regnantis siue iudicantis. Vnde dicitur in psalmo: *Sedes tua in seculum seculi.* (Ps. 44.) Et iterum: *Sedes, inquit, super thronum, qui iudicas æquitatem.* (Psal. 9.) Et in euangelio Dominus Apostolis ait: *Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel.* (Matth. 19.) Cathedrę n. sedes doctorum sunt, & significant mystice docendi potestatem, aut doctrinam legis Moysi, siue etiam hæreticorum doctrinam. Nam cathedra doctrina vel potestas est in psalterio: *Cathedra seniorum laudet eum.* (Ps. 106.) Cathedra doctrina legis Moysi in euangelio: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & sacerdotes & pharisæi.* (Matth. 23.) Cathedra hæreticorum doctrina, vt in psalmo: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* (Psal. 1.) Sedere enim docere est. Solium, in quo reges sedent, propter cautelam corporis sui, secūdum quosdam à soliditate dictū, quasi solidum. Secūdum alios per antistœchon, quasi sodium, à sedēdo: vnde & sella, quasi seda, dicta est, & subsellia, quasi subsedilia. Solium enim in scripturis sacris regnantis habitum & diuinæ maiestatis excellentiā signat. Vnde Dominus in Esaia & in Michea legitur sedisse sup solium excelsum & eleuatum. (Esa. 6.) Filius enim Dei Dominus noster Iesus Christus hac sententia in regnantis habitu demonstratur, qui regnat in æternum, & sedet super sedē sanctam suam. Tripodes scamnella sunt, habentes tres pedes: sed & candelabra tripodes sunt, quia similiter tres habent pedes.

CAPVT XII.

De vehiculis.

CArrum à cardine rotarum dictum, vnde & currus dicti, quod rotas habere videntur. Rota autem dicta, quod ruat, & rotundum à rota vocatum. Reda genus vehiculi quatuor rotarum: has antiqui redas dicebant, propter quod haberent rotas. Carpentum pompaticum vehiculi genus, quasi carrum pompaticum. Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur: & dictum plaustrum, quia voluitur: quasi diceret pilastrum. Rota autem mystice significat aut orbem, aut vitam humanam, aut volubilitatem animę, aut instabilitatem humanæ mentis. Nam in psalmo scriptum est: *Vox tonitrui tui in rota.* (Ps. 76.) In rota ergo, id est, in mundo vox tonitrui eius egressa est, quando prædicatores Christi circulum totius orbis verbis intonantibus impleuerunt. In Ezechiele autem multipliciter de rotis disputatū est, vbi legitur, quod apparuisset iuxta animalia rota vna super terram, & post modum de quatuor rotis narrat, quarum aspectus erat & opera, quasi sit rota in medio rotæ. (Ezech. 1. 10.) Si quis rotam cursumq; consideret tempore, videbit mundum esse completum sermone apostolico. Rota quoq; in rota vel duorum iunctura testamentorum est, quod indicat scala Iacob, & forceps Esaiæ, & gladius bis acutus, vel euangelica sibi cohærentia, quorum cursus & statura tendit ad cælum. (Gen. 28. Esa. 6. Apoc. 1.) De plaustris in Genesi scriptū est, quod miserit Pharao per Ioseph plaustrum ad subuehendum senem Iacob & paruulos eius: in quo signatur solatia oportuna præbuisse doctores infirmis auditoribus, quo facilius possint iter præsentis vitæ transire. (Gen. 45.) Item in Amos propheta legitur, Dominum dixisse: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno, & peribit fuga à veloce, &c.* (Amos 2.) Vbi demōstratur, Dominum conqueri, se grauatum esse sceleribus Iudæorum, pro quibus eis velocem induxit vindictam. Item rotæ circuitus, vitæ præsentis labor in Salomone: *Et confringatur rota super cisternam, & rursum pones eos vt rotam.* (Eccl. 12.)

CAPVT XIII.

De reliquis, quæ in vsu habentur.

BAculus à Baccho repertore vitis fertur inuentus, quo homines moti vino niterentur. Sicut autem à Baccho baculum, ita à baculo bacillum per diminutionem. Baculus

[illegible] humanæ significat, [illegible] Propheta ad Dominum ait: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Virga enim pertinet ad iustitiam & [illegible] Domini Saluatoris, sicut in psalmo dicitur: *Virga æquitatis, virga regni tui.* Baculus ad adiutorium hu[illegible] pertinet, quod præcauere designat, & tutum est [illegible] habeat, quo sustinetur. Hoc vsus fuit [illegible] Iacob: *In baculo meo transiui Iordanem.* Item in Exodo ait Dominus filiis Israel: *Renes vestros [illegible] tenetes baculos in manibus comedetis festinanter.* Vectes [illegible] vectentur, vnde hostia laxaquentur. Vectes enim aliquando significant sanctos doctores, qui iuxta constitutionem diuinam vehcō[illegible] arca Ecclesiæ, siue mensa Domini, vt in Exodo scriptum est. Item vectes aliquando significant diaboli membra, siue peccatores, quos Dominus legitur confregisse, iuxta illud: *Portas æneas contriuit, & vectes ferreos confregit.* Portas æneas, hominum consuetudines vitiosæ, quæ nos in peccatorum atriis recludunt, vt exeundi nequeant præbere licentiam. Vectes autem ferreos spiritus immundos non improbe videmur accipere, qui illas ianuas peccatorum, ne circumdato exire liceat, obstruere nos [illegible]. Scalæ sunt sanctorum profectus, vt in Genesi legitur: *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum.* Scopæ enim sunt superstitiosæ per vanam gloriam, vt est illud euangelicum: *& veniens inuenit domum vacantem, scopis mundatam & ornatam.* Et in aliam partem, vt in Esaia: *& scopabo eum scopa terens,* id est, satisfactione pœnitentiæ.

Forfices secundum etymologiam si à filo dicuntur, f. ponitur, vt forfices, quæ sunt sartorum: si à pilo, p. vt forpices, quę sunt tonsorum: si ab accipiendo c.p. vt forcipes eo, quod formum capiunt, quæ sunt fabrorum. Formum enim dixerunt antiqui calidum: vnde & formosus. Nouacula, noua vacula est in quadam subtilitate tensum latius ferrum radēdis pilis acutissimum præparatum quod licet barbæ segetem metat impressum, corporis tamen substantiam relinquit illæsam. In nouacula quoq; fraus & dolus Antichristi exprimitur. Vnde in psalmo scriptū est: *Iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta, fecisti dolum.* Conuenienter ergo sæuissimi hominis dolum acutæ nouaculæ comparauit, quia sicut illa hominem non lę[illegible], ita etiam iste animam iusti sub quauis afflictione per[illegible]. Potest etiam radere omnia, quæ sunt forinsecus at[illegible], quasi pilos: sed animæ interna tunc magis efficit pulchriora, quando ei nititur auferre mundana.

Clauis dicta, quod claudat & aperiat. Catenatū, quod, capiendo teneat. Clauis enim mystice adapertionem spiritalis sensus significat. Vnde Dominus in euangelio ad legisperitos ait: *Accepistis clauem scientiæ, & ipsi non introistis, & eos, qui intrabant, prohibuistis.* Et ita clauis iustitiæ, misericordiæ, pietatisq; virtutes designat in euangelio, vbi Dominus Petro ait: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Item claues, acutæ sanctorum prædicationes corda hominum transfigentes, vt in Salomone: *Verba sapientium, vt stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Clauis enim (vt diximus) apertionem sanctarum scripturarum, vel potestatem ligandi atque soluendi, seu ius introducendi ad vitam, siue deducendi ad mortem, sicut per Esaiam de Saluatore dicitur. *Dabo clauem domus Dauid super humeros eius, & aperiet & non est, qui claudat.* Et in Apocalypsi: *Habeo claues mortis & inferni.* Horologia, quod ibi horas legamus, id est, colligamus. Est enim in solariis positum, vbi à clauo per lineas currit vmbra, vt quamcumq; diei horam ostendant.

CAPVT XIV.

De instrumentis rusticis.

Aratrum ab arando terram vocatum, quasi araterium. Vomer dictus, quod vi humū eruat, seu ab euomendo [illegible]. De quo Lucretius: *Vncus aratri ferri clam decrescit [illegible] vomer in arus fulgorem [illegible].* Ligones, quod [illegible], quasi leuones. Aratrum enim mystice significat [illegible] prædicationis euangelicæ, in quo [illegible] Domini [illegible] vt vomere [illegible] extirpentur vitia [illegible] & [illegible] desideria, sicque præparetur terra cordium humanorum ad accipienda semina virtutum. Sed [illegible], aratrum [illegible], ad [illegible] a arte [illegible], vt faciat sulcum rectum, & non auertatur tramite veritatis. Vnde Dominus ait in euangelio: *Nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Vomeres & ligones exercitia prædicationum sunt, vnde Propheta de doctoribus ait: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Similiter & sarculus idem significat, vt legitur in Esaia: *Omnes, inquit, montes qui in sarculo sarrientur.* A[illegible] enim (vt diximus) vel fodere, prædicationis est opus [illegible] cere. Vnde agricultor dicit in euangelio: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Et in Deuteronomio scriptum est: *Non arabis in boue simul & asino.* Huic loco sententia illa de libro Iob congruit: *boues arabant, & asinæ pascebantur.* Nomen ergo stercoris plures significationes habet. Nam stercus sunt sacrificia Iudæorum. Vnde in Esaia scriptum est: *Facta sunt morticina eorum sicut stercus in medio platearum.* Item stercus recordatio peccatorum, delinquentibus ad radicem cordis apposita. Hinc dicitur in euangelio: *Vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Stercus, peccati luxuria, de quo legitur: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Stercus hominis, odor deterrimus peccatorum: siquidem omne peccatum fætens est, hinc est ad Ezechiel: *Et stercus, quod de greditur de homine, operies illud in oculis eorum.* Cultelli a cultura dicti eo, quod ex ipsis putationem veteres in arbores & vites faciebant, priusquam falces essent repertæ.

Falx est, qua arbores putantur & vites. Dictæ autem falces, quod his primum milites herbam scilicet solebāt abscindere, vnde est illud

Pax incerta ducis placidos curuauit in vsus.
Agricola non vsum militantem [illegible] suis, &c.

Falcastrum à similitudine falcis vocatum. Est autem ferramentum curuum cum manubrio longo ad densitatem vepřium succindendam. Hi & runcones dicti, quibus vepres secantur, a runcando dicti. Falces enim prædicationes sunt sanctorum superflua auferentes, & quæ necessaria sunt, relinquentes. Item falces successio est carnis per mortem, vel ipse dominus circumplectens omnia, atque diiudicans: vnde scriptum est in Iohel. *Mitte falcem, & vindemia vineam terræ.* Et in Apocalypsi: *Et habebat in manu sua falcem acutam.* Ventilabrum enim significat examen iustitiæ: vnde in euangelio de eo legitur. *Cuius ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Area ecclesia in euangelio: *& permundabit aream suam.* Item area præsentem mundum, de quo legitur in Propheta: *Filia Babylonis area tritura mea.* Aceruus, collectio fidelium ad [illegible] ecclesiæ, siue sanctorum prædicatio perfecta: [illegible] in Iob de hæreticis dicitur: *Inter aceruos eorum meridiati sunt.* Triticum, sancti vel electi in euangelio: *Et congregabit triticum in horreum.* Frumentum corpus Christi, vel euangelicus sermo in psalmo: *Cibauit eos ex adipe frumenti.* Granum frumenti, Christus in Euangelio: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Frumentum, prędicationis sermo in Salomone: *Qui abscondit frumēta, maledicentur in populis.* Horreum regnum cælorum in euangelio: *Congregabit triticum in horreum suum.* Prælum trabes, quo vua calcata premitur, à premendo vocata, quasi pressorium lacus. Prælum, quo premitur oleum, vt quod liquatur, profluat, quo ab vuis vel oliuis torquēdo oleum vinumque exigitur.

CAPVT XV.

De instrumentis ortorum.

Rota, quod quasi ruat: est enim machina, de qua e flumine aqua extrahitur. Lucretius.

In fluuio versare rotas atq; haustra videmus.

Haustra autem, id est, rota, ab hauriendo dicta Græcis, quod in girum vertatur: est enim lignum in transuersum pertica media illic

Lus. 9.
Esa. 2.
Esa. 7.
Luc. 13.
Deut. 22.
Iob. 1.
Esa. 5.
Luc. 13.
Ioel. 1.
Ezech. 4.
Ioel. 3.
Apoc. 14.
Matth. 3.
Ibid.
Ier. 51.
Iob. 24.
Matth. 3.
Ps. 80.
Ioan. 12.
Prou. 11.
Matth. 3.
Luc. 11.
Matth. 16.
Esa. 22.
Apoc. 1.

[illegible]le, ex quo [illegible] p[illegible]u[illegible] [illegible]mi[illegible] hau[illegible] aquæ cau[illegible]. Rota [illegible] [illegible] [illegible]. Vnde [illegible] in Ecclesiaste. *Antequam rumpa-* Eccl.12.
tur [illegible] argenteus, [illegible] [illegible]teratur [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] rota super lacum, [illegible] [illegible] [illegible] super terram suam. Quoniam enim [illegible] ydria, quæ conti[illegible]ur, cessat haurire. & rota, per qua[illegible] de lacu & p[illegible] aquæ leuantur, si fuerit con[illegible]ta, aquæ v[illegible]s intercip[illegible]. [illegible]ta & [illegible] funiculus argenti fuerit interruptus, & animæ [illegible] recurrerit ad fontes, interibit homo.

CAPVT XVI.

De instrumentis equorum.

PHaleræ ornaméta equorum sunt, & est græcus sermo. Frena di[illegible], quo[illegible] equos fremere cogant, vel quod hæc equi fr[illegible]ndan[illegible], id est, imp[illegible]mant de[illegible]ibus & obmordeant. Vnde & nefrendes dicti, adhuc lactentes porculi, quod nondum frendant, i. comminuant dentibus. Hinc & faba fresa, quod molita est. Lupati sunt freni asperrimi. Dicti autem lupati à lupi[illegible] den[illegible]ibus, qui inæquales sunt, vnde etiam eorum morsu[illegible] ve[illegible]enter obest cani. Capistri à capite iumentorum dicti. Sella a [illegible]dédo, quasi seda. Antela, quasi ante sellam: Sicut & postela post sellam. Cingulum hominum generis neutri: nam animaliũ generis fœminini est. Dicimus enim has [illegible]ingulas Sagma, quæ corrupte vulgo dicitur sauma vel salma, [illegible] stratu sagorum vocata. Vnde & caballus sagmarius, mula sagmaria dicitur. Capulum funis à capiendo: quod eo indomita iumenta comprehendantur. Calcaria dicta, quia in calce hominis ligantur, id est, in pedum posteriori parte ad stim[illegible]landos equos, in quibus aut pugnandum est aut currendum. propter pigritiam animal[illegible]um aut timore[illegible]. Nã & ex timore vel à stigo stimuli nuncupantur. Str[illegible]l[illegible] a tergendo: eo quod lu[illegible] equi terguntur. Character est ferrum candens & ignitum, quo notæ pecoribus inuruntur. Character autem græce, latine forma dicitur. Cauterium [illegible]

[illegible] [illegible]tur [illegible] [illegible]dam p[illegible]o[illegible] n[illegible] [illegible]terdum [illegible]o [illegible], v[illegible] [illegible] a[illegible] [illegible]si[illegible] e[illegible] [illegible] [illegible] h[illegible] equo[illegible], h[illegible]c [illegible] & [illegible]quabiles dicti hæ[illegible] [illegible]acula a [illegible] [illegible] [illegible]speciebus disciplinæ de[illegible]natu[illegible] [illegible] [illegible] ho[illegible] vnde Psalmista ai[illegible] *[illegible] equum &* Psal.31.
[illegible], qui[illegible] non est in[illegible]tellus: in camo [illegible] [illegible]orum co[illegible] qui non a[illegible]proximant ad t[illegible]. H[illegible] [illegible]m generaliter genu[illegible] [illegible]umanum commonet, ne v[illegible]gi[illegible] sub[illegible] [illegible]e err[illegible]bus. Scrutemur, quare i[illegible]e comparati[illegible] ne[illegible] po[illegible]r. E[illegible]quus sine di[illegible]retione sessio[illegible] [illegible] arbitrio, & à q[illegible]cu[illegible]que fuerit ascensus, ex[illegible]. Mulu[illegible] aut[illegible]m patienter accipit sarcinas, quibus fuerit oneratus: & adhoc vtri[illegible]; intellectum non habent: quia nec ille [illegible]git, cui obediat. nec iste, qui bu[illegible] oneribus ingrauetur, intelligit. Prohibet ergo huiusce modi homi[illegible]es diabolic[illegible]s fraudibus [illegible]deri, & vitiorum oneribus prægrauari: ne male obed endo superbiæ ma[illegible]is partibus addicantur. Verum istis t[illegible]bus quid dicitur esse faciendum? Scilicet quod animalibus imprud[illegible] His enim comparation[illegible]bus [illegible]os homines veri[illegible] [illegible]bdit [illegible]tos. Nam quod ait, *in freno* ad[illegible]quum pertinet. [illegible]renum enim à fero retinendo dictum est: ferum [illegible]pe antiqui caballum dixerunt: *in camo*, ad mulum respi[illegible]t. E[illegible]go hæc animalia suprad[illegible]cta cohibent ista retina[illegible]la, vt ad arbitrium iubentis incedant, ne [illegible] vol[illegible]atibus efferantur. Maxillæ vero ammunicula sunt an[illegible]alium, quibus esca manducur, vt corporis vitæ procuretur. Ipsas ergo maxillas per figuram allegoricam dicit inobedientibus debere constringi, id est, copias victuales parcius dari, vt ieiuniorum necessitate conclu[illegible]i, Creatoris subdantur i[illegible]pe[illegible]io. Allego[illegible]ia est enim (sicu[illegible] sæpe dictum est) quando aliud dicitur, & aliud [illegible]catur. Et quoniam diximus, in hac parte Dominum Christum loqui: *constringe* scilicet dicitur Patri: sanctæ tamen Trinitatis vnum velle, vna potestas, vna cooperatio est.

HRABANI MAVRI, ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, DE VNIVERSO LIB. XXII. FINIS.

HRABANI MAVRI ABBATIS primùm FVLDENSIS posteà ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI, DE LAVDIBVS SANCTÆ CRVCIS LIBRI DVO, ERVDITIONE VERSV PROSAQVE MIRIFICI. QVO FIguris siue imaginibus XXVIII. multa fidei christianæ mysteria, multi mystici numeri: Angelorum, virtutum, VII. donorum Spiritus sancti, VIII. beatitudinum, IV. Elementorum, IV. temporum anni, IV. Euangelistarum & agni, Mensium, ventorum, V. Librorum Moysis, nominis Adam, Alleluia, & Amen, aliarumque rerum vis & dignitas in formam Crucis redacta, subtiliter & ingeniose explicantur.

IACOBVS WIMPFELINGIVS SLETSTAtinus Vniuersis bonarum literarum amatoribus. S. P.

HRabanus Theutonicus mirificum & artificiosissimum opus in laudem sanctæ Crucis, laboriosissimo carmine contexuit: in quo multa christianæ fidei mysteria, multos mysticos numeros, Angelorum, virtutum, donorum, beatitudinum, Elementorum, temporum, plagarum, mensium, ventorum, librorum Moysis, huius nominis Adam, & aliarum nobilium rerum vim & dignitatem, sanctæ Cruci conuenire & adaptari posse demonstrat, innectens versum versui, vt & figuræ suos habeant versiculos, quibus imagines diuersæ repræsentantur, nec tamen legitimus ordo principalis carminis à suo cursu vel tenore abrumpitur, aut intercipitur: ita literæ ipsæ duplici plerunque ordini quadrant: Post quodlibet etiam carmen solutus sequitur sermo, versuum admirandam profunditatem dilucidè explanans. O præclarum & omni veneratione dignum opus, quo non immeritò Germania (quæ talem virum peperit) illustris redditur & gloriosa. Fac igitur peculiarem hunc librum tibi candide lector obsecro, quisquis verè christianus es: vt nouitatem videas, vt ingenium laudes, vt egregiam venam mireris, vt ad amorem Crucis & crucifixi accendaris, vt deuotus esse incipias ei qui pro te passus est, vt teipsum oblectes in hac dulci arbore, in qua mundi salus pependit, in qua est omnis spes nostra, refugium nostrum, medicina nostra, per quam saluati & liberati sumus, fructum animæ tuæ immortalem ex dono Dei indubie consequere. Vale charissime in Christo lector. Ex heremitorio diui Guilhelmi, in suburbano Argentinensi, quinto idus sextilis, Anni salutis nostræ Millesimo quingentesimo primo.

IOANNIS REVCHLINI PHORCENSIS, LL. Doctoris, ad Thomam Anshelmi Impressorem, in laudem Hrabani de sancta Cruce. ΕΠΑΙΝΟΣ.

TEremet ô Thoma reputo Phorcenq; beatam,
  Quod per vos Hrabani de Cruce fulget opus.
Semina scribendi redeunt dispersa per orbem,
  Ars quam venturis occuluere patres.
Accedat propius mens nescia turpe videre:
  Hic latet in pulchro pulchrior æthra polo.
Non crux Andromedæ Cepheidis: aut Ganiana
  Verris: in hoc dabitur conspicienda libro:
Sed cui fixus erat hominumq; Deumq; creator,
  Mundus & innocuus crimina nostra luens.
Crux hæc plus Hrabani quam Constantinia splendet
  Quondam sydereis visio picta notis.
Ærea serpentis potuit sanare figura
  Fixa cruci: nostra tu mage tutus eris.
Formosas spargit series maculosa lituras
  Partibus in varijs: vt notet ordo crucem.
Quo Hrabanus Coum facilè deuicit Apellen,
  Nil tibi Parrhasius: nil tibi Zeusis erit.
Siue leges librum: Polydædala cuncta videbis,
  Siue audire libet: cantilat harmonia.
Quare agite ambo duo, titulos crescatis in altos
  Hoc solo Hrabani splendidiore libro.
Anshelmi Thoma, qui chartas imprimis arte;
  Tuque simul Phorce, fons & origo mei.
Vrbs: honor artificum, fabricatrix ingeniorum,
  O Decus, O Hrabani viue secunda parens.

AD MAGNI INGENII VIRVM BONArumque rerum indagatorem solertissimum, fratrem Nicolaum Keinbos: ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, plebanum Durlacenum: in mirificum opus Hrabani Mauri Fuldensis Abbatis, de laudibus Crucis σύστασις, siue commendatio.

QVod mihi nuper opus Hrabani Nicolae sacrata
  De Cruce misisti, deq; decore Crucis,
Non potui non multimodo mirarier ausu,
  Ducere vel dignum laudibus immodicis.
Et decuit: quis enim Christiuæ Crucisue minister
  Non etiam studeat laudibus ipse Crucis?
Sed quis digna tamen se dicere posse putabit
  Carmine mirifica, salusficaq; Cruci?
Deficit in cunctis sensus, lingua, ingenij vis:
  Mortali attentant qui canere ore Crucem.
Ille tamen Hrabanus doctus pater, optimus auctor,
  Ausus idem: vario carminis auspicio,
Mysteriumq; Crucis, laudesq; decusq; peregit,
  Et docuit cunctis rebus inesse Crucem.
A superis duxit, primoq; parente: per omnes
  Ille creaturas, atque elementa Crucem.
O quantum aggressus diuus pater ille laborem?
  Quantum onus immensum sumpsit amore Crucis?
Peruigil insomnes noctes (dubio procul) egit,
  Vt laudes posset continuare Crucis.
Quo magis indignor: homines quoque temporis huius
  Execror: admiror, dedoleoque leues;
Non modo socordes qui, desidiaque fluentes
  Non digne insudant, peruigilantque Cruci:
Quin etiam violant, temerant, modo commaculantque,
  Contemnunt, horrent, dilacerantque Crucem:
Insuper & pedibus calcant venerabile signum:
  Et Cruce signatos turpiter interimunt.
Quos sua pœna manet tandem, Crucis interea nos
  Cum Hrabano laudes concinere vsque iuuat.
Et Domino grates referamus, habemus, agamus:
  Qui Cruce nos propria liberat atque beat.
Te quoque chare pater, meritum Nicolae sequetur
  Condignum à superis, christicolisque pijs,
Qui Cruce signatam vestem geris: hinc Crucis arma
  Diligis, obseruas, amplificare studes.
Das quoque materiam, quo prodeat hoc opus olim
  In lucem: & vitam te duce suscipiat.
Iure igitur Keinbos dictus: quia crimine ab omni
  Immunis viuis: nec tibi praua placent.
Vnde etiam laudes quæris Crucis, atque trophæum:
  Instituisque bonis artibus ingenium.
Proinde vale, nos vmbra Crucis defendat, & alis
  Suscipiat famulos protegat atque suis.
Et quæ perpetuo Crux est veneranda decore:
  Hæc quoque perpetuo nos tueatur. Amen.

AD CHRISTIANOS IODOCI GALLI Tetrastichon.

DIſcite ab infernis ſacra Crux quos ſola redemit,
  Qua dignum amplecti ſit pietate crucem.
Cum nuſquam affectus, labor, ingenium, & memorandi
  Vis: vt ſunt iſto tam benè ſparſa libro.

IN LAVDEM CARMINVM HRABANI Theodoricus Greſemundus Legum Doctor.

HRabanus calamo: tabulis indulſit Apelles,
  Spirabat quicquid pinxit vterque manu.
Huius edax raſit tabulas quaſcunque vetuſtas;
  Illius æterno tempore viuet opus.
Carminibus vitam pictæ debetis ideæ:
  Linum ſi pereat, carmina non pereunt.

ALIVD CARMEN EIVSDEM AD IDEM.

ADmirabiliter tornatos inſpice verſus
  Hrabani: læto ſi quis es ingenio.
Quomodocunque legas, oritur cum carmine ſenſus:
  Nam ſeruit multis litera quæque modis.
Quodque magis mirum eſt, numeris habitatur imago
  Quæque ſuis: vati hæc non labor vllus erant.
Nam licet haud facili conſtent hæc carmina lege:
  Illa tamen facili cuncta decore fluunt.

ELEGIACVM IOANNIS GALLINARII Heidelbergenſis ad amatores Christi, vt legant Hrabanum de laude ſanctæ Crucis.

SI quis auet pæana Crucis percurrere Chriſti,
  Huc greſſum celeri dirigat vſque gradu.
Maxima Theutonicæ Hrabanus gloria gentis
  Nobile mirifico carmine luſit opus.
Non ſimilem Germana tulit, non Itala tellus,
  Et neque Tarteſſus, nec Rhodanus, nec Arar,
Non Helenæ flammas, non infœlicis Eliſſæ
  Perſtrepit hic vulnus, Tantalidumue thoros.
Non ſonat indomiti feruentia prælia Martis,
  Nec probat acris carmina facta modis:
Sacra triumphantis cecinit ſed ſtigmata Chriſti
  Arma, quibus ſtigium vicit & ipſe ducem,
Quæ ſontes herebi manes, tenebræq; nephandæ,
  Tartareus Pluto: Perſephoneq; tremunt.

AD MVSAS, VT HRABANVM CORONA ex omnibus aromatum generibus ornent cingantque, Elegiacum Ioannis Gallinarij Heidelbergenſis.

CIngite virginea Hrabano tempora lauro
  Caſtalides vati, palladiaque coma.
Non Hederæ virides deſint, non myrtea ſylua,
  Lilia, conueniant purpureæque roſæ.
Cinnama, ſerpillum, buxus, narciſſus, amomum,
  Tus, violæ, nardus, balſama, myrrha, thymus,
Huc Terebinthe adeas, Iuglandes, roſque marine,
  Huc cum Syluano tu Cypariſſe veni.
Nectite panchæis quicquid generatur in hortis
  Quicquid habent Cilices, Ydaliumue nemus.
Quicquid Erythræa quærit niger Indus in alga,
  Pactolus quicquid vel Tagus ipſe vehit.
Huc etiam croceos apportet Tmolus odores:
  Huc & apum hybleos mellifera ora fauos.
Huc cryſtalla ferant gelido de vertice Thauri
  Gryphes Hyperborei, Caucaſeæque feræ.
Huc electra ferant niuei de littore cigni
  Eridani lachrymas, & phaetonciadum.
Vos & Hamadryades Nappeæ germana campi
  Carpite odoriferi graminis omne genus.
Floribus intextis precioſas nectite gemmas,
  Tempora Hrabano cingite Pierides.

HEXASTICHON EIVSDEM.

INdole Dædalea Hrabanus ſtamina duxit
  Et Labyrintheo fila regenda modo.
Sis quamuis Theſeus Ariadnes numine fretus
  Dædalus ingenio: verſibus ipſe Maro:
Arte tamen nulla potes hunc æquare poetam,
  Tanto igitur vati gloria maior erit.

PRO LAVDE CARMINIS OPEROSI ET inſolentioris Georgij Symleri Wimpinenſis, in opificem.

QVanta Moguntinæ Hrabani nomina terræ?
  Nomina, perpetuam nunc habitura fidem.
Corniger auriferis Rhenus vbi labitur vndis,
  Et vada Theutonico littore Belga ſecat:
Dux hic noſter honos (fingat maiora vetuſtas)
  Germanis rutilum nobilibuſque decus,
Edidit indicio quid noſtra, quid Itala tellus
  Poſſit: ad inſolitam dum citat ille chelyn.
Aurea iam ſileant Tarpæi ſaxa tonantis
  Et Ptolomeæ machina dicta phari:
Dehinc Cretæ ſileat & inextricabilis error,
  Quæ potuiſſe ferunt Dædaleaſque manus.
Hic tibi ſint reſono miracula iuncta theatro:
  Famaque de thermis concelebrata vetus.
Si cupies Smirnæ ſuſpenſam dicere molem,
  Cum ſeſſore graui Bellerophontis equum,
Siue Epheſi, ſeu vis Rhodiæ meminiſſe columnæ,
  Eſt opus hoc cunctis rarius ingenijs.
Vim dedit in numeros illi formoſus Apollo:
  Nam cecinit multis vix imitanda viris.
Andini liceat mirabere plectra cothurni:
  Ignorare potes maius & Iliade.
Accedant Thebæ, ciuilia buſta Philippi,
  Annibal, & cultæ laus Venuſina lyræ.
Nil erit, ad noſtram quæcunque tuliſſe mineruam:
  Concedunt illis ſingula imaginibus.

EIVSDEM TETRASTICHON.

DEbetur noſtro laus hæc primaria vati,
  Vtile chriſticolis quod patefecit opus:
Et pinxit roſeo cunctis veneranda cruore
  Signa Crucis: ſummi militiamque Dei.



SEdis Apostolicæ præses moderator, & orbis
Immortale iubar, portus & aura tuis,
Dexter ames terras: & quæ tibi munera præbet
Auctor inauditi carminis: ipse colas,
Materiam sumpsit qua non est dignior vlla,
Quæ sit vel prosa, vel celebranda modis.
Carmen Apellea dic viuat imagine forma,
Donec erit terris aurea Roma caput.

INTERCESSIO ALBINI PRO MAVRO.

SAncte Dei præsul meritis in secula viuens,
Causam quam ferimus suscipe mente pia.
Nempe ego cum fueram custos humilisq; minister
Istius Ecclesiæ, dogmata sacra legens,
Hunc puerum docui diuini famine verbi
Ethicæ monitis, & sophiæ studijs.
Ipse quidem Francus genere est, atque incola syluæ
Bochoniæ, huc missus discere verba Dei:
Abbas namq; suus, Fuldensis rector ouilis,
Illum huc direxit ad tua tecta pater,
Quò mecum legeret metri scholasticus artem:
Scripturam & sacram ritè pararet ouans.
Ast vbi sex lustra impleuit iam scribere tentans
Ad Christi laudem hunc edidit arte librum:
Quo typicos numeros, tropicas & ritè figuras
Indidit, vt dona panderet alma Dei.
Passio quid Christi mundo conferret honoris,
Qualiter antiquum vinceret & chelydrum:
Quod sic venturum sancti cecinere Prophetæ,
Ac libri legis grammate ritè dabant:
Et quia se meminit nutritum in domate claro
Istius ecce loci hinc tibi dona feret.
Quæ licèt indigna & sint vilia, tu tamen ipsa
Patronus mitis accipe quæso piè,
Altithrono & redde pignus quod præstitit ipse
Instanter poscens artifici veniam.
Qui quantum potuit, non quantum debitor ipse
Extitit, vt grates redderet ore Deo:
Crimine pro miseri largas tu funde potenti
Alme preces Domino, sicq; iuuato tuum,
Qui multa infanda semet egisse fatetur,
Ætas lasciua quanta patrare solet.
Sed spes firma manet, bonitas & magna tonantis
Ipsum quod saluet omnipotens medicus:
Sanguine qui proprio laxauit debita mundo,
Abluit & fonte crimina multa sacro.
Tantum tu precibus ipsum meritisque sacratis
Commenda Christo, sicq; beatus erit,
Præsentem & vitam peragat, sospesque futuræ
Seruetur patriæ, protege sancte tuos.

PONTIFICEM SVMMVM SALVATOR CHRISTE TVERE
T SALVVM NOBIS PASTOREM IN SÆCVLA SERVA



ECCLESIÆ ·CVSTOS DOCTORQVE FIDELIS IN AVL
R ÆSVL VT EXIMIVS SIT RITE GREGORIVS ALME

Pontificem summum saluator Christe tuere,
Et saluum nobis pastorem in sæcula serua:
Præsul vt eximius sit ritè Gregorius alma
Ecclesiæ custos, doctorq; fidelis in aula.

COMMENDATIO PAPÆ.

SEdis Apostolicæ princeps, lux aurea Rhomæ,
Et decus & doctor plebis, & almus amor.
Tu caput ecclesiæ es, primus patriarcha per orbem,
Præclarus meritis, & pietate potens.
Sal terræ, mundi lux, atque vrbs inclyta Christi,
Perpetuæ præbens lucis iter populo.
Vestra valet cœlum reserare & claudere lingua
In terra positus clauiger æthereus.
Tu renouator ades patriæ, spes, rector, honorque.
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.
Tempora sunt huius vitæ nunc plena periclis:
Bella mouent gentes, hostis vbiq; furit,
Vnde opus est valde tua quod protectio fortis:
Succurrat miseris, quos inimicus odit.
Eripe sancte pijs monitis, precibusque sacratis
Commissum tibimet pastor ab hoste gregem.
Vt tua laus maneat, merces, & gloria semper,
Cum Christo in cœlis regna beata tenens,
Principi apostolico Petro coniunctus in æuum,
In terris vicem cuius & ipse geris.

Offert munus Pontifici.

Præsul amate Deo te Papa Gregorius oro,
Intra oues proprias me vt miserum numeres.
Sisque tui famuli protector verus, & ipsum
Æterno Domino restituas precibus,
Qui se totum offert, parua hæc & dona ministrat
Commendans tibimet seq; suaq; simul.
Per te vt alma Crucis laus nunc acceptior extet
Principi Apostolico munera missa Petro:
Quæ Christi ad laudem conscripta est tempore prisco
Ludere dum libuit carmine versifico.
Credo quidem memet per te conquirere posse
Vitam quam nequeo per propria merita.
Te Deus æternus mundi mitissimus auctor
Tempore longæuo protegat atque regat,
Vt valeas, vigeas sanus, & prospera captes
Hic, & in æternum regna superna metas.
Te vigilem seruet qui non dormitat in æuum:
Nominis atque tui restituat meritum.
Vt vigilet cautus pastor, Gregorius assis
Sancte tuis ouibus: Papa beate vale.

Rexregumdominusmundumdicionegubernans
Imperiiacſceptrumregnansqiiureperenni
Immortaleteneseumcriminamultaparentum
Laxaſtincruceiuſticiaecumfrenalocaras
Omnibusergotuisſeruisſuperaſtrabeatam
Sperarehincvitamiesuchriſtededisti
Doniqueeſtmodochriſtedeuſpatriſqetuiqe
Nuncnomenidritetuumiamcunctaſtupebant
Saeculadudumenverticequodgeſtaturamica
Summixpiſoleduxſignasitegerendumhoc
Periuſtamq:thronumauidoqodtollerelegem
Atq:decettotumauguſtusnutuexcolatorbem
Nàmhocfirmuſtantogirandocardineprodit
Orbsſciatvtgaleamconſultucaeſarisoret
Auguſtopureferatalmamhinclaudecoronam
Namoptimadextramvirtusdiuinaparetarte
Stipsieſutuadetq:triumfumposcimusomnes
Iamalmumiuſtoiuſticiaequodregnetvbiqe
Haecſilicetinduatatqueligatugiretamico
Dumaffertloricaplacitumſicipſaparatum
Optemusnosſemperamicumquempiechriſtus
Retutaturquamnullusiaculopremitaſtfur
Faſvelinilloproterathoſtiscriminediro
Defenſorartisſedfirmummonſtratamandum
Iusornatulaneatcaeſarisobtinethauſtum
Omenfitq:omneactutumimperiummanetorbe
Enregnagraiumomneperaeuumuneradonant
Etperſadatſicqueeiusſobolisſlatusambit
Gensplebsletapropagoſuccinampiedonat
Muſamiuuatedensmaneatſcitſcutumetamare
Spemexſulſceptratenendodumfideidatvbiq:
Remhauſtudoneceſaeclaſuadepellitabarte
Quçformoſeiuratenebunttelanefasſint
Etſedareq:etterraeſolidandaproteruiam
Quameſtſolidusperinanetegitauguſtuſouile
Tranſformatorbiscriſticumclaratributa
Iurecolendummemoreq:trophęaparansdat
Quachocſinenomenvbiqmeansdeuotumabore
Nempetonatvigetqueprobepectusdiuamari
Sittremoreſtquebonaedinomunerefamae
Proficitindeorbemadidumfretumillicitaq:
Sicabicitportumcrucedatleſumſeqiturq:
Huncetibienimimidodatmoſempercaſtraq:pinq:
Caeſarlargemodoviſutucaſtrainimiciaſt
Terreſſpemqetimoraltvinimicafugansdat
Tupiusetgratanimiumpronumrogathaecgens
Adveniamireanimusnobisadiuſſaparentis
Conſcripſidudumnamchriſtilaudelibellum
Verſibusetproſatibiqemnuncinduperator
Offeroſanctelibenscuiuspraeceditimago
Stansarmatafidevictoremmonſtratvbique

De Imagine Caesaris.

Rex regum Dominus mundum dicione gubernans,
Imperij ac sceptrum regnans qui iure perenni
Immortale tenes, cum crimina multa parentum
Laxasti in Cruce, Iustitiae cum fraena locaras:
Omnibus ergo tuis seruis, super astra beatam
Sperare hinc vitam Hiesu clto Christe dedisti
Doni quae est modo Christe Deus patrisq; tuique
Nunc nomen id rite tuum iam cuncta stupebant
Saecula, dudum en vertice quod gestatur amica
Summi christicolae, duce signas rite gerendum hoc.
Per iustamq. thronum auido quod tollere legem
Atque decet totum Augustus nutu excolat orbem.
Nam hoc firmus tanto girando cardine prodit,
Orbs sciat, vt galeam consultu caesaris oret.
Augusto pure ferret almam hinc laude coronam.
Nam optima dextram virtus diuina paret arte.
Stipi Hiesu tua detq. triumphum, poscimus omnes
Iam almum iusto iustitiae quod regnet vbique,
Haec silice induat atq; ligatu giret amico.
Dum affert lorica placitum sic ipsa paratum,
Optemus nos semper amicum, quem pie Christus
Retutatur, quam nullus iaculo premit, ast fur
Fas, vel in illo proterat hostis crimine diro.
Defensor artis sed firmum monstrat amandum
Ius ornatu laneat caesaris obtinet haustum,
Omen fitq; omne, ac tutum imperium manet orbe.
En regna graium omne per aeuum munera donant,
Et Persa dat, sicque eius sobolis latus ambit.
Gens plebs laeta propago succinam pie donat
Musam iuuat edens maneat. scit scutum & amare
Spem exul sceptra tenendo, dum fidei dat vbiq;
Rem haustu donec secla sua depellit ab arte.
Quae formose iura tenebunt tela nefas sint,
Et sedare qui & terrae solidanda proteruiam,
Quam est solidus permane tegit Augustus ouile,
Transformat orbis Christi cum clara tributa,
Iure colendi dum memor aeque trophaea parans dat.
Quae hoc sine nomen vbiq, means, deuotum ab ore
Nempe tonat, vigetq; probe pectus diu amari.
Sit tremor estq. bonae dicamo munere famae,
Proficit inde orbe madidum fretum illicitaq;.
Sic abicit portum, Cruce dat Iesum sequiturq;.
Hunc tibi enim indo datum o semper castraq; pinsq;
Caesar large modo visu tu castra inimici ast
Terres spemq; timor altus inimica fugans dat,
Tu pius & gratus nimium pronum rogat haec gens
Ad ventam ire animus nobis ad iussa parentis
Conscripsi dudum natu Christi laude libellum
Versibus & prosa. tibi quem nunc induperator
Offero sancte libens, cuius praecedit imago
Stans armata fide victorem monstrat vbiq;.

DECLARATIO.

O Christe saluator rex regum & dominus dominorum, qui mundum propria dicione gubernas, & sceptrum incorruptibile tenendo iure perenni super omnia regnas: tu crimina multa parentum nostrorum in Cruce delesti: quando humano generi iustitiæ fræna constituisti, atque tuis fidelibus in cælis beatam vitam sperare, velociterq; adipisci posse dedisti. Ergo tui muneris est largissimi patrisq, tui scilicet potentissimi, quod nomen illud tuum ineffabile omnibusque sæculis dudum terribile, nunc pijssimi principis vertice gestatur honesta religione, quæ ab omnibus veneratur celeberrima. Hinc quoque ostenditur: quod eius auctoritate atque defensione, Augustum imperium firmiter tenetur, & cuique auaro religionique christianæ contrario, per iustum iudicium pr̃s aufertur: vt religiosi principis nutu totus orbis regatur. Nā largitio amplissima munerum illius hoc vbique prodit: ad laudem venerandi Imperatoris terrarum populos prouocans, quatenus communi consilio eius defensionem omnes pariter quærāt. Quod quidem nos tui famuli Christe mitis saluator supplices petimus, quatenus per vexillū sanctæ Crucis, tua sacratissima virtus ipsius dexterā diuina imbuat arte, atque triumphum vbiq; conferat iustitiæ. Hæc quoq; illum thorace fidei adamante duriore induit, quæ scilicet & ornatū decentissimū, & munimentum confert fortissimum. Vnde necesse est vt nos pariter cum omni populo christiano, eius amicitię gratiam optemus: quem Dominus Christus ita protegens custodit, vt nullus insidians eum aliquo modo nocere possit: vel famam eius iustissimā aliquo crimine maculare: sed defensor omnipotens adiutor boni studij eius & bonę voluntatis, constantiam & veræ innocentiæ formam in eo nobis semper imitabilem proponit, vultq; vt nobilissimi Cæsaris omnem fœlicē habeat actū, hincq; eius Imperiū terra scilicet & pelago tutum maneat. Nam gentes, græcorum dona preciosissima illi deferunt, similiter & regna Persarum, nec non & cæteræ gentes ipsius simul eiusq; prolis latus tuendo frequentant, maximè gens Germaniæ & populus Francorum (de quibus eius nobilis prosapia originem traxit) in eius laudibus concinnit, vitam illi & prosperitatem continuam exoptans. Exul quoq; quicunque priscis temporibus à sede propria aberrauit, eius triumphos amando mō reditum velocem sperat: quia sceptra tenendo fidei verbum spargit vbique, donec populum suum à vetusto scelerum vsu purget, qui iuuante Christo firmiter fidei catholicæ iura tenebit: ne frustra verbi iacula proferat, sed sint arma potētia Deo in omne opus bonū, & Christi fide roborata carnis proteruiam doment. O quàm solidus fide & stabilis in christiana religione manet, qui oues sibi commendatas diligenter omni hora custodit, & pensum dominici seruitij cultumq; diuinum strenuè ab omnibus sibi obtemperantibus expetit, dum superni regis vexillum cunctis venerandum esse ostendit, & ad prædicandum Christi euangelium vbique doctores suos dirigit: qui duricordes sermonibus suis molliant, & ad percipiendum bonum odorem virtutū, diuina gratia opitulante producant: vt luxus sæculi spernant, & in Christo spem collocantes ipsius passionib. communicare appetant. Ecce tibi ô Imperator clementissime atque sanctissime præsens offero munus omni deuotione subiectus: qui terribilis extas aduersarijs, inimicorum terga persequens, & placidus es deuotis, clementer conuersis veniam tribuens. Omnis gens, omnis natio tuam voluntatem facere expetit: nosque tui miseri famuli clementiam tuam pronis obsequijs adire optamus, eiusque votis obtemperare in omnibus desideramus. Nam libellum, quem in honorem sanctæ Crucis dudum prosa metroque composui, nūc tuæ serenitati offero supplex, deprecans, vt qui scuto fidei, lorica iustitiæ & galea salutis decenter es ornatus: nos sub tua defensione Christo militantes munire digneris, atque ad portum salutis æternæ in augmentum præmiorum tuorum Domino adiuuante perducere. Continet autem præsens imago serenissimi Imperatoris Hludouici xv. versus metro dactylico tetrametro conscriptos hoc modo. *Hiesu Christe tuum vertice signum. Augusto galeam conferat almam. Inuictam & faciat optima dextram. Virtus Hiesu tua detque triumphum. Iusto iustitia induat atque. Lorica semper placitum amicum. Quam nullus iaculo proterat hostis. Sed firmum maneat Cæsaris omne. Ac tuum Imperium omne per æuum. Sicque eius sobolis læta propago. Succedens maneat sceptra tenendo. Donec sæcla sua iura tenebūt. Et terra solidus permanet orbis. Christe dum memoret nomen vbique. Et verbum Domini prædicet vltro*: In circulo autem qui caput cingit duo versus adonici metri continentur isti. *Tu Hludouicum Christe corona.* Crux verò quam dextera gestat, hos tenet versus metri asclepiadij. *In Cruce Christe tua victoria vera salusque Omnia rite regis.* Scutum verò quod sinistra tenet, elegiaco metro conscriptum est hoc modo. *Nam scutum fides depellit tela nefanda. Protegit Augustum claraͤ trophæa pars. Deuotum pectus diuino munere fretū. Illæsum semper castra inimica fugat.*

INCIPIT PROLOGVS.

HOrtatur nos lex diuina ad deferendum Domino dona, nec excipit aliquem, sed ab omnibus spontaneam expetit oblationē: cum Moysi Dominus præcepit ita dicens: Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primicias, ab omni homine qui offert vltroneus accipietis eas. Vbi nullus excusationi locus datur, quando voluntas prōpta quæritur & non necessitas imponitur, sed vniuscuiusque proprio arbitrio relinquitur. Vnde ipse hæc legens, animum deuotum impēdens, offerebam has primicias, in laudem sanctæ Crucis expensas: quæ columna est cælestis ædificij, in qua videlicet constructa est domus Christi, ipsi arbitri interno qui me conspicit non superba intentione, sed humili deuotione quicquid sua gratia possum, in eius laudem volens conferre: qui non secundum faciem sed secundum cor iudicās, non æstimat quantitatem muneris, sed quantitatem deuotionis. Nec enim arbitror me posse aliquid sanctæ Cruci decens cōferre, quæ claritate sua cūcta clarificat: sed claritatem eius & maiestatem perpetuam, laudibus quibuscumq; possum conseruis meis prædico: vt sæpius eam legentes ac sedulo conspicientes, nostram in ea redemptionem assidue cogitemus, redemptorique nostro incessanter gratias agamus. Qui cum nullius egeret, sempiternumque regnū vna cum patre & Spiritu sancto haberet: semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, factus obediens patri vsque ad mortem, mortē autē Crucis. Semel quoq; pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, faceretq; nos regnū & sacerdotes Deo patri. Quapropter rogo vt quicunq; textum huius operis perspexerit, non statim propter artificis vilitatem spernendo abijciat: sed si velit & possit legat, & oculo sanæ fidei intuendo atque per auctoritatem diuinarum scripturarum diiudicando, quod in eo catholicè & rectè repererit disputatum, ei hoc tribuat a quo est omne bonum: si quid autem minus rectè atq; inconsideratè inuenerit prolatum, magis meæ imperitiæ quam malitiæ deputet, qui catholicæ fidei quantum possum rectitudinem semper desidero & inhianter disco, eiusq; iura quantum superna gratia concedit seruare contendo. Atq; ideo cui errasse videor humiliter suggero, vt vel viua voce si præsens sim, vel per scripta si absens, errorem meum mihi intimare non tardet. Sin autem propter longinquitatem terrarum, seu propter aliam aliquam impossibilitatem neutrum horum facere possit, siue etiam me à præsenti vita cōtigerit excessisse, precor vt pro reatu meo clementissimū iudicem deprecetur: quatenus ipse quem humanæ infirmitatis nihil latet, erroris mei vincula dissoluat, & suæ remissionis gratia peccatorū mihi veniam donet. Hocq; idem me quādiu vixero in hoc corpore acturum exopto, id est, pro meis & pro aliorū erratibus quotidie preces fundere: vt ipse pius sua gratia & errantes corrigat, & erratorum indulgentiam tribuat. De cætero autem moneo lectorē, vt huius conscriptionis ordinem teneat, & figuras in eo factas seruare non negligat: ne operis precium pereat, & vtilitas lectionis minuatur. Quod vt facilius possit, vniuscuiusq; figuræ rationem in sequenti sibi pagina prosaico stilo intimare curabam, subternectēs expositionem eius simul & versus, qui in ea conscripti sunt. Si quē autē mouet, cū vniuscuiusq; paginæ, versus eiusdē numeri describere decreuerim, cur aliquas notas siue punctos eis interseruerim, agnoscat me hoc non tam necessitate quā voluntate fecisse, vt lucidior sensus & locutio in eis fieret. Nec hoc quidem vulgo nec frequenter feci, nec sine auctoritate maiorū. Nā non recordor alicubi me fecisse in ipsis versibus punctos, nisi vbi quæ pronomē. vel quæ cōiunctio fuit, vel *us* finalis syllaba dictionis, quod idē & Porphirius fecit: secūdum cuius exemplar litteras spargere didici, & pro *m* littera alicubi virgulam, super antecedentem sibi vocalem notaui. Feci quoq; & synalœphā, aliquādo in scriptis in oportunis locis synalœpharū, quod & Titus Lucretius non raro fecisse inuenitur. V quoq; inter q & aliquā vocalē positam aliquādo intercepi, similiter & *h* nō littera sed nota aspirationis esse cōuincitur. Si autem metricis omnibus, qui solūmodo metri genus & pedū regulā seruāt, potestas nō minima datur per metaplasmos & schæmata atq; tropos, & cętera quæ poetis abundātissima à grāmaticis cōcessa sunt. cur nō mihi? qui nō solum genera certa metrorū & pedes legitimos, sed etiā seriē & numerū litterarū, & figurarum modū diligētius seruare curaui. Ante omnia quoq; obsecro vnumquemq; qui hoc opus legerit, ne inuidiæ stimulis contra me excitetur: vt laborē meū dissipare cōtendat, ne dū hoc quod ego ad laudem Dei parare sategi, ille delere studeat: & sibi magis nocere studeat quā mihi: & dū sanctæ Crucis gloriā per meam humilitatem audire non sustinet: crucifixi regis offensam incurrens redemptionis gratiam quæ in Cruce est non consequatur.

PRÆFATIO.

M u ſ a c i t a ſ t u d i o g a u d e n s n u n c d i c e r e n u m e n
N o ſ t r a c u p i t p a r i t e r c a r m i n e e t a l l o q u i i s
D o n a p a t r i s ſ u m m i q a e l a r g u s r e d d i d i t o r b i
R e g i s e t a l t i t h r o n i ſ a n c t a t r o p h a e a ſ i m u l
Q u a e c r u x e ſ t ſ a c r a c r u c i f i x i n u m i n e p l e n a
O m n i b u s a p t a b o n i s ſ t i r p s v e n e r a n d a ſ a t i s
H a n c e g o p a u p e r e g e n u s i n o p s e n o r e l o q e l l a
T e m p t a u i h i c f a m u l u s ſ o n s d a r e e t h o c o r i a t
N e c m e f a c t a p i a n t q u o d d i g n u m m u n e r e t a n t o
M e f o r e a d h o c c r e d a m ſ i c q u o q e m e n t e p r o b u m
S e d m i h i l a r g a d e i b o n i t a s ſ p e s m a x i m a v o t i
E ſ t q u a e m e p r o m p t u m l a u s d a b a t e x h i l a r a n s
P a u p e r i s e t v i d u a e n o n ſ p r e u i t r a r a m i n u t a
S e d t u l i t i p ſ a p r o b a n s a r b i t e r o m n i t e n e n s
A t q u e o r b e d o m i n a n s q i ſ a n c i t ſ o l u s e t v n u s
C u n c t a v e n u ſ t a b o n a h a n c l a u d e b e a u i t a m o r
M a n d a t u m v e t e r e n e m p e e ſ t e t l e g e q u i b u s q e
M u n e r a v t a p t a d a r e n t t e m p l a a d h o n e ſ t a d e i
P a r s d e d i t a r g e n t u m p a r s a u r i m u n e r a c l a r a
P a r s t r i b u i t g e m m a s p a r s q o q e t i n c t a d e d i t
L i g n a o l e u m q i d a m p i g m e n t a q u e c a r a d e d e r e
M u l t a q; m a g n a d o m u s m o n ſ t r a t v b i q u e m i c a n s
A ſ t a l i i ſ e t a s t u l e r a n t p i l o s q u e c a p r a r u m
N e c f u e r a n t ſ p r e t i h i d o n a f e r e n d o d e o h a e c
Q u a p r o p t e r r o g i t o n u m m a t u m d i u e s v t i ſ t i c
V i l i a c u m p o r t e m h i n c ſ p e r n e r e n o l l i t o n u s
I p ſ e l i c e t g a z a s i n m e n ſ a s c o n f e r a t a m p l i s
A g m i n i b u s f u l t u s t e m p l a o n e r a n d a d e i h i n c
H i s e g o n o n m o t u s c o n t u r b o r n a m i m p i e v u l t u
S e d g r a t u l a n s ſ p e c u l o r c r e ſ c e r e d o n a ſ i b i
I l l e q u o q u e e x o ſ a v t h a b e a t m e a m u n e r a n o l o
S e d m a g i s e ſ ſ e ſ c i a t q u a l i a c u m q u e d e i h a e c
Œ x p r o b r a t i p ſ e d e o q i d e ſ p i c i t a c e r e g e n u m
C u i u s e g e n u s h i c e ſ t c u i u s e t o m n i s h o m o e ſ t
E n q a n t u m t r i b u o t r i b u i t m i h i i e ſ u s a m a t o r
S i n t ſ u a f a c t a p i e h i c c u n c t a q u e h i c r a p i a t


PRÆFATIO.

MVſa cita ſtudio gaudens nunc dicere numen
Noſtra cupit,pariter carmine & alloquijs:
Dona patris ſummi,quæ largus reddidit orbi,
Regis alti throni ſancta trophæa ſimul.
Quæ crux eſt facta crucifixi numine plena,
Omnibus apta bonis,ſtirps veneranda ſatis.
Hanc ego pauper,egenus inops,en ore, loquella
Temptaui hic famulus ſons dare & hoc oriar.
Nec me facta piant quod dignum munere tanto
Me fore ad hoc credam,ſic quoque mente probum:
Sed mihi larga Dei bonitas ſpes maxima voti
Eſt,quæ me promptum laus dabat exhilarans.
Pauperis & viduæ non ſpreuit rara minuta
Sed tulit,ipſa probans arbiter omnitenens:
Atque orbe dominans qui ſancit ſolus & vnus
Cuncta venuſta bona hanc laude beauit amor.
Mandatum vetere nempe eſt & lege quibuſque:
Munera vt apta darent templa ad honeſta Dei.
Pars dedit argentum, pars auri munera clara:
Pars tribuit gemmas:pars quoque tincta dedit
Ligna,oleum quidam,pigmentaque cara dedere:
Multaque magna domus monſtrat vbique micans.
Aſt alij ſetas tulerant, piloſque caprarum:
Nec fuerant ſpreti hi dona ferendo Deo hæc.
Quapropter rogito nummatum diues vt iſtic,
Vilia cum portem,hinc ſpernere nollit onus:
Ipſe licèt gazas immenſas conferat amplis
Agminibus,fultus,templa oneranda Dei hinc.
His ego non motus conturbor nam impie vultu:
Sed gratulans ſpeculor creſcere dona ſibi.
Ille quoque exoſa vt habeat mea munera nolo:
Sed magis eſſe ſciat qualiacunque Dei hæc,
Exprobrat ipſe Deo qui deſpicit acer egenum:
Cuius egenus hic eſt:cuius & omnis homo eſt.
En quantum tribuit tribuo mihi Ieſus amator,
Sint ſua facta piè hic cunctaque hic rapiat.

Finis Præfationis. Sequitur liber primus.

Prima

Prima Figura. De imagine Christi in modum Crucis brachia sua expandentis, & de nominibus eius ad diuinam seu ad humanam naturam pertinentibus.



Astsobolesdominietdnsdominantiumvbiq:hic
Expansismanibusmoreformantishabendumen
Perdocethuncvnumgrexiustificatcolitatqe
Etsicmorefatigantisihsxp̄crucenamsuamembrahac
Riteprobantplebesiurisspondetqeparentem
Nāhuncscripturaetoroaltorumculmineiesum
Etproboquodrexastiudeainuentamalorumest
Queocciditregemviuamatqepotenter
Telarupitvahmartiaesaiaedogmatacomplens
Primumnossimualacrescubitemalequisq:hinc
Aeternūdominūtacetoauctorsanctushicorbeest
Tradisummicunctadecentquiasanguinedemptam
Dexteraderipuitpraedamprobasanctaprofundo
Incrucesicpositusdederatdeusarcecoronam
PrincipiumhicdeusemmanuelacfinisorigeEst
Luxetimagopatrisossplendorgloriacristus
Homousionpatrissolverbumexluminelumencum
Aequamanusdominiseuvirtusduxqepropheta est
Quemvnigenamiusteqemprimigenāorefatemur
Nazareusquumoffensiofitacscandaluminiquis
Angelusatquelapisscansurohincianuamundo
Indutaenveritasvestequiddogmatechristus
Indicetexponālegempartahaecqnoquevestis
Significatnanqelicstegiturīngrammateraro
Summipotensauctorquicontinetomniarector
Adquemmunduspertinetastraacpontus:etaether
Nostraq:naturaartatqueociatacreantiest
Namauctorēhaecillumpalmoquiclauditetarua
Obtegithumanoautclauditvisueccepotentem
Ipsetamenostensusubiq:suoestopercorbihuic
Angelushuicsponsusisteestdeuotioplebiet
Atq:docenssapientiapacificusquoquecustos
Fonsbrachiumetpanisdiuinaq:petramagister
Stellaoriensqietcurapotensintentamedela
Clauisethicdauidlaetaviaetagnushonestus
Serpenssanctificansillustrisfitmediator
Vermishomoiisqeretrahitabhostetvitarapina
Monsaquilaparaclytussicleopastoretęduş
Fundamentumouisacreddenspievotasacerdos
Melchipontificissadechuinumquoquepanemet
Qivitulusariescarnedequaestsacravinctus
Victimapatreq:cūbenesitsatusabsquecaduco
Qidamnasensitetligneaquiomnibusanteest
Qiastraestsiderealiusomniaaluciferūante
Virginchicestnatusmatretumtemporeinarto
Atquehominemvtseruaretadarāhiccrucisiuit
Quiestsatoracteternusxp̄sbenedictusinaeuum

LIBER PRIMVS.

AST soboles Domini & Dominus dominantium v-
biq; hic
Expansis manibus morem formantis habendum en
Perdocet, hunc vnum grex iustificat, colit atq;
Et sic more fatigantis Cruce nam sua membra hac
Rite probant plebes, iuris sponderq; parentem
Nam hunc scriptura. Et oro altorum culmine Iesum,
Et probo: quod rex ast Iudæa inuenta malorum est
Quæ occidit regem, is viuat tamen atque potenter
Tela rupit vah martia, Esaiæ dogmata complens.
Primum nos simus alacres, cubitet male quisq; hinc
Æternum Dominum tacet, ô auctor sanctus hic orbe est
Tradi summi cuncta decent, quia sanguine demptam
Dextera deripuit prædam proba, sancta, profundo:
In Cruce sic positus dederat Deus arce coronam.
Principium hic Deus, Emmanuel, ac finis, origo est.
Lux, & imago patris, os, splendor, gloria, Christus
Homousion patri, sol, verbum, ex lumine, lumen cum
Æqua manus Domini, seu virtus, duxq; Propheta est,
Quem vnigenam iuste, quem primigenam ore fate-
mur:
Nazaræus, cum offensio fit, ac scandalum iniquis.
Angelus, atque lapis, scansuro hinc ianua mundo.
Induta en veritas veste, quod dogmate Christus
Indicet exponam: legem parta hæc quoque vestis
Significat, namq; hic tegitur in grammate raro
Summipotens auctor: qui continet omnia rector.
Ad quem mundus pertinet, astra ac pontus, & æther.
Nostramq; natura arta atque sociata creanti est.
Nam auctorem hæc illum (palmo qui claudit & arua)
Obtegit humano aut claudit visu. ecce potentem.
Ipse tamen ostensus vbiq; suo est opere orbi huic
Angelus, huic sponsus, iste est deuotio plebi &
Atque docens sapientia, pacificus quoq; custos,
Fons, brachium & panis, diuinaq; petra, magister.
Stella, oriens, qui & cura potens, intenta medela.
Clauis & hic Dauid, læta via, & agnus honestus.
Serpens sanctificans, illustris fit mediator:
Vermis homo isque, retraxit ab hoste (& vita) rapina.
Mons aquila, paraclytus, sic leo, pastor, & ædus.
Fundamentum, ouis, ac reddens pie vota sacerdos.
Melchi pontificis sadech vinum quoq; panem, &
Qui vitulus, aries, carne de qua est sacra vinctus
Victima patreq; sum bene sit satus absq; caduco
Qui damna sensit & lignea, qui omnibus ante est.
Qui astra est syderea ædicus omnia luciferum ante.
Virgine hic est natus matre, cum tempore in arto
Atq; hominem vt seruaret, ad aram hic Crucis iuit,
Qui est sator æternus, Christus benedictus in æuum.

ECce Imago Saluatoris membrorum suorum positione, consecrat nobis saluberrimam, dulcissimam & amantissimam sanctæ Crucis formam: vt in eius nomine credentes & eius mandatis obedientes, per eius passionem spem vitæ æternæ habeamus: vt quotiescunque Crucem aspiciamus, ipsius recordemur, qui pro nobis in ea passus est, vt eriperet nos de potestate tenebrarum: degluttiens quidem mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum subditis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus: vtque recogitemus, quod non corruptibili argento vel auro redempti sumus de vana nostra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incõtaminati & immaculati Christi: vt simus sancti immaculati in cõspectu ei9 in charitate: vt per hęc efficiamur diuinę naturæ cõsortes, fugientes eius qui in mũdo est concupiscẽtiæ corruptionẽ. Sunt quippe & in ipsa pagina nomina eiusdẽ redemptoris nostri versibus comprehensa, quædam ex diuinitatis eius substantia, quædam verò ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta: vt ostenderetur, quod idẽ mediator Dei & hominum, & patri est in Deitate consubstantialis atque coæqualis, & matri in humanitate suscepta connaturalis atque consimilis: quia omnem naturam nostram ipse perfectè suscepit absque peccato. Qualitas autem eorum facilè per rationem subternexam potest cognosci: vtrum ad diuinam vel ad humanam eius pertineant naturam. Christus namque græcè à chrismate est appellatus, hoc est, vnctus. Sacerdotes ergo & reges apud Iudæos sacra vnctione in veteri testamento vngebantur, & ideo Christus vnctio appellatur, qui rex & sacerdos est: quia nõ oleo materiali, sed oleo lætitiæ, hoc, est Spiritu sancto vnctus est præ omnibus participibus suis. Christus verò hebraicè Messias dicitur. Hiesus hebræum græcè sother, latinè salutaris vel saluator interpretatur: pro eo quod cunctis gentibus salutifer venit. Emanuel ex hebræo in latinum, significat, nobiscum Deus, scilicet quod per virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit. Deus dicitur propter vnitam cum patre substantiam. Dominus propter seruientem creaturam. Deus autem & homo quia verbum & caro. Vnigenitus autem vocatur per diuinitatis excellentiam, quia sine fratribus. Primogenitus, per susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ habere fratres dignatus est, quibus esset primogenitus. Homousion patri ab vnitate substantiæ appellatur, substantia enim vel essentia græcè vsia dicitur. Omoynum, vtrumque enim coniunctum sonat vna substantia. Principiũ, eo quod ab ipso sunt omnia, & quia ante eum nihil est. Finis, quia dignatus est in fine sæculorum humiliter in carne nasci & mori: vel quia quicquid agimus ad illum referimus, & cum ad eum peruenerimus, vltra quod quæramus non habemus. Os Dei est, quia verbum est eius. Nam sicut pro verbis, quæ per linguam fiunt sæpe dicimus illa vel illa lingua, ita pro verbo Dei ponitur os, quia mos est vt ore verba formentur. Verbum autem ideo dicitur, quia per eum omnia pater condidit siue iussit. Veritas, quia non fallit, sed tribuit quod promittit. Vita, quia omnia viuificat. Imago dicitur propter parem similitudinem patris. Figura, quia suscipiens formam serui, per operum virtutumq; similitudinem, patris in se imaginem atque immensam magnitudinem designauit. Manus Dei est: quod omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera: propter effectum operis totius creaturæ quæ per ipsum formata est. Brachium, quod ab ipso omnia continentur. Virtus, quod omnem patris potestatem in semetipso habeat, & omnia potest. Sapientia, quod ipse reuelet mysteria scientiæ & arcana sapientiæ. Splendor, propter quod manifestat. Lumen, quia illuminat. Lux, quia ad virtutem contemplandam cordis oculos reserat. Sol, quia illustrator. Oriens, quia luminis fons, & quod oriri nos faciat ad vitam æternam. Fons, quia rerum origo est, vel quia satiat sitientes. Ipse quoq; A & Ω, quia initium & finis. Paracletus, id est, aduocatus, quia pro nobis intercedit apud patrem, & ad culpas nostras remouendas curam gerit. Sponsus, quia de cælo descendens adhæsit Ecclesiæ, vt essent duo in carne vna. Angelus dicitur, propter annunciationem paternæ ac suæ voluntatis, vnde & apud Prophetam magni consilij Angelus legitur, dum sit Deus & Dominus Angelorum. Missus dicitur, quia verbũ caro factum est. Homo dicitur, quia incarnatus est. Mediator, quia de morte ad vitam nos perduxit. Propheta, quod futura reuelauit. Sacerdos, quod pro nobis hostiam se obtulit. Pastor, quia custos est. Magister, quod ostensor. Nazarenus verò à loco. Nazareus, à merito, id est, sanctus siue mundus: quia peccatum non fecit. Siquidem & alijs inferioribus rebus nominum species ad se trahit Christus: vt facilius intelligatur. Dicitur autem panis, quia caro. Vitis, quia ex sanguine ipsius redempti sumus. Flos, quia electus. Via, quia per ipsum ad Deum imus. Ostium, quia per ipsum ad Deum ingredimur. Mons, quia fortis. Petra, quia firmitas est credentium. Lapis angularis, quia duos parietes è diuerso, id est, de circumcisione & præputio in vnam fabricam Ecclesiæ iungit: vel quod pacem Angelis & hominibus facit. Lapis offensionis, quod veniens humilis offenderunt in eum increduli, & factus est petra scandali. Fundamentum autem ideo vocatur, quia fides in eo fundata est: vel quia supra eum catholica Ecclesia constructa est. Agnus dicitur, propter innocentiam. Ouis, propter mansuetudinem. Aries, propter principatum. Hœdus, propter similitudinem carnis peccati. Vitulus, pro eo quod pro nobis est immolatus. Leo, pro regno & fortitudine. Serpens, pro morte & sapientia. Vermis idem, quia resurrexit. Aquila, propter quod post resurrectionem ad astra remeauit. Nec mirum si vilibus significationibus figuretur: qui dum sit patri coæternus ante sæcula filius, naturæ nostræ vilitatem non spernens, natus est in tempore hominis filius. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Sunt ergo versus quinque, qui in linea humani corporis speciem forinsecus circumdantes conscripti sunt, quorum primus incipit à medio digito dextræ manus, & sic in indicem trãsit, postea in pollicem se erigens & per brachium dextrum ascendens, in vertice capitis finitur. Qui talis est: *Dextra Dei summi cuncta creauit Hiesus*. Secundus à capite descendens similiter in medio digito sinistræ manus finitur iste: *Christus laxabit è sanguine debita mundo.* Tertius à quarto digito dextræ manus, qui medicus vocatur, incipiens, & per auricularem dextrum brachium subtus ducens, in latere dextro vsque ad ventrem medium descendens, rursusque à dextro genu in radicem pedis desinit. Ita: *In Cruce sic positus desoluens vincla tyranni.* Quartus in radice pedis dextri exterius incipiens inter media crura ascendens ad radicem vsque pedis sinistri exterius peruenit. Ita: *Aeternus Dominus deduxit ad astra beatos.* Quintus item à radice pedis sinistri exterius vsq; ad genua ascendens, & à ventre medio per latus & brachiũ sinistrum vsque ad medicum digitum pertingit. Ita: *Atque salutiferam dederat Deus arce coronam.* In veste quidem femora circumdante, sunt versus hi duo elegiaci. *Veste quidem parua hic tegitur qui continet astra. Atque solum palmo claudit vbique suo.* In cæsarie verò capitis eius scriptum est: *Iste est rex iustitiæ.* In vultu quoque & mento, papillis & vmbilico continetur istud: *Ordo iustus Deo.* In corona autem caput cingente istud: *Rex regum & Dominus dominorum.* In cruce namque quæ iuxta caput eius posita est sunt tres literæ, hoc est, A M & Ω, quod significat initium & medium & finem ab ipso omnia comprehendi.

II. Figura. De crucis figura, quæ intra tetragonum est ſcripta, & omnia ſe comprehendere manifeſtat.

O	c r u x q: e x c e l l i s t o t	O	e t d o m i n a r i s o l y m p	O
C	a e l e ſ t e s p l e b e s e t	c	l a r a s a c c i p i s i l l i	c
R	e g n a r e g e n d a p o l i c	r	u c i f i x i n u t: e t a r d o	r
V	n d i q: t e a l m i f i c a t r	u	b e a s c ũ ſ a n g' i n i s v ſ	u
X	r i ſ t i q u a p r o p t e r e	x	r e g e v o c a b e r e t u d u	x
D	u m q e h u m a n a t i b i e x	q	u i r i s d i u i n a q: t a c t	u
V	n i u s a l t i t h r o n i d e	u	o t o i n l a u d i s h o n o r	e
X	r i ſ t i c o l a s ſ o c i a s	a	c ſ a c r o f a m i n e v i u a	x
M	u l t i p l i c e s l a u d e s	e	n d a s a c u l m i n e c a e l	i
I	n t e r r i s c a n t u s q u o	ſ	o f f e r t o r b i s e t e x u	l
S	a n c t i f i c a t m u n d u s	u	e n t: t e p o n t: e t h i c ſ o	l
E	x a l t a t i u b i l a n s c ũ	m	o n t i b u s a r i d a c a n t	ũ
R	u r a c a n u n t ſ t e l l i s	m	o t u t u c a r m i n a d o n a	s
O	r t u s e t o c c a ſ u s a q u	i	l o ſ i c a u ſ t e r e t a u r	a
L	a e t i c i a m r e g n i t e n	c	a s q u o d l u m i n e l u m e	n
A	l t a p o l i p a n d a s c o n	s	i g n e s n u m e n e t i ſ t i	c
T	a n t a d e i d o n a d i ſ p e	n	ſ a n s q u i o m n i a f e c i	t
O	c r u x q u a e x p̄ i e s c a r	O	b e n e d i c t a t r i u m p h	O
Q	u a n t a t i b i d e d e r a t	t	a n t o r ũ f a c t o r a m o r	e
V	i u i f i c a n t i s e n i m d	o	n o d e u s i p ſ e p a r a u i	t
E	t b e n e t e e x t u l e r a t	d	i r e n e d i c e r e p u p p u	p
R	a n c i d u s i s v a l·e a t d	e	c e p t o r d u x e t i n i q u	i
E	x e m p t a m r i ſ i t p r a e	d	a m q i l u c i s a b a e t h r	a
D	e t r u ſ a m q e d i u v o l u	i	t p u n i r e n e c a n d o h̄ i	c
E	n p i a c r u x d o m i n i d e	c	a n t a n s q u i s p i e m u ſ	a
M	a g n i f i c a r e u a l e t t	a	n t ã t e e t d i c e r e f a t	u
P	u l c h r a n i t e s c u l t u	t	e v i ſ u g l o r i a c i n g i	t
T	a x u s d i r a f u g i t c a l	a	n u s ſ e t p i n u s h o n o r	i
I	n c l i n a n t h u m i l e s e	t	c e d r o s m i r r a m e l y r	o
O	l f a c t ũ p a u i t a n t n a	r	d u s e t m i r a c y p r e ſ u	s
M	a x t i x t u s g u t t a a m m	o	n u m b a l ſ a m a b i' d e l l	a
V	i c t a e m a i e ſ t a t e ſ u	p	e r ſ u a v o t a f e r u n t t	e
N	o m i n e t u a ſ p e r i o r m	a	i o r v i r t u t e p i i s h o	c
D	o n a s c u m m e r c e d e m e	e	n t x p̄ i a n t e t r i b u n a	l
O	c r u x q: d e d e r a s r u p t	O	p l e b e m i r e a b a u e r n	O

LIBER PRIMVS.

O Crux quæ excellis toto & dominaris olympo,
Cæleſtes plebes & claras accipis illic
Regna regenda poli, crucifixi nudus & ardor
Vndique te almificat, rubeas cum ſanguinis vſu
Chriſti, quapropter ex rege vocabere tu dux.
Dumque humana tibi exquiris diuinaque tactu
Vnius altithroni deuoto, in laudis honore
Chriſticolas ſocias: ac ſacro famine viuàx
Multiplices laudes en das à culmine cœli.
In terris cantus quos offert orbis, & exul
Sanctificat mundus, ventus, te pontus, & hic ſol
Exaltat iubilans cum montibus, arida cantum
Rura canunt, ſtellis motu tu carmina donas.
Ortus & occaſus, aquilo, ſic auſter, & aura:
Læticiam regni teneas quod lumine lumen,
Alta poli pandas, conſignes numen & iſtic
Tanta Dei dona diſpenſans, qui omnia fecit.

O crux quæ Chriſti es caro benedicta triumpho:
Quanta tibi dederat tantorum factor amore:
Viuificantis enim dono Deus ipſe parauit,
Et bene te extulerat, dire ne dicere puppup
Rancidus is valeat deceptor, dux & iniqui,
Exemptam riſit prædam qui lucis ab æthra:
Detruſamque diu voluit punire necando hic.
En pia Crux Domini, decantans quis piè muſa
Magnificare valet tantam te, & dicere fatu:
Pulchra nites cultu, te viſu gloria cingit.
Taxus dira fugit, calamus ſe & pinus honori
Inclinant humiles: & cedros myrrha melyro
Olfactum pauitant, nardus & myrrha, cypreſſus,
Maſtix, tus, gutta, ammomum, balſama, bidella.
Victæ maieſtate ſuper ſua vota ferunt te.
Nomine tu aſperior, maior virtute, pijs hoc
Donas, cum mercede meent Chriſti ante tribunal
O Crux quæ dederas rupto plebem ire ab auerno.

DECLARATIO.

AST hæc figura Crucē Christi in quatuor cornibus cūcta complecti prædicat, siue quæ in cælis, siue quæ in terra, siue quæ subtus terram sunt, omnia videlicet visibilia atque inuisibilia, viuentia & non viuentia, quia quatuor Crucis cornua siue quatuor loca intimant, in quibus rationales versantur creaturæ, id est, cælestium, terrestrium & infernorum & supercælestium, de quibus & Paulus Apostolus loquitur, vt in nomine Hiesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum. De tribus Pauli testimonium est, videamus & quartum. Laudate Dominum cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini. Rursumque dicuntur cælestia & alia supercælestia. Siue quatuor species totius creaturæ, id est, esse, viuere, sentire, & intelligere, in quibus omnibus creatura subsistit. Nam alia tantum sunt, sed nec viuunt, nec sentiūt, neq; discernunt, vt sunt lapides. Alia sunt & viuunt, sed nec sentiunt neq; discernunt, vt sunt arbusta & omnia germina terrę. Alia verò sūt, viuūt & sentiūt, sed nō discernūt, vt sunt bruta animalia, quibus vis est sentiendi, sed non subest ratio intelligendi. Alia autem sunt, viuunt, sentiunt & discernunt, vt sunt angeli & homines, qui essentia subsistunt, vita viuunt, sensu sentiunt, intellectu discernunt. Sunt & ipsius animæ quatuor affectiones, quibus animantia vel ad bona vtuntur vel ad mala. Has & antiqui subtiliter inuenerunt, & eorum inuenta probantes posteri susceperunt, id est, timere, ac dolere, cupere ac lætari. Hæc ergo si sanctæ Crucis præsidio ordinantur atque muniuntur, in religiosis hominibus salutifera esse probātur, licet eas vitia esse, stultitia quorundam sapientum huius mūdi existimarit. Quod si ita esset, & eas nisi peccatores omnino non possunt hēre aut perditi, rectè non affectus aliqui possent dici, sed morbi. Aut cum tales animorum motus inueniantur in sanctis Apostolis & Prophetis, quis ita desipiat, vt eos affectus vitia credat? ex quibus Deo placuerunt illi, qui vitijs plus quā cæteri homines restiterunt. Itaque Paulus Apostolus de timore sic loquitur: Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, sic & vestri sensus corrumpantur à charitate quæ est in Christo. Idem de cupiditate fiducialiter dicit: Cupio dissolui & esse cum Christo. Sed & de tristitia, quam alij dolorem appellant, idem doctor gentium ait: Quia tristitia est mihi magna & continuus dolor cordi meo, pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem. Nam & ad Romanos scribens ait: Gaudeo in vobis, sed volo vos Sapiētes esse in bono & simplices in malo. Dauid quoque Propheta de timore ita ait: Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Item, Timete, inquit, Dominum omnes sancti eius. De tristitia verò ita ait: Contristatus sum in exercitatione mea. Item de concupiscere idem dicit: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore, & concupiui salutare tuum Domine. De lætitia quidem idem Psalmista exhortans sanctos Dei dicit: Lætamini in Domino & exultate iusti, gaudete iusti in Domino. Hunc ergo timorem vel dolorem, hanc cupiditatem siue hoc gaudium qui reprehendere voluerit, ipsum reprehendit Apostolum & Prophetam, qui per tales affectiones non solum Deo placuerit: sed etiam quosdam alios ad idipsum exhortati sunt, & qui extorres horum fuere, inter criminosos quod essent sine affectu culpauerunt. Non ergo has affectiones habendo: sed eis male vtendo delinquimus, quia humanorum affectuum proprietas, hominis indicat creatorem: qualitas verò, bonam & malam significat voluntatem: ac si motus qui in omnibus affectiones sunt, hæ eædem ipsæ in benè vtentibus virtutes, & in malè vtentibus passiones siue perturbationes, ac vt quidam volunt, ægritudines fiunt: illeque eis benè vtitur, qui non suam, sed Dei quærit facere voluntatem: vt iam non sibi viuat, sed ei qui per sanguinis sui effusionem in cruce illum redemit: qui cum Apostolo dicere potest: Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum Cruci: Viuo autem iam nō ego, viuit verò in me Christus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Omnia ergò hæc sanctæ Cruci conueniunt, quia in ea omnium creator passus est Christus. Nam passio Christi cælum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit. In ea confirmantur Angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici, stabiliuntur subsistentia, animantur viuentia, conseruantur sentientia, illustrantur intelligentia. Inde timor ductus à pœna, fideles liberat: tristitia salubris, pœnitentes à peccatis mundat: cōcupiscentia boni, virtutum fructus germinat: gaudium vitę spe confidentes lætificat. Omnium quippe auctor hāc sanctam sibi præuidebat machinam: hanc construi voluit, vt in ipsa restauraret & coadunaret omnia per Hiesum Christū Dominum nostrum. Sunt quoque versus duo in ipsa Cruce conscripti, quorum prior est: *O Crux quæ summi es noto dedicata tropheo*: à summo in ima descendens. Alter verò: *O Crux quæ Christi es caro benedicta triumpho*: à dextra in sinistram crucis tendens. Sunt & in tetragono circa crucem quatuor versus, quorum primus, qui supra crucem, est hic: *O crux quæ excellis toto & dominaris olympo.* Qui verò infra, est hic: *O Crux quæ dederas rupto plebem ere ab auerno.* Qui autem in dextra, hoc est, in anachrosticide positus est, hic est: *O Crux dux misero latro[...] redemptio mundo.* Et qui in sinistra, hoc est, in telesticide hic: *O Crux vexillum sancto & pia cautio sæclo.* Notandum autem quod O literam, quæ circuli habet similitudinem, idcirco in quatuor angulis tetragoni & in quatuor cornibus crucis, necnon & in media cruce posuimus: vt ostenderetur omnia sanctam Crucem sua potentia concatenare, & in veneratione Christi copulare quæ sursum & quæ deorsum sunt.

III. Figura. De nouem ordinibus Angelorum, & de nominibus eorum in Crucis figura diſpoſitis.

Saluesanctaſaluschriſtiotupaſſiolaeta
Cruxvenerandadeidoctrixſapientialumen
Lausvericaravirtusphiloſophiaclarahis
Quosdantaruaſolivelculmenconditolympi
Sidereosquechorosetcandidaſceptradici
Nāq:ſalushominumesrerumrenouatiopulcra
Tebeatorbstotusalainclytanempepolorum
Omnegenupertecaeleſtūetflectiturambit
Terreſtrumatq:inferiuxtaſuavinculanorū
Sceptraducesregnacuruantisnomineieſus
Atmichaelprincepshabitantūduxetinalto
Tememoratvirtutedeiſimulaetheracuncta
Etregereettegereſtesnuminisalmaquodara
Quoclypeoexultatframeaquafortisinibit
Horridabelladraconisouanscūmilib:almis
Atq:tuaslaudesquaeretſibipraemiavictor
Namiurehancſtatuitſuſpenſamact:qemod:qe
Sorſqcrucetalemhancaramveraquibusqe
Virtutūvteſtanspromatvitaipſaſenatum
Scriptabonaiuſteconſurguntincrucevita
Xp̄sſeadpetrāfideinimiumauctaqueſenos
Ducereteinclinanshumilistumvenitabarce
Etdocuitverbisfactisdocumentareliquit
Accruceſacrapiacompleuitcunctacreator
Hocgabrielalacerdansclarumſamenadaurē
Virginisorabasarcangelusetparanymphus
Ieſumſaluantemiātangenslaudetriumphum
Orafaelmedicinadeinumtededithaeccrux
Redderepoſſeiubarcuiustuncritefiguram
Monſtrabascaecoquaeluminareddiditorbi
Credim:ergocrucisantiquainlaudibuseſſe
Cūnouaconſonuitpſallentumcantiolaudem
Angeliinofficiūetveniebantiureminiſtri
Hincrogocaelorūagmenbenedicitechriſto
Quicruceſaluauitmundumdansregnabeatis
Etveſtrūnumerumcompleuitinarcepolorum


LIBER PRIMVS.

SAlue ſancta ſalus, Chriſti ô tu paſſio læta,
Crux veneranda Dei doctrix, ſapientia, lumen,
Laus veri, cara virtus, philoſophia clara, his
Quos dant arua ſoli, vel culmen condit olympi,
Sidereoſque choros, & candida ſceptra dici.
Namque ſalus hominum es, rerum renouatio pulchra:
Te beat orbs totus, ala inclyta nempe polorum,
Omne genu per te cæleſtum & flectitur ambit
Terreſtrum atque infer iuxta ſua vincula norum.
Sceptra duces regna curuantis nomine Ieſus:
At Michael princeps habitantum dux & in alto
Te memorat virtute Dei ſimul æthera cuncta
Et regere & tegere, ſtes numinis alma quod ara:
Quo clipeo exultat, framea qua fortis inibit
Horrida bella draconis ouans cum millibus almis.
Atque tuas laudes quæret ſibi præmia victor.
Nam iure hanc ſtatuit ſuſpenſam actuſque, moduſque,
Sorſque Crucem talem hanc aram, vera quibuſque
Virtutum vt teſtans promat vita ipſa ſenatum.
Scripta bona iuſte conſurgunt in Cruce vita.
Chriſtus ſe ad Petram fidei nimium auctaque ſenos
Duceret inclinans humilis, tum venit ab arce,
Et docuit verbis, factis documenta reliquit,
Ac Cruce ſacra pia compleuit cuncta creator.
Hoc Gabriel alacer dans clarum ſamen ad aurem
Virginis orabas Archangelus, & paranymphus
Ieſum ſaluantem iam tangens laude triumphum.
O Raphael medicina Dei, num te dedit hæc Crux
Reddere poſſe iubar, cuius tunc rite figuram
Monſtrabas cæco, quæ lumina reddidit orbi.
Credimus ergo Crucis antiqua in laudibus eſſe:
Cum noua conſonuit pſallentum cantio laudem
Angeli in officium & veniebant iure miniſtri:
Hinc rogo cælorum agmen benedicite Chriſto,
Qui Cruce ſaluauit mundum, dans regna beatis:
Et veſtrum numerum compleuit in arce polorum.

DECLARATIO.

MEritò quippe sanctorum Angelorum ordines & cælestis militiæ exercitus, nomine & numero sanctæ Cruci concordant: vt æterni regis victoriam collaudent, & magnitudinem lætitiæ suæ honesto officio prædicent: cùm non solum in hora natiuitatis Christi laudasse, & post in deserto illi ministrasse sacer Euangelij textus commemoret, verum etiam in tempore passionis & resurrectionis eius, debito ei officio ipsos affuisse manifestè narret: maximeq; illos credi oportet huius rei esse deuotos, quia quantò dignius in eius militia militant, tantò deuotius eius triumphum laudant. Nouem ergò sunt ordines Angelorum, vt sancta scriptura nobis commendat: hoc est, Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubin & Seraphin. Sed ad hæc exponenda beati Gregorij Papæ verba ponamus: Esse namque Angelos & Archangelos, penè omnes sacri eloquij paginæ testantur. Cherubin quoque & Seraphin, sæpe vt notum est libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat dicens: Supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens ait: Siue throni siue dominationes siue principatus siue potestates. Dominationes verò, principatus ac potestates iam ad Ephesios loquens descripserat, sed ea quoque Colossensibus dicturus præmisit thronos, de quibus nec dum quicquã Ephesijs fuerat locutus. Dum ergò illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit: id est, principatibus & potestatibus, virtutibus atque dominationibus, coniunguntur throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur; quibus dum Angeli & Archangeli, Cherubin atque Seraphin adiũcta sunt, procul dubio nouem esse Angelorum ordines inueniũtur. Vnde & ipsi Angelo, qui primus conditus est, per Prophetam dicitur: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in delitijs paradisi Dei fuisti. Quo notandum, quod primus Angelus non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, vt quò subtilior est natura, eò in illo imago similius insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolitus, Onix, & Berillus, Saphirus, Carbunculus, & Smaragdus. Ecce nouem dixit nomina lapidum, quia profectò nouem sunt ordines Angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus Angelus, ideo ornatus & coopertus extitit: quia dũ cunctis agminibus Angelorum prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. Sed hæc dispositio in Cruce nouem ordinum Angelorum quid nobis sacramenti innuat? prosequamur. Tenet ergò hæc species sanctę Crucis in inferiori sua parte, duos ordines, id est, Angelos & Archangelos, in brachio dextro duos, hoc est, virtutes & potestates, in brachio sinistro item duos, id est, principatus & dominationes, in medio vnum, id est, thronos, in superiori parte itẽ duos, hoc est, Cherubin & Seraphin. Quæ etiam nomina ad Domini nostri Hiesu Christi gloriam prædicandam satis conueniunt, eiusque magnificentiam & potentiam narrandam decenter competunt. Quem enim Angeli & Archangeli in infima parte Crucis positi denunciant, nisi eum qui de cœlo in terram descendit, magni videlicet consilij Angelum, ad annuntiandum mansuetis missum, vt fortior fortem alligaret, eiusque vasa diriperet. Et quem alium Virtutes, Potestates, Principatus & Dominationes prædicant in brachijs Crucis positæ nisi eum de quo scriptum est: Dextera Domini fecit virtutem. Et item: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Itemque: Et factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Et item: Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ. Throni ergò in medio crucis positi, quem alium in se sedere notant? nisi illum cui dictum est Apostolo teste: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga recta est virga regni tui. Et Psalmista: Sedes, inquit, super thronos qui iudicas æquitatem. Et quem Cherubin Seraphinq; significant in arce Crucis positi? nisi eum de quo dicit Apostolus. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Et item, Deus noster ignis consumens est. Cherubin quippe plenitudo scientiæ, & Seraphin ardentes vel incendentes interpretantur. Sed hæc non ita prædicamus de ordinibus Angelorum, quasi vnigenito illos coæquemus: sed per subiectæ creaturæ officia & nomina dispensationis: illius sacramenta veneramur. Est enim ipse Deus & Dominus Angelorum: ante omnia videlicet sæcula ex Deo patre genitus: hoc est, de substantia patris, qui in nouissima ætatum sæculi ex Virgine matre natus, naturam in se suscepit humanam, ad debellandum scilicet mundi principem missus, vt expoliaret principatus & potestates, palam triumphans eos in semetipso quem pater suscitauit à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cęlestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nõn solũ in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnia Ecclesiæ quæ est corpus ipsius. Nouem ergò literæ maiores, quæ in hac pagina speciem Crucis faciunt, hoc sonant, CRVX SALVS. habentque singulæ singulos ordines Angelorum: quod facile cuilibet patebit qui literas nouit, & nomina nouem ordinum non ignorat.

IV. Figura. De Cherubin & Seraphin in Crucem scriptis & significatione eorum.



LIBER PRIMVS.

O Cherubin Seraphin de cælo nomen Iesus iam
Exaltate, ignis nam hinc vester famine lucet.
Cum diuina Crucis vera crucis laus, hæc via, vita.
Fructus lucis Christus verus, qui & socia est laus:
Vicit tristia tunc rex, nuncque exultat vbique,
Qui est Seraphin carus: ora fiant celebrando hic
O cælestia monstra multa hac laude supernum:
Vnum est pennatum aram ausu, nam conclamatam
Sacratum atque decus aræ firmant, quoque voto
Edunt, quæ sit virtus, ac bona quæ tribuit rex
Consultu hac Christus re cum conbussit iniqua.
En passus cunctosque fugauit calce potentes:
Et districta rupit excussi claustra chelydri,
Et veteres actus tersit, dedit ipsa benignus
Quis steterat Adam sons regna Sabaoth in arce:
Quæ ora probant, virtus, & numen, huic ibi ferte
Auxilia in tenebris, in carcere, iussa beatum
In Cruce factorem, confixum in stipite regem:
En thronus hic regis, hæc conciliatio mundi,
Vexillum, framea, sors belli, insigne decorum
Proterit hoc hostes, arma confringit iniqua:
Subleuat atque suos, virtutis præmia donat:
Nam hinc exul ignis scito, quæ tela laterent
Stant Cherubin, hæc quæ aræ assistunt, arcæ quæ
Hic hæc labbara dant signo rite, & satis ora
Sancta ara sapiunt, vna quoque sacra ope fiunt.
Vncta triumphum quæ conatus fercula condunt:
Lætaque distensis ducunt hæc facta beando.
En alis sensim tradunt alma, altaque pandunt
Pennis osque suum Seraphin, vt iam prope tempus
Quo carnalis eat luxus dicant, vitiaque hinc:
Tensa ac brachia saluantis hic officio dant.
Hisque trahi atque vehi celso quæ iudicio ipse hinc
Tum dispensans in tutum leget ipsa probando
Quæ iam nota ante auctu, & cara probauit vbique:
De Cruce non titubant iustorum nuntia vatum.
De Cruce non fallunt istorum signa animantum.

DECLARATIO.

IN hac itaque pagina Crux Domini, ſimul cum figuris Seraphin & Cherubin circa ſe poſitis, depicta conſcriptaq; cernitur. Quæ ideo in hoc opus hic introducuntur, vt oſtēdatur, quanta prouiſione ac diſpenſatione, diuina clemētia humano generi ſemper ſalutē ſuam procurauerit, cū & in ipſis ſpiritib. Angelicis per Propheticam reuelationē, ſpeciem redemptionis noſtræ ante videri voluit, & per opera Prophetica in tabernaculi templique aditis conſtructa, id eſt, in ipſis Cherubin iuxta arcam vltra velum poſitis, æternam propitiationem mundo intimare decreuit. Proinde, licèt multa multi de habitu & ſitu horum animalium interpretati ſint, & alia atque alia diuerſo ſtylo non diuerſa fide ſcriptitatint: mihi tamen non incongruè videtur (ſalua maiorū traditione) ipſa animalia habitu ſuo, ſanctæ Crucis exemplari figuram, cum & interualla ipſius localiter ſeruent, & ſurſum atque deorſum, in dexteram atque ſiniſtram ſitu ſuo ſimiliter protendant. Denique Seraphin Propheta Eſaias inter alia ita narrat dicens: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea quæ ſub eo erant replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant, & clamabat alter ad alterum, & dicebat: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. Quid ergò ſitus iſte ſenarum alarum Seraphin prę figurat, niſi Crucis Chriſti imaginem? Illæ quippe alæ quæ ſuperiorem partem corporis ſui, id eſt, faciem velabant, quod ſurſum ad caput erectæ ſint, neceſſe eſt & ob hoc ſuperiorem partem Crucis demonſtrent manifeſtum eſt: Illæ autem quæ infimam partem, id eſt, pedes velabant, quomodo niſi deorſum dimiſſas eſſe credendum eſt, & ob hoc inferiorem partem Crucis ſignificare. Illæ autem duæ quæ ad volandum extenſæ ſunt, quid aliud quàm tranſuerſum Crucis lignum, in quo brachia & manus extenſæ ſunt, Domini ſignificant? Et proinde in poſitione ſex alarum Seraphin, manifeſtè totius Crucis Chriſti ſignaculum expreſſum eſſe nemo ſapiens dubitat. Benè quoque ipſa incedentes vel ardentes interpretantur: quia illam formam demōſtrant, in qua ſuperatæ ſunt omnes aduerſariæ poteſtates, & totius mundi peccata conſumpta atq; deleta ſunt, immo ignem illum electis Dei commendant, quem ſe Dominus in terram mittere & vt arderet ſe velle teſtatus eſt. Et meritò trina voce ad laudem ſanctæ Trinitatis omnes electos cohortabantur, hoc eſt, eos qui ante aduentum Saluatoris fuerunt, & qui in præſentia incarnationis eius vixerunt, quique adhuc vſque in finem mundi poſt aſcenſionem eius in cælos ad fidem conuertendi ſunt: quia omnes vna paſſio Chriſti ſimul redemit de Iudæis videlicet atque gentibus. De cætero Cherubin illa quæ in tabernaculo ſiue templo fabricata erant, quid aliud extenſione alarum ſuarum quam Crucis Chriſti imaginem præferebant? De quibus benè in libro regum narrat, quòd facta eſſent decem cubitorum altitudinis, & decem cubitos haberent à ſummitate alæ, vſque ad alæ alterius ſummitatem. Ad cuius etiam inſtar humani corporis forma comparari poteſt, cuius penè tanta latitudo eſt in extenſione brachiorum à ſummitate digitorum vnius manus vſque ad ſummitatem digitorum alterius manus, quanta eſt altitudo ſiue longitudo à planta pedis vſque ad verticem capitis. Hæc ergò iuxtá arcam & propitiatorium ſtabant, quia veram propitiationem in incarnatione Saluatoris humano generi demonſtrabant. Hæc & in modum Crucis alas extenſas ſemper habebant, quia perpetuam noſtram redemptionem in paſſione Chriſti Saluandorum ritè intimabant. In Cruce quoque hic verſus eſt in longitudine à ſummo deorſum vadens: *En arx alma Crucis: en fabrica ſancta ſalutis.* Iſte quidem in latitudine: *En thronus hic regis, hac conciliatio mundi.* In Seraphin quoque & Cherubin verſus elegiaci conſcripti ſunt. Nam in Seraphin illo quod ſupra dextrū cornu Crucis ſtat, hi ſunt verſus: *Signa Crucis Chriſti aſt Seraphin celeſtia monſtrant. Pennarum atque ſitu hac cuncta ſacrata probant.* In eo verò quod ſupra cornu ſiniſtrum, hi: *Nam hec ſocia exultant celebrando hac laude ſupernum. Conclamantq, tribus ſceptra Sabaoth vicibus.* In Cherubin namque dexteriore verſus iſti ſunt: *Hinc ſignant Cherubin hec labbara ſancta triumphum. Diſtenſiſq, alis brachia tenſa notant.* In ſiniſteriore quippe iſti: *Qua latere aſſiſtunt arca & ſacra opercula condunt. Factaq, propitia officio ipſa probant.*

V. Figura. De quatuor [illegible] guris [illegible] onicis [illegible] Cruce [illegible] po[illegible] & Sp[illegible] domus Dei.

Cruxrogoſacradeiſ i gnamihinominepect:
Laudibusvtclaraca n temtuaritetropaea
Quomodoterrenisab c aelisfoederaducas
Pactumconfirmeset l oetivincularumpas
Ovosagmenapoſtolic v mtumartyrumetordo
Iuredomusxp̄ipoſui t quosculmeninipſum
Condiſtisimaplebs a lmaeſtvocereperta
Sanctaſalutariſet c ruxſundamineſummo
Inſitaconſtructac r ucifixiroborefixa
Quaeverehumanumgen u ſadvitamdedicauit
Firmataqecolumnae x itoſtenderephilax
Aeternamperſepara d iſoſurgereformam
Tegminisetaulamſp o nſiiuſtiquoq:regis
Criſtetropaeanoua m oxiurecruoreviaqe
Erigisinmundoquod i uſtifoederaſeruet
Spernatdamnatumvi n catpietatedoloſum
Cuifauoratq:timorv i rt:acpalmacoronaes
Inclytacruxdomini x pifundamenetaulae
Pulchriorestotove r nantifloribusaruo
Celſioraccedropar i oetprecioſioralbo
Quadratasiungisin f irmotramitepetras
Etritepatriarchar ū iusplebsquepriora
Fundamentatrahiti n fundodomatisomnis
Quaebenedeuotacor d afcitdogmateprimū
Vincirectumregn a ntiverbaprophetac
Cōmpluerantviuami m perijsaulāpieregi
Vtcriſtoiāformaſſ e ntinſcammatetrito
Omnisnamq:ſimulſca n ditonamq:ſimuaſtra
Haecaulaieſusadla e tamſulaieſusrcton
Etvocefirmatavige t bonaefirmatavitae
Iunctioſignatdath a eccominciuſſamcare
Quaviaduxducitadl u cisſceptratenenda
Quostemplodedicat l aetabonamanſioxp̄i
Quattuoratq:crucis a ugetcumrupib:iſtis
Perfectamqedomumd e ducensangelusipſe

LIBER PRIMVS.

Crux rogo ſacra Dei ſigna mihi nomine pectus:
Laudibus vt clara cantem tua ritè trophæa:
Quomodo terrenis ab cælis fœdera ducas,
Pactum confirmes,& lethi vincula rumpas.
O vos agmen Apoſtolicum,tu martyrum & ordo,
Iure domus Chriſti poſuit quos culmen,in ipſum
Condiſtis,ima plebs alma eſt voce reperta.
Sancta ſalutaris & Crux fundamine ſummo
Inſita,conſtructa,crucifixi robore fixa:
Quæ verè humanum genus ad vitam dedicauit,
Firmataque columna exit oſtendere philax,
Æternam per ſe paradiſo ſurgere formam,
Tegminis & aulam ſponſi,iuſti quoque regis
Chriſte trophæa noua mox iure,cruore,viaque
Erigis in mundo,quod iuſti fœdera ſeruet:
Spernat damnatum,vincat pietate doloſum:
Cui fauor atque timor,virtus & palma,corona es.

Inclyta crux Domini,Chriſti fundamen & aulæ,
Pulchrior es toto vernanti floribus aruo:
Celſior ac Cedro,Pario & precioſior albo,
Quadratas iungis in firmo tramite petras:
Et ritè patriarcharum ius,plebsque,priora
Fundamenta trahit,in fundo domatis omnis:
Quæ benè deuota corda ſcit dogmate primum
Vincire,rectum regnanti verba prophetæ
Compluerant,viuam imperijs aulam piè regi
Vt Chriſto iam formaſſent in ſcammate trito:
Omnis namque ſimul ſcandit ob nomen ad aſtra.
Hæc aula Hieſus ad lætam fulminis Arcton,
Et voce firmata viget bona ſtructio vitæ:
Iunctio ſignat,dat hæc omine iuſſa meare:
Qua via dux ducit ad lucis ſceptra tenenda:
Quos templo dedicat læta bona manſio Chriſti:
Quatuor atque Crucis anget cum rupibus iſtis:
Perfectamque domum deducens angulus ipſe.

DECLARATIO.

IN hac igitur pagina Crux sancta per medium tendit, quatuor quadrangulas formas circa latera eius positas habens: ad ostendendum vtique cælestis ædificij structuram, Ecclesiæ videlicet Dei viui, quæ & domus eius est, columna & firmamentum veritatis. Ad hanc ergo domum pertinent electi Angeli, quorum nobis similitudo in futura vita præmittitur, dicente Domino: Illi autem qui digni habentur sæculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt vxores, neque enim vltra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Ad hanc pertinet ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Hiesus, ipso attestante, cùm ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod exponens Euangelista subiunxit: Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Dicit autem Apostolus de nobis: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si ergò ille templum Dei per assumptam humanitatem factus est: & nos templum Dei per inhabitantem spiritum eius efficimur: constat vtique quia figuram omniũ nostrum & ipsius videlicet Domini, & membrorum eius quæ nos sumus, templum illud materiale tenuit, quod Salomon rex ædificauit in Hierusalem: sed ipsius tanquam lapidis Angularis singulariter electi, & preciosi in fundamẽto fundati: nostri autem tanquam lapidum viuorum superædificatorum super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super ipsum Dominum. Quod ostendit Apostolus dicens: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, qui est Christus Hiesus. Qui propterea rectè fundamentum domus Domini potest vocari: quia sicut ait Petrus: Non est aliud sub cælo nomen datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Et item: Ad quem inquit accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Hiesum Christum. Possunt ergò huius fundamenti primi lapides ac fundationi habiles, Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli & martyres non incongruè accipi: qui siue prædicando, siue operando, siue patiendo fidei fundamenta nobis iecerunt, & quorum auctoritatem in doctrina, exempla in actibus, imitationem in tollerantia cætera turba fidelium sequitur. Nam sicut Apostoli & martyres post Saluatoris incarnationem, passionem & resurrectionem atque ascensionem in cælos per totum orbem spirituale ædificium domus Dei Christum prædicando, siue etiam pro Christo moriendo fabricati sunt: ita ante aduentum eius in carne Patriarchæ atque Prophetæ in priore populo, & in his regionibus in quibus degebant, semper aliorum vitam verbis atque exemplis in melius conuertere satagebant, quatenus digna conuersatione Deum habere mererentur habitatorem, ipsumque sibi esse sentirent Deum propitium, sub cuius dominatione positi cognouerunt omnipotentem. Bene ergò in libro regum scriptum est de illa typici templi ædificatione: quod præcepetit rex vt tollerent lapides grandes, lapides preciosos in fundamentum templi, & quadrarẽt eos. Lapides ergò preciosi sunt sancti viri, qui meritis sunt præclari, qui benè quadrari iubentur, ac sic in fundamento poni. Quadratum namque omne quocunque vertitur fixum stare consueuit. Cui nimirum figuræ assimilantur corda electorum: quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt, vt nulla occurrentium aduersitate, nec ipsa etiam morte à sui rectitudine status possint inclinari: quales videlicet Doctores Ecclesia nõ solum de Iudæa, verum etiam de gentibus perplures suscepit. Rectè quidem in sancta Cruce hæc ædificatio demonstratur, quia in ipsa, id est, in passione Christi tota Ecclesia catholica fundata, fabricata perfectè, atque dedicata est, nec hoc ædificium vnquam veniret ad effectum, nisi per Crucem liberaretur genus humanum, nec ipsius sacerdotis dignè compleretur officium, nisi ipse Sacerdos in Cruce fieret sacrificium. In ipsa autem Cruce continetur hic versus scriptus: *Inclyta Crux Domini Christi fundamen & aulæ.* In tetragonis verò circa Crucem positis versus conscripti, nõ per circuitum penitus girant, hoc est, vt finalibus literis ad inceptiuas per anfractum redeant, sed omnes in dextro angulo sito superius incipientes, per sinistrum supra ad sinistrum infra in decem & nouem literis descendunt, postea iterum in dextro angulo superius à vicesima litera incipiẽtes, & descendendo per dextrum inferius vadentes ad sinistrum vsque infra decem & septem literis pertingunt: & sic vnusquisque versus quatuor tetragonorum XXXVI. literas continet, qui vtique numerus est tetragoni plani & senarij in semetipso multiplicatione confecti, sicut in sequentibus demonstrabimus. Est autem versus hic tetragoni subtus dextrum cornu positi: *Te Patriarcharum laudabilis actio signat.* Subtus sinistrum verò positi tetragoni iste est: *Plebsque Prophetarum diuino famine iussa.* At eius quoque, qui supra dextrum cornu Crucis positus est, talis est versus: *Agmen Apostolicum pandit tua rite trophæa.* Supra sinistrum verò talis: *Martyrum & ipse chorus effuso ære cruoris.*

VI. Figura. De quatuor virtutibus principalibus quomodo ad Crucem pertineant, & quod omnium virtutum fructus per ipsam nobis collectus sit.

Omnipotensvirtusſummaſapientiachriſte
Ornasquitotũarcecrucisdominuspiemundũ
Diſpenſaſquetuisſanctispiadonaſalutis
Namq;quadrigapijsbenecornib:aptaquat'nis
Virtutumpanditſeriemdedicantetriumpho
Victorisregisoſtendensſanguinecunctas
Proficereacſpeciesfructupietatisinorbe
Eſtvirtushabitusanimimorumetdecusomne
Nobilitasvitaeratioetmoderatiolinguae
Quaecruxalmapiisiuſtadaslaudeprobanda
Cunctaſimulplacitodepromisſingulavoto
Sanctatuodocuittenerumprudentiamundum
Exteiuſtitiabeneferuensſperneregaudet
Terroremzabuliscanditbenedictusamorre
Adpiaconſiliamentẽaufertfraudevoratam
Vndeaccarnalempoteritvimettollerepugnã
Vitotaniſuſortihincquoqueadinclytaviſu
Attenditaduerſaferensitcumipſavetando
Peſtiferaveritasſcelerumcumnoxiacaedis
Oſtendensetpſallereiambonatemporapoſſe
Signedeiſciremandataediſſerereacſpe
Etfactolucemconquirerehincmodoſanctos
Arrectaeqeauresacaeleſtibusoptimadigne
Conducantquoddonaparentetgerminaruris
Efoliisfructuscorreptaqueſqualidarite
Viminaſuccendantetregiaferculapromant
Hosergofructuspietasſacratiſſimaſeuit
Gratiapurgauitpatientiaetartaprobauit
Pactumconiunxitetlexpatrisalmarigauit
Produxitbonitasnãviuidagraminachriſti
Sacrauitcultusetlausconſtantiacunctos
Fulcibatculmosnouagranaperomniavirtus
Iamhumiliscondititnutritq;modeſtiaplenam
Inſpicafrugẽdatperſeuerantiafructumet
Tẽporematurumcandentemconcitechriſtus
Tumcruxperteiuſtitiaetpropenumineviſo
Mittensiamfalcẽconcludetinhorreameſſẽ


LIBER PRIMVS.

Omnipotens virtus, summa ſapientia Chriſte
Ornas qui totum arce Crucis Dominus pie mundũ,
Diſpenſaſq; tuis ſanctis pia dona ſalutis:
Namque quadriga pijs benè cornibus apta quaternis
Virtutum pandit ſeriem, dedicante triumpho
Victoris regis oſtendens ſanguine cunctas
Proficere ac ſpecies fructu pietatis in orbe.
Eſt virtus habitus animi morum & decus omne,
Nobilitas vitæ, ratio & moderatio linguæ,
Quæ Crux alma pijs iuſta das laude probanda
Cuncta ſimul placito depromis ſingula voto.
Sancta tua docuit tenerum prudentia mundum:
Ex te iuſtitia benè feruens ſpernere gaudet
Terrorem zabuli, ſcandit benedictus amorre
Ad pia conſilia, mentem aufert fraude voratam:
Vnde ac carnalem poterit vim & tollere pugnam
Vi tota, niſu forti, hinc quoque ad inclyta viſu
Attendit, aduerſa ferens it cum ipſa vetando
Peſtifera veritas ſcelerum cum noxia cædis
Oſtendens & pſallere iam bona tempora poſſe,
Signa Dei ſcire, & mandata ediſſerere ac ſpe
Et facto lucem conquirere hinc modo ſanctos
Arrectæque aures cæleſtibus optima digne
Conducant, quod dona parent & germina ruris
E folijs fructus, correptaque ſqualida ritè
Vimina ſuccendant, & regia fercula promant.
Hos ergò fructus pietas ſacratiſſima ſeuit,
Gratia purgauit, patientia & arta probauit,
Pactum coniunxit, & lex patris alma rigauit,
Produxit bonitas, nam viuida gramina Chriſti.
Sacrauit cultus, & laus conſtantia cunctos
Fulcibat culmos, noua grana per omnia virtus
Iam humilis condit, nutritq; modeſtia plenam
In ſpica frugem, dat perſeuerantia fructum &
Tempore maturum candentem concite Chriſtus:
Tum Crux per te iuſtitia & prope numine viſo
Mittens iam falcem concludet in horrea meſſem.

DECLARATIO.

QVantos ergò & quales fructus lignum sanctæ Crucis germine suo proferat, dignum est etiam in hoc sacro carmine modò commemorare, cuius fructus æternus est & radix perpetua, cuius odor mundum replet, & sapor fideles saginat, cuius splendor solem superat, & candor niuem obfuscat, cuius cacumen polum excedit, & cuius infimum inferna penetrat, cuius firmitas humilia iocunditas exaltat, & cuius potentia exaltata humiliat. Omnium enim virtutum series per ipsum & in ipso collata est mundo, quia in ipso rerum perfectio completa est. In ipso celsitudinem suam prudentia demonstrat, in ipso soliditatem suam iustitia reuelat, in ipso potentiam suam fortitudo consignat, in ipso moderamina sua temperantia collaudat. Hic etiam prudentia acquisitionem sapientiæ & comprehensionem veritatis deuotius concedit, atque hinc prouidentiæ, intelligentiæ & memoriæ dona, omnis fidelis percipit. Hic iusticia fidei fundamentum posuit, atque hinc pietatis & religionis, gratiæ quoque & vindicationis æquitatem vnicuique distribuit. Hic fortitudo blanda & aduersa magnificentissimè contemnit, atq; hinc fidentiæ, patientiæ & perseuerantiæ exempla proponit. Hic temperantia in libidinis ac pertinaciæ insolentes impetus frena disciplinæ inijcit, atque hinc pudicitiæ & continentiæ, clementiæ quoque & sobrietatis multiplicia dona desiderantibus impendit. Hoc videlicet lignum ab ipso plantatum est, de quo dicit Propheta, ligni comparationem faciens: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non decidet, & omnia quæcunque fecerit prosperabuntur. Decursus ergò aquarum sunt quotidiani transitus deficiẽtium populorum. Et de semetipso veritas dicit: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Lignum ergò secus decursus aquarum est cum folijs & fructu, quia protectionis suæ nobis vmbraculum proferens apparuit creator in carne, & humanum genus per resurrectionem ad vitam erexit, quod per defectum quotidie ibat ad mortem. Verè enim istud lignum dedit fructum in tempore suo, quando Saluator noster passione & resurrectione sua completa, ecclesiam per totam mundi latitudinem in se vitem veram coadunatam cunctis virtutibus fecit abundare, ipso hoc testante: Ego sum, inquit, vitis & vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Spirituales enim hic gignuntur fructus, quos enumerat Apostolus dicens: Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia, castitas. Benè ergò in in sancta Cruce spiritualis adhibetur fructus, quia omnium bonorum in ea crucifixus est auctor. Nam ex parte carnis, dum in ea mori voluit Christus, salutem integram humanum percepit genus. Granum frumenti in terram cecidit, & gloriosam martyrum segetem protulit. Vnus stips portauit hominem suspensum, & totus mundus ad cæleste dedicatus est regnum. Iudæa gens insolens non timuit perimere regem, & totius orbis gentes ipsum susceperunt redemptorem, quia in semine Abrahæ benedicentur omnes familiæ terræ. Quatuor ergo hæ figuræ in vnam Crucis formam dispositæ, quatuor principalium virtutum continent nomina: prudentiæ quoque, iustitiæ, fortitudinis & temperantiæ, ex quibus omnis virtutum series procedit, & in quibus ratio bonæ vitæ consistit. Sunt ergò memoratæ figuræ secundum trigoni speciem coniunctæ, sed varijs gradibus distinctæ. Facti sunt enim in duobus lateribus vniuscuiusq; constare, & nullum nisi per sancti Spiritus gratiam eas posse impetrare. Tenet quoq; hæc positio sanctæ Crucis, in trigonis suis quatuor versus xxxvi. literarum, id est, in singulis singulos: quorum primus qui in supremo positus est trigonus, tenet hunc versum, incipientem à dextro angulo superius, & circumeuntem per cæteros angulos, vsque ad illum vnde incipiebat, ita: *Arce Crucis Domini summa prudentia sistit*. In infimo autem trigono incipit versus hic, à dextro angulo desubtus, & vadit per cæteros circum, vsque ad ipsum à quo initium capiebat, ita: *Iustitia & prona mandat se parte tenendam*. Dexteræ autem partis trigonus continet hunc versum, ab infimo angulo primum sursum ascendendo, sic circumeundo cæteros vsq; ad initium suum, ita: *Forti sed in dextro cornu fert spiculatu do*. Sinistri verò trianguli versus, à medio angulo initium sumit, gradiens primùm ascendendo vsq; ad alterum angulum, indeque per circuitum ad caput suum reuertitur, ita: *Cum in leuo moderans disponit iura modestia*. Modestia igitur per syncopam scripta, pro temperantia ponitur, species pro genere.

VII. Figura. De quatuor elementis, de quatuor viciſſitudinibus temporum, de 4. plagis mundi, & de 4. quadrantibus naturalis diei, quomodo omnia in Cruce ordinentur, & in ipſa ſanctificentur.



LIBER PRIMVS.

Omnia iam ſplendent vero de lumine Chriſti
Illuſtrata, Crucis & ſacræ facta beando
Concelebrant, vt victori ſic vota ſuperno
Debita perſoluant, deuotè regna canentes
Cuncta tenere modum ſub magno numine Hieſu.
Quicquid in orbe meat edacis quicquid vbique
Eſt, ſapit & ſentit, viuit, & iura reſeruat:
Hoc terra, pontus, hoc ſydera, gramina, venti,
Imperio ſubetunt, hoc ſunt, anteque fuerunt
Imber, nubs, grando, glacies, nix atque pruina,
Fontes, & riui, puluis, & ros, iubar abſque hoc
Cretæ, arcton, actu, ſtellæ atque aera quæque.
En almum, & non vaaharo, rurſus dicite vera,
Ac modulos, cantus, odas, cantet quoque iuſtus:
Omnia Crux trahat, & ſano pie iure coronet:
Laude Dei non diſcordet, ſed dicat honeſta
Eius opus gaudens, piſces, dirique dracones,
Colles, & luci, montes, pecora, arbos, harena,
Cumque feris, veſpæ, vermes, & beſtia rictu:
Et placidæ vultu, ſeu ſæua mente volucres:
Xpicolæ quis aula poli, terraque ſata ſit:
Vobis virtus lumen ducens vndique ad hoſtes
Nuncia fert, prex ſit aut vnda, ſed ore peritus
Fama idem ah abicit palmam noſci hic rapto
Dat fœlici, dat iuſtis hæc nuntia cunctis:
Parcens ritè hoſti, dat fatu viuere, multos
Sed iure damnat, quos auctus ſepſit iniquus.
Inde decet pariter ora ymnizantia laudes
Votaque declament grates, en veſtra polorum
Turba, & tu populus quem profert tellus vbique:
Vos ratio conſors pariter direxit ad odas:
Gaudia vos cæli cæleſtia regna bonaque
Iam forte capiunt, & votis valde requirunt:
En dedit hoc veſter vobis ſaluator, & ipſe
Rex proprius præſul lætusque creator Hieſus.

DECLARATIO.

REctè igitur quaternarium numerum perfectione sacratum penè nullus ignorat, & ideo benè illum in forma Crucis Christi transfiguratum totus orbis veneratur. Siquidem mundum quatuor elementis constare manifestum est, id est, igne, aere, aqua & terra: Et totum orbem quatuor terminari partibus siue angulis notum est, oriente scilicet & occidente, aquilone & meridie. Quatuor quoque sunt vicissitudines temporum, id est, ver, æstas, autumnus, hyems: & quatuor quadrantes naturalis diei, id est, quater senæ horæ, quæ tamen his initijs dignoscuntur, mane videlicet & meridie, vespere & intempesto. Sed quomodo Cruci conuenienter possit hæc dispositio coaptari, intimandum est. Si ergò erectam Crucem voluerimus aspicere, ignem, quod supremum est elementorum, in arce illius collocemus: aerem quoque & aquam, quæ media sunt in elementis, in transuerso Crucis ligno, quod per medium stipitis erecti ducitur, consignemus: terram verò, quę grauissima est & imum in creaturis tenet locum, inferiori parti Crucis deputemus. Hæc quippe omnia elementa sicut quadam naturæ propinquitate sibimet commiscentur, vt mundi integritatem perficiant: ita etiam quatuor partibus Crucis sibimet sociantur, vt perfectam speciem eius demonstrent. Si autem quatuor plagis orbis eam velimus assignare, iacentem metiamur necesse est ita: vt primam partem eius orienti, extremam occidenti, dextram aquiloni, sinistram austro deputemus. Similiter quoque quatuor vicissitudines temporum naturalis diei, eadem dispositione in Cruce possunt adunari: vt vna species anni siue diei congrue in his queat ostendi. Ver enim atque aurora ortum lucis & coalescentia in terra germina ordine suo proferunt, & ob hoc benè orienti deputantur. Æstas autem atque meridies propter feruorem austro coaptantur: quia dum in eisdem cæli partibus sol erigitur, flagrantiore mundum torret calore: Autumnus namque & vespera iure occidenti mancipantur, eò quòd tunc omnium fructuum terræ messis finitur, & tota diei spacia terminantur. Hyems ergò & intempestum, septentrioni assimilantur: eò quòd tunc terra frigore torpeat, & magis quieti quàm alicui operi tempus oportunum sit. Igitur dum omnia per Crucem constat esse recuperata, & per Christi passionem renata ac meliorata: ritè ad eius laudem cuncta conueniunt: quia ipse est cum patre & Spiritu sancto vnus Deus, cui soli benedictiones illæ competunt, quas tres pueri in camino ignis ardentis, omnes creaturas ad laudem creatoris exhortando, concinnebant atque dicebant: Benedicite omnia opera Domini Dominum & cætera. De quo & Psalmista dicit: Laudent eum cæli & terra, mare & omnia quæ in eis sunt: quia, secundum Apostolum, ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Cur verò in rotis quatuor elementa siue quatuor tempora seu quatuor plagas mundi depinxerim, hæc ratio est: quia omnis mundi machina temporalis est, & quadam permixtione elementorum atque successu temporum variabilis siue mutabilis, Salomone attestante, qui ait: Omnia tempus habent, & suis spacijs transeunt vniuersa sub cælo. Nunc ignis aerem siccat, aqua humidiorem facit, nũc terra aquarum alluuionibus afficitur, nunc solis ardore siccatur. Aqua quippe natura mobilis est, & quendam circulum cursu cõficit. Omnia flumina, inquit Ecclesiasticus, intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Ignis quoque similiter naturalem motum habet, vnde ad altiora se semper erigit accensus, & locum sibi super aera quærit. Discurrunt fulgura, & crebris micat ignibus æther. Tempora namque circulis transeunt, & vicissitudines quatuor ternorum mensium orbibus eunt. Annus quoq; ab eo quod semper vertatur & in se redeat nomen accepit. Dicitur & orbis terræ & vertigo poli terras atque æquora circumuoluere. Girans girando vadit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Quinq; tenent zonæ cælum, obliquus qua se signorum verterit ordo. Sunt quoq; & ipsi versus in rotis conscripti sphærici siue circulatis numeri: id est, xxxvi. qui per senarium senario multiplicato in senarium terminat, quorum primus in supremo circulo hic est versus: *Ver oriens ignis aurora hac parte relucent.* In infimo verò hic: *Autumnus, zephyrus, tellus & vespera huc fit.* Dextro namque hic: *Arcton hyems limpha media nox ecce locata.* Et in sinistro huc versus: *Aer, æstas, auster, arci hic sit meridiesque.*

VIII. Figura. De mensibus duodecim, de duodecim signis, atque duodecim ventis, & de Apostolorum prædicatione, deque cæteris mysterijs duodenarij numeri, quæ in Cruce ostenduntur.

Christussaluatorcristusrexarceserenus
Consiliumvirtusmagnaetbenedictiolumen
Patrisdiuinaprolescertetrahitomnehinc
Iusortumfacturafabrummoscastushonorem
Hincquebonumqicqiduerummirumqevidetur
Iusticiaeqicquidarcequicquidmanetorbe
Quicquidriteprobatetprofertordinemund:
Angelusatq:bonusqaenamsuffertetiniquus
Sunthincquodqedeusuanumdeieceratexhoc
Saecloiusreuocansenomniacristushonore
Complectitdominansconsignatmuneranutu
Hincdecetvtgenushumanumetluminisexul
Norethosradiosquoserigithaecbenedicta
Cruxsaluansetreddensquemiamprim:habebat
Ecsortumlucisnocuusquoabscesseratadam
Qotqotiamradiosvereenistoscelebrabant
Perpetualucisfulgescuntsortecrebroque
Hoccandoresatismicueruntarmaprophetae
Grexetapostolicusdecoraturluceecorusca
Hocq:fideschristicandethocsolerelucent
Cordabenehominumvotaquolumineglifcunt
Iustipollentespermisticasignabonumque
Coniciuntradiummandatiscredereobipsum
Ettribuuntpopuliscumiurasupernanotare
Asscribuntchristoconsortiaducerevitae
Christusrexdominusdiuinusmuneresummus
Scandensaltacrucisenroborafundit:inhoc
Istamtuncspeciēplantandopanderecaelos
tradiditetvoluitgratosconquiriereillic
Ergoqaterternosabaquarumetlimitemundi
Hocventosincallecrucisbenedixeratipse
Signaq:bissenaprincepsstipandogubernat
Acduodenasuisorienssplagasuscipithoris
Tractadieispatienhissectiototalaborat
Omnianamchristicruxgloriaseptaresoluit
Ipsaq:sanctapolistansgaudiaiuraq:terrae
Proponitsignatlaudatprobatipsaqedonat

LIBER PRIMVS.

CHristus Saluator Christus rex arce serenus,
Consilium, virtus magna & benedictio, lumen,
Patris diuina proles: certè trahit omne hinc
Ius ortum, factura fabrum mos castus honorem
Hincque bonum quicquid verum mirumq; videtur
Iustitiæ quicquid arce qñicquid manet orbe.
Quicquid ritè probat & profert ordine mundus,
Angelus atque bonus, quæ nam suffert & iniquus
Sunt hinc, quodq; Deus vanum deiecerat ex hoc
Sæclo ius reuocans: en omnia Christus honore
Complectit dominans, consignat munera nutu.
Hinc decet vt genus humanum & luminis exul
Noret hos radios: quos erigit hæc benedicta
Crux saluans, & reddens quem iam primus habebat
Exortum lucis, nocuus quo abscesserat Adam.
Quotquot iam radios vere en istos celebrant
Perpetua lucis fulgescunt sorte crebro quæ.
Hoc candore satis micuerunt arma Prophetæ,
Grex & Apostolicus decoratur luce corusca.
Hocque fides Christi candet, hoc sole relucent
Corda bene hominum, vota quo lumine gliscunt
Iusti pollentes per mystica signa bonumque
Conicient radium mandatis credere ob ipsum,
Et tribuunt populis cum iura superna notare
Ascribunt Christus consortia ducere vitæ:
Christus rex dominus diuinus munere summus
Scandens alta Crucis en robora, funditus in hoc
Istam tunc speciem plantando pandere cælos
Tradidit, & voluit gratos conquirier illic:
Ergo quater ternos ab aquarum & limite mundi
Hoc ventos in calle Crucis benedixerat, ipse
Signaque bissena princeps stipando gubernat,
Ac duodena suis oriens plaga suscipit oris
Tracta Dei spacia, en his sectio tota laborat,
Omnia nam Christi Crux gloria septa resoluit,
Ipsaque sancta poli stans gaudia iuraque terræ
Proponit, signat, laudat, probat, ipsaque donat.

DECLARATIO.

Duodenarius ergò numerus quàm benè & aptè sanctæ Cruci conueniat, non paruæ rationis est intelligere: quippe cùm duodecim venti sint, qui mundum perflant, & duodecim signa zodiaci, quibus septem planetæ circulos suos ordinatè & dispositè pergunt, & duodecim menses, quibus annuus cursus peragitur: artificialisque diei horæ duodecim, quibus Sol totam superficiem terræ illustrat: duodecim quoque Patriarchæ, ex quibus omnis multitudo filiorum Israel propagata est, quæ terram repromissionis secundum sortes XII. tribuum possedit, à quibus exorti sunt Prophetæ, diuini partus precones. Vnde & ipse Saluator carnem suscipere, & inter homines nasci dignatus est: qui lux in hunc mundum veniens, XII. Apostolos, quos ex ipsa gente elegit Sol iustitiæ, in horarum similitudine illustrans, per cunctas plagas orbis, ad sanctæ Trinitatis fidem prædicandam direxit. Et in ædificio cælestis Hierusalem eiusdem numeri sacramentum multipliciter insinuatur, quod Apocalypsis quidem ostendit, vbi ita scriptum est: Et ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, descendentem de cælo, à Deo habentem claritatem Dei: lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidis Iaspidis, sicut cristallum: & habebat murum magnum & altum, habens portas duodecim, & in portis Angelos XII. & nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab oriẽte portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres: & murus ciuitatis habens fundamenta XII. & in ipsis XII. nomina XII. Apostolorum & Agni, & reliqua. Sancta enim Ecclesia in hoc ædificio spirituali significatur, quæ est cælestis videlicet Hierusalem, & vrbs regis magni, cuius artifex & conditor est Deus, qui fundamentum eius simul & consummatio est, qui pro nobis etiam pontifex fieri dignatus est, vt proprij sanguinis hostia eiusdem mœnia ciuitatis ablueret pariter atque dedicaret. Omnia quæcunque habet propria pace ipse possidet, vnde & in pectore summi pontificis XII. lapides pretiosi, quaterno versu dispositi, & duodecim Patriarcharum nominis inscripti videbantur imponi, vt pulcherrimo panderetur, omnia spiritualia charismata, quæ singuli quique sanctorum viritim ex parte perficiebant, in mediatore Dei & hominum homine Christo Hiesu, pariter & perfectè fuisse completa. Quod in Euangelio quoq; Iohannes testatur: Et verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Et paulò pòst: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Hiesum Christum facta est. Habet ergò hæc species sanctæ Crucis in cornibus suis ternas lineas, vt demonstret, quod sicut ipsa dextra læuaque, in directo tramite suo vicinas & coadhærentes lineas habet, ita ventorum quatuor cardinalium principalitas, in dextra & in sinistra ventos alios positione sua consociat, sic & quatuor tempora, ternos menses singula habentia, siue æquinoctijs siue solstitijs media, iuxta quosdam dirimuntur: quod illi planum erit, qui Græcorum seu Ægyptiorum de temporibus rationes sedulus discere curat. Sunt autem in ipsa Cruce duo versus hexametri, quorum prior in longitudine à summo deorsum vadens, hic est: *In Cruce nunc menses, venti, duodenaq; signa.* Qui autem in latitudine transit, iste est: *Grex & Apostolicus decoratur luce chorusca.* Sunt quidem & alij duo versus pentametri in lineis adiacentibus cornibus Crucis, quorum vnus per anfractum longitudini Crucis supra infraque copulatur ita: *Sunt quoque consocia hic stips, plaga, & orbis opus.* Alter verò dexteræ ac leuæ parti in latitudine sociabitur ita: *Sancta valet celebri ast Crux dare calle bonum hoc.*

IX. Figura. De diebus anni in quatuor hexagonis & monade comprehensis, & de bisextili incremento, quomodo in specie sanctæ crucis adornentur & consecrentur.

Soletlunadeumhicchristumenbenediciteiesum
Cruxq: estvesterhonosstabilisluxpaciferordo
Lausprobitasseriespercunctaestseculalumen
Vosquediemhacnoctemquesimulperpenditisora
Stringitisatq: huiuscentenaadvinculagressum
Stirpsqehabethaecsenosdeciesetqinqiesvnum
Atq: thoroinpropriodeciesquoqueritetricenos
Namquehissolrotaquesenosciturindereluna et
Temporaquehistotaetsemelomniscircuitannus
Binosquaeetdeciesqinoshabethisglobusorbes
Septimanaeatquehabervniusquoqelimitisoram
Annusadhancq: diemversumtenetomnisetordohic
Namhoraitadhanctempusannaliscursusetastra
Iamhucquequadransaliscruxtotaqemnotatarte
Itquateretsaenisarcecircumuolatvmbrisquae
Adcrescuntnumeroinuitusqemostenderitetsol
Callesuperuacuumhocecceaequinoctiasignant
Tusacrastirpsq: claradieornascunctatenebris
Cruxquoquesanctamicashincenetchristusvbiq:
Oracruciscompletcelsiibasbarathrumorbemara
ArtoordinesceptrumhaCatqueaetheracelsanam
Haecquedecusmundiestsemregitastrapolihinc
Donatmagnasalushocsedehaeclaustraquecaeli
Laushominumhaecodisplanatcunctadeihausta
Luxabiitcumsummaiugisprimumastraaditensol
Atq: sacrameffigiemhostisinarduasistitiesum
Namiudaeafremenssatisextulitarborepomumet
Quohocpossenttetragoniquaererepartib: orbis
Gentesetpopuliexqattuormarisvndiquesummis
Haequedapesvitaemonstranturdecrucecunctis
Quodsatienturibietdeciesdecuplataresumant
Donapatrissũmiatq: nouenostumaetherecernant
Angelicospopulososingulietvndiquefulgeant
Hincmoneovtcantustotospiascriptaqueagamus
Quatenusexitiumspecummorsasperainorbemhuc
Iamfremithacpellivnadeexiliohincvaleatiam
Postquoqueregnadeietsuperaiamlucenitentes
Prendamuslaetihincrerumetresonemusouantes
Auctoremchristumdominumomnipotentisetalmi
Nempepatrisnatumverumalmumatq: arcesupernum
Sitquoquehaecnostraratiolaussemperetardor

LIBER PRIMVS.

Sol & Luna Deum hic Christum en benedicite Hiesum:
Crux quæ est vester honor, stabilis lux, pacifer ordo,
Laus, probitas, series, per cuncta & sæcula lumen:
Vosque diem hac noctemque simul perpendiris hora,
Stringitis atque huius centena ad vincula gressum.
Stirpsque habet hæc senos decies & quinquies vnum,
Atque thoro in proprio decies quoque ritè tricenos:
Namque his Sol rota quæ se noscitur indere, Luna &
Temporaque his tota & semel omnis circuit annus,
Binosque & decies quinos habet his globus orbes:
Septimanæ atque habet vnius quoque limitis oram
Annus ad hancque diem versum tenet omnis, & ordo hic:
Nam hora it ad hanc, tempus, annalis cursus & astra.
Iam hucque quadrans alis Crux tota quem notat arte
It quater & senis arce circumuolat vmbris, quæ
Accrescunt numero, inuitus quem ostenderit & Sol
Calle superuacuum hoc ecce æquinoctia signant.
Tu sacra stirps quæ clara die ornas cuncta tenebris,
Crux quoque sancta micas, hinc en & Christus vbique
Ora Crucis complet, celsi ibas baratrum orbem ara
Arto ordine sceptrum hac atque æthera celsa, nam
Hæcque decus mundi est. Sem regit astra poli hinc
Donat magna salus hoc sede hac, claustraque cæli
Laus hominum hæc odis planat cuncta Dei hausta.
Lux abijt cum summa iugis primum astra adit en Sol,
Atque sacram effigiem hostis in ardua sistit Hiesum.
Nam Iudæa fremens satis extulit arbore pomum, &
Quo hoc possent tetragoni quærere partibus orbis
Gentes & populi ex quattuor maris vndique summis.
Hæcque dapes vitæ monstrantur de Cruce Cunctis.
Quod satientur ibi, & decies decuplata resumant
Dona patris summi, atque nouenos tum æthere cernant
Angelicos populos, ô singuli & vndique fulgeant.
Hinc moneo vt cantus totos pia scriptaque agamus.
Quatenus exitium spe cum mors aspera in orbem huc
Iam fremit: hac pelli vna & de exilio hinc valeat iam:
Post quoque regna Dei & supera iam luce nitentes
Prendamus, læti hinc rerum & resonemus ouantes
Auctorem Christum dominum omnipotentis, & almi
Nempe patris natum, verum, almum atq; arce supernum.
Sit quoque hæc nostra ratio, laus semper, & ardor.

DECLARATIO.

ERgò hæc figura ſanctæ Crucis per quatuor hexagonos & per monadem inter medios poſitam, omnes dies anni complectitur. Siquidem annus ſolaris habet dies CCC. LXV. & quadrantem. Diuide ergò hos per IIII. quater XCI. CCC. LXIV. fiunt, & remanet vnus dies & quadrans. Diuide illum vnum diem per IV. quater ſex horæ XXIV. fiunt, quod eſt integra dies à ſolis ortu vſque ad alterum ſolis ortum. Diuide ipſum quadrantem, quater enim hora & ſemis ſex horas complent, quod eſt biſſexti per ſingulos annos incrementum, ac inde fit ſi totum annum in quatuor partiaris, quod vnaquæque pars dies XCI. & horas ſeptem ac ſemiſſem contineat, atque hæc fiat vera partitio quatuor viciſſitudinum, id eſt, veris, æſtatis, autũni & hyemis, vt ſingulæ dies XCI. & ſeptem horas ac ſemiſſem habeant. Notandum tamen quod in hac figura quadrantis demonſtratio aliter non fit, niſi ſub intellectu & examinatione ſex angulorum, vt horæ ſingulæ ſingulis deputentur angulis. Si enim quatuor hexagonos in angulis ſuis perſpexeris, XXIV. horas in his notabis: qua ſcilicet plenitudine horarum dies biſſextilis conficitur, & non abſurdè hæc ratio huic rei diſcreta eſt. Si enim in quatuor annis quadrantilis portio ad vnius diei peruenerit ſummam, ritè in quatuor hexagonis quater ſex horarum Crux oſtendit & normam. Recte ergò hexagonus diuinitus huic diſpoſitioni ordinatus eſt: quia ſenarius numerus in tota anni ſerie plurimum valet. Ad hoc quoque demonſtrandum ponamus partem vnius capituli de libro ſancti Auguſtini quarto de ſancta trinitate. Annus etiam vnus, ſi XII. menſes integri conſiderentur, quos triceni dies complent (talem quippe menſem veteres obſeruauerunt, quem circuitus lunaris oſtendit) ſenario numero pollet. Quot enim valent ſex in primo ordine numerorum, qui conſtat ex vnis, vt perueniatur ad X. hoc valent LX. in ſecundo ordine, qui conſtat ex denis, vt perueniatur ad C. Sexagenarius ergò numerus dierum, ſexta pars anni eſt. Proinde per ſenarium primi verſus multiplicantur, tanquam ſenarius ſecundi verſus, & fiunt ſexies ſexaginta, trecenteni & ſexaginta dies, qui ſunt integri XII. menſes. Sed quoniam ſicut menſem circuitus lunæ oſtendit hominibus, ſic annus circuitu ſolis animaduerſus eſt. Reſtant autem quinque dies & quadrans diei, vt ſol impleat curſum ſuum, annumque concludat. Quatuor enim quadrantes faciunt vnum diem, quem neceſſe eſt intercalari excurſo quadriennio (quod biſſextum vocant) ne temporum ordo turbetur. Etiam ipſos quinque dies & quadrantem ſi conſideremus, ſenarius numerus in eis plurimum valet. Et primò ſicut fieri ſolet vt à parte totum computetur, non ſunt iam dies quinque ſed potius ſex, vt quadrans ille accipiatur pro vno die. Deinde quia in ipſis quinque diebus ſexta pars menſis eſt, ipſe autem quadrans ſex horas habet. Totus enim dies, id eſt, cum ſua nocte, viginti quatuor horæ ſunt: quarum pars quarta, quæ eſt quadrans diei, ſex horæ inueniuntur. Ita ergò in anni curſu ſenarius numerus plurimum valet. Meritò itaque ſanctæ Cruci aptata eſt ſeries dierum: quia per ipſam illuminata ſunt corda hominum. Ipſi competit copulatio hexagonorum: quia in ipſa conſtat perfectio rerum. Ad ipſam ordo temporalis lucis conuenit: quia per ipſam lucem æternam homo inuenit. Ad illam nonagenarius numerus cum monade concurrit, quia per illam angelicus ordo ad ſui numeri plenitudinem peruenit. Ad ipſius quoque medietatem ex quatuor partibus hexagoni directi vnitate copulantur: quia per ipſius maieſtatem oẽs gentes ex 4. plagis mundi in vnitate fidei ſociantur: ipſiuſq; completo opere cæleſtis atque terreſtris creatura vna charitate coniunguntur. Ipſi honor & maieſtas: per cuius clementiam hæc cuncta perpetrata ſunt, laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Habet quippe hæc ſpecies ſanctæ Crucis in longitudine per duos hexagonos metrum ſapphicum, quod eſt pentametrum, endecaſyllabum, & ſunt eius tres verſus pares. Recipiunt autem ſinguli hos 4. pedes binarũ ſyllabarum, trocheũ, ſpondeum, trocheum, iambum & vltimum triſſyllabum bachium. Poſt tres autem verſus additur dicolos dactilicus, hoc eſt, dactilus & ſpondeus. Suntquè in ſupremo haxagono hi verſus: *Terq; centenos deciesq; ſenos, & ſemel quinos habet vniuerſum. Tempus: annalis Cruce circuitus. Ecce dies hic.* In ſecundo quoq; hi: *Sed plagis poſiti ſatis exagoni. Quatuor monſtrant decies nouenos. Singuli totos pie cum monade. Et ſuper vnum.* Notandum autem quod ſuperiores verſus, quia C. literam, quæ in medio hexagonorũ eſt, ſibi attrahunt, XCII. literas habent, ſequentes verò XCI. Illi autem duo hexagoni, qui tranſuerſam partem Crucis faciunt, metro elegiaco compoſiti ſunt, quorum prior hos verſus habet: *Stirps quoque ſancta Crucis complet certo ordine ſceptrum. Hacque decus mundi & magna ſalus hominum hac.* Poſterior verò iſtos: *Cuncta tenet Chriſtus barathrum, orbem atque æthera celſa. Nam regit aſtra poli hic clauſtraq; cuncta dei.*

X. Figura. De numero Septuagenario & sacramentis eius: quomodo Cruci conueniant.

Quidferatenvitamcorruptioquidvereatur
Debitaquidlaxetquidvinclatenaciacedat
Nuncdecetvtveraxspehilarishocmusabeato
Carminedepromatcrucisarduadicatetacta
Hocmeritovoxfauceomnishocpersonetarte
Osdigitiplectrumvotacorlingualoquella
Quodcecidithellotoruusdraconoxiusille
Artevenenatahominemtruxquiexpuliteden
Traxeratatquecadensdecaelilucifer arce
Tertiamadinfernifumantiasulfurestagna
Astrorumpartemsecumquiafraudesuperbus
Temptauitsuperosonssesimilaresupernum
Ingelidastatuensaquilonissedetribunal
Agnushuncquelupumsuperauitiurepotenti
Eripuitpraedamstudiaqueferociapressit
Imoatgentesexplacitoadsacranunciacura
Conuertitmelioranotanscaelestiadonans
Nealboortuledathuiccastofabulaiamsiin
Roboreconsurgitquidogmatasensitaperta
Nearеatoscantusuppletrexaridahaustaque
Inquesacralaudefecundatgerminisauctor
Istaenperfidiamcausatpraemunerecellit
Virtuslargacrucisdimittensdebitamundo
Deniquehocnumeromanifestaredemtiototo
Quodfueritmundodanielisseptuagintahoc
Ebdomadaesignantvtpraeuaricatiocertum
Acciperetfinempeccatumetnoxaetiniquum
Iustitiamq: aeternā adduceretipsecreator
Ieremiasdeciesseptenosscripsitetannos
Postqosipsesuosavinclissolueretauctor
Atmoisessanosmonitudiscreueratipsehis
Quosdocuittoleransseniores septuaginta
Saeculapacificansdruxlustrastotabeato
Famineeuangeliidecalogietfoedereclaro
Necerisinscriptaimposreoripsafiguraen
Inquinissensussummisdesquodpiecunctos
Magnificeetplacituistotibiiurefauere

LIBER PRIMVS.

Quid ferat en vitam, corruptio quid vereatur,
Debita quid laxet, quid vincla tenacia cedat,
Nunc decet vt verax spe hilaris hoc musa beato
Carmine depromat, crucis ardua dicat & acta.
Hoc merito vox fauce omnis hoc personet arte,
Os, digiti, plectrum, vota, cor, lingua, loquela:
Quod cecidit bello toruus draco, noxius ille
Arte venenata hominem trux qui expulit Eden:
Traxerat atque cadens de cæli lucifer arce
Tertiam ad inferni fumantia sulphure stagna
Astrorum partem secum: quia fraude superbus
Temptauit supero sons se similare supernum
Ingelida statuens Aquilonis sede tribunal:
Agnus hunc que lupum superauit, iure potenti
Eripuit prædam studiaque ferocia pressit:
Imo at gentes ex placito ad sacra nuncia cura
Conuertit, meliora notans, cælestia donans:
Ne albo ortu lædat huic casto fabula iam si in
Robore consurgit, qui dogmata sensit aperta
Ne areat os cantu, supplet rex arida haustaque
Inque sacra laude fœcundat germinis auctor.
Ista en perfidiam causat præ munere cellit
Virtus larga Crucis, dimittens debita mundo.
Denique hoc numero manifesta redemptio toto
Quod fuerit mundo, Danielis septuaginta hoc
Ebdomadæ signant: vt præuaricatio certum
Acciperet finem, peccatum, & noxa, & iniquum:
Iustitiamque æternam adduceret ipse creator.
Hieremias decies septenos scripsit & annos,
Post quos ipse suos à vinclis solueret auctor:
At Moises sanos monitu discreuerat ipse his
Quos docuit tolerans seniores septuaginta:
Sæcula pacificans, Drux lustras tota beato
Famine Euangelij, decalogi, & fœdere claro:
Nec eris inscripta impos reor ipsa figura, en
In quinis sensus summis des, quod pie cunctos
Magnifice & placite iusto tibi iure fauere.

DECLARATIO.

SEptuagenarium quippe numerum præsens forma sanctæ crucis sparsis literis conscripta demonstrat, quo nobis intimatur, omnia mysteria, quæ idem numerus continet, honori sanctæ crucis decentissimo conuenire. Nam LXX. anni captiuitatis, quos Hieremias Propheta prædixit populo sacrilego futuros, quid aliud significant? quàm omne tempus istius vitæ, quod per septenarium dierũ numerum discurrit, quo propter peccatum primi hominis damnati sumus, & pœnis ærumnisque affligimur, & varijs tribulationibus atq; angustijs quotidie afficimur. Sed quia finem captiuitatis post LXX. annos idem Propheta prænunciauit: hoc, nisi fallor, insinuat, quod in fine mundi captiuitas nostra perfectè dissoluetur, quando nouissima & inimica destruetur mors, quando scilicet & de animæ decore & de corporis immortalitate sine fine cum Christo gaudebimus: atque ideo in sanctæ crucis forma hæc ratio oportebat demonstrari, quia ipsa per Christi passionem huius gratiæ nobis contulit effectum. Cui rei concordant ipsa verba Prophetæ, qui ait: Hæc dicit Dominus, Cum cœperint impleri in Babylone LXX. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum bonum, & reducam vos ad locum istum: Ego enim scio cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis finem bonum & patientiam, & inuocabitis me, & ibitis & adorabitis me, & exaudiã vos, quæretis me & non inuenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis, ait Dominus, & reducam captiuitatem vestram, & congregabo vos de vniuersis gentibus, & de cunctis locis ad quæ expuli vos, & reuerti vos faciam ad locum à quo transmigrare vos feci, & reliqua. Quid est enim quod dicit Propheta: cùm cœperint impleri in Babylone LXX. anni visitabo vos, & suscitabo super vos verbũ bonum? nisi quod dicit Apostolus: Quando autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Et item: In nouissimis diebus locutus est in filio suo, quem constituit hęredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Cum cœperint impleri dixit: non cum completi fuerint, quia non in consummatione mundi, sed in nouissima ætatum sæculi incarnatus est Christus, & per verbum Euangelij illuminauit credentes, atque per passionem & resurrectionem suam restaurauit genus humanum. Quod enim bis in hoc capitulo reuersionem prædicat, hoc est, in eo quod dicit: Et reducam vos ad locum istum; & paulò post subiungit: Et reuerti vos faciam ad locum à quo transmigrare vos feci, potest intelligi, quod animę reuersionem ad requiem in priori sententia: & in secunda corporum resurrectionem ad gloriam insinuet. Post mortem ergò sanctorum animæ modo in paradisum vadunt, & in fine mundi recipientes corpora sua, regnum intrabunt æternum. Septuaginta verò ebdomadas numerauit Daniel vsque ad Christum, quando finem acciperet delictum & præuaricatio, & adduceretur iustitia sempiterna. Verùm vt hæc apertiùs elucescant, ipsa iam angeli ad Prophetam dicta videamus. Septuaginta, inquit, hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt cõsummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum, & reliqua. Nulli dubium, quin hæc verba Christi incarnationem designent, qui tulit peccata mundi, legem & prophetas impleuit, vnctus est oleo lætitię præ participibus suis. Numerentur igitur istæ hebdomadæ per septenos annos distinctæ, à vicesimo anno regni Artaxerxis regis, quando Nehemias pincerna eius impetrauit ab eo restaurari muros Hierusalem, templo multò ante Cyro permittente constructo, quæ ipsæ abbreuiatæ esse describuntur, hoc est, secundum lunæ computum duodenorum mensium lunarium: hinc fiunt anni quadringenti nonaginta, qui ad sole redacti faciunt annos CCCC.LXXV. ad eius verò baptismum, quando vnctus est sanctus sanctorum, descendente super eum Spiritu sancto sicut columba, non solum hebdomadas VII. & LXII. fuisse completas, sed & partem septuagesimæ hebdomadis inchoatam. Et post hebdomadas, inquit, LXII. occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negatus est. Non statim post LX. duas hebdomadas, sed in fine septuagesimæ ebdomadis occisus est Christus, quam ideo, quantum conijcere possimus, segregauit à cæteris, quia de hac erat plura relaturus. Nam & Christus in illa crucifixus, & à populo perfido non modò in passione, sed continuò ex quo à Iohanne prædicari cœpit negatus est. Confirmabit autem multis pactum hebdomadibus, vna ipsa videlicet nouissima, in qua vel Iohannes Baptista vel Dominus & Apostoli prædicãdo multos ad fidem conuerterunt. Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, hoc est, XV. anno Tyberij cæsaris, quando inchoato Christi baptismate hostiarum purificatio Christi fidelibus paulatim vilescere cœpit, & meritò, quia quantò magis appropinquabat veritas, vmbra secedebat. Dignum etiam erat vt quando ipse Saluator in Cruce fieri voluit hostia legalis, pecudum desineret victima, & quando verus agnus Dei Christus pro totius mundi peccatis immolatus est, typicus ille deficeret, qui pro vnius gentis liberatione in testimonium occisus est. Item LXX. presbyteros Moyses Domini mandato populo prætulit, vt ostenderet solummodo qui per Spiritus S. gratiam legem spiritualiter intelligunt, idoneos esse alijs magisterium præbere: Et hoc in sanctæ Crucis decebat numero ostendi, quia non est inuentus, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, qui aperiret librum, & solueret septem signacula eius, respiceretque illum, nisi agnus qui in medio throni stat tanquam occisus, habens cornua septem & oculos septem: Leo quidem de tribu Iuda radix Dauid, qui claué tenens claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, qui datus est in lucem gentium vt aperiret oculos cæcorum, vt educeret de conclusione vinctum, de domo carceris, sedentem in tenebris & vmbra mortis. Sunt quidem hic in figura sanctæ Crucis V. sperulæ dispositæ, quæ simul numerum LXX. continent, sigillatim verò vnaquæque XIV. harumque III. vnum versum tenent in longitudine à summo incipientem & in ima desinentem, ita: *Crux pia constructa hic superasti vincula mortis.* Item in latitudine tres summulæ alium versum tenent ita: *Magna bona & sancta hic superasti crimina sæcli.* Medietas quoque crucis vtrique versui communis est.

XI. Figura. De quinque libris Mosaicis, quomodo per Crucem innouentur, exponitur.

Tepateralmepolidoctoremcarmineinisto
Rectoremquevocofelicibusannuecoeptis
Tupiusetclemensſenſumdansverbaq:caſta
Vttuaquidprimaſignetlexpandereposſim
Adcrucisaeternamlaudemlegiſq:ſecundae
Iusdemonſtrandumvotaritusqueperennes

Cumprimumhaeccri tegene ratiomaximarerũ
Exortaeſtexinui ſiscru cisalmarefulſit
Gloriacumdonolu xalmab eauitetaruahaec
Cunctaſimulrecr cartua q:nuncdexteraxp̃s
Etveralucisdans munera cumcruceſaeclis
Namgeneſisvitae laudat mirabilelign:hoc

Intercunctafuitplantatumquodparadiſo
Viuificanslignatribuensetmunerafruct:
Hocpatriatq:iſacvexitmultandusadaltar

Oratet exodus hoc iuraſa tis aſtnum erorum
Eueher atquec uia cerdot ivm crusca nitore
Nuptac anittr iui isleui b:ve ntatma relud:
Vdattr anſitu hoſ ticuso bma gnalia cantat
Etpleb scarme neio ptimep ure miratr ophaea
Laudẽi namore deip ſallit q:tr iumphi eteoum

Hocmareteſtaturvictricesorbitacalles
Atveterẽhoclignumlegisdulcauitabyſum
Bispetramexcutitviuamproduxitetvndam

Namqueamalechca namdeu icitprimitusirã
Signumhuiuspari ternom endeleuitetilli
Botrumhocvectep iumren otavexitvterque
Vectorumvotiset ouanti busomnialaudant
Donadeiterrishi sgaudi ainesſeepularum
Quisbenemyſteri adicit veldicerecuncta

Ritevaletcruxdonatuacuinonſatisomnis
Linguacreaturaepoteritdepromerelaudẽ
Hoſtiatepatrisaeternidedicaueratataram
Vitaeſerpentemexaltaſtiettupiecriſtũ
Monſtraſtipopulodetetquiddicereposſũ
Cunctabonadederasdemebasetmalacuncta

LIBER PRIMVS.

TE pater alme poli doctorem carmine in isto
Rectoremque voco, fœlicibus annue cœptis
Tu pius & clemens sensum dans, verbaque casta,
Vt tua quid prima signet lex pandere possim
Ad Crucis æternam laudem legisque secundæ
Ius demonstrandum, vota, ritusque perennes.
Cum primum hæc ritè generatio maxima rerum
Exorta est, ex inuisis Crucis alma refulsit
Gloria cum dono lux alma beauit, & arua hæc
Cuncta simul recreat tua quæ nunc dextera Christus,
Et vera lucis dans munera cum Cruce sæclis.
Nam genesis vitæ laudat mirabile lignum hoc
Inter cuncta fuit plantatum quod paradiso,
Viuificans ligna tribuens & munera fructus.
Hoc patri atque Isaac vexit multandus ad altare,
Orat & exodus hoc iura satis est numerorum.
Euehet atque cui acerdoti vmerus canit ore
Nupta canit triuijs leuibus, ventat mare, ludus
Vdat transitu hosticus, ob magnalia cantat.
Et plebs carmen ei optime, pure, mira trophæa
Laudem in amore Dei psallitque triumphi: & eoum
Hoc mare testatur victrices orbita calles:
At veterem hoc lignum legis dulcauit abyssum:
Bis petram excutit, viuam produxit & vndam:
Namque Amalech canam deuicit primitus iram.
Signum huius pariter nomen deleuit, & illi
Botrum hoc vecte pium renota vexit vterque
Vectorum votis & ouantibus omnia laudant
Dona Dei terris his gaudia inesse epularum.
Quis bene mysteria dicit vel dicere cuncta
Rite valet Crux dona tua? cui non satis omnis
Lingua creaturæ poterit depromere laudem:
Hostia te patris æterni dedicauerat aram:
Vitæ serpentem exaltasti &, tu pie Christum
Monstrasti populo: de te & quid dicere possum,
Cuncta bona dederas, demebas & mala cuncta.

DECLARATIO.

QVisquis legis primæ plenam desiderat habere notitiam, necesse est vt huius figuræ per omnia memor sit, & eius factum mente sæpius reuoluat: & comparans priora posterioribus recolat scriptum: Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sęculorum deuenerunt: & quod exēplari & vmbræ deseruiunt cælestium: & item, vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Vmbra enim non sine vero corpore fit: sed tamen ipsa in se veram & integram speciem corporis non exprimit. Quapropter oportet, vt quisquis veritatis amator est, si vmbram prius videat, ad verum corpus, cuius ipsa vmbra est, ocius oculos conuertat: ne dum penitus in vmbra intuitu hæreat, veritatis fructum negligens perdat. Lex ergò haustum sitientibus præbuit, sed sine ligno potabilis non fuit. Ostendit quippe Dominus Moysi lignum: quod mittens in aquam, omnem amaritudinem in ea absumpsit: & quæ prius sitientes populos vano alliciebat aspectu, ligno immisso, omnes dulcissimo refrigerabat potu. Itaque, secundum Apostolum, lex quidem est sancta, & mandatum sanctum, & iustum bonum: sed lex Spiritualis est, vt idem dicit Apostolus: & non in vetustate literæ, sed in nouitate Spiritus debet intelligi. Litera enim occidit: Spiritus autem viuificat. Lex ergò Spiritus vitæ, in Christo Hiesu liberauit nos à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem Deus: filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato peccatum damnauit in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Scriptum quippe est in lege: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea. Sed quoniam in lege nemo iustificatur apud Deum, & quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno: vt gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Hiesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Igitur cum destructa sit maledictio legis per Crucem, & eius amaritudo per ipsam conuersa in dulcedinem: dignum est etiam vt in eius effigiem disponātur libri legis: vt congruentia operis in hoc innotescat, & mysterij sacramentum appareat. Ergò in capite, hoc est, in culmine sanctæ Crucis, sit positus liber Geneseos, quia ipse caput est & primus omnium librorum, narrans quod in principio fecit Deus cælum & terram, vtique per filium suum coæternum sibi Deus pater, id est, per verbum suum: de quo dicit Psalmista: Verbo Dei cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eius. Hinc dicit & Euangelista Iohannes: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In ima verò parte Crucis, hoc est, in pede, sit positus nouissimus quinque librorum legis, id est, Deuteronomium, quod interpretatur renouatio legis: vtique significans Euangelium, in quo cuncta, quæ lex figuraliter atque typicè protulit, veraciter ac Spiritualiter sunt enodata, ac nostri Saluatoris ore reserata. Iure ergò in capite Crucis Geneseos, & in fine Deuteronomium consistunt: quia eum quem lex narrat in principio temporis cum patre omnia condidisse, in fine temporis hunc Euangelium refert cuncta per Crucem renouasse. Exodus verò benè in dextra ponitur, in quo exitus filiorum Israel de Ægypto conscribitur, & ibidem plura à Domino facta miracula narrantur, iuxta illud Psalmistæ: Dextera Domini fecit virtutem. Et item: Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, & eduxit Israel de medio eius, in manu forti & brachio excelso. In sinistra quoque liber Numerus est positus: quia ipse sinistras congregatioues Chore, Dathan & Abyron, contentiones contra Moysen & Aaron leuasse describit, & per Domini potentiam citius compressas. At Leuiticus in medio omniū stans, crucis medietatem tenet: quia illum pontificem designat in plurimo ritu sacrificiorum, qui in ara Crucis semetipsum obtulit hostiam immaculatam Deo, ad exhaurienda multorum peccata, & pro transgressoribus exorās, exauditus est pro sua reuerentia. Ergo in quinq; tetragonis quinq; libri legis per quinque versus hic notantur, qui sunt, iuxta ordinem tetragonorum loco sexto, & per senarium in semet multiplicato. Sexies enim seni faciunt in plana figura sextum tetragonum, quod facit XXXVI. Est quoque versus tetragoni in arce Crucis positus iste: *Te Genesis Crux alma beat tua munera laudat.* Secundus verò est, qui in tetragoni dextri cornu positus hic: *Exodus atque canit transitus carmen amore.* Tertius namque in medio Crucis est situs hic: *Iura sacerdotis Leuiticus optimè psallit.* Quartus quidem in sinistro cornu scriptus est ita: *Ast Numerus cantat magnalia mira triumphi.* Vltimus etiam qui in vltimo tetragono, id est, in base Crucis descriptus est, ita sonat: *Nam Deuteronomium renouantis gaudia dicit.*

XII. Figura. De nomine Adam protoplasti, quomodo ſecundum Adam ſignificet, & eius paſſionem demonſtret.

Pergeſalutiferamſpecioſodicereverſu
Muſacrucisdominilaudēſolamenetactum
Inquamorsvictaeſtcunctadimiſapiacla
Luxrediitmundoveniaetcummunerevenit
Adamnamprimustulitomniadignadecoris
Progenieextotanocuacumpabulaſumpſit
Cunctavenuſtabonaremearuntcarabeata
Cũaduenitieſusadampiecinaruaſecundus
Vniusexhominisſceleretotdamnatulere
Inrebuscunctiperiturietmorteminores
Vniusatqehominisdonoſaluanturvbique
Credentesomnesfruituriacluceſuperna
Deniqueregnauitperlignumnoxiacuncto
Morsetiammundodominansetſortebeatum
Captiuaregnumperlignũacperdiditomne
Etnocuosmultosamiſeratinprobaquondā
Entotitribuitchriſtusvtianuaſithinc
Orbimundonamſpeciemtotamacpiushicis
Conſtituittollensdirasarashuicintus
Etdederatlucemcordisetpangerepactum
Primushomoterrenuseratetpignoratota
Terrenagenuitmortisquisdebitaliquit
Poſteriorverusfueratcaeleſtisetadam
Caeleſtisquemanetcuiusgeneratiotota
Hicdominusmunditerraepontiquepoliqe
Regnatinaeternumdonatcumregnabeatis
Quattuoripſedabittotiusconditoradam
Iureplagasorbistanqamdenominedictas
Cuiusluxvirtusdominumteſtanturvbiqe
Enanatoldyſisarctonmeſembriahaecſic
Deſignantodisarteendecetvtpiecuncta
Auctoremdominumcognoſcantlaudebeata
Etcelebrentcriſtumqodverefiliusipſe
Summiſitpatrisetdexteraveratonantis
Cuiuscurabonaeſttact:medicinaſalutis

LIBER PRIMVS.

Perge ſalutiferam ſpecioſo dicere verſu
Muſa Crucis Domini laudem, ſolamen & actum,
In qua mors victa eſt, cuncta dimiſſa piacla,
Lux rediit mundo, venia & cum munere venit.
Adam nam primus tulit omnia digna decoris,
Progenie ex tota, nocua cum pabula ſumpſit:
Cuncta venuſta bona remearunt, cara beata
Cum aduenit Hieſus Adam piè in arua ſecundus.
Vnius ex hominis ſcelere, tot damna tulere
In rebus cuncti, perituri & morte minores:
Vnius atque hominis dono ſaluantur vbique
Credentes omnes, fruituri ac luce ſuperna.
Denique regnauit per lignum noxia cuncto
Mors etiam mundo dominans & ſorte beatum
Captiua regnum per lignum ac perdidit omne:
Et nocuos multos amiſerat improba quondam.
En toto tribuit Chriſtus vt ianua ſit hinc
Orbi, mundo: nam ſpeciem totam ac pius hic is
Conſtituit tollens diras aras huic intus
Et dederat lucem cordis, & pangere pactum.
Primus homo terrenus erat, & pignora tota
Terrena genuit mortis quis debita liquit:
Poſterior verus fuerat cæleſtis & Adam,
Cæleſtiſque manet cuius generatio tota.
Hic dominus mundi, terræ, pontique, polique,
Regnat in æternum donat cum regna beatis.
Quattuor ipſe dabit totius conditor Adam
Iure plagas orbis, tanquam de nomine dictas:
Cuius lux virtus dominum teſtantur vbique.
En anatol, dyſis, arcton, meſembria, hæc ſic
Deſignat odis arte, en decet vt pie cuncta
Auctorem dominum cognoſcant laude beata:
Et celebrent Chriſtum, quod vere filius ipſe
Summi ſit patris, & dextera vera tonantis:
Cuius cura bona eſt, tactus medicina ſalutis.

DECLARATIO.

QVid ergò sibi velit hæc figura & hæc conscriptio, oportet intelligi. Nomen enim primi hominis, id est, Adam, in figura & forma sanctæ crucis dispositum est: de quo exortæ sunt omnes gentes, & omne genus humanum originem traxit: qui secundum Apostolum est forma futuri videlicet Christi, de quo idem Apostolus ita dicit: Factus est primus Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Et paulò pòst: Primus, inquit, homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis: qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portamus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Et cur hoc dixerit, statim causam subiunxit: Hoc autem dico fratres, quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Rectè enim nomen Adam in crucem configuratum ponitur, in qua omne genus humanum per Christum liberatum esse cognoscitur, nec in alia forma species redemptionis nostræ magis conuenit haberi quàm in illa, vbi plagæ totius mundi potuere comprehendi. Quæ scilicet sancta Crux est, quæ iacens totum orbem metitur, de qua Poeta ait: Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis. Splendidus auctoris de vertice fulget æous. Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ. Arcton dextra tenet, medium leua erigit axem. Cunctaque de membris viuit natura creantis. Et cruce confixus Dominus regit vndiq; mundum. Hoc idem & in nomine Protoplasti olim designatum fuit, scilicet Adam. In cuius vocabulo quatuor literis, quatuor orbis terrarũ partes per græcas appellationes demonstrantur. Si enim græcè dicantur oriens, occidens, aquilo, meridies, sicut plerisque locis sancta eos scriptura commemorat, in capitibus verborum inuenies Adam. Dicuntur enim græce memoratæ quatuor mundi partes: Anatole, dysis, arctos, mezembria. Ista quatuor nomina, si tanquam versus quatuor sub inuicem scribis, in eorum capitibus Adam legitur: & inde intelligi datur Dominum orbis eum esse creatum, & significare eum qui in cruce quadrata totius orbis futurus erat redemptor & reparator. Vnde & secundus Adam dicitur: Habet quoque idem nomen in se mysterium incarnationis Christi, si numerus in literis eiusdem nominis secundum græcorum regulam, qui ad literas suos numeros computant, intendatur. A enim in numeris apud Græcos significat vnum. Δ quatuor. A alterum vnum. M. xl. Coniunge hos numeros quatuor, fiunt XLVI. & hoc est, quod Iudæi in Euangelio respondisse leguntur: XLVI. annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud, quod Euangelista intelligens dixit: Hoc autem dicebat de templo corporis sui, quia Dominus noster Hiesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit: templum corporeum inde sumpsit, non iniquitatem quæ de templo pellenda est. Ipsam autem carnem quam traxit de Adam (Maria enim de Adam, & Domini caro de Maria) Iudæi crucifixerunt, & ille resuscitaturus erat ipsam carnem triduo, quam illi in Cruce erant occisuri, & ita illi soluerunt templum XLVI. annis ædificatum, & ipse in triduo resuscitauit illud. Benedicamus igitur nos Deum patrem omnipotentem: qui per verbum suum sibi coæternum formauit nos. Benedicamus & Dominum nostrum Hiesum Christum filium Dei vnigenitum: qui per mysterium incarnationis suæ in cruce reformauit nos. Benedicamus & Spiritum sanctum, qui per gratiam suam illuminatos vitæ æternæ consignauit nos: vnum & solum Deum omnipotentem: æternum, immensum, inæstimabilem, incomprehensibilem, immortalem, inuisibilem: illum vnum desideremus, à quo & beabimur: illum solum ex toto corde, tota mente, tota virtute diligamus, in cuius amore in æternum iocundabimur: ad illum tantum curramus, illique solum in hac peregrinatione ingemiscamus, qui nos in cælestibus in conspectu gloriæ maiestatis suæ remunerabit, & sine fine lætificabit. Ipsi gloria, & honor, & potestas, & imperium in sæcula sæculorum, Amen. Ast hic in quatuor literis grandioribus nominis Adam, per peruiores literas quinquaginta & vnam, talis conscriptus est versus, secundum ordinem literarum nominis Adam legendus, ita: *Sancta metro atque arte en decet vt sint carmina Christo hinc.*

XIII. Figura

XIII. Figura. De diebus conceptionis Christi in vtero virginis, quatuor Crucibus demonstratis: hoc est, CC. LXXVI. & eiusdem numeri significatione.

Arborodorepotensfrondoſoverticelata
Quaſummavereſacrouſluitordinebertas
Ortusditatusetparcuinullusinorbeeſt
Floribusetfoliismillenogerminediues
Omnesexcedensaltasgrauitudineſyluas
Cumtotampiemagnusveſtithonorq:decuſq:
Ambitverushonorlaetusloquitureavoto
Stanshomoliuorhocnationidenegatatri
Demonishorrendusremſcirilaudemoueri
Arborſolatenensvariosvirtutecolores
Purpureoregisſubtacturoſcidafulgens
Aeternoesradiostantintenampievincte
Ædesturritaeexhodudumeſtnonnebeata
Machinaetipſadeiaraetquivsitsvprema
Larhocneſtetmiralucernahocotiatota
Agn:hocſtatuitſignansq°oqueriteuiando
Veraſalusiſtaquosverusfonsbonitatis
Eſtbenedictioq:ſacravitamórpietasque
Sanctaſalutisluxetvitaredemptiovera
Inq:domuprincepsdonumdatpacisinorbem
Iuraq:amicitiaehincfirmauitdepoſuitq:
Aſcitaantiquiniſuſq:texitiemsmorscū
Inleccebriluſucircaignemnoxiaenimſic
Pellaxdecipitetſocordemubiinqietato
Conſpexitvotoiāarridensvinxitaperte
Otucruxſpecioſaopinuspulchrioromnia
Quaevincisnemoraocaedrisaltioripſis
Monſtransenumeroradiantidonabeata
Aduentuieſusquaeintusprobusotianutu
Iſtuleritdabatiisſebeatecumpievenit
Egrediensv°luahucetblandonumineſemet
Signauitcaelosterrenaetcondereregna
Vtdudumſanctilinguaeccinereprophetae
Fecerithiccelſadoctordumcondiditima
Imperiūinq:humerisſtantoſitq°odpieregi

LIBER PRIMVS.

ARbor odore potens, frondoſo vertice lata,
Qua ſumma vere ſacro v fluit ordine bertas,
Ortus ditatus & par cui nullus in orbe eſt
Floribus & folijs, milleno germine diues,
Omnes excedens altas grauitudine ſyluas.
Cum totam pie magnus vertit honorque decuſque,
Ambit verus honor, lætus loquitur ea voto
Stans homo, liuor hoc nationi denegat atri
Dæmonis horrendus, rem ſciri, laude moueri.
Arbor ſola tenens varios virtute colores,
Purpureo regis ſub tactu roſcida fulgens
Æterno es radio, ſtant in te nam pie vinctæ
Ædes turritæ, ex hoc dudum eſt nonne beata
Machina & ipſa Dei, ara, & qui vſit ſuprema
Lar hoc ne eſt, & mira lucerna, hoc ocia tota
Agnus hoc ſtatuit, ſignans ritè viando
Vera ſalus iſta, quos verus fons bonitatis
Eſt benedictio quæ ſacrauit, amor, pietaſque,
Sancta ſalutis lux, & vita, redemptio vera:
Inque domu princeps donum dat pacis in orbem,
Iuraque amicitiæ hinc firmauit, depoſuitque,
Aſcita antiqui niſus, quæ texit hiems mors, cum
Illecebri luſu circa ignem noxia, enim ſic
Pellax decipit, & ſocordem vbi inquietato
Conſpexit voto iam arridens, vinxit apertè.
O tu Crux ſpecioſa, ô pinus pulchrior, omnia
Quæ vincis nemora, ô cedris altior ipſis,
Monſtrans è numero radianti dona beata
Aduentu Hieſus quæ intus probus ocia nutu
Iſtulerit, dabat ijſſe beate cum pie venit
Egrediens vulua huc, & blando numine ſemet
Signauit, cælos terrena & condere regna:
Vt dudum ſancti lingua cecinere Prophetæ.
Fecerit hic celſa doctor, dum condidit ima,
Imperium inque humeris tanto ſit quod pie regi.

DECLARATIO.

HÆc igitur cruces quatuor triplici tramite conscriptæ, ostendunt in semetipsis per literarum seriem, numerum dierum, quo Domini corpus secundum Ecclesię fidem in vtero virginali constructum atque compactum est: templum videlicet illud, quod à Iudæis destruendum, & à se in triduo resuscitandum prædixit ipse Saluator: quod vt manifestius fiat, ponamus vnum capitulum ex libro S. Augustini, de sancta Trinitate, quarto: quo istud scriptũ est: Nec immeritò, inquit, in ædificatione dominici corporis, in cuius figura templum à Iudæis destructum, triduo se resuscitaturum esse dicebat, numerus ipse senarius pro anno positus intelligitur. Dixerunt enim XLVI. annis ædificatum templum: & quadragies sexies seni fiunt CC.LXXVI. qui numerus dierum complet nouem menses & sex dies, qui tanquam decem menses parientibus feminis imputantur: non quia omnes ad sextum diem post nouem menses perueniunt, sed quia ipsa perfectio corporis Domini, tot diebus ad partum perducta comperitur: sicut à maioribus traditũ suscipiens ecclesiæ custodit auctoritas. Octauo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus. Ita monumento nouo quo sepultus est, vbi nullus erat positus mortuorum, nec antea nec postea, congruit vterus virginis quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium. Natus traditur octauo Kalendas Ianuarias: Ab illo ergo die vsque ad istum computati, CC.LXX. & VI. reperiuntur dies, qui senariũ numerum quadragies sexies habent: quo numero annorum templum ædificatum est: quia eo numero senarium corpus Domini perfectum est, quod mortis passione destructum, triduo resuscitauit. Dicebat enim hoc de templo corporis sui: sicut euidentissimo & robustissimo Euangeliorum testimonio declaratur. Hæc Augustinus. De cætero autem illud intuendum est, quàm congrue idem numerus formæ sanctæ Crucis conueniar, in qua templum Dominici corporis à Iudæis soluebatur, & ab ipso Domino resuscitandum parabatur. Ad hoc enim venit Christus, vt in carne quam pro mundi redemptione susceperat moreretur: ad hoc mortuus est, vt in ipsa resurgeret. Quapropter intueri libet, quomodo memoratus numerus, id est, CC. LXX. & VI. in quatuor partes diuisus, cornua sanctæ Crucis vniuersaliter exprimat, & per singula Crucis imaginem proferat. LX. enim & IX. in vnoquoque cornu consistunt, quod etiam non discrepat à superioris rationis similitudine, qua dictũ est CC.LXXVI. numerum, IX. menses & VI. dies complere. Sicut enim nouenarius & senarius numerus in toto excellebat, & secundum eorum dominationem, omnis summa computabatur, ita & in partibus non minus eadem denominatio simul cum mysterio illucescit. Quid enim in nouenario, nisi nouem ordines Angelorum, & quid in senario, nisi homo qui in sexta die creatus est insinuatur? Vtraque enim creatura in Crucis effigie denotatur, quia vtraque per Saluatorem in Cruce reparatur, & ab vtraque mysterium incarnationis Domini honorabatur: quia in die natiuitatis eius ad laudem & lætitiam vtraque incitabatur. Vnde Lucas dicit: Et subitò facta est cum Angelo multitudo cælestis militiæ, laudantium Deum & dicentium: Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et paulò pòst: Et reuersi sunt, inquit, pastores, laudantes & glorificantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos. Quatuor ergo Cruces in hac pagina, per quatuor loca pictæ atque conscriptæ sunt, hoc modo: Longitudo enim Crucis vniuscuiusque à summo deorsum, tribus lineis singillatim legendis descendens, vnum versum continet XXXIX. literarum, similiter in latitudine per transuersum, tres lineæ à sinistra in dexteram tendentes, vnum versum faciunt, & ita fit, vt literæ quæ in medio crucis sunt, vtrique versui communes sunt, nouenarium exprimant numerum: illæ verò quæ in cornibus circumpositæ sunt, sexagenarium. Est autem versus hic in lõgitudine crucis supremæ XXXIX. literarum: *Forma sacrata Crucis venerando fulget amictu*. In latitudine verò iste totidem literarum: *Magnus vestit honor lætus loquor hoc nationi*. In fine quippe crucis, in longitudine hic versus est: *Corporis ergo sacri constructio in arte beata*. In latitudine quoque iste: *Enumero radians qua vntus probat ipse beate*. At in dextræ crucis longitudine hic legendus est versus: *Nunc canam at exorans Iesum abdere & vda piare*. Et in latitudine iste: *Vera salus ista est benedictio sancta salutis*. Nam in sinistræ crucis longitudine talis est versus: *In toto ipse manens tenet ipseque vnus in omnis*. Atque in latitudine talis: *Fons bonitatis amor pietasque redemptio vera*.

XIV. Figura. De annis ab exordio mundi vſque in annum paſſionis Chriſti, in notis græcarum literarum, ſecundum formam ſanctæ Crucis diſpoſitus, ſimul cum ſacramento quod in hoc reuelatur.

Dignumopusetclarumvictorispſallereregis
Vexilluminſignedominantislaudetriumphum
Quomundumeripuitnocuiq°oetſceptratyranni
Diſtrueſitreprobansrectorisregminafalſa
Quobeneſuſtentatcaelumpelaguſqueſolumq°e
Cuiusinorbeſacraexfueritnāaltatioquando
Myſterioadcurrensnaſcentisaborginemundi
Annorumſaecliſerieshaecattulitatquehinc
Iureſacraefideiplebesconcurrereſcriptis
Credentesfecitprobaconditoromniacondens
Temporacumnumeroconcordanscunctaſacrato
Cunctaquiadominusrenouauitſaeculapriſca
Sanguinenamrecreansperfecitcunctacruore
Iambonusinprimistuncfinxitquaeexadiebus
Principivtgeneſispieſanctodogmatepandit
Q°odhominemfacienscompleſſetfactacreator
Sicquediesextahominemreparandoredemptor
Sabbatademonſtranscelebrauitſabbatavero
Enpatrathuncnumerūſusſumquodpaſſiofalſo
Oppetatindepremattemptantemhancuſiamarti
Occumbatcurarumvtvinctaeſtparsſitadirum
Quodnunquampoſthaecfallaciſfactioplebis
Iamoſtentatpandetpietatisſedprobavirtus
Dogmataveradeipercunctahaectemporamundi
Sanctificarecrucembenedicereregnafutura
Q°aeeſſetſaluatorbenedictapotentiapatris
Nempedaturuseisſummonouapraemiachriſtus
Quosmonitisflexitdocuitquosverbaſalutis
Quospiacordefidesoperisquosinfulaveſtit
Atcrucishaecſpeciestribuitſolaminafidis
Materiamlaudisbonitatēhincſcirecreantis
Quipiusomnipotensvitamdeditanteſalubrem
Quandohominemvoluitparadiſumſortetenere
Etpoſtlapſafugammiſeransquoq;noluitipſum
Fraudeperirelupihancmaximeconditorarcem
Sedecrucisadvitamvotodedicaueratorbihuic
Virtutūvtnumeroeueheretadſceptraſuperna
Spesamoratquefidesomnesquosſanxitabaeuo
Perpetuodignoschriſtivenerabilevisuhinc

LIBER PRIMVS.

Dignum opus & clarum victoris pſallere regis
Vexillum inſigne dominantis laude triumphum;
Quo mundum eripuit, nocui & quo ſceptra tyranni
Diſtruxit, reprobans rectoris regmina falſa:
Quo benè ſuſtentat cælum, pelaguſque, ſolumque:
Cuius in orbe ſacra exfuerit nam altatio, quando
Myſterio adcurrens naſcentis ab origine mundi
Annorum ſecli ſeries hæc attulit, atque hinc
Iure ſacræ fidei plebes concurrere ſcriptis
Credentes fecit, proba conditor omnia condens
Tempora, cum numero concordans cuncta ſacrato
Cuncta quia dominus renouauit ſæcula priſca
Sanguine nam recreans, perfecit cuncta cruore,
Iam bonus in primis tunc finxit quæ exa diebus.
Principium vt geneſis pie ſancto dogmate pandit,
Quod hominem faciens compleſſet facta creator:
Sicque die ſexta hominem reparando redemptor
Sabbata demonſtrans, celebrauit ſabbata vere.
En patrat hunc numerum ſuſſum quod paſſio falſo
Oppetat, inde premat temptantem hanc vſiam arti
Occumbat curarum vt vincta eſt pars ſita dirum.
Quod nunquam poſt hæc fallacis factio plebis
Iam oſtendet, pandat pietatis ſed proba virtus
Dogmata vera Dei per cuncta hæc tempora mundi. s
Sanctificare Crucem benedicere regna futura
Quæ eſſet Saluator, benedicta potentia patris:
Nempe daturus eis ſummo noua præmia Chriſtus,
Quos monitis flexit, docuit quos verba ſalutis.
Quos pia corde fides operis quos infula veſtit:
At Crucis hæc ſpecies tribuit ſolamina fidis
Materiam laudis bonitatem hinc ſcire creantis:
Qui pius omnipotens vitam dedit ante ſalubrem,
Quando hominem voluit paradiſum ſorte tenere:
Et poſt lapſa fugam miſerans quoque noluit ipſum
Fraude perire lupi, hanc maximè conditor arcem:
Sed Crucis ad vitam voto dedicauerat orbi, hinc
Virtutum vt numero eueheret ad ſceptra ſuperna.
Spes, amor atque fides omnes quos ſanxit ab æuo
Perpetuo dignos Chriſti venerabile viſu huic.

DECLARATIO.

IN hac pagina continetur numerus annorum ab exordio mundi, vsq; in annū passionis & resurrectionis Domini: scilicet in literis græcis, quæ in crucis figurā dispositæ sunt, qui est v. cc. xxxi. secundum fidem chronicorum Eusebij ac Hieronymi. Siquidem secundum eorum computationem, sunt anni ab Adam vsq; ad diluuium v. cc. xlii. à diluuio autem vsq; ad Abraham anni dcccc. xlii. ab Abraham autem vsq; in annum xv. Tiberij Cæsaris, quo Dominus in Iordane ab Iohanne baptizatus est, & salutarem viam populis annunciauit, signis atque virtutibus vera cōprobans esse quæ diceret, sunt anni ii. xliv. qui scilicet omnes iuncti faciunt annos v. cc. xxvii. Adde tres annos, quando in xviii. Tiberij Cæsaris anno, ad passionem Dominus venit, & à Iudæis crucifixus, tertia die resurrexit, fiūt omnes anni v. cc. xxxi. Qui si diuidantur secundum literas suprascriptas in cruce, mysterium nobis venerandum innuitur. Quatuor igitur sunt literæ, quæ crucis effigiem conficiunt Γ. videlicet Z. T. & X. sed tres posteriores quater sunt positæ, id est, per singula cornua semel. Γ. quoque in medio crucis semel est posita. Quarum si petâs in numeris consideretur earum, hic dispositio gratiæ supernæ nobis dona demonstrant. Siquidem Γ. Græcorum ternarium numerum significat. Z. septenarium. T. tricenarium: & X. millenarium. Sed quid nobis in Γ. nisi fides trinitatis innuitur? quid per Z. nisi spes fidelium? & quid per T. nisi charitas. quid verò per X. nisi æterna beatitudo significatur? Rectè enim per Γ. quæ prima harum literarum, & in medio crucis posita est, fides ostenditur, quia fundamentum bonorum operum, & initium salutis nostræ, fides recta est. Impossibile est enim sine fide placere Deo, quia iustus ex fide viuit. Per Z. quoque benè spes intimatur, quia omnis fidelium intentio ad æternam requiem, quæ per septenarium significatur, anhelat, dicens cum Propheta: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Charitas quoque ritè per T. exprimitur, quæ sanctæ crucis tenet imaginem. In crucis enim opere magna charitas Dei patris ostensa est, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, sicut ipse Saluator de se dixit in Euangelio: Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Apostolus: Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quod cum adhuc essemus peccatores. Christus pro nobis mortuus est: Multò igitur magis iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. T. igitur ccc. numerum significat: quod sunt sexies quinquageni. In quibus numeris quid aliud quam perfectio charitatis insinuatur? Quinquagenarius enim numerus propter pentecosten Spiritus sancti gratiam demōstrat. Et senarius numerus perfectus est. Charitas Dei (vt ait Apostolus) diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. per X. igitur literam, quæ millenarium numerum exprimit, aptè beatitudo æterna significatur. Nam millenarius numerus pro significatione perfectionis solet poni in scripturis, quia nimirum numerum quadratum solidum facit. Decem quippe decies ducta, cētum faciunt. Quæ videlicet figura iam quadrata, sed adhuc plana est, verum in altitudinem surgat, & solida efficiatur, Multiplica c. per x. & fiunt mille. Quo perfecto numero stabilis & inseparabilis & velut conquadrata iustorum in cælis vita designatur, quia ex omni parte perfecta est, cum & animarum infinita lætitia, & corporum immortalitate perfruuntur: quando speciem status sui perfectam habent, id est, in longitudine æternitatem, in latitudine charitatē, in altitudine diuinam contemplationem. Denique de ipsarū literarū characteribus libet aliquid ad sensum dicere, quæ memoratos numeros notant, & situ suo crucis effigiem demonstrant. Siquidem Γ. quæ sursum erecta est, & in summo plana est, benè significat fidem quæ sursum erigi ad Dominum debet, & statum mentis firmare: sed tamen cum magnæ humilitatis custodia seruari, ne passim incerta vagando, in errorem cadat. Quas vtrasque res Apostolus ostendit dicens: Fratres state in fide, viriliter agite & confortamini. Item alibi: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Vnicuique autem sicut Deus diuisit mensuram fidei. Z. ergò benè intimat spem, quæ fines suos in ancoræ morem curuat: ostendens nos debere spe ad cælestia immobiliter cohærere, ne nos tempestas persecutionum, siue turbo tentationum, seu illecebra voluptatum ab æternæ vitæ desiderio possit euellere, de quo Apostolus ad Hebræos scripsit: Fortissimum, inquit, solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram animæ habemus tutam ac firmam, ac incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introijt Hiesus secundum ordinem Melchisedech, pontifex factus in æternum. T. ergo litera quæ similitudinem crucis habet, & duplici compingitur forma: bene duo præcepta charitatis nobis insinuat. Pars enim eius quædam sursum ascendit, quædam vadit per transuersum: sed illa pars quæ sursum erecta est, diuinum nobis commendat amorem, vt Deum & creatorem nostrum toto corde, tota anima, tota mente diligamus: illa verò quæ per medium ducitur, ita tamen vt in erecta parte sursum consistat, nostrum nobis inuicem insinuat amorem, quæ diuino amore debet ordinari, vt amicos diligamus in Deo, & inimicos propter Deum. De qua re Apostolus Iohannes nos instruit: In hoc, inquit, cognouimus charitatem Dei, quomodo ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere. Et item: Hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deū, diligat & fratrem suum. X. verò quæ græcè chile, latinè mille significat, non directis lineis, sed circumferentibus scribitur, quando mille significat. Ita Ω. quia alium numerum indicat, in directis lineis scripta. Hanc ergo perfectionem sanctorum in cælis diximus significare, quæ circumductis lineis scribitur, vt ostendat gaudij cælestis nullum esse terminum, vbi sanctorum laus sine fine manebit, de quibus ait Propheta: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæculum sæculi laudabunt te, quando secundum Esaiam Prophetam, stabit semen sanctorum coram Deo, quasi cæli noui & terra noua, & quando erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. X. aut prima litera nominis Christi est: & benè hoc conuenit huic rationi. Ipse est enim gaudium nostrum, cui dicimus cum Propheta: Lætificabis nos in gaudio cum vultu tuo, in quem & desiderant angeli prospicere. Igitur ipsarum literarum series à Γ. incipiens, id est, à medio crucis per 4. plagas ducitur: hoc mirum significans, quod post passionem Christi, eius discipuli incipientes ab Hierusalem, cœperunt Euangelium in toto orbe prædicare, & diuina charismata cunctis gentibus distribuere: vt ex cunctis terrarum partibus fideles ad præmia æterna, per fidei & spei & charitatis dona mererentur peruenire. Sunt quoque duo versus hic sanctæ Crucis in notis memoratis numerum conscripti, quorum prior in longitudine ab arce crucis deorsum legendus est, ita: *En Crucis hac species Iesus bene monstrat honorem.* Altera verò per transuersum eius limitem, secundum ordinem recitandus est, ita: *Computat hunc numerum Iesus quo est passus in arua.* Hiesus quoque nomen, quod gramma nota crucis media continet, vtrique versui communis est, vt euidenter ostenditur.

XV. Figura. De quatuor Euange[listis] & Agno, in Crucis specie constitutis.



LIBER PRIMVS.

Nate patris summi, qui tela ferocia frangis,
Da mihi ritè Crucis victricia carmina fari.
Nam cæleste animal mitis volat ore Iohannes
Transpenetrans aquila:& vero omine vidit
Eoum solem, verbum hausit in arce polorum hoc:
Gratia sicque Iohanni ante omnes viuido fatu
Donata, vtque artus hominis sibi sumeret auctor
Scripserit: atque in principio Deus vnus & almus
Semper cum patre qui pio erat: vitaque, salusque,
Sit natus, factusque caro, dominatur in orbe.
Hunc leo, hunc vitulus regem dant, pontificemque.
Vt leo, qui fortis retulit certamine prædam:
Hostiam & obtulerit summus se ritè sacerdos,
Mystica dona suis consortibus optime donans.
Nempe datorum mysterio septem & pie panum:
Dat Marcus septem spiritus quoque viuide cantu.
O tu regem iusti ecce agnum da pie Lucas:
Hoc signatque fides Dei ecce ea, pontificemque
Dat vox clarum hedos qui tollit cum fuit in dies.
Formantis manus & par ecce diebus Herodis
In Bethleem genitus matre ammirabilis infans:
Ipse satus Maria, mundo ditissima cura huic:
Nobilis atque puer, persona vetusta dierum
Qui venit de Edom de Bozra, hic veste cruenta
Calcaturus erat qui solus torcular, auctor
In cruce pensandus qui sustinet astra supernus:
Vt crux alma foret diuino hæc munere diues.
Nam scribens benè Mattheus dedit ordine primus
Qui in facie firmat ius, hunc ab origine Dauid
Progenitum esse hominem signauit, quem piè votum
Cum monstrauit in ordine stirpis fidus Abraham:
Quod genus hoc dederit pistillo fraudis iniquæ
Expulso nam ritè liber genus omne retextum
Continet hoc vere rationis credere signum,
Nempe decet dudum Christus quia nasciet illa
Promissus stirpe est, saluator maximus orbi.

DECLARATIO.

HIc quoque quatuor illa animalia Prophetica circum agnum stantia, similitudinem crucis exprimunt: quæ visio Ezechielis atque Apocalypsis Iohannis commemorant: quæ Ezechiel in medio ignis vel electri esse scribit, & Iohannes in medio sedis & in circuitu sedis. Sed Ezechielis verba de his prius videamus, qui inter alia ita scripsit: Similitudo autem vultus eorum facies hominis & facies leonis, à dextris ipsorũ quatuor: facies autẽ bouis à sinistris ipsorũ quatuor: & facies aquilę desuper ipsorũ quatuor: & reliqua. Iohãnes verò ita scripsit: Et in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro: & animal primum simile leoni: & animal secundum simile vitulo: & tertium animal faciem habens quasi hominis: & quartum animal simile aquilæ volanti. Et paulò pòst subintroduxit aliam visionem ita dicens: Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram. Cum in quatuor animalibus & in quatuor eorum faciebus Propheta & Apostolus concordẽt, licèt in aliquibus differant, quæ modò non vacat dicendum per singula: Videamus quid ille situs significet horum quatuor animalium, quæ Iohannes scripsit in circuitu sedis esse & agni, qui in medio throni stat. Nonne crucem Domini? Quando ergò dicitur in circuitu sedis quatuor esse: non aliud reor illũ significare velle, quàm in quatuor partibus, id est, antè & retrò, dextra & sinistra, quantum ad positionem loci pertinet, cæterum illocaliter aliquid huiuscemodi diffiniri non potest. Hæ ergò quatuor partes quid aliud significant, quã quatuor cornua crucis, si iacentem illam considerare velimus? Agnum verò qui in medio sedis est, quid aliud quàm mediam crucem tenere intelligimus? Ipse enim in ea confixus est qui abstulit peccata mundi. Quatuor quippe hæc animalia, quatuor Euangelistas significant, vt ecclesiæ tradit auctoritas, hoc est, Matthæum, Marcum, Lucam, Iohannem: qui iure in sanctæ crucis specie conscribuntur, quia passionem Domini & resurrectionem in libris sancti Euãgelij omnes concorditer testantur. Mattheus iure in imo positus speciem hominis tenet: quia in principio Euangelij sui genealogiam saluatoris describens, ex terrenis parentibus eum carnem assumere intimauit. Marcus verò & Lucas, quasi iam altius constituti, regiam in eo potestatem & sacerdotalem dignationem significant: quorum prior, hoc est, Marcus, speciem leonis habet: in quo vox leonis in heremo rugientis auditur. Vox clamantis, inquit, in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Nam Amos dicit: Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam. Leo est rex bestiarum, vnde Salomon dicit: Sicut fremitus leonis, ita furor regis. Et in Genesi Patriarcha Iacob de Iuda (vnde reges & vnde Christus carnem assumpsit) dixit: Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo & quasi leena. Quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium. Alter quoque, hoc est, Lucas, vituli similitudinem tenet: qui à Zacharia sacerdote initium sumens, ipsum Dominum etiam de cognatione sacerdotum secundum hominem natum testatur, cum Angelum narrat ad Mariam matrem eius dixisse: Et ecce Elizabeth cognata tua concepit filium in senectute sua: & à Dauid per Nathan genealogiam Saluatoris ducens, ipsum sacerdotem esse insinuat. Iohannes autem speciem aquilæ in se ostendit: qui iure in arce crucis consistit, qui ad altiora volans, secretiora Christi diuinitatis mysteria explorat, & quasi in ipsum Deitatis solem, mentis oculos figens, statim in principio Euangelij sui de diuinitate Christi exorsus est, ita: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quatuor ergò Euangelia à 4. Euangelistis conscripta, 4. flumina paradisi de vno fonte procedentia significant, quia sicut ipsa ex vna matrice fontis procedẽtia totam terram rigauerunt: ita ab vno vero fonte, hoc est, Christo, à quo qui semel bibit, non sitiet in æternum, 4. Euangelia emanantia, & per prædicatorum ora diffluentia, totum mũdum ad virtutum fructus germinandum irrigant. Hæc sunt diuini currus, 4. rotæ, quæ sequebantur, 4. animalia, 4. facies & 4. alas habentia. Quod autem Propheta dicit: Quod apparuerit rota vna super terram iuxta animalia habens 4. facies: & statim subiungit plurali numero: Et aspectus earum quasi visio maris, & vna similitudo earum 4. & reliqua, potest ad intellectum huiusce rationis transferri. In rota enim vna 4. species rotarum apparuerunt, quia 4. Euangelia in vna passione Saluatoris concordarunt. Tanta enim similitudo erat rotarum 4. sequentium animalia 4. vt vna rota verissimè crederetur, tantaque similitudo est in narratione euangelistarum, vt vno Spiritu dictata facillimè approbetur. Quod per 4. partes earum ibant rotæ & non reuertebantur cum ambularent, quia per 4. plagas mundi docendo discurrunt Euangelia, nec regredientur abnegare quod docent: quia veritas tenorem obseruat rectitudinis, nec deflectitur in obliqua falsitatis. In ipsis quippe 4. animalibus sunt scripta sibi conuenientia, hoc est, ius & auctoritatem eorum significantia, quid de Domino Saluatore prædicent. Nam in specie hominis deorsum scriptus est hic versus: *Matthæus hunc hominem signauit in ordine stirpis.* Leo verò hæc habet verba: *Marcus regem signat.* Imago quoque vituli hæc continet: *Dat Lucas pontificem.* Ast aquila in arce crucis consistens hunc sonat versum: *Altiuolans aquila & verbum hausit in arce Iohannes.* Tenent & 4. chartas hæc eadem animalia, in quibus principales eorum sententiæ denotantur, vnde 4. Euangeliorum primæ partes demõstrantur. Agnus quippe, qui in medio stat, habet in capite & in cornibus scriptum: *Septem Spiritus Dei.* Quod idem significat septem cornua, & septem oculi. In corpore verò reliquo tenet & sententiam baptistæ Iohannis de se: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* In Cruce nempe, quam gestat in capite, ostendit scriptum græcum nomen: YOS. Quod interpretatur filius, significans, quod hæc imago non agnum quemlibet communem, sed Dei filium demonstrat.

XVI. Figura. De septem donis Spiritus sancti, quæ Propheta Esaias enumerat.

Spiritusalmevenisuperadirectusabarce
Vttibideuotammentemetbenecredulacorda
Tudedicesvatisquispsesquoquevitaequem
Expatrepromissumsapientiammitteresemet
Promisitchristusantiquumlaudenouumque
Altithronidonumcaraetpiapactiosponsae
Incrucequamsponsusregalisanguinisostro
Dotauitdesponsauitinscammatesaeclihoc
Cuidasergoboneintellectusingulacarpit
Mysteriainternedoctusatqueomniapensat
Qualiteripsapatrissapientiaxp̄sinorbem
Tepignusdederitquesponsaenobilisarrā
Essesuaevoluitdumspsauctoresomnemhanc
Formastietmolētuconspicisinterioraet
Noneritvllatibiniilicoscrutaberisillā
Namq;creaturainuisainconspectibusalmis
QueriteEsaiasciosepthisdaresummis
sps sim sps for sps tqu sps
sapie ccile consi tiuu scien epiet timor
nti tu li in tia aet isd
Vitaetebisenimınsensūinderesatorinfit
Christusdansclarummandatūbinietamoris
Vtdeusextotocordispsallaturhonoreipse
Almusameturamorq;scientiacuideturomnis
Exinvtfratriscunctiamplectenturamorem
Quodcruxalmadeibenefactoscematesignat
Namparssursumerectadeipiemandatamorem
Transuersapacemdatquamcūfratretenendā
Constituitsanctaepietatissummusamator
Cristusquicruceeratinfixushostiapacis
Propteramicorumpiusarbiterorbisamorem
Dilectāponensanimamatq;exemplareliquit
Hunctusanctificanspsallend:sēperamorē
Spiritusindemihitimoromnisnoxiusabsit
Quatenusauctacrucisdiuinaegloriamecum
Carminepermaneattuimplebiscarminemutum
Osetritefaciscaelestempsallerecantum

LIBER PRIMVS.

SPiritus alme veni supera directus ab arce,
Vt tibi deuotam mentem & bene credula corda
Tu dedices vatis, qui spiritus es quoque vitæ:
Quem ex patre promissum sapientia mittere semet
Promisit Christus, antiquum laude nouumque
Alti throni donum, charæ & pia pactio sponsæ:
In Cruce quam sponsus regali sanguinis ostro
Dotauit, desponsauit in scammate sæcli hoc.
Cui das ergo, bene intellectu singula carpit
Mysteria, interne doctus atque omnia pensat,
Qualiter ipsa patris sapientia Christus in orbem
Te pignus dederit, quem sponsæ nobilis arram
Esse suæ voluit, dum spiritus auctores, omnem hanc
Formasti & molem, tu conspicis interiora &
Non erit vlla tibi, ni ilico scrutaberis illam.
Namque creatura inuisa in conspectibus almis
Quem ritè Esaiam scio & septem, his dare summis,
Vitæ te bis enim in sensum indere se sator infit
Christus, dans clarum mandatum bini & amoris,
Vt Deus ex toto cordis psallatur honore,
Almus ametur, amorque scientia cui detur omnis ipse.
Exin vt fratris cuncti amplectentur amorem:
Quod crux alma Dei benefacto schemate signat.
Nam pars sursum erecta Dei piè mandat amorem,
Transuersa pacem dat, quam cum fratre tenendam
Constituit, sanctæ pietatis summus amator
Christus: qui in cruce erat infixus hostia pacis.
Propter amicorum pius arbiter orbis amorem
Dilectam ponens animam, atque exempla reliquit.
Hunc tu sanctificans (psallendus semper) amorem
Spiritus inde mihi timor omnis noxius absit:
Quatenus aucta crucis diuinæ gloria mecum
Carmine permaneat, tu implebis carmine mutum
Os: & ritè facis cælestem psallere cantum.

DECLARATIO.

SCriptum est in Esaia: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de germine eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini. Septiformis igitur gratia Spiritus sancti per Prophetam annumeratur, quæ super florem illum iucundissimè requiescere dicitur, qui in canticis canticorum sponsæ dicit: Ego flos campi & lilium conuallium. Virgam quoque & florem, de quo Propheta narrauit, iudæi ipsum Dominum dicunt pro potentia regnantis & pulchritudine: nos autem virgam dicimus sanctam Mariam de stirpe Iesse progenitam, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, quia nullum habuit carnalis copulæ coniugem: florem verò Dominum Hiesum, qui de cortice humanæ naturæ splendidissimus erupit, quia sine sorde peccatorum ex virginali vtero natus processit: qui & in carnis suæ castitate candorem lilij demonstrauit, & in sanguine passionis rosæ ruborem ostendit. Super illum ergò requiescit Spiritus Domini, hoc est, æterna habitatione permanebit: quia in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum: sed vnxit eum Deus pater oleo lætitiæ præ consortibus suis: & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quomodo igitur de Christo scriptum est: quod acceperit Spiritum sanctum à patre, & ipsum dederit? Vtraque natura in eo monstrata est, & humana scilicet & diuina. Accepit vt homo: dedit vt Deus. Nos autem accipere hoc donum quidem possumus pro modulo nostro: effundere autem super alios non vtique possumus: sed vt fiat, Dominum super eos quod id efficiatur inuocamus. Sed quæri potest, cur Prophetam à Spiritu sapientiæ numerare inceperit, & in Spiritum timoris desierit, cum Psalmista dicat: Initium sapientiæ timor Domini. Quod ita solui potest: Propheta ergò eum de flore virgæ, quæ de radice Iesse egressura erat, prophetauit, id est, Christo, quia ipsum in diuinitate coæternum patri intellexit, & totius boni & sanctitatis, immò omnium rerum auctorem cognouit: vt cum tanta plenitudine sanctitatis à cælis ipsum ad nos vsque descendere significaret, & in nostram, id est, humanam naturam gratiam diffundere monstraret: ab ipso fastigio spiritualium donorum incipiens ad ima vsque progreditur. Quæ est enim maior gratia, quàm ipsum omnipotentem creatorem, à quo, & per quem, & in quo sunt omnia, & ipsam sapientiam æternam, à qua, & per quam, & in qua illustrantur omnia, pro modulo nostro plenè atque perfectè conspici? aut quæ minor quàm propter pœnam gehennæ à peccatis se hominem compescere? Nec dum enim in gradus superiores ascendit, qui in isto pœnaliter afficitur: quia timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Sed non nisi per istum humana infirmitas ad superiora valet conscendere. Atque ideo dicit Psalmista: Initium sapientiæ timor Domini, quia primitus debet homo per timorem à peccatis se coherecre, sciens scriptum, quòd Deus vnicuique reddit secundum opera sua, quodque impij ibunt in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam: & sic amore mercedis æternæ in cæteros gradus ascendere, id est, in secundum gradum, vt pius sit & mitis, fidem hominis rectam, & nulli malum pro malo, sed semper quod bonum est reddens: neque maledicenti remaledicens, sed econtrario benedicens. In tertium quoque, vt scientiam habeat bona eligere & mala reprobare, diuertere à malo, & facere bonum: sequi pacem & odium spernere. In quartum vt fortis sit, firmo iustitiæ incedens gradu, & non patiatur se vllis corrumpi prosperis atque vllis affici aduersis. In quintum verò gradum, vt omnia vero consilio agat, & secundum id quod scriptura diuina docet obediens faciat, id est, vt dimittat debita proximis suis, quatenus dimittat sibi Deus peccata sua: misereatur alterius, vt sui misertus sit Deus: faciat amicos de mammona iniquitatis, vt cum deficiat recipiant eum in æterna tabernacula: seminet terrena, vt metat cælestia: perdat modò animam suam in hoc mundo, vt in vitam æternam custodiat eam, & his similia. In sextum, vt intelligat Deum, id est, tota cordis intentione illum perquirat, tractet, inspiciat, & omnes malos cogitatus cordi suo aduenientes subitò euellere festinet, & paruulos suos ad petram allidet Christum. Cum autem in septimum ascenderit gradum, id est, in sapientiam, iam ipsum hominem exhibebit perfectum, & ex seruili conditione in filium transit: & non necesse habet vt aliquis doceat illum, sed, sicut scriptum est, vnctio eius docet eum de omnibus: delectatus perfecta dilectione Dei certus effectus est cum Apostolo, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit eum separare à charitate Dei, quæ est in Christo Hiesu Domino nostro. Quod autem bis hic numerantur eadem VII. dona Spiritus sancti, duo nimirum significat præcepta charitatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris: siue duo testamenta, quæ per eundem Spiritum dictata atque conscripta sunt: quæ in vna Cruce, id est, in vna passione Christi compacta atque coadunata sunt. In Cruce ergò Christi duo efficiuntur: vnum quia omne diuortium & inimicitia in ipsa dissoluta sunt, pacificataque omnia sunt in ipsa quæ in cælo & quæ in terra sunt. Descripsi ergò hic florigeram Crucem quatuor coloribus præcipuis, id est, hiacinthino, purpureo, byssino, & coccineo, vt floris illius iucundissimi decorem demonstrarem, quem prophetica locutio narrat de stirpe regia exortum: qui speciosus forma præ filijs hominum existens, omnium virtutum decorem in semetipso vltra omnes mirabiliter ostendit. Nec enim vllum sanctorum fas est credere, ad excellentiam charitatis eius peruenire potuisse: quia illum solum sine peccati macula constat natum esse: & quod cæteris ex parte conferebat gratia, illi totum ex integro præbebat natura. In hiacintho quippe intelligimus cælestem eius inter homines conuersationem: in purpura passionis sanguinem: in candore & bysso corporis eius inuiolatissimam castitatem: in cocco quoque præcipuam ac perfectam charitatem. His quidem omnibus homo Christus Hiesus inter homines natus serenus resplendebat, quia totius decoris pulchritudine intus forisque plenus erat. Proficiebat igitur puer Hiesus sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines: & vir factus populi testimonio laudatus erat dicentis: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Qui doctrina sua mundum illustrans atque ægrotos eius sanans, per mortem destruxit mortem: & triumphans resurrexit in gloria, ascendit in cælos, sedet ad dexteram Dei patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

XVII. Figura. De octo beatitudinibus Euangelicis.

Sanctabeatapotensvitaelausgloriachristi
Cruxveneranda deitu pro ſperafunctioſaecli
Dignabonaatquepia xp̄oaf ficerasquiamembra
Stipiteſuſpẽſaaf flictos ſubcarcerisvmbra
Deriperaspopulos regnumi nſublimerepoſtum
Quisdederasquoni amſpect atiolongapolorum
Redditaiurepiisbe atoli metſtemmatedignos
Nambonaquaeinterra mpi usarbiterorefereno
Seminadiſperſitſacramultiplicauitamauit
Quaequeſedensmontisorauitinarcemagiſter
Diſcipulistribuens pac tumpiafoederaiuris
Incipiebatenimalm ifico tuncordineſanctis
Virtutũhistituli sdominu spiapanderedicta
Vtbenedictapatri sprolis hocdogmateſignet
Cruxquiatotabona conplec titetoptimaperſe
Datdocetalmaannec titam antibusatquebeata
Sic fel ixdiui nam ard ore tre men ſpreme cor dam
Qi icesf acet iuſti tiamhos tepio algi daſer ua
F lentesq ui cupidos namhi sſurſum om enadcum q:
Q uisconſ ul aeterna ac ſit miſerat io cernent
D olatioi dq: refecti opaſt iolarga ac etinarc e
No nalto acti oconp etitore repen squ eſupe rnũ
Ops eſt nunceva let hic atq hoc ſat isinte rna cum
Longeabſunthumili veſol oquodpronusadorat
Cumverbumhaudſol ummites ſedinordinemores
Omnitenensposcit ſemperh octemporequeomni
Ergobeatorumeſth abitare inlucevolentumet
Octenohocnumerovt super arduadonareqirant
Hocq:reſurgentesreg num quiaſicecrucevadent
Cruxviaſcalarotapatriaduxportatriumphus
Vitabeatahominummeritorumetmaximamerces
Binaquaterpoſitaen reg nipiaformulapandit
Sanctabonosbenedo napol umſcandendomereri
Cunctipotensqedei dominu shocomnipotentis
Spiritusipſemodi svultpa cisſcandereſedem
Septenoſq:gradusſ uperise rexerataſtrisquo
Altapolihincpiepo ſſebe nignospanderetire
Quoscomitaturamorr ati oluxlausbonavirtus
Gloriaſtemmathronusqisadditurarcepolorũ

LIBER PRIMVS.

SAncta,beata,potens,vitæ laus,gloria Christi
Crux veneranda Dei tu,proſpera functio ſæcli,
Digna,bona atque pia, Christo afficeras quia membra
Stipite ſuſpenſa,afflictos ſub carceris vmbra
Deriperas populos,regnum in ſublime repoſtum
Quis dederas:quoniam ſpectatio longa polorum
Reddita iure pijs beat olim,& ſtemmate dignos:
Nam bonaq; in terram pius arbiter ore ſereno
Semina diſperſit ſacra, multiplicauit, amauit:
Quæq; ſedens montis orauit in arce magiſter,
Diſcipulis tribuens pactum,pia fœdera iuris:
Incipiebat enim almifico tunc ordine ſanctis
Virtutum his titulis Dominus pia pandere dicta.
Vt benedicta patris proles hoc dogmate ſignet,
Crux quia tota bona complectit, & optima per ſe
Dat,docet alma, annectit amantibus atque beata:
Sic fœlix diuinam ardore tremens preme chordam
Qui hic es,fac & iuſtitiam,hoſte pio,algida ſerua
Flentes qui cupidos,nam his ſurſum omen ad cumque,
Quis conſul æterna ac ſit miſeratio,cernent,
Dolatio,idq; refectio,paſtio larga,& in arce
Non alto actio competit ore,repenſq; ſupernum
Ops eſt nunc,valet hic atque hoc ſatis,interna cum
Longe abſunt,humilive ſolo,quod pronus adorat,
Cum verbum haut ſolum mites, ſed in ordine mores
Omnitenens poſcit ſemper hoc temporeq; omni.
Ergo beatorum eſt habitare in luce volentum,&
Octeno hoc numero vt ſuper ardua dona requirant,
Hocque reſurgentes regnum:quia ſic Cruce vadent.
Crux via,ſcala,rota,patria, dux,porta, triumphus,
Vita beata hominum meritorum, & maxima merces:
Bina quater poſita en,regni pia formula pandit
Sancta bonos bene dona polum ſcandendo mereri:
Cunctipotenſq; Dei Dominus hoc omnipotentis
Spiritus ipſe modis vult pacis ſcandere ſedem
Septenoſq; gradus ſuperis erexerat aſtris,quo
Alta poli hinc pie poſſe benignos panderet ire,
Quos comitatur amor, ratio,lux,laus, bona virtus,
Gloria,ſtemma,thronus,quis additur arce polorum.

DECLARATIO.

OCto ergò beatitudinum series hic in specie sanctæ Crucis notantur, vt cuncto fidelium populo innotescat: vbi salutis suæ habuerit initium, & vbi perfectionis suæ inuenturus sit supplementum: quando per passionem Christi acceperit remissionem peccatorum, & per resurrectionem eius vitam & immortalitatem speret æternam: quando beatitudinis quoque cælestis à nullo alio requirat integritatem, quam ab illo, à quo consecutus est denuò redemptionem. Meritò ergò sanctæ Cruci hæc cuncta sacramenta conueniunt, quia per illam liberati pactum fidei & societatem vnitatis populi ineunt. Ibi insinuatur à morte redemptio, ibi demonstratur sancta morum conuersatio, ibi intimatur omnium virtutum perfectio, ibi promittitur ad æternam vitam resurrectio, ibi æternæ vitæ speratur adeptio, & veræ fœlicitatis acquisitio. Nam quoniam post enumerationem ad tractatum spiritualium charismatum de octo beatitudinibus sermo nobis haberi placuit, videamus quomodo hæ duæ res sibi conueniant, & si hido sanctæ Crucis hanc conuenientiam in se demonstrare valeat. Facit enim Beat. pater Augustinus in libro, quem de sermone Domini in monte placuit nominare, huius conuenientiæ talem commemorationem, ita dicens: Videtur ergò mihi etiam septiformis operatio Spiritus S. de quo Esaias loquitur, his gradibus sententijsque congruere: sed interest ordinis. Nam ibi numerationé ab excellentiorib. cæpit: hic verò ab inferioribus. Ibi namque incipit à sapientia Dei, & desinit ad timorem Dei, sed initium sapientiæ timor Domini est. Quapropter si gradatim tãquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia est scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: id est, non inflati, non superbi. De quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere, sed time, id est, noli extolli. Pietas cõgruit mitibus: qui enim piè quærit, honorat sanctam scripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse. Vnde hic dicitur: Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Scientia congruit lugentibus: qui iam cognouerunt in scripturis, quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona & vtilia ignotantes appetiuerunt. De quibus hic dicitur: Beati qui lugent nunc: quoniam ipsi consolabuntur. Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupientes. De quibus hic dicitur: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Consilium congruit misericordibus. Hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadendi, vt dimittamus, sicut & nobis dimitti volumus, & adiuuemus in quo possimus alios, sicut & nos in quo non possumus cupimus adiuuari. De quibus hic dicitur: Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Intellectus cordis congruit mundis corde, tanquam purgato oculo quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. De quibus hic dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus rebellis est: sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm ipse obtemperat Deo. De quibus hic dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et paulò pòst subiunxit: Est ista quidem in hac vita possunt compleri: sicut completa esse in Apostolis credimus. Nam illa omnimoda in angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit, perfectumque hominem declarat, significat fortasse & circumcisionem octauo die in veteri testamento, & Domini resurrectionem post sabbatum, qui est vtique octauus dies, idemque primus. Benè ergò omnis virtutum series in gradus distribuitur: quia omnis vita fidelium per incrementum atque ad augmenta ad altiora subleuatur: donec ad summam perfectionis, id est, charitatem perueniat, illam videlicet quæ perfecta foras mittit timorem, per quam meretur iam habitatorem in se habere Deum: quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: quando iam sedata tentationum tempestate, tota in Dei contemplatione erit. Hinc dicit Psal. Ambulabũt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion: & alibi: Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Et hoc ritè per spiritualia charismata innotescitur: quia per Spiritus sancti gratiam omne datum optimum, & omne donum perfectum nobis conceditur. Rectè quidem hi gradus in sanctæ Crucis forma disponuntur: quia per ipsam ad cæleste regnum verè conscenditur. Sed quia duæ partes sanctæ Crucis sunt, vna quæ erecta stat, altera quæ per transuersum vadit: ita gradus ipsi octo beatitudinum à nobis in illa dispositi sunt, vt ab imo vsque ad medium in erecta eius parte ascendatur, & tunc per transuersam illius partem, ascensionis ordo ducatur. Deinde in erecta eius parte, in ea quæ transuerso eminet, ascensus ille finiatur: quod cuilibet facilè patebit, si versus, quos in ea conscripsimus, ritè intellexerit. Potest quippe & in ipsa diuisione partium conueniens earum dispositio cognosci. Nam in erecto stipite in imo, pauperes spiritu collocantur: & in supremo qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quibus vtrisque regnum cælorum promittitur: quia per veram humilitatem solummodo, ritè ad martyrij palmam & ad regnum cæleste peruenitur: atque pro iustitia, quæ Christus est, aduersa cuncta patientissimè tolerantur. In transuersa verò parte à beatis qui lugent nunc vsque ad beatos qui mundo corde sunt trames tendit: quorum prioribus consolatio, sequentibus visio Domini promittitur, quod rectè vnum esse intelligitur. Illi enim verè consolantur, qui æterni regis visione sine fine perfruuntur. Sancti ergò viri in præsenti vita, quantò magis se exterius despiciendo deiecerint, tantò amplius interius contemplationis reuelatione pascuntur. Quos enim exterius in fletu continet conuallis humilitatis, eos interius subleuat ascensus contemplationis. Igitur octo hic octogoni imparibus numeris compacti, octo versus continent XXXVII. literarum, octo beatitudines continentes, quorum primus, qui in base Crucis positus est, talem habet versum: *Regna poli Dominus vult pauperis esse beati.* Secundus verò post hunc talem: *Atque solum mites semper habitare supernum.* Tertius quoque ordine octogonus est ille, qui in transuerso crucis tramite primus est, hunc tenens versum: *Fœlices flentes quis consolatio in alto est.* Quartus qui hic proximus est cum hoc versu: *Nam iusti cupidos æterna refectio complet.* Iuxta quem est quintus cum isto: *Mente pios sursum miseratio larga repensat.* Sextus quippe ille est, qui transuersum tramitem claudit: *Corda serena Deum cernent & in arce superna.* Septimus qui in supereminente crucis parte inferior sistit hic: *Pacificos Dominus prolis complectit amore.* Supremus quoque omnium octogonus, hoc conscriptus est versu: *Pro Christo afflictus regnum iam spectat olympi.*

XVIII. Figura. De Myſterio quadragenarij numeri.

Pandeſalutaremdominovincentetriumphum
Linguafiguramanuslabiumvox·ſyllabaſenſ:
Magnacrucisdominiquemgloriapoſcitvb·iq:
Sideracelſaſuperetquopertingitabyſſus
Luxvbipuramanetquotetraſilentianoctis
Perpetuaelatitantvbinoxq:dieſq:viciſſim
Succeduntceduntq:ſibiquotemporecunctus
Labiturorbisvbivariabilisinditordoeſt
Quattuoriſtovincirevixſufficitaſthaec
Paginadignacrucipraeconiatramitedenas
Haſquequadragenaſſanctodecallemonades
Arteligareſimulplenasquoqueluceſerena
Myſticaq·asvirtusornatconſecrathonorat
Temporisinſtantisnumerushicritefigurā
Geſtatquototachriſtoſubprincipeſancta
Eccleſiarabidopiefertcontrariatelahic
Opponenshoſtibellatrixconſciaapreſtans
Virtutumetpugnisvitiaſibilauseacuncta
Cumfideiſcutodomathaecrituhaſtaq:verbo
Loricāligatetbeneiuſtitiaeinduitalmam
Atq:ſalutarisgaleamhancinverticegeſta·t
Ipſacrucisclarāfaciuntinſigniafrontem
Frontisetaduerſaefunduntformoſadecorē
Incruceſaluatorſaeuumnamvicerathoſtem
Eiusethocnumeroſuadeſertoalmatrahebat
Exdapibuscunctisieiuniaſobriachriſtus
Strinxerateripuitqcar:odefauceſuperbi
Raptorishominemquemcaſtrimargiatraxit
Infacinusdirumimmitemſimulattulit:iram
Huicphilargirialeuisetcenodoxiatruſit
Quemaregnodominusaeternaredemtioieſus
Sedpreſſithoſtempraedamſaluauitabipſo
Dapſilisaqthumilismitisetſobriusipſe
Cuiuspugnaſaluscuiusvictoriaſanctaeſt
Cuiusinarcethronusaſpect:ininfimacuius
Cruxouatorbishonorcruxeſterectiomundi
Cruxmihicarmeneritcriſtivictoriaclara

LIBER PRIMVS.

PAnde ſalutarem Domino vincente triumphum
Lingua, figura, manus, labium, vox, ſyllaba, ſenſus.
Magna Crucis Domini quem gloria poſcit vbique,
Sidera celſa ſuper, & quo pertingit abyſſus,
Lux vbi pura manet, quo tetra ſilentia noctis
Perpetuæ latitant, vbi noxque dieſque viciſſim
Succedunt, ceduntque ſibi, quo tempore cunctus
Labitur orbis, vbi variabilis inditus ordo eſt.
Quattuor iſto vincire vix ſufficit, aſt hæc
Pagina digna Cruci præconia tramite denas,
Haſque quadragenas ſancto de calle monades
Arte ligare ſimul plenas quoque luce ſerena,
Myſtica quas virtus ornat, conſecrat, honorat.
Temporis inſtantis numerus hic ritè figuram
Geſtat, quo tota Chriſto ſub principe ſancta
Eccleſia rabido pie fert contraria tela hic
Opponens hoſti bellatrix conſcia perſtans,
Virtutum & pugnis vitia ſibi laus ea cuncta
Cum fidei ſcuto domat, hæc ritu haſtaque verbo
Loricam ligat, & benè iuſtitiæ induit almam,
Atque ſalutaris galeam hanc in vertice geſtat.
Ipſa Crucis claram faciunt inſignia frontem,
Frontis & aduerſæ fundunt formoſa decorem:
In Cruce Saluator ſæuum nam vicerat hoſtem
Eius, & hoc numero ſua deſerto alma trahebat
Ex dapibus cunctis ieiunia ſobria Chriſtus:
Strinxerat eripuitque atro de fauce ſuperbi
Raptoris hominem, quem caſtrimargia traxit
In facinus, dirum immitem ſimul attulit iram.
Huic phylargiria leuis & cenedoxia truſit
Quem à regno Dominus æterna redemptio Hieſus,
Sed preſſit hoſtem, prædam ſaluauit ab ipſo.
Dapſilis, atque humilis, mitis, & ſobrius ipſe,
Cuius pugna ſalus, cuius victoria ſancta eſt,
Cuius in arce thronus, aſpectus in infima, cuius
Crux ouat orbis honor, Crux eſt erectio mundi:
Crux mihi carmen erit Chriſti victoria clara.

DECLARATIO.

Qvadragenarius itaque numerus secundum hunc modum speciem crucis format, & mysterij sacramentum congrua dispositione declarat: qui in quatuor summas diuisus, denarium per singulas ordine manifesto demóstrat. Hoc enim ad mysterium pertinet, quia sicut in quatuor partibus denarij plenitudo inuenitur, ita etiam in singulis sancti Euangelij libris decalogi perfectio omnibus fidelibus insinuatur. Quæ tamen iunctæ decades vnam speciem crucis faciunt: quia vnitatem fidei & dilectionis societatem, decalogus legis & Euangelij maiestas concorditer astruunt. Porrò ipse denarius, ab vno vsque ad quatuor progrediente numero consummatur, idemque vt in quadragenarium surgat per quatuor multiplicatur, hoc nimirum significat, quod legis consummatio non sine Euangelio fiat, nec Euangelica doctrina attestatione legis careat. Finis enim & perfectio legis Christus ad iustitiam omni credenti. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitiam in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Quia ergò numerus iste laboriosi huius temporis sacramentum est, quo sub disciplina regis Christi aduersus diabolum dimicamus, etiam declarat illud quod quadraginta dierum ieiunio humiliatione animæ consecrauit: & lex & Prophetæ per Moysen & Heliam, qui quadragenis diebus ieiunauerunt, & Euangelium per ipsius Domini ieiunium, quibus quadraginta diebus etiam tentabatur à diabolo, quid aliud quàm omne huius sæculi tempus tentationem nostram in carne sua, quam de nostra mortalitate assumere dignatus est, præfigurat? Ab hora quoque mortis eius vsque ad diluculum resurrectionis constant horæ XL. si ipsa nona connumeretur: post resurrectionem quoq; non amplius quàm dies XL. cum discipulis in hac terra esse voluit. Hinc eorum vitæ adhuc humana conuersatione commixtus, & cum illis alimenta mortalium iam non moriturus accipiens, vt per ipsos quadraginta dies significaret se occulta præsentia quod promiserat impleturum, quando ait: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi. Cur autem iste numerus hanc temporalem vitam terrenamq; significet, illa interim causa de proximo occurrit, quamuis sit alia fortasse secretior, quòd tempora annorum quadripartitis vicibus currunt: & mundus ipse quatuor partibus terminatur, quas aliquando ventorum nomine scriptura commemorat, ab oriente & occidente, ab aquilone & meridie. Ad hunc igitur mundũ, ad istam terrenam mortalemque vitam hominum, ad nos regendos in tentatione laborantes, venientem regem Christum Matthæus suscipiens exorsus est ab Abraham, & enumerauit XL. homines. Ab ipsa enim gente hebræorum, quæ cæteris gentibus vt distingueretur, Deus de terra sua, & de cognatione sua separauit Abraham. Christus venit in carne, & ab ipsa cuncto mundo salutatem pertulit crucem. In hoc annorum termino Isaac sociata est Rebecca & per ipsius numeri mysterium. Christo accopulata est ecclesia. Hoc numero dierum missi duodecim viri explorauerunt terram repromissionis, & eodem annorum numero castigati sunt increduli & detractores in sterilitate solitudinis: quia sæpe per præsentis vitæ laborem, quo probantur electi, cruciantur reprobi. Item secundum huius numeri medietatem, id est, à viginti annis eligebantur filij Israel in militiam Domini (vt Pentateuchi narrat historia) vt ostenderetur quia mox vt oriri cœperunt sanctis bella vitiorum, nõ paruus statim adest labor certaminum: qui autem sunt Christi, ait Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Metitur ergò hic numerus secundum positionem sanctæ Crucis in templo Salomonico sancta sanctorum, id est, viginti cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, vt ostendatur ipse esse sanctus sanctorum, qui in crucis quadrifidæ confixus est stipite, vt repropiciaret delicta populi, & sanctificaret totius orbis gentes, habitans inter eos & saluans omnes credentes in se. Meritò ergò crux ipsa sancta sanctorum dici potest, quæ ab omnibus sanctis in terra veneratur & colitur, nec non & ab ipsis sanctis spiritibus angelicis, qui de redemptione nostra gratulantur, omni honore (vt credimus) digna deputatur, qui recordantur Christum propter obedientiam Crucis exaltatum, & traditum illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Hiesu omne genu flectatur cælestiũ, terrestrium & infernorum. Est autem quadragenarius ipse in quatuor triangulis hic comprehensus, secundum geometricæ figuræ potestatem, continens versum quadraginta literarum in hunc modum: *Crux sacra tu æterni es regis victoria Christi.*

XIX. Figura. De quinquagenario numero & sacramento in eo manifestato.

Cruxmihicarmeneritauresadibitefideles
Lauscrucisoremanatdeuotasducitementes
Vosquib. esteristusqib: est: sapientiacurae
Luxaeternadeiquibusincorruptioamorfit
Hicsonatartificisvirtusoperisquebeati
Hicdecorexultathicgloriafingiturartis
Vesterhonorviuitquiaviuidafulgetorigo
Vestramanetpalmaiureimmortalisinaetra
Claraquiaestvobisvictoriacristusvbiq'e
Ipsesalusvestraetuindictamfecitinatro
Provobismoriensiusteqoppressitinrqu'm
Morteinterficiensmortemdũtartaravicit
Huchucaegrotivolucriconcurritecursuen
Vestereritmedic:qemcruxmedicabilisalto
Stipitegestauitextenditbrachiacuraeet
Poscitecurarietgeminasexpanditepalmas
Ipsiusergovalettactucitoinoraaceadem
Redderedcstrapiatrepidohicalmaqietis
Summacuiestvirtussapiensadibeeresalutē
Arsquidescenditresipiscatfisicavtarte
Dampnatimorisreanteredeuiuantsignabeata
Quinquasalutaremnumerumhicgintabeatae
Datcrucishaecspeciesdiuinomuneneplena
Quisignatveniamquisabbatalaetaquietis
Quilegispriscaepostazimafestatributae
Estindexetpostsanctasollempniapaschae
Ipseparacletimissivndiquenumineplenus
Pacisamoreprobuspacissignaculaprofert
Perfectusdecorespecieperfectushonoris
Quinq'ecrucespraebetramisdenasq:monades
Xnumeratsemperq:cruciaptaetamicafigura
Quinquelibrilegisextantmandataquedena
Omnianempecruciconcordanttramitedictu
Lexnumerustempusmysteriafactacaracter
Omnesergocrucempariterlaudemusouantes
Soluamusvotahinccrucifixoetdebitaregi
Sanguinequipropriolaxauitcriminamundo

LIBER PRIMVS.

CRux mihi carmen erit, aures adhibete fideles,
Laus Crucis ore manat, deuotas ducite mentes
Vos quibus est Christus, quibus est sapientia curæ
Lux æterna Dei, quibus incorruptio amor fit.
Hic sonat artificis virtus, operisque beati
Hic decor exultat, hic gloria fingitur artis,
Vester honor viuit, quia viuida fulget origo,
Vestra manet palma iure immortalis in æthra,
Clara quia est vobis victoria Christus vbique.
Ipse salus vestra, & vindictam fecit in atro
Pro vobis moriens, iusteque oppressit iniquum
Morte interficiens mortem, dum tartara vicit.
Huc huc ægroti volucri concurrite cursu, en
Vester erit medicus quem crux medicabilis alto
Stipite gestauit, extendit brachia curæ, &
Poscite curari, & geminas expandite palmas.
Ipsius ergo valet tactu cito in ora ac eadem
Reddere dextra pia trepido, hic alma quietis
Summa cui est virtus, sapiens adhibere salutem
Ars, qui descendit resipiscat physica vt arte.
Damna timoris eant, rediuiuant signa beata.
Quinqua salutarem numerum hic ginta beata
Dat crucis hæc species, diuino munere plena:
Qui signat veniam, qui sabbata læta quietis,
Qui legis priscæ post azima festa tributæ
Est index, & post sancta solemnia paschæ
Ipse paracleti missi vndique numine plenus.
Pacis amore probus, pacis signacula profert
Perfectus decore, specie perfectus honoris.
Quinque cruces præbet ramis, denasque monades
X numerat, semperque cruci apta & amica figura.
Quinque libri legis extant mandataque dena.
Omnia nempe cruci concordant tramite dictu,
Lex, numerus, tempus, mysteria facta, character.
Omnes ergo crucem pariter laudemus ouantes:
Soluamus vota hinc crucifixo & debita regi,
Sanguine qui proprio laxauit crimina mundo.

DECLARATIO.

HÆc igitur pagina quinquagenarium numerum continet, in quinque X. literis expressum: quæ & denarij notat summam, & crucis exprimit figuram, in cuius honorem totum opus conditur. Hic Iubilei tenet obseruantiam, & veræ remissionis, quæ per crucem toto orbi conceditur, index est: hic post typici Paschæ celebrationem & occisi agni solemnia, transitusque Domini in Ægypto, celeberrimam festiuitatem legis datæ in monte Synai testis est: & post verum Pascha agnique Christi immolationem, paracleti super Apostolos missi demonstrator est: hic sabbatum sabbatorum post completionem septem hebdomadarum monade addita designat, & æternæ requiei, quæ verè vna est, gaudia demonstrat, vbi terra corporum nostrorum verè suum celebrabit sabbatum: quia nulla præsentis vitæ damna sentiet vltra laborum, sed in laudibus æternæ trinitatis suum exercebit officium: quia suæ incorruptionis gaudebit se nullum habere terminum. Quapropter meritò quæritur, quomodo quinquagenarius numerus ex numero quadragenario surgat. Quadragenarius itaque est numerus ex his, qui vocantur impariter pares, qui diuiditur in æquas partes, cuiusque pars in alias æquas diuidi potest, nec non & partes partium diuiduntur, sed non vsque ad vnitatem progreditur. Æqualis illa diuisio est. Ergo eius medietas XX. quarta pars X. quinta pars VIII. octaua pars V. decima pars IV. vicesima II. quadragesima I. Vnum enim & II. & IV. & V. & VIII. & X. & XX. quinquaginta faciunt. Sed hoc incrementum minoris numeri in maiorem quid aliud significat, quàm profectum nostrum? Prædiximus ergò, quòd quadragenarius numerus hanc temporalem vitam & præsentem designet: quinquagenarius verò quietem futuræ patriæ & æterna gaudia demonstret. Quid aliud nobis per hos duos numeros insinuatur, nisi vt hanc vitam sancta conuersione ducentes, orationibus & vigilijs atque ieiunijs instantes, misericordiæ quoque operibus & eleemosynis insudantes, plena fide, spe integra, perfecta charitate ad illam quæ in cælis expectat nos patriam properemus: vbi quies æterna absque vllo labore possidetur, vbi verum gaudium sine vlla tristitia continetur, vbi quicquid boni hic ex parte aliqua percepimus, totum atque integrũ sine fine perficietur. Porrò autem denarius numerus creatoris atque creaturæ significat sciẽtiam. Nam trinitas creatoris est. Septenarius autem numerus creaturam indicat propter vitam & corpus. Nam in illa tria sunt, vnde etiam toto corde, tota anima, tota mente diligendus est Deus, in corpore autem manifestissima quatuor apparent, quibus constat, elementa. Benè ergò numerus ista significans in crucis exprimitur nota, quia in illa per mediatorem Dei & hominum reconciliati & coadunati sumus creatori nostro, & in filios adoptionis æterno patri translati. Rectèq; iubilei numerus exprimitur in crucis figura, quia tota ratio illius spiritualiter Cruci aptatur. Nam seruitus indebita Israelitarum in illo relaxatur, & per crucem generis humani captiuitas & seruitus, qua peccato nequiter atque idolis seruiebat, destruitur, & veteri libertati, qua Deo soli seruitur, homo, qui ad imaginem Dei creatus est, redditur. In iubileo quoque ad antiquum possessorem vendita possessio reuertitur, & in passione Domini homini prior possessio, id est, paradisus redditur, quam per pomum vetitum ipse malè commutauerat, escam accipiens & vitam perdens. Ibi quippe præceptum est filijs Israel, vt se abstinerent à rurali opere, & hic concessum sanctis Dei, vt vacent à terrena cupiditate. Clangebantque buccina filij Israel in ipso iubileo, septimo mense decima die mensis, propiciationis tempore in vniuersa terra sua. & sanctificauerunt quinquagesimum annum, & vocauerunt remissionem cunctis habitatoribus terræ suæ. Insonuerunt que tuba prædicationis Apostoli & cæteri prædicatores Euangelij, Spiritus S. gratia repleti, legem spiritualiter interpretantes, & docentes in toto orbe pœnitentiam & remissionem peccatorum accipere per nomen Christi omnes, qui credunt in eum. Ostendit quoque ipse Saluator hoc veræ remissionis tempus, quando Nazareth veniens in synagoga legebat capitulum de Esaia Propheta ad se pertinens, ita dicens: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis. Annum autem acceptum & diem retributionis, omne prædicationis eius, quo in carne versatus est, tempus intellige, quando cæcis lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ad cognoscendum veritatem verbo & miraculis aperuit visum, & in cruce moriens dimisit captiuos confractosque in remissionem, quia destructis vinculis mortis, resurgens in gloria, ascendens captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem in hæc testimonia ad ipsum pertineãt, testatur Euangelista Lucas, cum subiungit Saluatorem hoc idem auditoribus suis affirmasse, ita dicens: Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris, & omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius. Continetur autem in quinque X. notis vnus versus quinquaginta literarum hic: *Quinque iuuat apice asti sacra ducere, de cruce & hac nam est*, per singulas notas denis literis supputatis, sed hoc in pronuntiatione. Cæterum autem in scripto IX. grammata vnicuique notæ deputantur. Nam media litera singularum notarum communis est vtrique tramiti, & ei qui dextrorsum, & ei qui sinistrorsum vadit.

XX. Figura. De numero centenario & vicenario, & mystica eius significatione.

Sanguinisergosacrinosfusiolauitetvnda
Sordib:acunctisdetersitetomniachristus
Noxianāpassuslabestulithicquoq:nostras
Delensaratumcontraorbemtumcirographum
Lumeneuangeliiimitabilecondiditauctor
Quodfacin:scriptouetaomniavanarecusat
Q'odvitamsignansincunctoexpenditurorbe
Lumenvirtutumascensuetdominantisvbiqe
Indicatoratumpandensquomisticascripta
Monstrantdonadeiquantaomnib:obtulitore
Astdeciesduodenatenethiclaudacaracter
Grammatanechocvnasemelsedhocquatervna
Magnanotansfideimysteriamagnaquefidis
Gaudiademonstransmedicinaemuneragrata
Etsocialedecusquodspiritusauctorinore
Ardensluxdederatconcordimunerelinguae
Hincquealacercoetūssacratumiactatvbiq:
Hocnomenretexpandensqodsagenainabisso
Mundiplenaaltaretrahatetfrenetutomnes
Hisfreniscrucisvtq:insigniachristusvbiq:
Dignecommendethominiquamagnaresignat
Inmultisdonaadiungensprobapraemianati
Enorbisdominiqvicondiitpræmiainauctet
Multiplicatdignisiustecumpatresuperno
Regnatorregnanscunctaditionegubernans
Quipignusdederatparacletumiuresalutis
Vtregatetseruetperducatadatriavitaeet
Psallitedeuotevitambenepsallitecristo
Gentesaclinguaeverumetcognosciteregem
Virtutemq:patrisquaoccumbitdirapotenti
Morsq:suietstimulirerumscitoteparentem
Haeclausculmenhabetexverogermineparta
Aeternamrequiemistestnaturaeinditordo
Seruetvtinditatantumetsperetdonabeata
Gloriahaecvirtusetsummaestcausaq'ietis
Istequeiurabeneconseruatliberachicest
Quibonasummacupitriteetmediocriaducit

LIBER PRIMVS.

Sanguinis ergò sacri nos fusio lauit & vnda
Sordibus à cunctis, detersit & omnia Christus
Noxia, nam passus labes tulit hic quoque nostras
Delens aratum contra orbem, tum chirographum
Lumen Euangelij imitabile condidit auctor.
Quod facinus scripto vetat, omnia vana recusat:
Quod vitam signans in cuncto expenditur orbe,
Lumen virtutum ascensu & dominantis vbique
Indicat, oratum pandens, quo mystica scripta
Monstrant, dona Dei quanta omnibus obtulit ore:
Ast decies duodena tenet hic lauda character
Grammata, nec hoc vna semel, sed hoc quater vna
Magna notans fidei mysteria, magnaque fidis
Gaudia, demonstrans medicinæ munera grata,
Et sociale decus, quod spiritus auctor in ore
Ardens lux dederat concordi munere linguæ.
Hincque alacer cætus sacratum iactat vbique
Hoc nomen, rete expandens quod sagena in abysso
Mundi plena alta retrahat & frænet vt omnes
His frænis Crucis, vtque insignia Christus vbique
Dignè commendet homini, quæ magna resignat
In multis dona, adiungens proba præmia nati.
En orbis Domini qui condit præmia in actu &
Multiplicat, dignis iuste cum patre superno
Regnator regnans, cuncta ditione gubernans:
Qui pignus dederat paracletum iure salutis,
Vt regat, & seruet, perducat ad atria vitæ &.
Psallite deuotè vitam benè psallite Christo
Gentes ac linguæ, verum & cognoscite regem,
Virtutemq; patris, qua occumbit dira potenti
Morsque sui & stimuli, rerum scitote parentem.
Hæc laus culmen habet ex vero germine parta:
Æternam requiem iste est naturæ inditus ordo:
Seruet vt indita tantum, & speret dona beata.
Gloria hæc virtus, & summa est causa quietis:
Isteque iura benè conseruat, liber ac hic est
Qui bona summa cupit, ritè & mediocria ducit.

DECLA-

DECLARATIO.

DEnique ſanctæ Crucis formam græca litera lauda in hac pagina per 4. loca poſita exprimit: quæ & tricenarium numerum apud græcos ſignificat. Hæc ergò quia quater hic ponitur, CXX. numerum efficit, cuius ſacramétum magnum eſt. Nam leguntur ante diluuium CXX. anni ad pœnitentiam hominibus decreti, & Salomonici templi altitudo CXX. cubitorum erat, & ſuper CXX. viros in die pentecoſtes Spiritus ſanctus venit. In quatuor enim notis idipſum efficientibus, quatuor Euangelia ſignificantur, in quibus ſingulis tricenarius numerus inuenitur: quia fides ſanctæ Trinitatis & perfectio mandatorum in ſingulis ſancti Euangelij libris pleniſſimè prædicatur. Proinde illud quod archa Noe cum ex Dei præcepto conſtruebatur, & ad ſaluationem electorum ad ſimilitudinem ſanctæ Crucis impijs diluuio perituris præparabatur, in CXX. annorum calculo pœnitentiæ tempus hominibus antè decretum eſt, quid aliud ſignificat, quàm quod ita tantum à fluctibus huius ſæculi poſſimus permanere illæſi, ſi Euangelicæ doctrinæ in fide ſanctæ Trinitatis dignè operantes deuotis mentibus obediamus. Hoc autem quod omnis templi altitudo CXX. cubitorum fuit, ad idem ſacramentum reſpicit: quod & primitiua in Hieroſolymis eccleſia poſt paſſionem, reſurrectionem & aſcenſionem Domini in cælos, in hoc numero virorum gratiam ſancti Spiritus accepit. Itaque procedente naturalis numeri progreſſione ab vno vſque ad XV. & collectis in vnum omnium locorum ſummitatibus, CXX. fiunt. XV. namq; quæ ex VII. & VIII. conſtant, ſolent nonnunquam ad ſignificationem referri vitæ futuræ, quæ nunc in ſabbatiſmo geritur animarum fidelium, perficietur autem in fine ſæculi reſurrectione corporum immortalium. Quapropter aptè numero centenario & vicenario, magna electorum beatitudo in futura vita deſignatur, aptè in hoc tertium domus Domini cænaculum conſummatur: quia poſt præſentes fidelium labores, poſt acceptam in futuro requiem animarum, plena totius eccleſiæ fœlicitas in reſurrectionis gloria complebitur. Ad quod myſterium æquè pertinet, vt diximus, quod reſurgens à mortuis atque ad cælos aſcendens, huic numero virorum Spiritum ſanctum in linguis igneis miſit: eoſque qui diuerſitate linguarum ab inuicem diſcrepauerant, repentè omnium cogitatione loquelarum communem in laude ſua fecit habere ſermonem. Nam & eccleſia ſuo tempore reſurgens à morte, atque ad cælos aſcendens in carne incorruptibili, plenè ac perfectè dono Spiritus ſancti illuſtrabitur: quando, iuxta promiſſum Apoſtoli, erit Deus omnia in omnibus. Tunc plena erit adunatio linguarum in omnibus, ad prædicanda magnalia Dei: quia conſona mente ac voce omnes diuinæ gloriam maieſtatis, quam præſentem vident, collaudant: tuncque vox illa pſalmi perfectè complebitur, qua Spiritus ſanctus per Prophetam omnes gentes ad laudem Domini prouocando exhortatur, ita dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum: quando quotquot de omnibus gentibus ad vitam prædeſtinati ſunt æternam, omnibus ſcandalis de eccleſia Chriſti per Angelorum officia eiectis, vniti capiti ſuo vnam laudem omnia membra concorditer & perpetuò cantabunt. Notandum quoque eſt, quod non ſolum lauda litera hic per quatuor loca poſita, CXX. numerum in ſuo ſolo charactere oſtendit, XXX. per ſingulos, ſed etiam verſus ipſi, qui in illa conſcripti ſunt, vnuſquiſque triginta literas continet. Eſt quippe verſus hic in ſuprema laudarum: *Eſt orbi toto Domini nam paſſio vita.* Iſte quoque in infima: *Arua Crux vna ſpes libertatis ab ira.* Hic namque in dexteriore: *Lux læta lucet diuino munere plena.* Atque hic in ſiniſteriore: *Veracis nutu ſignas & præmia regni.*

XXI. Figura. De ſeptuagenario numero & [illegible] ſignificationibus.

Lexquoqueveradeivincendaeſtſortebeata
Eccecruciscriſtiquaſoluiturorbisabira
Duciturad vitamportumcapitatquequietis
Aruigenaeprimilapſumpoſtnaufraguſipſe
Namquiaperuetitummorsvicitnoxialignum
Etgenushumanumferalateabſumpſeratomne
Faucibusamortisperlignumtolleretvthoc
Iurecrucisplacuitreparantiponerepalum
Direquodqueatroxmadidogluttiueratal uo
Euomeretſiccoluceretqehincdebitepoenas
Inuaſitrapuitdominatumquodmaletruxfur
Idvoluitſignaremodisindogmateſcriptis
Teſtamentorumdeusauctoropuscrucisipſe
Praedixitdocuitſeſeetcompleſſefatetur
Magnipotenscruxhincideoſetotacoruſcam
Excipereinlucemmonſtratdatcalledicato
Ritefarosiuſtiſecunctaperaerateſtans
Gentesacpopulosadcelſaetprouocataſtra
Exemptosnotatetnoctisornatualacresſcit
Nonparuumfacerehincetregniducitadalta
Hoſtefitexpulſovictrixnecfallitinarte
Sedſolumgenerisdominansmiraculaſiſtit
Omniaregnaſibipropterſuadonaminiſtrat
Deuotaetplacidamanſuetaquietaredempta
Quodhabetenlinguaſorbisetiuraloquelae
Hocnumeroſignataditumuenientibusatque
Tramitishocpanditſaluatordiſcipulorum
Namoctiesvtnouiesvarietosdiciturorbis
Hincquenouempiereliquiasinlucebeatum
Spirituumdaturoctauavtſupplerecreator
Vellitritediehocetclauderesaeculafine
Omnianamqorbisſceleraconſumpſitinipſo
Flammiuomocrucisardorepatiendocreator
Sedtamenexcarnisparteaſtdiuinareluxit
Naturainſcriptoſobriumproduxitetortum
Legemnempeſuamcrucisordinefecitamatam
Iureleuemſuauemetſcandendimuneneditem

LIBER PRIMVS.

Lex quoque vera Dei vincenda eſt ſorte beata
Ecce Crucis Chriſti, qua ſoluitur orbis ab ira,
Ducitur ad vitam, portum capit atq; quietis
Aruigenæ primi lapſum poſt naufragus ipſe.
Nam quia per vetitum mors vicit noxia lignum,
Et genus humanum fera latè abſumpſerat omne,
Faucibus à mortis per lignum tolleret vt hoc:
Iure Crucis placuit reparanti ponere palum
Diræ, quodq; atrox madido glutiuerat aluo,
Euomeret ſicco, lueretq; hinc debita pœnas:
Inuaſit, rapuit dominatum quod malè trux fur,
Id voluit ſignare modis in dogmate ſcriptis
Teſtamentorum Deus auctor, opus Crucis ipſe
Prædixit, docuit ſeſe & compleſſe fatetur
Magnipotens: Crux hinc ideo ſe tota coruſcam
Excipere in lucem monſtrat, dat calle dicato
Rite faros iuſtis ſe cuncta per aera teſtans:
Gentes ac populos ad celſa & prouocat aſtra,
Exemptos notat, & noctis ornatu alacres ſcit
Non paruum facere, hinc & regni ducit ad alta.
Hoſte fit expulſo victrix, nec fallit in arte,
Sed ſolum generis dominans miracula ſiſtit.
Omnia regna ſibi propter ſua dona miniſtrat
Deuota, & placida, manſueta, quieta, redempta:
Quot habet en linguas orbis, & iura loquelæ,
Hoc numero ſignat aditum venientibus, atque
Tramitis hoc pandit Saluator diſcipulorum.
Nam octies vt nouies variet os dicitur orbis,
Hincq; nouem piè relliquias in luce beatum
Spirituum datur octaua, vt ſupplete creator
Velit ritè die hoc, & claudere ſæcula fine.
Omnia namq; orbis ſcelera conſumpſit in ipſo
Flammiuomo Crucis ardore, patiendo creator,
Sed tamen ex carnis parte aſt diuina reluxit
Natura inſcripto, ſobrium produxit & ortum:
Legem nempe ſuam Crucis ordine fecit amatam,
Iure leuem, ſuauem, & ſcandendi munere ditem.

DECLARATIO.

Hanc igitur figuram plenam esse mysterio oportet intelligi, in qua per quatuor heptagonos LXXII. numerus demonstratur, secundum cuius pluralitatem gentiū linguas diuisas esse vera opinio est, & libros canonicos veteris ac noui testamenti intra eius summam comprehensos esse, non dubium est. Designauit autem & ipse Dominus, exceptis XII. Apostolis, alios LXXII. discipulos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem locum & ciuitatem, quò erat ipse venturus, vt numerus designatorum discipulorum concordaret multitudini gentium, & diuisioni linguarum, quatenus omnes gentes fidei lumen perciperent, & gratiæ Christi mererentur esse participes. Sicut ergò XXIV. horis totus orbis peragitur atque illustratur, ita mysterium illustrandi orbis per Euangeliū trinitatis in LXXII. discipulis intimatur. Vices enim quater terni septuagies dipódius. Sed hæc distributio aptè figuræ sanctæ Crucis mácipatur, quia per ipsam sacramentorum Christi dispensatione totus orbis glorificatur, ipsa in quatuor heptagonis hanc mysterij rationem notat: quia ipsa in IV. sancti Euangelij libris diuina charismata per IV. plagas orbis dispensat: ipsa in vtroque tramite, id est, in eo qui sursum & in eo qui transuersum vadit, per duos heptagonos sexies senarium ostendit, quia omnem perfectionem per se nobis prouenire siue in longanimitate spei, siue in amplitudine charitatis, seu in perseuerantia bonæ actionis, seu in celsitudine contemplationis, satis nobis annuit. Ipsa in toto octies nouenarium in se multiplicatum continet, quia ex omnibus gētibus in octenario numero, hoc est, corporum resurrectione ad augmētum nouem ordinum Angelorum, electos Dei peruenire edocet. O verè bona & verè sancta Crux Christi, quis te ritè totam enarrare potest? aut quis condignè laudare, quæ cælestium arcanorum pia es reuelatrix, quæ mysteriorum Dei sacra es conseruatrix, quæque sacramentorū Christi idonea es dispensatrix. In te Angeli gaudia sua accumulata conspiciunt, in te homines iura salutis suæ cognoscunt, in te inferi iustam retributionem fraudis suæ percipiunt. Omnibus æqua es, omnibus bona, omnibus iusta, præterita renouas, præsentia illustras, futura præmonstras, perdita requiris, quæsita inuenis, inuenta custodis, lapsa restituis, restituta gradu munis, munita in viam pacis dirigis. Tu quidem æterni regis es victoria, & cælestis militiæ lætitia, terrigenarumque potentia, tu peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, & meritorum augmentatio, infirmorum remedium, laborātium auxilium, & lassorum refrigerium, sanorum incolumitas, quietorum serenitas, & fortunatorū fœlicitas. Tu Crux ægrotos medicans, tu gaudium mœstos consolans, tu sanitas dolentes lætificans, tu status credentium rectè, tu firmitas operantium benè, tu beatitudo perseuerantium ritè. Sancta, pia, bona, iusta, benigna, rationabilis, laudabilis, venerabilis, amabilis, fortis, suauis, mitis, sapiens, patiens, potens. Quicquid ergò dignè corde de redemptione nostra potest cogitari, vel quicquid lingua ritè loqui, omnia ad laudem tuam decentissimè possunt aptari: quia quicquid in te laudatur, crucifixo in te Christo regi deputatur, & quicquid Christo honoris datur, ad reuerentiam summi patris refertur, cuius ipse vnigenitus filius est, de quo ipsa veritas in Euangelio testatur: Qui me recipit, inquit, recipit eum qui me misit. Et item: Qui me spernit, spernit eum qui me misit, & qui non honorificat filium, nō honorificat & patrem. Omnis quippe qui negat filium, nec patrem habet: qui autem confitetur filium, & patrem habet: quorum simul cum sancto Spiritu vna est maiestas, vna potestas, honor & claritas in sempiterna sæcula. Est namq; versus in erecta crucis parte, id est, in duobus heptagonis à summo deorsum descendens, & per transuersum heptagonorum legendus hic: *in cruce lex Domini decoratur luce corusca.* Alter in transuersa eius parte in duobus heptagonis comprehensus, & similiter per transuersum eorum legendus iste: *Gentes & linguæ sociantur laude sacrata.*

XXII. Figura De monogrammate, in quo Christi nomen comprehensum est.

Cristus amor votum mihi quipia munera dat haec
Carminis hic pretiũ hic via portio fida q'ietis
Qui bona cuncta probans ope tanta et talia rite
Dona suis famulis largitur ad istaque cunctos
Hortatur miserans spondet pie conditor arcem
Iam posse impetrare poli sceptra altaq'e regna
Si spes firma fides summi et cupit hic ea sancte
Castus amor nec amat memorans haec perdit orsa
Dona qidem haec veniens huc orbem lite iucunda
Sparserat in mundo anteriore valentia fructu
Quo docuit mundum dedicans ne in deteriora hic
Praeceps mallet abire loca dans iura magister
Noscere euangelii et dirum ansuescere morem
Vt deus arce poli et iustus cum aduenerit istuc
Auctor ab aetherei iustis dare praemia patris
Dextra tunc meritis capiat bona munera dignis
Iste quidem numerus sanantis signat vtrumque
Aduentum domini hinc arcebat quando tyrannum
Quando vir hic factus tanta bona reddidit orbi
Post q; e suum cunctis baptisma proba edditore
Huc summ oest quando saluans patre iustiturus
Iudex et homo sa[illegible]ixi s tum proemia sancta hinc
Fert prius his alto dare et vs q videre superni
Nempe sacram faciem quos verus nunciat auctus
Esse bonis meritis psallendum cantica partos
Quae cantare solet sors alma vt scripta serena
Apocalypsis habent dilucida ibi agmina ferre
Gloria virtus excelso omne die atq e per aeuum
Allelui a sonat quis o h ca mena u laerit haud hac
Et deus et dominus placandus noster vbique est
Quod iuuet is nos scriptio vt alma est aeris arce
Cũ apparebit ouans seruorum hinc et rapit almi
Turba nihil perdens a scandala inabmouet ira
Deuotos famulos frumenta vt mittat in horreum
Felix qui valet atqe licet cui scandere caelum
Et laetum domini bene christi intendere vultum
Cui manet altus amor perfectio redditur omnis
Angelicisque choris permixtus gaudet vbique
Laudibus et certat cantando psallere christo
Cantica rite noua hoc studium deponere nescit
Regna quia aeterna sic tum et bene gaudia nouit

LIBER PRIMVS.

Christus amor votum mihi, qui pia munera dat hac
Carminis, hic preciem, hic via, portio fida quietis:
Qui bona cuncta probans ope, tanta & talia ritè
Dona suis famulis largitur, ad istaque cunctos
Hortatur miserans, spondet piè conditor arcem
Iam posse impetrare poli sceptra, altaque regna,
Si spes, firma fides summi, & cupit hic ea sanctè
Castus amor, nec amat memorans hæc perditus orsa.
Dona quidem hæc veniens huc orbem lite iocunda
Sparserat in mundo anteriore valentia fructu
Quo docuit mundum dedicans, ne in deteriora hic
Præceps mallet abire loca, dans iura magister
Noscere Euangelij, & dirum mansuescere morem.
Vt Deus arce poli & iustus, cum aduenerit istuc
Auctor ad ætherei iustis dare præmia patris,
Dextra tunc meritis capiat bona munera dignis.
Iste quidem numerus sanantis signat vtrumque
Aduentum Domini, hinc arcebat quando tirannum,
Quando vir hic factus tanta bona reddidit orbi,
Postque suum cunctis baptisma proba edidit ore.

Hunc summo est quando saluans patre iustus iturus
Iudex, & homo sal pie istum præmia sancta hinc
Fert prius hic alto dare, & vsque videre superni
Nempe sacram faciem quos verus nunciat auctus
Esse bonis meritis psallendum cantica partos:
Quæ cantare solet sors alma, vt scripta serena
Apocalypsis habent, dilucida ibi agmina ferre
Gloria, virtus, excelso omne die atque per æuum
Alleluia sonat, quia oh tamen aula erit haud hac
Et Deus & Dominus placandus noster vbique est,
Quod iuuet is nos scriptio, vt alma est aeris arce
Cum apparebit ouans seruorum hinc, & rapit almi
Turba nihil perdens ac scandala inabmouet ira
Deuotos famulos frumenta vt mittat in horreum.
Fœlix qui valet atque licet cui scandere cælum,
Et lætum Domini benè Christi intendere vultum:
Cui manet altus amor perfectio redditur omnis,
Angelicisq; choris permixtus gaudet vbique
Laudibus, & certat cantando psallere Christo.
Cantica ritè noua hoc studium deponere nescit:
Regina quia æterna sic tum & benè gaudia nouit.

DECLARATIO.

QVid itaque hæc figura sit, & quid significet, vt exponatur necesse est. Vna quidem ista est figurarum, quæ appellantur notæ sententiarum, specialique vocabulo hæc à græcis vocantur chrisimon, ex voluntate vniuscuiusq; ad aliquid notandum inuenta. Sed maiore dignitate à christianis ad exprimendum nomen Christi assumitur, quasi duæ literæ primæ nomine eius vno monogrammate simul sint comprehensæ, id est, X. & P. Cur autem modò à nobis in hoc opus sit assumpta, hæc ratio est: Notatur enim in ipsa ille numerus dierum, quo prædicasse mundo Christus creditur, & ille qui ante aduentum eius secundum, ab antichristi temporibus vsque ut finem mundi futurus, secundum Danielis prophetiam ab orthodoxis ecclesiæ magistris expositus est, vt in P. litera prior numerus, id est, M. CC. LX. quod sunt III. anni & semis, inueniatur, quo temporis spacio Christus mundo prædicasse cognoscitur. Menses enim trium semis annorum, id est, tricies quadrageni & bini, M. CC. LX. dies efficiunt, sub quo numero ciuitas sancta calcari à gentibus in Apocalypsi describitur, & mulier à facie draconis fugere in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascatur eodem numero dierum, qui numerus mysticè omnia christianitatis tempora complectitur, vt patrum habet firma traditio. Quia Christus cuius hoc corpus est tantum in carne temporis prædicauerit, quo siue sub spe æternorum peregrinatione præsentis eremi gaudet, seu persecutionis molestiam ab infidelibus vel à falsis fratribus patitur. X itaque litera illum numerum continet, quem Danielis prophetia prædixit in antichristi tempore futurum, id est, M. CCC. XXXV. dies. Ita enim ibi scriptum est: Et beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies M. CCC. XXXV. Quod beatus Hieronymus ita exponit: Beatus, inquit, qui interfecto antichristo supra M. CC. XC. dies, id est, tres semis annos, dies XLV. præstolatur, quibus est Dominus atque Saluator in sua maiestate venturus. Quare autem post interfectionem antichristi, XLV. dierum silentium fit, diuinæ scientiæ est, nisi fortè dicamus: Dilatio regni sanctorum probatio est patientiæ. Sed quia manifestior ratio est suprà dicta, si ipsas literas, quæ in hac figura conscriptæ sunt & positione sua monogramma conficiunt, simul cum earum numero secundum ordinem conscribamus, spacium calamo ad hoc concedatur. Literæ autem in P. positæ hoc sonant, O. COTHP. IHCYC. AΛHΘIA tria videlicet nomina Christi, quæ latinè interpretantur, Salutaris, Saluator, Veritas. Sed duo nomina græca posteriora integra serie literarum conscripta sunt, id est: IHCYC. & AΛHΘIA. Tertium autem, id est, COTHP. secundum morem græcæ conscriptionis tribus (excepto O articulo) literis notatur, C. scilicet, H. & P. & ita fiunt omnes literæ, quæ in P. conscriptæ sunt, numero XV. quarum prima est O numerum notans LXX. secunda C. CC. significans, tertia H. cum VIII. numero, quarta P. centum exprimens, quinta I. decem, sexta H. octo, septima C. CC. octaua Y. CCCC. nona C. CC. decima A vnum, vndecima Λ. XXX. duodecima H. VIII. tertiadecima Θ. IX. quartadecima I. X. quintadecima A. vnum demonstrans. Quæ copulatæ omnes, faciunt numerum M. CC. LX. & adhuc remanent ad supradictam plenitudinē numeri V. quæ in ipso adhuc caractere P. inueniri possunt, ita, si diuidatur ipsum P. id est, vt suprema pars, quæ in se imaginem Δ. literæ habet, quaternarium numerum signet, & infima, quæ I. latinam format, vnū numerum potestate Latinorū ostendat, & ille millenarius & ducentenarius & sexagenarius numerus in P. inuenitur. X. autem, quæ altera pars est monogrammatis, tria nomina similiter continet Dni, in octo literis conscripta, id est, ΘEOC. XPHCTYC. IHCYC. Literæ aūt hæ sunt Θ. IX. exprimēs, C. CC. X. DC. P. C. C. CC. I. X. H. VIII. C. CC. denotans, qui simul fiunt M. CCC. XXVII. & adhuc remanent VIII. qui augentur, si H. litera quæ in medio literarum octo sita est vicem claui obtinens, cum numero octonario de P. addatur. Sunt quoq; tres versus in monogrammate, in maioribus literis cum minoribus intus conscripti, quorum primus ab O. incipiens per omnes maiores literas in circuitu vadit, quæ Δ. figuram supra in P. ostendunt, & duo nomina græca tenēt, hoc est, O. COTHP. IHCYC. in nouem literis comprehensa: *Nam alma decet radiant scripta hinc quod nomine Christi.* Secundus quoque in reliqua parte P. id est, in linea, quæ recta deorsum vadit, & nomen AΛHΘIA. tenet, in sex literis græcis scriptus est, iste: *Sancta salutaris laudat hæc scriptio Christum.* Tertius quoque, qui in X. litera VIII. literis in quibus sunt tria nomina notata, hoc est, THEOC. XPC. IHS. continet ita: *Christus homo est placidus nempe arbiter hic quoque mundi est.*

XXIII. Figura. De numero vicenario & quaternario, deque eius sacramento.

Nobiliseccemicatflosregisnominepictus
Atqenotisſignantvictorisfactapotentis
Cornualaetacrucistrinoſicconditaverſu
Qaenumerantſexinſigniqaterartemonades
Perfectumqudecusoſtenduntrebusineſſe
Omnib:omnipotensquascondiditatq:redemit
Claradiesillaeſtqaconditoromniafinxit
Nonminushaeclucetdoctorqacunctabeauit
Tumbonacunctabon:conpleuitfactacreator
Nuncpiacunctapiusoperabenedixitamator
Quattuorergoplagaslaudatſenariusorbis
Sexmicatinnumerisperfect:prim:etipſeeſt
Diuiditipſediemtotumconſtringitetipſe
Annimenſiſq:biſſextilisatquequadrantis
Hicnumeratoradeſtattollenstemporanutu
Saeculafinecapitetclauditlimitemundum
Vitamperpetuamtuncregnaetlucidaductor
Datſuperaſtrapiisdimittensdebitavultu
IndereconſignansIeſuspiapraemiaſciſtu
Exomnimundohisquostantaddonacoruſcans
Conduxitfideiluxviuusetindidithauſtus
Verusamordecoratiuſtibeatatq:opusalmum
Ergoplagisorbisconſignatabomnib:aſthic
Adpoſitusnumerusenundiqepergereplebes
Adcrucisauxiliumpianuminapoſcereieſus
Perfectumq:decusperfectodogmatediſcant
Perfectaefideiqodfactabenignaſeqantur
Omnianempedeumverumhaecteſtanturvbiqe
Perfectumperfectaqidemformonſadecorum
Quaevertigopolitornatqaeconditolympus
Quaemareqaetellusqaecaelicontinetaula
Aſtquoquenoshominesinrebusportioparua
Ritecrucemcantuſaluantemetvoceſonemus
Quibenenosfecitquiqauxitquiqueredemit
Carmineetincelebricrebroscantem:amores
Quosſatisipſeoperesacroettutaminenobis
Iaminpenditſuaſitiuſſitoſtenditamauit

LIBER PRIMVS.

Nobilis ecce micat flos regis nomine pictus,
Atque notis ſignant victoris facta potentis
Cornua læta Crucis, trino ſic condita verſu:
Quæ numerant ſex inſigni quater arte monades
Perfectumque decus oſtendunt rebus ineſſe
Omnibus, omnipotens quas condidit atque redemit.
Clara dies illa eſt, qua conditor omnia finxit:
Non minus hæc lucet doctor qua cuncta beauit.
Tum bona cuncta bonus compleuit facta creator:
Nunc pia cuncta pius opera benedixit amator:
Quattuor ergo plagas laudat ſenarius orbis:
Sex micat in numeris perfectus primus & ipſe eſt,
Diuidit ipſe diem totum, conſtringit & ipſe
Anni menſiſque biſextilis atque quadrantis
Hic numerator adeſt, attollens tempora nutu.
Sæcula fine capit, & claudit limite mundum,
Vitam perpetuam tunc regna & lucida ductor
Dat ſuper aſtra pijs, dimittens debita, vultu
Indere conſignans Ieſus pia præmia, ſcis tu
Ex omni mundo his quos tanta ad dona coruſcans
Conduxit fidei lux, viuus & indidit hauſtus.
Verus amor decorat iuſti beat atque opus almum:
Ergo plagis orbis conſignat ab omnibus aſt hic
Adpoſitus numerus en vndique pergere plebes
Ad Crucis auxilium, pia numina poſcere Ieſus
Perfectumque decus perfecto dogmate diſcant,
Perfectæ fidei quod facta benigna ſequantur.
Omnia nempe Deum verum hæc teſtantur vbique:
Perfectum perfecta quidem, formoſa decorum
Quæ vertigo poli tornat, quæ condit olympus,
Quæ mare, quæ tellus, quæ cæli continet aula:
Aſt quoque nos homines in rebus portio parua,
Ritè Crucem cantu ſaluantem & voce ſonemus.
Qui benè nos fecit, quique auxit, quique redemit,
Carmine & in celebri crebros cantemus amores,
Quos ſatis ipſe opere ſacro & tutamine nobis
Iam impendit, ſuaſit, oſtendit, iuſſit, amauit.

DECLARATIO.

ECce Crucis Domini quatuor cornua senarius numerus decenter concludit, & totam perfectionem perpetrati operis ostendit: quia in ipsa rerum conditor consummationis suæ fecit iudicium, cum accepto poculo, cōsummatum est, dixit. Rectè enim consummatum esse scriptum est, vbi humanum genus liberatum est: quia non solum hominibus passionis Christi factum profuit, cum ipsi redemptionis gratiam consecuti sunt, sed etiam cælestibus Angelorum turbis, cum in eo numeri sui plenitudinem adepti sunt. Quater enim seni XXIV. reddunt, quo numero horarum cælestis spheræ ambitus circumfertur, & naturalis diei cursus iudicio siderum circumeuntium deprehenditur, quo numero libri veteris testamenti in canonicam auctoritatem apud hebræos recipiuntur. Ruth & Cynoth librorum vice connumeratis, quo numero in sortes leuitica tribus per Dauid distributa est, & cunctos filios Aaron per vices Deo ministrare decretum est, & meritò, vt numerus electorum pontificum præmonstraret æternum Christi sacerdotium, qui pontifex factus secundum ordinem Melchisedech, in ara crucis immaculatam se obtulit hostiam Deo, agnum videlicet illum qui abstulit peccata mundi, cuius sanguinis aspersione sancta & sancta sanctorum mundata sunt, & vera expiatione peccatorum omnium sordes ablutæ sunt. Huius eiusdemque numeri seniores in circuitu sedis illius potentissimæ, de qua Apocalypsis narrat, vnde procedunt fulgura, voces & tonitrua, sedisse describuntur, ecclesiam videlicet designantes per geminum testamentum de Patriarchis & Apostolis generatam, quæ ob iudiciariam eius in Christo dignitatem in circuitu illius sedisse cernitur. De qua dicit Saluator regni sui potentiam demōstrans: Et ego, inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Traxit quippe ad se cuncta Saluator, cum in Cruce positus, omnem sibi subiecit potestatem, de qua resurgens tertia die, discipulis suis locutus est: Data est, inquit, mihi omnis potestas in cælo & in terra. De qua Apostolus testatus est: Christus, inquit, factus est pro nobis obediens patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Hiesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Hiesus in gloria est Dei patris. De throno ergò isto procedunt fulgura, voces & tonitrua, quia post passionem saluatoris, resurrectionem & ascensionem ad cælos, discipuli eius, sicut Marcus scribit, profecti, prędicauerunt vbique Deo cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Quorum vnus congregatis aduersum se iudęis magna auctoritate respondit: Notum sit, inquit, omnibus vobis & vniuersæ plebi Israel, quia in nomine Hiesu Christi Nazareni, quem crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et doctor gentium Corinthiis ait: Non enim iudico aliquid me inter vos scire nisi Christum, & hunc crucifixum, & reliqua. Et item ad Galatas ait: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Hiesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Sunt quoque in quatuor trigonis circa Crucem, quatuor nomina triumphatoris cælestis conscripta, quæ sancta Crux in modum foliorum repandi lilij per cornua dilatat, & à medio scilicet sui incipiens, hoc est, à duobus nominibus, Christus Hiesus, ita quidem vt in arce crucis sint & in imo duo nomina vice filiorum, id est, fortis, virtus, atque in dextera & sinistra alia duo, id est, victor, clarus, sicque duo versus scripti inueniuntur in cruce ab vno trigono in alium, quorum iste est textus in longitudine: *Fortis complens Christus sua famina virtus.* In latitudine quoque: *Victor consignans Iesus pia præmia clarus.*

XXIV. Figura. De numeto centenario, [illegible], quaternario, eiuſque ſig[illegible].

Atnuncvoscantatenouumbenedicitecriſto
Plebscantumdilectadeoſanctiſſimusordo
Pſallitenonaliisvosmetimitabilecarmen
Immortaledecuseacleſtehocantetribunal
Antequaterſaenosſenioresquattuoratque
Diuerſaeformaeanteanimaliaiureſuperna
Primitiaechriſtoinmaculatonuminisagno
Atqedeoveroimmaculataeetſortishonores
Eſtisvosemptaeqecohortesſang'inìsoſtro
Caeloexterr.igeniscantatisritetropaeum
Citharismodulansastvultumlaudeſerenat
Veſtramanusſacravocib:atriarepletvbiqe
Ceuvocestonithrufusisclamoribusaetram
Tanquametmultarumvallesvoxrepletaq'arum
Linguaqeveſtradoliignaran.ecnouitiniqa
AntethronumdominisCitisſeddiceredigne
Laudescarminaetartatisbenehicveparati
Perſignaquaenonſpernitveſtergremiorex
NãhocnullusdiffVditduXnisolusetauetor
Inderiſofamineqihocmodoſplendidadonat
Munera'cantatehincilleprobusordopiique
VirgineoinhabitumaResqoq:feminalactans
Infansatq.anuspariteriuuenesqeſenesque
Qinonpolluteſtisnexuumquammulierumhic
Q'apropteriamitisvbiiuſtisproemiadonat
Omnipotenspergitiesusquovirginisagnus
Inpratisdepaſcitouatquemriteſequentes
Sideraecelſaſuperopaſcuapaſcitisagriet
Nunciam'veſtracapitvirtutempraemiavita
Ireſtolamqamvirginise'nresattulitvnam
Nempealiaminfineagnuscumcorporereddet
Poſcitepoſcoerucisvosmetperſignabeata
Opopuliturmaeplebsagminaturbacohortes
Quiſuperaſtralocumſedesq:tenetisinaree
Quodnobisveſtralausrexetconferatagnus
Praemialaetadeuscumſanctisluceeſuperna
Audirevtliceatveſtrumperſaeculacantum

LIBER PRIMVS.

AT nunc vos cantate nouum benedicite Chriſto
Plebs cantum, dilecta Deo, ſanctiſſimus ordo,
Pſallite non alijs voſmet imitabile carmen,
Immortale decus cæleſte hoc ante tribunal,
Ante quater ſenos ſeniores, quattuor atq;
Diuerſæ formæ ante animalia, iure ſuperna
Primitiæ Chriſto, immaculato numinis agno
Atque Deo vero, immaculatæ & fortis honores:
Eſtis vos emptæque cohortes ſanguinis oſtro:
Cælo ex terrigenis cantatis ritè tropheum.
Cytharis modulans aſt vultum laude ſerenat:
Veſtra manus ſacra vocibus atria replet vbique,
Ceu voces tonitru fuſis clamoribus æthram:
Tanquam & multarum valles vox replet aquarum, .
Linguaq; veſtra doli ignara, nec nouit iniqua:
Ante thronum Domini ſcitis ſed dicere dignè
Laudes, carmina, & artatis benè hic ve parati
Per ſigna, quæ non ſpernit veſter gremio rex.
Nam hoc nullus diffu dit dux ni ſolus & auctor,
Inderiſo famine qui hoc modo ſplendida donat.
Munera cantate hinc ille probus ordo, pijque
Virgineo in habitu mares, quoque fœmina lactans,
Infans, atq; anus pariter, iuueneſque, ſeneſque,
Qui non polluti eſtis nexu vnquam mulierum hic.
Quapropter iam itis vbi iuſtis præmia donat
Omnipotens, pergit Hieſus quo virginis agnus,
In pratis depaſcit, ouat, quem ritè ſequentes
Sidera celſa ſuper ô paſcua paſcitis agri: &
Nunc iam veſtra capit virtutem præmia vita,
Iure ſtolam, quam virginis en res attulit vnam,
Nempe aliam in fine agnus cum corpore reddet.
Poſcite poſco Crucis voſmet per ſigna beata
O populi, turmæ, plebs, agmina, turba, cohortes,
Qui ſuper aſtra locum ſedeſque tenetis in arce:
Quod nobis veſtra laus rex, & conferet agnus
Præmia læta Deus, cum ſanctis luce ſuperna:
Audire vt liceat veſtrum per ſæcula cantum.

DECLARATIO.

Continet ergo hæc figura sanctæ Crucis in quatuor pentagonis formata, numerum CXLIV. literarum, in quatuor versibus conscriptum · secundum cuius pluralitatem millenario multiplicato in Apocalypsi multitudo illa signatorum, ex omni tribu filiorum Israel computatur, numerusque ille albatorum, qui cum agno super montem Sion stabant, denotatur: primo videlicet in signatorum millibus innumerabilis significatur totius Ecclesiæ multitudo, quæ de Patriarchis, vel prosapia carnis, vel fidei est imitatione progenita. Si enim, inquit, vos Christi, ergò Abrahæ semen estis. Ad augmētum autem perfectionis pertinet & ipsa XII. duodecies multiplicari, & ad summam millenario perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus, significans stabilem Ecclesiæ vitam. Ex quo igitur Dominus passus est, contritum est imperium mūdani principatus, ¶& ad hoc gentium confractum est imperium, vt signo fidei cui restiterant facies sanctorum liberè denotarentur. Signum itaque fidei est Crux Christi, ad cuius similitudinem Tau litera formata est, de qua in Ezechiele ita scriptum est: Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat subter eum ad limen domus, & vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis, & dixit ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. Et dixit illis audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini, senem, adolescētulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite, vsq; ad internecionēm, omnem autem super quem videritis Tau ne occidatis, & reliqua. Rectè enim omnis iniquus mucrone infidelitatis interficitur, qui signum fidei bono opere in semetipso ostendere neglexisse conuincitur, & meritò iustè quisq; bonorū opus operando per Crucis Christi potentiam liberatur: quia Domini fidem, quam in baptismo percepit, inuiolatam vsque in finem mandata Christi implendo conseruasse cognoscitur. Deinde grex ille dealbatorum in eiusdem numeri quantitate annumeratur, & sanctæ virginitatis in electis copiosa numerositas intimatur. Sed finitum tamen numerum pro infinito hic positum, quisq; sanum sapiens intelligere debet: secreti significatione mysterij virginali aptum examini, quod Deum ex toto corde, ex tota anima, totaq; mente diligens, corporis quoque, quod ex IV. constat elementis, illi est integritate sacratus, ter enim terni IX. & quater quaterni XVI. sedecies autem nouem CXLIV. implent, vt cum de his qui in arctioris vitæ gradu constituti, meritò in Sion monte cum agno tam perfecta multitudo cernatur, de cæteris Ecclesiæ membris non dubitetur. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores, & reliqua. Illi quasi cythara sua cantant Deo, qui angelicæ priuilegio castitatis totos se Domino faciunt holocaustum, & tollentes crucem suam sequuntur agnum quocunque ierit, cantabuntque quasi canticum nonum, quod nemo alius potest canere: quia singulariter canticum agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cūnctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licèt dicere nequeant: quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt: quamuis ad eorum præmia non assurgant. Vetus quidem erat canticum. Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. Et item: Crescite & multiplicamini & replete terram. Nouum enim est, Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Et item idem Propheta dicit: Et non dicat eunuchus, ecce lignum aridum; hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierunt sabbata mea, & elegerunt quæ volui, & tenuerunt fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Et itē: Beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt, & reliqua. Habent quippe nomē eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis: quia in confessione sanctæ Trinitatis dedicata Ecclesia fronte sua fidei suæ gestat insigne, quod per sanctæ Crucis mysterium in christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur. Ecce vnusquisque IV. pentaganorum, XXXVI. literas continet: sed non ideo quòd hic numerus quinque angulórum figuram facit. Nam XXXV. pentagonus est: sed ad intimādum aliquod sacramentum ita positus est. Quinarius ergò legem signat, & quaternarius Euangelium: at quatuor pentagoni cum adhærentibus sibi quatuor vnitatibus IV. cornua complent: quia passione Christi & resurrectione completa lex simul & Euangelium, in totam mundi latitudínem prædicanda doctoribus commissa sunt: vnum in exemplū datos vtriusq; testamenti patres, fideles vbique in vniuerso orbe castitatem seruando imitare satagebant, qui agno sociati super montem Sion quasi canticum nouum in cytharis suis cantabant. Ergò quatuor vnitates quæ pentagonis extrinsecus adhærent, in quatuor literis vnum nomen conficientibus, id est, Crux, demonstrauimus: vt & pentagonis suis ad versus complendos cohærerent, & ad ius suum demonstrandum sibi mutuo vno nomine necterentur. Est quoque hic versus in eminentiori parte Crucis: *Immaculata cohors cantas tu vocibus illic.* Et in ima hic: *Rex vbi Iesus ouat quo pascit virginis agnus.* In dextera verò iste: *Carmina quæ nullus diffuso famine cantat.* Et in sinistra iste: *Hic vester grex est solus & splendidus ordo.*

XXV. Figura. De Alleluia, & Amen, in crucis forma ordinatis.

Lauspiaperpetuaſanctoruminluceſuperna
Aſſisterrigenisaliquidquoddiceredigne
Iamdetevaleantauidaqueimpleredecenter
Orabonispoſſintmodulisetcantibusalmis
Nempeegotececinicruxiſtoincarmineviuo
Verſibusexoptanscantandoetreddderevota
Sedtucunctaſuperexcellensmuneranoſtra
Maieſtatepotensvinciſterreſtriavincis
Sideracelſapolinecſatvaletvllushonori
Namquetuofacerecondignanecaddereverba
Temptauiqueideohicexcaelismyſticavoto
Ducereverbatibicontemplansaptafigurae
Diſpoſuiſignisdiſperſoettramitecantus
Inſeruiangelicosintexietverſibusaptis
Nempeameninmediovitaeſignaculaſpondet
Alleluiacruciscircumdanscornuacomplet
Etſacrameffigiemcaeleſticarmineſignat
Namiuſtihincſceptradeuotetmuneratota
Exſuperantnarrantesnuncſpeiardorvtore
Immiſſusbonadetpalmaeetmorsillaremota
Aufugiatprimamnocuitquaeliuidaſtirpem
Humanigeneristruculentaabſorbuitatque
Progeniemtotametdetraxitinimaprofundi
Atnosquotquotamorincaeloseleuatiſtinc
Riteſacrumdominiplacemuscarminevultum
Carminenamq;illoquoderitinſedibusaltis
Qodcantantiuſticantabuntperpetevotoet
Hoctumriteplacetſiimplem:iuſſatonantis
Mentibusetſpeciefactisetfaminelinguae
Namtantumſermohaeciuſtinonpraemiacara
Accipietſedverabeneperfaminavirtuscum
Haeclausnonbonalausſedverifictiofalſa
Sitquaemagnacanitaltavultparuameretur
Ergoagevoscriſtumlaudatefideliterodis
Caeleſtespopulivirtutesvosquepotentes
Iuſtorumetplebesq;incaeliſiſtitisarce
Pſalliteamenalleluiaperſaeculachriſto

LIBER PRIMVS.

Aus pia perpetua ſanctorum in luce ſuperna
Aſſis terrigenis, aliquid quod dicere dignè
Iam de te valeant, auidaque implere decenter
Ora bonis poſſint modulis, & cantibus almis.
Nempe ego te cecini Crux iſto in carmine viuo,
Verſibus, exoptans cantando & reddere vota.
Sed tu cuncta ſuper excellens munera noſtra
Maieſtate potens, vincis terreſtria, vincis
Sidera celſa poli, nec ſat valet vllus honori
Namq; tuo facere condigna, nec addere verba:
Temptauiq; ideo hic ex cælis myſtica voto
Ducere verba tibi, contemplans apta figuræ:
Diſpoſui ſignis, diſperſo & tramite cantus
Inſerui angelicos, intexi & verſibus aptis.
Nempe amen in medio vitæ ſignacula ſpondet:
Alleluia crucis circumdans cornua complet,
Et ſacram effigiem cæleſti carmine ſignat:
Nam iuſti hinc ſceptra deuote & munera tota
Exuperant narrantes nunc ſpei ardor vt ore
Immiſſus bona det palmæ & mors illa remota
Aufugiat, primam nocuit quæ liuida ſtirpem
Humani generis truculenta abſorbuit atque
Progeniem totam & detraxit in ima profundi.
At nos quotquot amor in cælos eleuat iſtinc,
Ritè ſacram Domini placemus carmine vultum:
Carmine namque illo, quod erit in ſedibus altis,
Quod cantant iuſti, cantabunt perpete voto &:
Hoc tum rite placet, ſi implemus iuſſa tonantis
Mentibus, & ſpecies, factis, & famine linguæ:
Nam tantum ſermo hæc iuſti non præmia cara
Accipiet, ſed vera benè per famina virtus cum:
Hæc laus non bona laus, ſed veri fictio falſa
Sit quæ magna canit, alta vult, parua meretur.
Ergo age vos Chriſtum laudate fideliter odis
Cæleſtes populi, virtutes, voſque potentes
Iuſtorum & plebes, qui in cæli ſiſtitis arce.
Pſallite amen, alleluia, per ſæcula Chriſto.

DECLARATIO.

ISte ergo laus illa, quam ſanctorum vox in cælis creditur perpetuo Deo cantare, ſanctæ Crucis in ſcriptu, imitatur figuram alleluia videlicet & amen, quam Iohannes Apoſtolus & Euangeliſta in Apocalypſi ſcribit, poſt interfectionem & diuerſionem meretricis magnæ, quæ ſeducebat omnes gentes in fornicatione ſua, & cum qua reges terræ fornicati ſunt, ſe audiſſe vocem turbarum multarum deuotè in cælo cecinuiſſe, & ſæpius iteraſſe. Ita .n. ibi ſcriptũ eſt: poſt hoc audiui quaſi vocem magnã turbarũ multarum in cęlo dicentium: Alleluia, laus & gloria & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia eius ſunt, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Et iterum dixerunt alleluia: Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſęculorum. Et ceciderunt ſeniores XXIV. & IV. animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum dicentes: Amen, Alleluia. Et vox de throno exiuit dicẽs: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni. Et audiui quaſi vocem turbæ multæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicẽtium Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus & exultemus & demus gloriam nomini eius, quoniam venerunt nuptiæ, agni & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt byſſinum, vt cooperiat ſe, byſſinum ſplendens candidum, byſſinũ enim iuſtificationes ſunt ſanctorum, & reliqua. Hæc enim omnia licèt prædicta ſint de futuro in cælis ſanctorum gaudio poſt reſurrectionem: tamen ea iam nunc ex parte canit Eccleſia ſpe iam ſalua facta: tunc autem perfectè, cum diſceſſio facta fuerit, & cum apertius vindicata. Poſt vniuerſale ergo iudicium Domini ſeparabuntur penitus ab hædis, & ibunt impij in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Nunc quidem ſanctorum animæ poſt mortem in paradiſum vadunt, & impiorum in pęnam, Domino manifeſtante in paupere & diuite: ſed corpora mundi finem expectant, & dantur nunc iuſtis ſingulæ ſtolæ albæ, cum in animabus ſuis requiem percipiunt æternam: tũc autem dabuntur binæ ſtolæ, quando corpora eorum immortalitate dedita, ſimul cum animabus regnum accipient ſempiternum. Nuptiæ ergo tunc verè apparebunt agni, cùm tota Eccleſia Domino in thalamo regni cæleſtis ſociabitur, & tunc perfectè iſtud frequentabitur canticum, quando totius Eccleſiæ gaudium erit perfectum. Hæc ergò duo verba hebraica, id eſt, Alleluia & Amen, cum interpretari queant, nam alleluia laudare Dominum interpretatur, Amen quoque in fidem ſiue veritatem transfertur, propter reuerentiam tamen ſanctitatis primæ illius linguæ ſeruatur auctoritas: atque alleluia in Dominicis diebus totoque quinquageſimæ tempore, propter ſpem reſurrectionis, quæ in Domini eſt laude futura, continuè canit Eccleſia: Amen verò propter impetrandam eandem perpetuam vitam: imò omne bonum quod in præſenti ſiue in futuro à Domino optat accipere, ad ſacerdotis deprecationem ſeu benedictionem, ritè deuotio reſpondet fidelium. Aptè ergò conueniet ſanctæ Cruci harum dictionum diſpoſitio: quia per ipſam omnium rerum in laudem Domini adunata eſt confeſſio, Angelorum adimpletur numerus, cæleſtis augetur exercitus, ſanctorum congregatur populus, æternæ eis vitæ conceditur aditus, & vetuſta diſſoluitur maledictio, quia noua conditur benedictio. Vnde in memorato libro XXIV. ſeniores & IV. animalia agno decantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine Deus accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes: & regnabunt ſuper terram: & vidi & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni & animalium & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus eſt, agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam quæ in cęlo eſt & ſuper terram & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Eſt autem verſus hic in Alleluia ſcriptus, & per ſeriem literarum eiuſdem dictionis ita legendus: *Crux æterna Dei es laus, viuis in arce polorum*. Amen quoque quatuor literis ſuis per quatuor cornua crucis primum incipit ex Alleluia, literis octo complenda.

XXVI. Figura. De Prophetarum ſententijs, quæ ad paſſionem Chriſti & ad noſtram redemptionem pertinent.

Ergoprophetarumben	e	tecruxfamenhonorat
Praedicatexaltatre	ſ	onattuafactafutura
Inſpirataſacrotunc	p	lebsqodprotulitore
Spiritusetſanctusi	l	lismandaueratintus
Omniacumcriſtumrep	a	rareloquunturetinte
Confixumdominumcon	c	edereregnabenignis
Dauidperfoſasillih	i	cpalmasquepedesque
Dixeratatqecibofel	t	radietpoculoacetum
Dequetuolignoregem	a	ſſeritomnibusipſum
Huicpuerohumeriseſ	ſ	eimperiũorateſaias
Corpuspercuſſumman	u	umextenſumorebeato
Conſputamfaciemper	p	endensfunusetaſtum
Atq:leuatamadtediſp	e	rſoscurrereiſrahel
Hieremiasagnumdeſc	r	ibitceuholocauſtum
Adtractumſinevocep	i	umlignoquecibandum
Hiezechielcernitvi	s	utaugrammateſignum
Eruereplebematq:cru	c	isducentisadinſtar
Sictuſanctaſalusvi	r	tusesviſaprophetis
Esplacitaſuperiscr	u	xhuicesnauitamundo
Namdanielcriſtumdi	x	ithicplebeabiniqua
Multandumetfinemde	h	incnoxiatotatenere
Oſeeſaluandumpopul	u	mmortisquoquemorte
Praedicatatqeiohel	i	llapraedixerathora
Etſolemetſtellaslu	c	emnonfundereterris
Hocidemetinfauſtaf	e	ſtapraedixeratamos
Abdiasinſidiasiona	s	quoquefuneraſinxit
Michadeimontemnaum	n	untiatultioquidſit
Cornuaſanctacrucis	a	bbacucpraedicatore
Sofoniasquediemdud	u	mdominiauditamaram
Aggeushincqepolosd	i	xitterramquemoueri
Zachariasieſumreno	t	atperſordidaveſtis
Plagasinmanibusfix	a	splangerequemultos
Malachiascernitſum	m	umdominareperorbem
Ardentiquerogomund	u	metſudareminiſtros
Haectuafactaprobie	n	dicebantorepriores
Cruxalmavateshaece	d	iditauctorinhisque
Tupiacomplerashaec	o	omniapaſſiochriſti

LIBER PRIMVS.

ERgò Prophetarum benè te Crux famen honorat,
Prædicat, exaltat, reſonat tua facta futura.
Inſpirata ſacro tunc plebs quod protulit ore,
Spiritus & ſanctus illis mandauerat intus.
Omnia cum Chriſtum reparare loquuntur, & in te
Confixum Dominum concedere regna benignis.
Dauid perfoſſas illi hic palmaſq; pedeſque
Dixerat, atque cibo fel tradi & poculo acetum,
Deq; tuo ligno regem aſſerit omnibus ipſum.
Huic puero humeris eſſe imperium orat Eſaias,
Corpus percuſſum, manuum extenſum, ore beato
Conſputam faciem perpendens funus & aſtum
Atque leuatam ad te diſperſos currere Iſrahel.
Hieremias agnum deſcribit, ceu holocauſtum
Adtractum ſine voce pium, lignoque cibandum:
Hiezechiel cernit viſu Tau grammate ſignum
Eruere plebem, atq; Crucis ducentis ad inſtar.
Sic tu ſancta ſalus, virtus es viſa prophetis:
Es placita ſuperis Crux huic es nauita mundo.
Nam Daniel Chriſtum dixit hic plebe ab iniqua
Mulctandum, & finem dehinc noxia tota tenere.
Oſee ſaluandum populum mortis quoque morte
Prædicat, atque Iohel illa prædixerat hora
Et ſolem & ſtellas lucem non fundere terris:
Hoc idem & in fauſta feſta prædixerat Amos:
Abdias inſidias, Ionas quoque funera finxit.
Micha Dei montem: Naum nunciat vltio quid ſit:
Cornua ſanctæ Crucis Abbacuc prædicat ore:
Sophoniaſq; diem dudum Domini audit amaram:
Aggæus hincq; polos dixit terramque moueri.
Zacharias Ieſum renotat per ſordida veſtis
Plagas in manibus fixas, plangereq; multos:
Malachias cernit ſummum dominare per orbem.
Ardentiq; rogo mundum & ſudare miniſtros.
Hæc tua facta probi en dicebant ore priores
Crux alma vates, hæc ædidit auctor, in hisque
Tu pia compleras hæc ô omnia paſſio Chriſti.

DECLARATIO.

IN hanc quippe paginam libuit testimonia quædam de Prophetarum dictis congregare, quæ de passione Christi prophetata sunt, & ad sanctæ Crucis gloriam pertingerent. Hæc licèt multa inueniri possint, tamen propter opusculi breuitatem à nobis hic omnia denotari non poterunt: sed ea tamen introduximus quæ dictanti ocius in mentem venerant, & à quærente facilius inueniri poterant. Dauid ergò Propheta atque psalmista multa huiusmodi habet testimonia. Hic de modo passionis Domini taliter in Psalmo XXII. dicit ex persona Christi: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et itē in Psalmo LXIX. Et dederunt, inquit, in escam meā fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Et quod in ligno passurus esset, in Psalmo CXLV. ostēdit dicens: Commoueatur à facie eius vniuersa terra, dicite in nationibus, Dominus regnabit à ligno, & reliqua. Esaias quoq; hinc ait: Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & reliqua. Et itē: In die illa erit radix Iesse, qui stat in signum populorū, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et paulò pòst: Eleuabit, inquit, signum in nationibus, & cōgregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ, & reliqua. Et itē: Dominus posuit in eo iniquitatem omniū nostrum, oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus corā tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Et itē ex persona Domini dicit: Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus, faciem meā nō auerti ab increpantibus & conspuentibus in me, & reliqua. Et iterum: Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Hieremias autem ex persona Domini dicit: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimā, & nō cognoui, quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panē eius, & eradamus eū de terra viuentium, & nomen eius nō memoretur amplius. Et item: Spiritus, inquit, oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Ezechiel ergò signaculū Crucis in figura T. literæ expressit dicens. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis: Transi per mediā ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementiū & dolētium super cunctis abominationibus fiunt in medio eius, & reliqua. Et bonum illum pastorem exprimens, qui posuit animā suam pro ouibus suis, ait: Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse requiram oues meas & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnib. locis in quibus dispersæ erant, in die nubis & caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suā, & pascam eas in mōtibus Israel. Et paulò pòst: Ego, inquit, pascā oues meas & eas accubare faciā dicit Dominus, quod perierat requirā, & quod abiectū erat reducā, & quod fractum erat alligabo, & quod infirmum erat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam, & pascam illas in iudicio. Daniel verò chronographus certissimus, tempus incarnationis Domini & redemptionem nostram fideliter intimauit, Angelo sibi hoc reuelante. Septuaginta, inquit, hebdomadæ abbreuiatæ sunt, super populum tuum & super vrbem sanctā tuā, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, vt impleatur visio & Prophetia, & vngatur sanctus sanctorū. Scito ergò & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum reædificetur Hierusalem, vsq; ad Christū ducem hebdomadæ VII. & LXII. erunt. Et paulò pòst subiūxit ita: Et post hebdomadas LXII. occidetur Christus & nō erit, & ciuitatē & sanctuariū dissipabit populus cū duce futuro. Et vt ostenderetur illam hebdomadā annorum excellere cæteris, in qua Christus Euangeliū prædicauit & miracula fecit, in qua & passus est & resurrexit à mortuis: seorsū de ea locutus ait: Confirmabit autē pactum multis hebdomadis vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificiū, & in templo erit abominatio desolationis & vsq; ad consummationem & finē perseuerabit desolatio. Oseæ quoq; deuotionem gentiū & coadunationem Ecclesiæ per Christum congregatæ manifestissimè prædicat. Et erit, inquit, in loco vbi dicitur, non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & reliqua. Et de ereptione nostra ab inferis mortisq; interfectione, promissionem Domini declarat dicens: De manu mortis liberabo eos, & de morte redimā eos, ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne. Ioel namq; dominicæ passionis & saluationem fidelium demonstrat, ita dicens: Sol & Luna obtenebrati sunt & stellæ retraxerunt lumē suū, & Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalē dabit vocē suā, & mouebūtur cæli & terra, & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorū Israel, & scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in mōte sancto meo, & erit Hierusalē sancta, & alieni nō pertransibunt per eā amplius, & reliqua. Hinc Amos ait: Et erit in die illa, dicit Dominus, occidat sol meridie & tenebrescere faciat terrā in die luminis, & conuertā festiuitates vestras in luctū, & omnia cātica vestra in plāctū, & reliqua. Et paulò post: In die illa, inquit, suscitabo tabernaculū Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum, & ea quæ corruerat ăt instaurabo, & reliqua. Abdias autem dolos Iudæorū cōtra Dominum exprimēs & ecclesiæ saluationē, Oēs, inquit, viri fœderis tui illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ, & qui comedent tecū ponent insidias super te, & reliqua. Et paulò pòst: In monte, inquit, Siō erit saluatio, & erit sanctus, & possidebit domus Iacob eos qui se possederant. Et itē subiunxit: Ascendetq; Saluator in montē Sion iudicare montē Esau, & erit Domino regnum. Ionæ quoq; Prophetiam Dominus ipse ostēdit dicens: Sicut fuit Ionas in ventre cæti tribus dieb. & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. Micheas quidem conuentum populorū ad Christum prædicat, ipsum montem Domini ac ducem ostendens. In nouissimo, inquit, dierum erit mōs domus Domini præparatus in vertice montiū, & reliqua. Et itē: Tu Bethleem Ephrata paruula es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur dux qui sit Dominator in Israel, & reliqua. Naum vltorē Dominū prædicat inimicis, & bonum pijs & amicis. Deus, inquit, æmulator est, & vlciscens Dominus, & habens furorē, vlciscens Dominus in hostes suos & irascens inimicis suis, & reliqua. Et item pietate ostendens ait: Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. Abacuc lustrator fortis & rigidus, stat super custodiam suam & figit gradum super munitionem, vt Christum in Cruce contempletur, & dicat: Operuit cęlos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splēdor eius vt lux erit, cornua sunt in manibus eius. Ibi abscōdita est fortitudo eius. Sophonias prope esse aduētum diei Domini narrat & horā passionis eius & resurrectiōis. Iuxta est, inquit, dies Domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Et paulò pòst: Tribulabo, ait homines, & ambulabūt homines vt cæci, qa Domino peccauerūt. Et item: Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, & reliqua. Aggeus desideratū annunciat omnibus gentibus. Adhuc modicum est, dicit Dominus, & ego commouebo cælum & terram & mare & aridam, & reliqua. Zacharias verò memor Domini sui, videt Iesum in vestibus sordidis, & lapidem oculorū VII. candelabrū quoq; aureū, & reliqua.

Dicit quoq; & ex persona Domini: Appenderunt mercedem meā XXX argenteis. Et itē: Effundam super domum Dauid spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & reliqua. Et item: Adam exemplum meum ab adolescentia mea, & dicetur: Quot sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Framea suscitare super pastorē meū, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorē & dispergentur oues gregis. Et item: Et erit Dominus rex super omnem terrā. In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum. Malachias salubrem aduentum Domini narrat, & statim, inquit, veniet ad templum suum dominator, & Angelus testamenti quem vos vultis, ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & conflabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia, & placebit Deo sacrificium Iuda & Hierusalem, & reliqua. Est quoque versus hic in cruce scriptus XXXVII literarum. ES PLACIDA SVPERIS CRVX HVIC ES NAVITA MVNDO. Qui ad directum hexameter est, & reciprocus nulla exempta syllaba fit idem pentameter.

XXVII. Figura. De Apostolorum dictis ex eadem re in nouo testamento.

Necminusergotuacu s todituracaracter
Ritenouitestament i etpiamunerapandit
Quaedeusaltushomo d iu.i'nosdetulitorbi
Pertecruxsacravot o venerandafreqenti
Promisumconplense t veraxdogmatavatum
Sedominumtestansl e gisveterisq;nouaeq:
Quigeminummundopa t everbofecitabysum
Noshilara:actusat i ansvotoanteriores
Quisolabaturverax b onusomnibusaequus
Vndeqeapostolicus i ustaperfaminafida
Almatropacatuaser m ocruxlaudatvbique
Princepsorbesonat e ximopectorepetrus
Taliterenlaudesfa t upiusoptimedicens
Estfratreschristop r ovobisstipitepass:
Exemplumtradenscl a rumvestigiaqodvos
Eiuspergatiscuius s acravulnerasanant
Hinccredoaccipiat o rantisfaminaiesus
Sidonisusetetsiho n osartemibitetodis
Ipsequiamitisnons o rdentmunerahaecei
Astiacobushincnos h ortaturfaminepuro
Exemplumponenschr i stumdefinelaborum
Hincq:monetscriben s alt:duxoreiohannes
Castusamormaneate t sobriavotaserenet
Iesusvtestpassusd e voteprop teramorem
Sicnosmentepiasoc i opatiamuramorehic
Iesumpertypicumpi e verumpsallitiesum
Iudasductoremetpe s sumfidisetiniquis
Pauxillumhaudpaul u sorauittemetinore
Cruxsacracumdixit s eiamnescireloq:lam
Tesinenec laudemsc i redarefaucib:vllam
Incaelisterrismag n umpertartaranomen
Teproptercristisp o ndetsatritevalere
Sicetapostolicelau d atconcorditerordo
Vatibusantiqiscon i ungiscunctarapina
Passiosanctapieie s upersaeculacristi

LIBER PRIMVS.

NEc minus ergo tua custodit iura caracter
Ritè noui testamenti:& pia munera pandit,
Quæ Deus altus homo diuinus detulit orbi.
Per te Crux sacra voto veneranda frequenti
Promissum complens,& verax dogmata vatum:
Se Dominum testans legis veterisque nouæque:
Qui geminum mundo pate verbo fecit abyssum.
Nos hilarat actu satians voto anteriores,
Qui solabatur verax,bonus,omnibus æquus.
Vnde Apostolicus iusta per famina fida
Alma trophæa tua sermo Crux laudat vbique.
Princeps orbe sonat ex imo pectore Petrus
Taliter en laudes fatu pius,optime dicens:
Est frater Christus pro vobis stipite passus,
Exemplum tradens clarum, vestigia quòd vos
Eius pergatis,cuius sacra vulnera sanant.
Hinc credo accipiant orantis famina Hiesus,
Si do nisus ei & si honos artem ibit & odis:
Ipse quia mitis,non sordent munera hæc ei.
Ast Iacobus hinc nos hortatur famine puro:
Exemplum ponens Christum de fine laborum.
Hincq; monet scribens altus dux ore Iohannes:
Castus amor maneat & sobria vota serenet
Hiesus,vt est passus deuotè propter amorem:
Sic nos mente pia socio patiamur amore, hic
Hiesum per typicum piè verum psallit Iesum.
Iudas ductorem & pessum fidis & iniquis:
Pauxillum haud Paulus orauit,temet in ore
Crux sacra cum dixit,se iam nescire loquelam
Te sine nec laudem scire dare faucibus vllam:
In cælis,terris magnum per tartara nomen,
Te propter Christi spondet sat ritè valere.
Sic & Apostolicus laudat concorditer ordo.
Vatibus antiquis coniungis cuncta rapina.
Passio sancta pie Hiesu per sæcula Christi.

DECLARATIO.

NOui autē Testamenti tam copiosa sunt exempla scriptorum, de salutifera Dñi nostri passione & resurrectione: vt non facilè de tanta multitudine quis testimonia euidentiora excerpere queat. Quia quæ potissimū eligat nesciat, cum tot sint, quod in vnum libellum congregari nequeant: & omnia tantæ dignitatis, vt quæ manifestiora de his sint & probabiliora, neque periti dignè æstimare possint. Sed sicut de veteri Testamento, id est, de Prophetarum libris aliqua excerpsimus, quæ præsagio futuræ & nondum completę passionis Dñi essent: ita & ex nouo ea tantum excerpamus, quæ ad sanctæ Crucis magnificentiam & laudē prædicandam conueniant, & quæ ad bonitatem creatoris & misericordiam redemptoris nostri pro nostra liberatione glorificandam pertineant. Ea enim quæ illi prædixerant futura, isti prædicant iam facta atq; completa. Ab vtroq; enim testamento sanctæ Crucis prædicari conuenit actus, quia vtriusq; dispensator & mediator est Christus. Ipse ergò qui inuisibiliter per inspirationem Spiritus sui Prophetarum mentes regebat, visibile corpus assumens: verbis & exemplis Apostolos docebat, qui per Patriarchas & Prophetas populo suo salutem & vitam promisit. Ipse homo factus per crucis suæ potentiam, promissionem compleuit, qui dixit per Prophetam: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate, dicite pusillanimis, confortamini, nolite timere: ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet & saluabit nos, & reliqua. Ipse per Apostolum iam factum ostendit cum dicit Apostolus Petrus: Vos scitis viri fratres, quod factum est per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post baptismū quod prædicauit Iohannes Hiesum à Nazareth: quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiuit benefaciēdo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo, & nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Hierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eū manifestum fieri non omni populo sed testibus pręordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare & testificare, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Tale quid in epistola sua idem Petrus ait: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem Spiritu. Et item: Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Et paulò pòst subiūxit: Tradebat autem iudicanti se iuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitię viuamus: cuius liuore sanati estis. Iacobus quoque frater Domini ad idem exemplum nos hortatur dicens: Exemplum accipite laboris & patientiæ Prophetas, qui locuti sunt in nomine Dñi nostri Hiesu Christi. Ecce beatificamus qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis & finem Domini vidistis, quoniā miserator & misericors Dominus. Et Iohannes Apostolus confidentiam de misericordia eius nobis tribuit dicens: Filioli mei, hæc scribo vobis vt nō peccetis, sed & si quis peccauerit aduocatum habemus, apud patrem Hiesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, nō pro nostris autem tm̄ sed etiam pro totius mundi. Et item: In hoc cognouimus, charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Iudas autem Apostolus & frater Iacobi, sub exemplo successoris Moysi demonstrauit Hiesum Christū eduxisse nos per Crucem de spirituali Ægypto, id est, de potestate tenebrarum, & incredulos perdidisse, ita dicens: Commonere autem vos volo scientes semel omnia, quia Hiesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos qui non crediderunt perdidit: Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit. Paulus verò Apostolus & doctor gentium, qui nouissimus omnium Apostolorum est in vocatione, sed plus omnibus laborauit, tam multiplex est in locutione sua, commendans nobis Christi passionem & resurrectionem & redemptionem, per sanguinem eius & donationem eius in cælis & in terris, vt penè totus in hoc versetur. Sed quia ab hac laude excipi non oportet, qui cæteris omnibus plura de eo scripsit, & iam idoneus est in illa, vt facilè in breui constringi possit cæteris prętermissis: ea tamen, quæ de Cruce specialiter vsurpauit, ponamus testimonia. Dicit ergò ad Corinthios: Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur Crux Christi: Verbum enim Crucis pereuntibus quidē stultitia est, his autem qui salui fiunt, id est, nobis virtus Dei est, & reliqua. Et item: Non enim iudico me aliquid inter vos scire nisi Christum Hiesum, & hūc crucifixum. Item ad Galatas ait: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Hiesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Item ad Ephesios: Ipse est pax nostra qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem soluens inimicitias in carne sua, legem mādatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipsum in vnum hominem faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, & reliqua. Item ad Philippenses. Humiliauit, inquit, semetipsum Christus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, & reliqua. Item ad Colossenses, maiestatem Christi prædicans, ait: In ipso condita sunt vniuersa, quæ in cælis & in terris, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare, & per eum reconciliare omnia, in eo pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et item dicit in eadem Epistola: Donans nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & reliqua. In Apocalypsi quoque penè omnes laudes & omnia cantica, quæ in eo sunt, ad passionis Christi gloriam & gratiam redemptionis nostræ prædicādam conueniunt, cum de agno occiso, qui in medio throni est, sæpius ipse liberè commemoret. Sed de his testimonia aliqua hic ponere non necessarium iudicauimus, quia in cæteris locis huius libri non pauca inseruimus. Sunt autem duo versus hic heroici in sanctæ Crucis imagine ijsdem literis conscripti, quorum prior in longitudine crucis scriptus, hic est: *Si dote tibi metra sono his te Hiesus in odis.* Hic autem si ijsdem literis relegatur, id est, à fine vsque ad initium eius facit hunc versum, qui in transuerso crucis scriptus est tramite: *Si donis vsci & si bonos artem ibit & odis.* Qui per easdem literas relectus redit in priorem, cum scilicet qui in lōgitudine crucis est.

O m n i p o t e n s v i r t u s m a i e ſ t a s a l t a ſ a b a o t h
E x c e l ſ u s d o m i n u s v i r t u t u m ſ u m m e c r e a t o r
F o r m a t o r m u n d i h o m i n u m t u v e r e r e d e m p t o r
T u m e a l a u s v i r t u t u g l o r i a c u n c t a ſ a l u ſ q u e
T u r e x t u d o c t o r t u e s r e c t o r c a r e m a g i ſ t e r
T u p a ſ t o r p a ſ c e n s p r o t e c t o r v e r u s o u i l i s
P o r t i o t u q e m e a ſ a n c t e ſ a l u a t o r e t a u c t o r
D u x v i a l u x v i t a m e r c e s b o n a i a n u a r e g n i e s
V o x ſ e n ſ u s v e r b u m v i r t u t u m l a e t a p r o p a g o
A d t e d i r e x i e t c u m u l a n s n u n c d i r i g o v e r b a
M e n s m e a t e l o q u i t u r m e n t i s i n t e n t i o t o t a
Q u i c q u i d l i n g u a m a n u s o r a t e t b u c c a b e a t e
C o r h u m i l e e t v i t a i u s t a ſ a c r a t a v o l u n t a s
O m n i a t e l a u d a n t e t c a n t a n t c r i ſ t e ſ e r e n e
N a m q: e g o t e d o m i n u m p r o n u s e t l a e t u s a d o r o
A t q e c r u c i d e m i ſ ſ e t u a e h i n c d i c o ſ a l u t a n s
S p e m o r o t e r a m u s a r a m a r a ſ u m a r e t o r o h i n c
H o c m e u s e ſ t a r d o r c l a r u s h o c i g n i s a m o r i s
H o c m e a m e n s p o ſ c i t p r i m u m h o c ſ a m e n e t o r a
H o c ſ i t i s e ſ t a n i m i m a n d e n d i m a g n a c u p i d o
V t m e t u p i e ſ u ſ c i p i a s b o n e c r i ſ t e p e r a r a m
O b l a t u m f a m u l u m q o d u i c t i m a ſ i m t u a i e ſ u s
H o ſ t i a q o d t u a ſ i m m e m e t c r u c i f i x i o t o t u m
I a m t u a c o n ſ u m a t e t p a ſ ſ i o m i t i g e t a e ſ t u m
C a r n a l e m v i t i a c o n f r i n g a t d e p r i m a t i r a m
R e f r e n e t l i n g u a m p i e t a t i s v e r b a r e p o n a t
M e n t e m p a c i f i c e t v i t a m d e d u c a t h o n e ſ t a m
N a m q u e t u u s q u a n d o t o t o f u l g e ſ c e t o l y m p o
I g n e u s a d u e n t u s t o r r e b i t e t a r d o r i n i q o s
T e m p e ſ t a s ſ t r i d e t c o r n u i a m m u g i t e t o r b e
A n t e a p p a r e b i t q u a n d o c r u c i s a e r e ſ i g n u m
T u m r o g o m e e r i p i a t f l a m m i s v l t r i c i b: i p ſ a
A t q u e p o e t a m a g n i p r o p r i u m d e f e n d a t a b i r a
C u i c a n o i u r e c a n a m h r a b a n u s v e r ſ i b u s o r e
C o r d e m a n u ſ e m p e r d o n u m m e m o r a b i l e c a n t u
Q u o d d e d e r a t v i t a e m e m e t c l e m e n t e r i n a r a
Q a n d o i p ſ a i e ſ u s c l e m e n s r o g o a b e r u i t i m o
I n f e r n i r e q i e m n u n c o c r i ſ t e a r c e p o l o r u m
D a m i h i h o c p o ſ c o ſ p e r o e t u e r r a o m n i a c r e d o
Q u a e p r o m i ſ i ſ t i h o c t e n e p i e t a t e f i d e q e
Q u o d v e r a x f a c i s o r d i n e i u d i c i o o m n i a v e r o
I n u n c a d ſ u p e r o s i n c a e l i s r i t e t r i u m p h o s
O l a u s a l m a c r u c i s ſ e m p e r ſ i n e f i n e v a l e t o



LIBER PRIMVS.

Omnipotens virtus, maieſtas alta, Sabaoth
Excelſus Dominus, virtutum ſumme creator,
Formator mundi: hominum tu vere redemptor.
Tu mea laus, virtus, tu gloria cuncta, ſaluſque,
Tu rex, tu doctor, tu es tector, care magiſter,
Tu paſtor paſcens, protector verus ouilis.
Portio tuq; mea, ſancte ſaluator & auctor,
Dux, via, lux, vita, merces bona, ianua regni es,
Vox, ſenſus, verbum, virtutum læta propago.
Ad te direxi, & cumulans nunc dirigo verba:
Mens mea te loquitur, mentis intentio tota,
Quicquid lingua, manus orat & bucca beate
Cor humile, & vita iuſta, ſacrata voluntas.
Omnia te laudant & cantant, Chriſte ſerene.
Namq; ego te Dominum pronus & lætus adoro,
Atq; Cruci demiſſe tuæ hinc dico ſalutans:
Spem oro te ramus aram ara ſumar, & oro hinc.
Hoc meus eſt ardor clarus, hoc ignis amoris,
Hoc mea mens poſcit primum, hoc ſamen & ora,
Hoc ſitis eſt animi, mandendi magna cupido:
Vt me tu pie ſuſcipias bone Chriſte, per aram
Oblatum famulum, quod victima ſim tua Hieſus.
Hoſtia quod tua ſim: memet crucifixio totum
Iam tua conſumat: & paſſio mitiget æſtum
Carnalem, vitia confringat, deprimat iram,
Refrenet linguam, pietatis verba reponat.
Mentem pacificet: vitam deducat honeſtam.
Namque tuus quando toto fulgeſcet olympo
Igneus aduentus, torrebit & ardor iniquos,
Tempeſtas ſtridet, cornu iam mugit & orbe
Ante apparebit quando Crucis aere ſignum:
Tum rogo me eripiat flammis vltricibus ipſa:
Atq; poetam agni proprium defendat ab ira,
Cui cano: iure canam Hrabanus verſibus ore,
Corde, manu, ſemper donum memorabile cantu:
Quod dederat vitæ memet clementer in ara.
Quando ipſa Hieſus clemens rogo ab eruit imo
Inferni requiem, nunc ô Chriſte arce polorum
Da mihi, hoc poſco, ſpero, & vera omnia credo,
Quæ promiſiſti, hoc teneo pietate fideque.
Quod verax facis ordine iudicio omnia vera.
I nunc ad ſuperos, in cælis ritè triumphas.
O laus alma Crucis ſemper ſine fine valeto.

DECLARATIO FIGVRÆ.

DEus omnipotens pater Domini nostri Hiesu Christi, qui virgenitum tuum & ante secula natum, carnem & animam humanam in tempore assumere, & Crucem subire pro humani generis salute voluisti. Te adoro, tibi gratias ago, quod mihi misero famulo tuo concessisti gratiam tuam (quamuis indigno, & multorum facinorum mole aggrauato) vt dilecti filij tui passionem laudibus (licèt non condignis, tamen deuotis) canendo & conscribendo depromerem. Tibi Domine Hiesu Christe fili Dei vnigenite humiles preces offero, & vota oris persoluo: quòd mihi peccatori inspirare dignatus es, honorem sanctæ Crucis tuæ quantulumcunque decantare, & communem omnium nostrum salutem conseruis meis prædicare. Nec me ab incepto retardauit propriorum conscientia delictorum: sed magis illud mihi fiduciam tribuit, quod hoc in carmine celebrarem, in quo peccati regnum destruxisti, & toto mundo veniam delictorum omnium dedisti. Tibi sancte Spiritus paraclete totis præcordijs meis grates refero, quod me tua gratia in ipso opere adiuuare & consolari dignatus es. Te deprecor, vt si aliqua, pro fragilitate mea, inconuenienter posui seu ritè non intellexi, tua visitatione me illustrare digneris, vt ea decenter corrigam, meique erroris per te veniam consequar: vt ipse, quem ante inceptum opus in auxilium aduocaui, sine naufragio ad optatum littus me perducas. Te æterna & perpetua Deus trinitas & inseparabilis vnitas, toto corde, tota anima, tota mente, & tota virtute colo, adoro, exopto, desidero. Tu illuminatio mea, tu salus mea, tu laus mea, tu virtus mea, creator, redêptor, reparator, pater, arbiter, magister, beatitudo, fortitudo, alacritudo, æternitas, fœlicitas, serenitas, Deus vnus omnipotens, Deus Deorum Dominus, Deus rerum creator omnium, Deus lux, & vita fidelium, vita viuens, vita à viuente, viuificator viuentium, amans & amatus, amorque amicissimus, genitor & genitus, potenterque regenerans, dicens & verbum ac procedens ab vtrisque, diligens & dilectus, amborumque dilectio, verum lumen, lumen ex lumine, vera illuminatio, consiliator, consilium, & communicatio, à quo, per quem & in quo sunt omnia, tibi laus & gloria in sempiterna secula. Te pater clementissime peto, vt qui primitus me hoc opus conscribendo voluisti perficere, quod ad laudem redemptoris & saluatoris nostri pertinet, redemptionis & saluationis eius in gratiâ per ipsum consequi merear: & quicquid deinceps operis agam, ex tua, & per tuam, & in tua gratia ad laudem tuam totum peruenire facias, meque deinceps tutiorem à peccatis, & in bonis operibus validiorem esse præcipias: & quamdiu in hoc corpusculo viuam, aliquid seruitij tibi semper exhibeam. Post exitum verò animæ meæ à corpore, veniam peccatorum omnium consequi, & vitam æternam percipere per ipsum mihi concedas, qui tecum & cum Spiritu sancto coæqualis viuit & regnat Deus, per omnia seculá seculorum, Amen. In Cruce verò antecedentis paginæ est vnus versus scriptus XXVII. literarum, qui eisdem literis legi & relegi potest in hunc modum: *Oro te ramus aram ara sumar & oro.* Imago verò mea, quam subter Crucem genua flectentem & orantem depinxeram, asclepiadeo metro conscripta est, priorem versum tenens hexametrum heroicum, secundum hemistichium heroici, ita: *Rabanum memet clemens rogo Christe tuere: O pie iudicio.* Continet autem totus liber iste XXVIII. figuras metricas cum sequente sua prosa, absque superliminari pagina & prologo: qui numerus intra centenarium suis partibus perfectus est, ideoque iuxta huius summam opus consummare volui, qui illam formam in eo cantaui quæ consummatrix & perfectio rerum est.

FINIS.

INDEX CONTENTORVM HVIVS LIBRI PER *Capitum quottas & numerorum in singulis chartas distributio.*

LIBRI SECVNDI PRAEFATIO.

MOS apud veteres fuit, vt gemino stilo propria conderent opera, quò iucundiora simul & vtiliora sua legentibus forent ingenia. Vnde & apud sæculares & apud ecclesiasticos plurimi inueniuntur, qui metro & prosa vnã eandemque rem descripserunt. Vt de cæteris taceam: quid aliud Prosper ac venerandus vir Sedulius fecisse cernũtur? Nonne ob id gemino stili charactere duplex opus suum edunt: vt varietas ipsa & fastidium legentibus auferat, & si quid fortè in alio minus quis intelligat, in alio mox plenius edissertum agnoscat: Hoc igitur exemplo atq; hac de causa ego quidem vilissimus homuncio, opus, quod in laudem sanctæ Crucis metrico stilo condidi, in prosam vertere curaui: vt quia ob difficultatem ordinis & figurarum necessitatem obscura locutio minusq; patens sensus videtur metro inesse, saltem in prosa lucidior fiat. Non enim satagebam, vt iisdem verbis quibus in metro vsus sum, sed eodem sensu in hoc opere locutus essem. Hoc idem Horatius vir acutus & doctus in arte poetica erudito interpreti præcepit dicens: Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres. Interpres enim ego quodammodo in hoc opere sum, non alterius linguæ, sed alterius locutionis: vt eiusdem sensus veritatem explanem. Quapropter rogo lectorem, vt nõ fastidiose accipiat nostrum laborem: sciatque me non superfluitati studere velle, sed vtilitati: nec vlli inuidere, sed magis fraterna charitate, quicquid gratia diuina possum, ad vtilitatem proximi scribendo velle conferre. Bonitas omnipotentis Dei mihi concedat, vt quicquid boni mente teneam, opere perficiam: & quicunq; nostrum laborem fraternè accipiat, Deo largiente æterni gaudia nobiscum particeps existat.

Explicit Præfatio Libri secundi.

De prima figura, in qua Christi imago manus in modum expandit crucis.

I. ECce filius Dei & Dominus Dominantium expansis manibus suis, speciem restaurantis honorandam hic ostendit. Et rectè hunc vnum pastorem grex sacer ecclesiæ iustum colit: & in eo modo, quo in cruce sua membra fatigari permisit, ritè omnes populi probant redemptorẽ: quia hunc totius iuris parentem esse sacra scriptura prædicat. Hoc quoque ego indignus agnoscens, pro modulo meo omnium summitatum culmen adoro Dominum Hiesum: & credo quod ipse est rex regum. Iudæa verò quæ stimulante inuidia inuentrix malorum est, iniquè suum occidit regem. Ipse tamen cum gloria resurgens, arma impiorum per verbum Euangelij sui secundum promissionem Prophetarum potenter subuertit. At nos qui in illum credimus, in ipso lętemur: dum quicunq; æternum Dominum illum esse non confitetur, malè ac perniciosè dubitet, quia hic auctor omnium rerum in toto orbe colitur, cui decet cuncta subijci: quia dextera summi patris proba & sancta oblatam prędam de profundo inferni sanguine suo eripuit: & taliter in cruce positus, cæleste regnum suis concessit fidelibus. Hic de se principium omnium rerum: hic nobiscum Deus: hic origo & finis vniuersorum est: lux vera, imago Dei patris inuisibilis: Os Domini, splendor lucis æternæ: qui consubstantialis patri, sol iustitiæ, verbum Dei, & ex lumine lumẽ est. Hic coæqualis virtus & manus Domini est: dux iustorũ & Propheta verus: quem filium Dei vnigenitum & primogenitum iustè confitemur. Hic est lapis angularis credentibus, lapisq; offensionis & petra scãdali infidelibus: idemq; ostium vitæ est. En indutus veste Christus veritas, quid mysticè significet exponam. Vestis quoque Christi, lex diuina est: quæ vili tegmine literarum, auctorem rerum omnia cõtinentem quodammodo amplectitur. Ad quem totus mũdus, cælum & terra, & mare & vniuersitas creaturæ pertinet: qui pugillo cælum metitur, & terram palmo concludit. Item nostra natura, quã pro nostra redemptione suscepit, quasi vestimentum diuinitatis eius est. Nam hæc splendorẽ maiestatis eius, & ab humanis conspectibus celat: & radios claritatis eius, cotam oculis impiorum abscondens claudit: ipse tamen miraculis coruscantibus, ac tonante Euangelio verus Deus innotuit. Iste quoq; magni consilij Angelus, ac summa deuotione Dei populo missus est: docens videlicet sapientia, & custos pacificus, fons vitæ æternæ, brachium Domini, & panis viuus qui de cælo descendit: petra vtique Christus, oriens lucifer, & verus medicus, clauis Dauid, via vitæ, & agnus Dei qui tollit peccata mundi, serpens qui exaltatus morituros viuificat, & mediator Dei & hominũ, vermis & homo, captiuam ducens captiuitatem: mons Dei. Aquila alta petens, aduocatus pro nobis. Leo de tribu Iuda, pastor bonus, & hædus peccata nostra portans: fundamẽtum fidei, ouis innocens, sacerdos secũdum ordinem Melchisedech, offerens panem & vinum: vitulus namque & aries pro nobis immolatus est victima. Qui filius est patris æterni, idem damnatus est ad pœnam ligni. Hic vtiq; ante luciferum, & ante omnem creaturam, ex patris vtero est genitus: & temporaliter in momento processit ex matris aluo, atque vt saluaret genus humanum, ad crucem venit æternus conditor Christus: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

De secunda Figura, in qua sancta Crux intra tetragonum depicta est.

O Sãcta Crux Christi, quæ potestate tibi collata excellis II.
super oĩa: tu in cęlorũ arce superna, cęlorũ potens regis agmina: quia crucifixi in te regis virtus & diuinitas, totã te potentẽ & totã sanctã fecit, maximè cũ passionis eius indicium semper in te existat. Quapropter meritò te reginã à Christo rege vocamus, quia regni cælestis aditum per te primum meruimus: dumq; humanitatis eius ac diuinitatis gratiam, ipsum portans promeruisti, in vnius Dei omnipotentis laudem sacra confessione Christicolas sociasti. Nam multiplices laudes Deo in sanctis Angelorum cœtibus excitas: & simili ratione ad glorificandum Deum, deuotos reddis terrarum incolas. Te generaliter totus orbis, aër, mare & ignea cælorum sidera sanctificant: ac specialiter vnaquæq; species creaturæ, ex quatuor mundi partibus, mãgna deuotione celebrat. Hoc quoq; omnium adunata cõfessio profitetur, quod ab æterno lumine illustrata, nobis cælestis regni gaudia demonstres, & demonstrata piè quærentibus dones: cum vtrumq; facis dispensatione diuina, vt & corde credulo & vera confessione Deum Christũ cõfiteamur & per hanc fidei.. ad ipsum, peruenire mereamur. O crux Christi quæ per desideratam eius victoriam es benedicta: quam claram & quam magnam suo amore te omnium conditor reddidit. Viuificationis enim munere te ditauit: & ad hoc salubriter erexit, ne antiquus hostis, qui primum parentem nostrum sibi consentientem de paradiso eiecit, diutius irrisionis eulogio progeniem eius in exilio damnatam fatigaret. O pia Crux Domini, quis te decantãs metro, dignè resonare valet, & totam potentiam tuã verbis enarrare? pulchra nites ornatu: teque cernentibus gloriosa appares. Taxus mortifera longe à te fugit: Calamus aromaticus & Pinus semper virens honori tuo se subijciunt. Cædrus quoq; diuturna, & vermibus imperforabilis, Mirrha guttiflua, & Meliro odoris iucundissimi ad odorem tuum stupent: Nardus spicoma, & Cypressus odoris boni, Mastix quoque, gutta Lentisci, & Tus Arabica, Gutta Indiæ, & Amomum Syriacum, Balsamum Iudææ, Bdelium Phisonis maiestatem tuam verentes super se votis exultant. Nomine licèt sis asperior ipsis, dum cruciatum resones: virtute tamẽ redemptionis nostræ ipsis præstas: quæ concedis fidelibus ante Christi tribunal bonorum operum fructus percipere. O Crux sacra, quæ diruptis claustris inferni, plebem sanctorum eripueras & cælo collocaueras.

De Tertia forma figuræ, in qua nouem ordines Angelorum depicti sunt.

O Tu sancta salus, & læta passio Christi salue: Crux ve- III.
neranda Dei, quæ sapientia, lumen & doctrix es orbis terrarum: quæ & vera laus, amica virtus, & clara philosophia apud cælicolas, terrigenas, quæ indesinenter viges: & iam apud exercitus Angelorũ, qui in claritate lucis æternæ

manent,& apud homines,quibus salus & pulchra renouatio,post diutinam infirmitatem & antiquam peccatorum vetustatem extitisti. Te totus orbis beatificat: te cælorum agmina collaudat. Per te in nomine Hiesu (qui cuncta mũdi sceptra simul & regum curuat imperia) omne genu sine voluntate siue vi flectitur,cælestium videlicet, terrestrium & infernorum. At Michael dux & princeps plebis Dei,te confessione memorat,cuncta cælorum sidera & virtute tegere & potestate tegere,eò quòd ara Dei sis, in qua immolatus est agnus, qui abstulit peccata mundi: quo clipeo beneuolentiæ ipse sedulò exultat, qua confessionis framea fidens,bellum init contra draconem horridum,antiquumq; serpentem: & de hoste triumphans,ouat cum sanctorum agminum millibus,hoc sibi præmij loco petens, vt tuã laudem perpetuò ante tribunal decantet Domini. Igitur actus iste formationis literarum,& hic modus positionis nouem ordinum,nec non & sors ipsa,qua primitus ad laudandum redemptorem sacra Angelorum agmina ordinantur, taliter suspensam iure statuit hanc crucem,aram scilicet pontificis & redemptoris nostri:vt ipsa vera vita in se contestans ostendat laudantem virtutum venerabilem senatum, sicut decet,vt in cruce,quæ est vera salus nostra, appareant bona & salubria scripta: ideoque Christus semetipsum humiliãs descendit de cælorum arce,vt ad se solidum fundamentum fidei augmentumque omnium bonorum validè nos duceret.& docuit verbis,factisq; suis nobis documenta reliquit: & sic demum in sancta Cruce nos redimens, facta sua cõsummauit. Hoc tu Gabriel Archangelus altissimi & despõsator cælestium nuptiarum,lętus claro famine virgini reuelabas, quando Christi regni potentiam & saluationis eius opus, luculento sermone pronunciaueras. Quid & tu ô Raphael medicina Dei? Nunquid in illo mystico opere, quo Tobiæ oculos aperuisti, felle orbem liniens, sanctæ Crucis potentiam significasti,quę per amaritudinem mortis Christi,peccatorum tenebris remoris, æternam lucem humano generi reddidit? Credendum ergò nobis est,quod facta Angelorum,quæ vetus Testamentum narrat, aduentum & gloriam significent redemptoris nostri:cum nouum testamentum statim in primordio natiuitatis eius,eius gloriam in excelso, Deo magno tripudio cecinisse, & pacem hominibus adoptasse describat. Quapropter vos quoque præclari Angelorum exercitus supplices obsecramus:vt dignas grates Saluatori nostro incessanter agatis, & sanctum nomen eius in sæculum benedicatis:qui nos per Crucem à perpetua morte liberauit, & vestrum numerum (ne diminutus propter perditos Angelos remaneret) sanctis animabus compleuit in arce cælesti.

De forma quarti Schematis, vbi Cherubin & Seraphin sunt iuxta Crucem depicti.

IV. AT vos supernæ cohortes Cherubin & Seraphin, iam nunc de cælo laudate nomen regis vestri Hiesu Christi: quia ignis amoris & sapientiæ vestræ ita benè ardet, si puro famine in redemptoris laude splendeat, cum vera & diuina est laus illa,qua Pascha nostrum: idem passio & resurrectio redemptoris nostri, verè nostra prædicatur esse vita: verus vtique lucis fructus est Christi, quem cum Patre & Spiritu sancto Dominum Deum Sabaoth sociali laude celebratis:qui tunc in hora passionis vicit tristitiam mortis, & nunc regnans vbique exultat in gaudio resurrectionis. O beata Seraphin, quis sit vestri amoris ardor, dicite: & si fiant in celebratione hac habitus vestri iura cælestia monstrare,si hac multa & valida laude significetis,victorem supernum pandite. Hinc confidenter ego pro vobis mihimetipsi & meis ita respondeo. Vnum namque est,quod nobis demonstrant,hoc est,quod in alarum suarum positione affirmant: iam dudum nobis prænunciatam esse in figuris sanctæ Crucis aram,sacratumque decus hostiæ quod in ea immolatum est. Edunt quoque Christi vota laudis, quæ sit virtus redemptionis nostræ,ac bona præmiorum quæ tribuere nobis rex Christus decreuit, cum in hac ara secundũ suum propositum passus,consumpsit flamma passionis suæ iniquitates, & peccata scelerum nostrorum: cunctasque aduersarias potestates, in momento suæ mortis superans vicit, atque principem huius mundi foràs eijciens, destructa eius claustra diripuit:& vetustatem peccatorum nostrorum deleuit, reddens nobis benignus,Dominus & rex virtutum ipsa regna paradisi, in quibus primus homo conditus positusque fuerat. Hocque omnium fidelium ora probant:& virtutes & miracula, quæ Deus in hoc mundo per sanctos suos facit,testantur,quod Deus humano generi, in carcerem & tenebras istius mundi iustè damnato, auxilia mandatorum dederit,causa perpetuam mortem euadendi. Conditor vtique & rex noster,qui pro nobis in alta crucis confixus est stipite: quam magis decet thronum imperialẽ vocari,quam seruile tormentum:quia imperator noster rex Christus regnum sibi in ea, & potestatem in cælo & in terra conquisiuit,hostes superauit,& mundum Deo reconciliauit. Hæc vexillum Christiani est populi,hæc framea, qua cum hoste fortiter bellum: hæc insigne victoriæ nostræ. Cum hac hostes nostros proterimus,hac arma iniquitatis frangimus, per hanc ad coronã alleuamur & virtutis præmia capimus. Propterea exul semper & alien⁹ à bono ignis cupiditatis, scito quæ tibi interfectio in morte Christi parata sit. Cherubin ergò illa, quæ in tabernaculi templique constructione,iuxta aram post altare Thymiamatis stabãt, hoc vexillum Crucis extensione alarum suarum,nec non& tota positione situs sui,hanc sanctam aram demonstrabãt: quæ mystica vnctione linita, triumphum Christi & certaminis eius palmam præfigurabant. Hæc itaque animalia,id est, Cherubin, distensis suis alis læta facta Christi adducũt: & beata ea esse alma altaque manifestis indicijs tradunt. Ipsa quoq; Seraphin ad hoc pandunt os suum:vt cum cęlos & terram plenos esse gloria Dei prædicent, iam prope est tempus,quo carnalis hinc abeat luxus,& vitia recedant. Dicant denique cuncta, simul hæc animalia alarum suarum officio,præcipuè intimam saluatoris brachia in Cruce esse protensa:in hisq; trahi atque sublevari nunc misericordia, omnes quos ipse postmodum in vniuersali iudicio, meritis condigna rependens,in sede collocabit beata: tunc palam illos per discussionem probando, quos iam ante sibi notos & bonis operibus auctos probauit amando. Iustorum ergò vatum prophetiæ de passione Domini vllo modo non dissentiunt:nec significationes istorum animantium fallunt.

De quinta figuræ forma, vbi quatuor tetragoni circa Crucem consistunt.

TE modò Crux sancta Dei obsecro, vt tua virtute meũ pectus infirmum benedicas:vt dignis laudibus æterni regis in te trophæum valeam decantare: quomodo cælestia simul ac terrena vno fœdere coniungas, pactum cõfirmes, & mortis vincula dissoluas. O tu sacer Apostolorum cętus, V.
& martyrum ordo laureatus:iure vos domus Christi posuistis fundamenta,quos ipse in arce gestat pulcherrima. Voce quippe vestra & exemplis Deo plebem sacram acquisistis, & sanctam ac salutarem Crucem Christi,iure in primo fũdamine prædicationis collocastis:quia illam crucifixi in ea Dñi virtus ad portandum,totam Domini Ecclesiæ machinam ritè roborauit. Verè quoque ipsa humanum genus ad vitam dedicauit,firmaq; erecta est columna: desiderans ostendere,quod per ipsam æterna domus, cælesti regno collocanda exurgit:aula videlicet iusti regis sponsiq; Ecclesiæ. Hãc tu Domine Christe trophæum nouum, iure dominationis,cruore redẽptionis,viaq; dilectionis,ociter in mundo erexisti:quod christicolum genus fœdus iustitiæ seruet, spernat diabolum ritè damnatum, & vincat pietate hominem inimicum:quia tu illi fautor laudis,& timor conseruationis vtriusq; boni operis,ac palma victoriæ, atq; corona remunerationis es. O inclyta Crux Domini, aulæ Christi preciosum fundamentum: tu es pulchrior florifera specie omnium germinum:tu excellior Cædris Libani: tu preciosior albo lapide Pario:quæ quadratas iungis petras, viuentium lapidum in firmo fidei fundamento. Patriarcharum quoq; cœtus & ritus antiquissimus, iure prima fundaméta iacit in initio totius ædificationis:qui primũ sano dogmate corda deuota sibi obedientiũ,ad domum regnãti super omnia Deo fide iunxerunt. Postea Prophetæ verba prædicationis pluerant, vt regi Christo viuam aulã monitis præceprisque

patrisque sius, in hoc certaminis loco construerent: quia omnis hæc fabrica Ecclesię, per confessionem nominis Hiesu Christi ad cœleste regnum eleuat: eiusque voce instructa, ritè viget bona vitæ constructio. Hæc enim iunctio ad latera sanctæ Crucis quatuor tetragonorum hoc signat, & omine sacro reuelat nobis intellectum: vt sciamus, quò nos via recta & ductor optimus iubeat ire, hoc est, ad possidendum regnum perpetuum. omnes vtique quos Christi visitatio sua mansione illustrans, templum dicare dignatur, & cum his sanctis parietibus in semetipsum lapidem angularem coadunans, ad perfectionem cœlestis ædificij perducet.

De specie Sextæ figuræ, vbi de quatuor virtutibus præcipuis commemoratur.

VI. OMnipotens virtus, & omnipotens patris summa sapientia Christe fili Dei: tu es verus Dominus, qui totum mundum adornas decore sanctæ Crucis, dispensasque piè tuis sanctis pia dona salutis. Nam quadriga virtutum quatuor cornibus sanctæ Crucis decenter aptata, ostendit sacram seriem specierum ex ipsa procedentem, in triumpho victoriæ regis Christi consecratam: & per eius passionem proficuam esse toto orbi, ad impetrandum fructum pietatis, & adipiscendam æternam beatitudinem. Virtus est animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum nobilitas & linguæ moderatio. Hæc quippe cuncta, ô sancta Crux, religiosis hominibus iusta laude probanda tu tradis: cuncta simul beneplacita Deo depromens, & singula salubria esse prodens. Tua sancta prudentia tenerum mundum ab initio docuit: quando per martyrium Abel iusti, pro innocentia ponendam animam demonstrauit, de te iustitia bene zelo feruens, diaboli pompam spernendam, & Christi gratiæ obsequendum suasit. Per te castus amor in sanctis Dei erigit se ad sectandum vtilia consilia, hoc est, doctrinam mandatorum Dei: vt fraudem maligni de penetralibus humani cordis auferat, & fideles Dei attendentes ad cælestia præmia, superare carnis concupiscentias doceat: ipseque amor, per vniuersam mundi latitudinem sanctos prædicatores ducit, arguentes vitia, & virtutes commendantes: docentesque per Euangelium redemptori gratias agendum, qui secundum veterum Prophetiam nouissimis temporibus incarnatus est, & mandata tradens euangelica signis & miraculis verus Deus innotuit: concedens omnibus fidelibus sibi, vt per fidem plenam & baptismum lucem æternam conquirerent, illisque qui intentis auribus cælestem doctrinam capiebant, dedit in modum bonæ terræ vberem ex verbi semine virtutum fructum proferre: & si qua incentiua naturæ in eis orirentur, abscisa Euangelij cultro, flammis Spiritus sancti concremaret: vt sine vllo impedimento diuinum germen & spirituales delicias regi Christo exhiberent. Hos ergò fructus primùm fides & religio christiana, per prædicatores Euangelij plantauit, deinde gratia virtutum puros & ab omni sorde alienos ostendit: dehinc patientia sanctorum in tribulationibus probauit: pactum quoque & societas veræ concordiæ coadunatos, & inseparabiles demonstrando stabiliuit: extin modo virtute constantiæ fortiter roborantur, & per veram humilitatem illæsi custodiuntur, vt per discretionem in augmentum proficere valeant, & per longanimem perseuerantiam vsque ad congruam maturitatem perueniant. Post hæc quidem iam vltimi iudicij falx mittenda est: vt messis albens, quam granum frumenti per attactum Crucis in terra conditum, gloriosam & multiplicatam protulit, apparente ipso iudice viuorum & mortuorum, per Angelorum ministeria colligatur: & per sententiam eiusdem iusti iudicis in horrea cælestia fœliciter collocetur.

(∴)

De septimæ figurationis plasmate, vbi de quatuor elementis agitur.

IGitur omnia quæ in cælis & quæ in terris sunt, de lumine gloriæ Christi illustrata iam splendent: cuius maiestati subiecta seruiunt & sacræ Crucis factum beatificando concelebrant, vt sic victori superno debita vota persoluāt: hoc veraciter profitentes, omnia regna seruare modum suū sub dispensatione diuinitatis Hiesu: nō solum quæ in orbe mouentur, quin etiam omnia quæ sunt, viuunt, sentiunt atque discernunt & iura seruare norunt, sub hoc imperio consistunt ab initio. Imber quoq; ac grādo de nubibus, nix, pruina ac glacies, ros & serenum simul cum fontibus & riuis in terra profluentibus creatorem testantes laudant. Arcton Creticus & omnis stellarum positio simul cum vertigine poli auctorem prædicāt suum. Nemini displiceat quod dico: quia omnitenentis laudes scribo, & non irrisionem vel dolorem alicui ingero. Benedicite omnia opera Dñi Dominum: cantate & psallite ei. Laudans dicat iustus, quod Christus in Cruce exaltatus omnia trahat ad seipsum: & electos suos milites inuitet ad coronam. Non enim fas est, vt in laudando conditorem discordet factura eius, sed gaudens concinat sibi debitas laudes. Vniuersa aquæ natantia & serpentia terræ, montes & colles, harena maris, luci & omnia ligna syluarum, feræ, pecora, & truces bestiæ, vermes puluerei, & minuta volatilia, aues mansuetæ & lacerantes vnguibus. O genus christicolum, quo cæli & terra decorātur, à vobis lumen fidei & virtus prædicationis prodiens, legationem agit ad gētes, preces excitat, ad baptismum inuitat: sed maximè doctorum sermo, præclara exhortatione dolum diaboli denudat, & acquisitis per Dei gratiam electis exponit victoriam Christi. Omnibus fidelib. hoc quotidie prædicatur, nec non & paganis & falsis christianis & hæreticis cum summa modestia & patiētia intimatur. Qui ergò crediderit verbo Dei, saluabitur, qui autem nō crediderit aut prauis operibus fidem destruxerit, in ęternū damnabitur. Igitur quia Christi gratia in cælis & in terris redūdat, bene condecet, vt cælestia simul & terrestria, ore consono laudes Deo decantent & gratias agant. Populus Domini & oues pascuæ eius, qui partim in cælis iam cum Domino regnas, partim adhuc peregrinaris in terra: vna ratio vos ad laudandum Deum incitat, quos vnum gaudiū in cælis expectat. Nam quod datum est iam tenetis, & quod promissum est veraciter accipietis, quia qui promisit, sine dubio in vobis sua promissa implebit, rex vtique vester proprius & sacerdos, creator & saluator Hiesus Christus Dominus noster. VII.

De octauæ speciei forma, vbi de duodenarij numeri ratione expositum est.

CHristus itaq; Saluator noster, Christus rex mitissimus in cælis regnat, consilium optimum: virtus Dei patris summa, & benedictio vera, lumen de lumine, & ex Deo genitore diuina proles genita. Hinc videlicet totius iuris origo est: ad hunc fabrum tota cæli & terræ fabrica respicit: ad hunc pertinet omnis virtutum decor: à cuius bonitate & veritate omne bonum verumq; fit, ipseque mirabilis solus mirabilia facit: à cuius iustitia ordinatur quicquid in cælis vel in terris iuste decernitur, probatur & profertur: quicquid honoris habent Angeli boni: & quicquid pœnæ sufferunt Angeli mali: nec non & aliud quod Christus idololatriam de mundo expulit & diuinum cultum renouauit. Horum igitur omnium bonorum auctor est Dñs Christus: qui in vexillo Crucis suæ, honoris & potestatis propriæ iudicia demonstrat. Quapropter congruit, vt nos terrigenæ & paradisi exules noremus hos radios, quos diffundit hæc sanctę Crucis species: per quam Christus nos saluat, & reddit splendorem luminis, quem protoplastus peccans olim iam amiserat. Quotquot ergò à principio hos radios ritè agnoscentes venerabantur, perpetuæ lucis munere perfruūtur: crebroq; hoc iubare vibrabant arma Prophetarum: & sors Apostolica prædicans hac luce nobiliter coruscabat: hocq; sole fides Christi toto orbe terrarū relucet, atq; bona VIII.

corda hominum, votaque pia sanctorum parent: iusti quoque diuino munere pollentes, per mystica signa olim iá patribus tradita, bonum & salubrem conijciunt radium, & proinde mandatis Dei obedire persuadent populis, cum Christo ascribunt soli, profunditatem mysteriorum dignis reuelare: & dona perennis vitæ fidelibus tradere. Christus ergò rex summus & cęlestia tribuens Dominus munere diuinus, scandens alta Crucis robora, manifesta innotuit, hác speciem formando, per hanc se pandere cælos mundo, & vult, vt sequentes eius vestigia virę, per hanc reperiamus introitũ. Deniq; quater ternos ventos à quatuor plagis mundi & ambitu oceani, in habitu sanctæ Crucis coniunctos & coadunatos, saluator salubres fecit, signaq; XII. cum XII. mensibus suis ipse dominator sustentans, regit & gubernat, ac duodena spacia horarum, oriente sole disponit ordinabiliter trahi & perduci ad occasum. Ad hæc quoq; vniuersa demonstrãda distributio duodenarij numeri, quadrangulã sanctæ Crucis formam complet. Omnia namque vincula peccatorum nostrorum, quibus constricti tenebamur, crux Christi, gloria nostra, resoluit, ipsaq; erecta sacra cæli gaudia iuraq; terræ proponit & signat, laudat & probat, ipsaq; fidelibus veraciter confert.

De nona figura, quæ dierum anni numerum in Crucis specie continet.

IX. SOl & Luna en nunc competenti ordine Dominum Iesum Christum benedicite: quia sancta Crux est vester honor, stabilis lux, dispositus ordo, series, laus & probitas: spirituali lumine per cuncta tempora vos illustrans. Vos quoq; hoc termino, quẽ ipsa in quatuor hexagonis & monade inter eos posito portendit, dies & noctes totius anni solaris cõnumeratis: æquatisque, ad perfectionem eius numeri, cursum vestrum. Prædicta ergò figura eius habet in se tricies denos & decies senos: atq; insuper quinquies vnitatem. His quippe numeris rota Solis & Lunæ cursum suum noscitur indere, quatuor vicissitudines temporum his includuntur: quos oẽs in quinquaginta duabus hebdomadib. & monade, vnus pariter amplectitur annus. Ad hanc diem iam bifrontis reditũ tenet hic ordo: ad hanc transit horarũ series, temporum vicissitudo, annalis circuitus, & astrorum cursus: Ipseq; quadrans horarum superuacuus supra numerum certum dierum, quem in dispositione sex Angulorum quatuor hexagonorũ sancta Crux denotat, ociter ad illum terminum pertingit: quod in æquinoctijs ritè dignosci potest. O sacrum germen, quod clara luce fidei & sapiẽtię corda hominum in tenebris infidelitatis posita illuminas: tu es videlicet Crux sancta, miraculis coruscans. Nã & Christus hinc vbiq; per tua cornua latitudinem sui regni demõstrat. Tu regis fortissimi sceptrum & ara Dei altissimi, ordine potenti dilataris per orbem: descendisti ad inferos: tendis ad cælestia. Hæc decus & honor est totius mundi. Sem quoque verus idem nominatus noster, per cuius nomen solius tota saluatur creatura: cursum siderum ad huius formam temperat, ipsumq; regnum cæli donat: cum in hac sede positus claustra cæli nobis aperit. Hæc quippe humanũ genus laudans cantibus exponit: cum prædicat fideliter pro Christo à Iudæis crucifixo, quod media die lumen siderum obscuratũ sit. Nam Iudæa frendens licèt inuidia æstuaret: meliore tamen vsu in arbore Crucis hunc fructum extulit: quod ex quatuor plagis mundi & ex quadrifico Oceani limbo, gentes & populi vndiq; confluentes, spirituales delicias appeterent, quæ in sancta Cruce demonstrantur, vt sacris & mysticis epulis repleti, per dona summi patris ad centuplicem bonorum operum perueniant fructum: & intermixti splẽdidis nouem ordinibus Angelorum, in cælesti beatitudine ipsi perpetua claritate fulgeant. Quapropter moneo: vt quicquid canamus & quicquid scribamus, in redemptoris laudem totum vertamus: quatenus hac vna spe, quam per eum in eo habemus, exitum audæ & sæuientis mortis, perpetuæq; damnationis scuto fidei repellentes, possimus euadere: & sic regnum Dei superna luce nitentes læti mereamus possidere, auctoremq; nostrum ac redemptorem Dominum Hiesum Christũ, omnipotentis patris videlicet natum, dignis laudibus resonare, verum, sanctum atq; Dominum altissimum. Sit quoque semper hæc nostra ratio, sempiterna laus & perpetuus ardor amoris.

De ratione figuræ decimæ, vbi septuagenarij ratio descripta est.

NVnc itaque condecet, vt pia modulatio spe æterno- X.
rum nos lætificans, in hoc beato opere exprimat, quid nobis æternam vitam conferat, & quid corruptionem auferat, quidque delictorum veniam tribuat, & quid vincula peccatorum dirumpat: hoc est, sanctæ Crucis prædicet acta. Meritò ergò hoc vox humana faucib. resonat, hoc depromunt arte os proloquens, digiti scribentes, plectrũ linguæ & vota pij cordis, quod cecidit in bello draco tortuosus & noxius ille, qui arte maligna truculentus in paradiso Protoplastum nostrum decepit: cum prius ipse cadens Lucifer de cæli arce, tertiam partem astrorum traxit secum ad inferni sulfurea stagna: quia superbus & dolosus tentauit se æquiparare altissimo, in gelida Aquilonis parte ponens sibi tribunal. Hunc scilicet ferocissimum lupum agnus mitissimus strauit, iure potenti eripuit prædam, & studia immania fregit. At gentes ex imis & carnalibus desiderijs per sanctam Euangelij prædicationem conuertit ad meliora, & incendit ad cælestia dona: ne vel Iudæorum fabulosa superstitio, vel hæreticorum peruersa seductio, specioso velamine corrumpat casta corda christianorum: qui veritatem diuinæ legis agnoscentes, in robore fidei iam consistunt: & ne aridum fiat os gentium exinanitum à cultu dæmonum & adoratione idolorum, fœcundat illud in diuina laude auctor totius boni & largitor virtutum Christus Dominus: causat enim & damnat omnem perfidiam inimici, potens virtus sanctæ Crucis: & dimittens mundo debita, cunctas opes diuitum præcellit suo munere. Denique quod in septuagenario numero manifesta redemptio toto mundo fuerit, Daniel Propheta in septuaginta hebdomadibus suis, quæ ad Christum vsq; pertingebant, demonstrat: quãdo consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna. Hieremias quoque similiter post LXX. annos, resolutionem captiuitatis prædicat esse venturam: ast Moyses per LXX presbyteros, quos mandato Domini populo Israel prætulit, totius magisterij perfectionem, & reuelationem mysteriorum per Crucis sacramentum nobis fieri significauit. O crux benedicta Dei: in hoc quod septuagenarium numerum in quinque partes diuisum in medio tui, simul & per quatuor cornua tua quaternario, & denario numero amplecteris, significans te totum mundum per decalogum legis, & per 4. libros sancti Euangelij, ad concordiam & vnitatem fidei reuocare. Neque enim ipsum quinarium absque mysterio prætermittis: sed venerabiliter innuis humanum genus, non solum per internum affectum animi, sed etiam per exteriores sensus corporis tibi veracissimè esse deditum.

De vndecima figura, vbi Pentateuchus Moysi ordinatus est.

TE sancte pater inuoco Dominum cæli & terræ, vt sis XI.
mihi in hoc carmine doctor & rector, inchoato operi pius & clemens annuas sensum opifici, & verba sobria tribuens, vt possim fideliter pandere ad sanctæ crucis æternã laudem, & ad gloriã noui testamenti, quid lex prisca figuris significet modò in gratia, ipsis rebus spiritualiter obseruãdum. Nam cum primũ hæc maxima rerum machina, ab inuisibili & impenetrabili profunditate visibilis effecta est, & paradisus cum germine suo floridus & iocundus apparuit, statim in ligno vitæ, quod est in medio paradisi, vitale lignum sanctæ Crucis præfigurabatur: quod in medio gentium positum, præcedentes & subsequentes se viuificat & sanctificat generationes: cuius beneficio recreati quiq; boni & sancti viri, spirituales & vitales virtutũ proferunt fructus. Hoc etiã lignum passionis Christi præfigurabat Isaac Patriarcha: cum patre imponente proprijs humeris ligna portabat ad locũ immolationis suæ, sicut liber Genesis testatur. Sic & Exodus & cæteri libri legis edisserunt, quod forti compagine armorum sancta Crux nostrum preciũ euexerit: vt dote sanguinis sui sponsus supernus exhiberet

sibi sponsam, Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Hinc plebs Israelitarum Deo in Ægypto coniuncta, & per rubrum mare translata, laudes victrices redemptori suo decantabat: & itinere trium dierum gradiens, Domino misericorditer eos ducente, peruenit ad fontem Marat, qui per lignum mysticum dulcatus est. Igitur Pharao & Ægyptij persequentes, qui prius populo Dei quasi iam capto & reducto insultabant, submersi maris fluctibus sera pœnitentia doluerunt: Israelitæ autem visis magnalibus, ductori suo triumphanti, Deo videlicet patrum suorum canticum gloriæ concinebant, & in conditoris sui amore feruentes laudes triumphales exsoluebant. Porrò mare orientale hoc testatur: cum orbitas curruum Ægyptiorum hactenus in profundo, & in littore seruat. Denique veteris legis abyssum sancta crux uunissa dulcauit: & petram solidissimam excidens fontem viuentis aquæ produxit. Ad huius instar Moyses manus extendens in Amalech victoriam cepit: & per eam veri Amalech memoria deleta est sub cœlo. Duo ergò viri exploratores terræ repromissionis, qui botrum in vecte portabāt, duos populos significant: qui gaudia superna per passionem Christi in cruce completa, quosque credentes promereri posse prædicant. O crux benedicta Dei: quis bene mysteria tua noscens, tanta & tam dona præclara salutis satis enarrare valet? cui nulla lingua creaturæ ad laudes debitas celebrandas idonea est. Te patris æterni hostia in odorem suauissimum oblata, sacram aram dicauerat: viuificantem exaltasti serpentem: & vitale signū demonstrasti populo, quo saluari Iesus ab hostibus possit. Et quid amplius de te dicere possum: nisi hoc quod cuncta bona dederas, & mala cuncta auferebas.

De duodecimæ figuræ ratione, vbi nomen Protoplasti situm est.

XII. EIa modò dulcisona metricæ artis fistula, vade salutiferam Crucis Dominicæ laudem suauibus canere versibus: opusq; mirabile redemptionis nostræ, simul & consolationem vitæ futuræ deuotis celebrare laudibus: quia in sancta cruce mors victa est directissima, & peccatorū nostrorum vincula sunt resoluta. Lux nobis per Christum redijt pristina: & primæ præuaricationis concessa est venia. Nam primus Adam decorem immortalitatis nobis abstulit, cum pomum ligni vetiti contra præceptum gustauit: & secundus Adam, Saluator videlicet noster, omnem venustatem, & omnem gloriam atque honorem supernæ claritatis, nobis adueniens secum attulit. Vnius ob noxam multa & innumerabilia perpessi sumus mala, & temporalis mortis incidimus discrimina: Sic & vnius ob gratiam fidelia saluantur agmina, & luce potiuntur æterna. Deniq; sicut per lignum præuaricationis mors introiuit in totum orbem terrarum, & in infernum omnes descenderunt, etiam ipsi electi: ita & per lignum Dominicæ passionis mors captiuata est, & multi euaserunt ex ea, etiam peccatis obnoxij. Vniuerso scilicet orbi Christus per crucem aditum vitæ aperuit, & in ea potentiā virtutis suæ demonstrauit: ipsamque relictis idolorum cultibus honorabilem esse omnibus voluit. Per hanc sui sacramenti nobis patefecit arcanum: & ad custodiendum ius suæ voluntatis nobiscum firmauerat pactum. Primus homo de terra terrenus, terrenam generauit sobolem, cui & immitem hæreditauit mortem: Secūdus quoque de cælo cælestis, cælestem mundo intulit generationem: & æternā suis promisit beatitudinem. Hic est Dominus vniuersorum, & creator omnium rerum: regnum solus cum patre & spiritu sancto tenet æternum: & secum regnare vult cœtus gloriosos sanctorum. Ipse etiam per nomē Adam, quo 4. plagas orbis persignatas habet, potestatis suæ, qua dominatur in toto orbe terrarum, nobis dedit indicium. Nam anatole, dysis, arctos, & mezembria, quatuor mundi partes in capitibus vocabulorum suorum hoc resonant. Vnde condecet, vt cuncta viuentia atque subsistentia Dominum suum recognoscant, & laudibus deuotis concinant, quod Iesus Christus verus est filius Dei, & omnipotens dextera patris omnipotentis: cuius curatio salubris est & contactus medicina salutis æternæ.

De Tertiadecimæ ratione figuræ, vbi ille dierum numerus comprehensus, quo Christus in vtero virginis moratus est.

ARbor odoris suauissimi & expansione pulchrarum frondium latissima, ortus deliciarum incomparabilis affluens, vbertate largissima floribus virtutum & folijs verborum iucundissima, per prædicatores sancti Euangelij fructificans, opes condis cælestes: exaltata quidem maiestate super omnia ligna syluarum honorabilis & decora existis: quia claritas Christi in te crucifixi, gloriosam & speciosam & venerabilem omnibus te exhibuit. Hoc quisquis in fidei firmitate consistit, plena deuotione profitetur, licèt dæmonis vis horrida salutem hanc credere atq; cognoscere gentibus inuidens hactenus reluctetur. Varias quidem virtutum species in situ tuo demonstras: & abundantiam spiritualium diuitiarum te habere significas, ex sanguine Christi purpureo fulgore nites, & pro Christo animas nostras ponere fortiter suades. In te Ecclesiarum saluatoris celsitudo consistit, & vnitas fidelium in fide & pace permanebit, quod etiam erectio tabernaculi Mosaici seu ædificatio templi Salomonici præfigurabat: hoc & altare holocausti siue thymiamatis, atque ignis in eis semper ardens significabat: hoc & candelabrum cū quatuor lucernis: hoc & sabbati ocia indicabant: quia in Christo agno videlicet Dei immaculato, pro salute nostra in ara Crucis immolato, & fidelium est illuminatio, & requies perpetua sanctorum. Ipse est ad vitam per passionem Crucis præuius noster, ipse salus æterna, ipse lux vera, ipse bonitas pijssima, ipse redemptio nostra, ipse est & vita sempiterna, ipse est princeps tanquam filius in domo sua, Ecclesia videlicet sancta: ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum: ipse principatum diaboli destruxit, & conatus eius noxios retardauit: qui per frigus infidelitatis feruorē charitatis extinguere studet, & per illecebras voluptatum fœlicitatem verā promittens fallax decepit: & per hanc dementiam iam quasi captum irridens: manifestis vitiorū vinculis & catenis peccatorum stringit. O Crux sancta, ô arbor speciosa, quæ omnia cedrorum nemora altitudine & pulchritudine incōparabili superas: en numero competēti in cornibus tuis radianti dona serenissima & beatissima per aduentum dominicum portēdis. Ostendis enim seriem dierum: quibus Saluator in vtero virginis incarnatus est: & per hanc morā patientiæ & humilitatis eius documēta nobis præbes: & quia cum lenitate & trāquillitate per partum ad nos venit, mānsuetudinem suam & obedientiam, quam vsq; ad mortem in re perpetratā seruabat, designas. Ideo data est ei omnis potestas in cælo & in terra secundum humanitatem, qui cum patre & Spiritu sancto cęlum & terram & omnia quę in eis sunt creauit secundum suam diuinitatem: sicut sancti dudū cecinere Prophetæ, quod cęli & terrę factor paruulus filius nasceretur, cuius imperium super humerum eius esset.

De Figura Quartadecima, in qua numerus annorū ab exordio mundi vsq; in annum Passionis Christi notatus est.

VEre dignum opus est, ac præclarum valde, trophæum cælestis regis dulcisona modulatione psallere: triumphū dominatoris æterni competenter prædicare, quo mūdum de potestate Tyranni eripuit, ipsumq; regno eius destructo ac reprobato, æterno carcere damnauit: in quo etiam cælestia & terrestria atque maritima regno sibi acquisito fulcit atque sustentat. Nam quando eius exaltatio fuerit ab origine nascentis mundi, accurrens cum mysterio annorum numerus per notas Græcorū in figura ipsius dispositas exprimit, & ob hoc credentium deuotio augetur, cum perspicit conditorem omnium rerum tam congruè, & tam conuenienter rebus ipsis temporum seriem coaptare: quod figura Crucis & redēptio in ea perpetrata, ac salus per dona virtutum fidelibus collata, cum numero sacris mysterijs pleno rite in omnibus concordēt. Deniq; principium libri genesis manifestissimè comprobat atque confirmat, quod Dñs prisca sæcula & creaturam suam in principio ab ipso conditam, per sanctam Crucem iuxta finem temporum renouauerit: quia dum post sex dierum opera, hominemque creatum, requiescere Deus dicitur in sexta ætate sæculi,

ac sexta feria dierum, per Crucem homine reparato, Sabbatho in sepulcro requieuisse redemptor demõstretur. Diuino ergo nutu dispositũ est, quod numerus V. CC. XXX. I. figuræ sanctæ Crucis aptè conueniret, & per hoc demõstraret passionis Christi sacramentum, omni nequitiæ dæmonum, ac falsitati prauorum hominum resisteret, opprimeretq; potentia, & superaret iustitia omnem quicunque fraude ac dolo derogaret dispensationi dominicę incarnationis, taceretq; penitus veritate conuicta omnis Philosophorum atque Hæreticorum versutia: sed nec vltra fallax Iudæorum factio dirum ac immitem affectum Christi opponeret Euangelio: quia ipsum virtus Dei est in salutem omni credenti, & per hoc patescit voluntas Creatoris, & demonstratur sanctam Crucem omnia tempora mundi in electis Dei, qui ab initio fuerunt, sanctificare, & regnum cęleste promittere, quod per redemptorem nostrum cunctis fidelibus tribuetur, qui verbo eius obedientes corde credulo, & opere mundo Deo placere studuerunt. Species quippe sanctæ Crucis grandis consolatio est fidelibus, materiam tribuit laudis, quia bonitatem nos scire facit creatoris, & ipse prius hominem in Paradiso formauerat rectum, & nunc nolens eum perire fraude hostis antiqui, per Crucẽ illum recuperans reduxit ad Paradisum. Crux quippe est arx virtutum & remissio peccatorum, ipsa scilicet de his infimis atque caducis, ad cælestia & superna prouehit omnes, quos per Fidem & Spem atque Charitatem dignos esse æterna visione Dei Christi electio comprobauit.

De Quintadecima Figura, vbi Agnus & quatuor Euangelistæ depicti sunt.

XV. Filius Dei patris altissimi, qui dira iacula inimici frangis nequissimi, da nobis sanctæ Crucis victoriam carmine dulcisono modulari. Nempe Euangelista Iohannes, velut altiuolans aquila, in ipsum solem iustitiæ figens aspectum mentis, verbum Dei vera reuelatione cognouit, & claro sermone prędicauit, atque conscripsit. Ita quippe gratia diuina præ cæteris Euangelistis collata est Iohanni: vt cum illi incarnationis Saluatoris & humanitatis eius arcana maximè conscriberent, iste diuinitatis eius sacramenta profundo sermone reuelaret, quod videlicet factor omnium rerum, animam & corpus in se sumpsisset humanum, & qui in principio Deus vnus erat cum Deo patre, in fine temporum visibilis appareret in carne. Hunc figura Leonis significat Regem, hunc vitulus præfigurat pontificem, quia ipse vt Leo & quasi catulus Leonis certamine confligens, opulentissimam arripuit prædam, atque idem Sacerdos & hostia fieri dignatus, salutem nobis concessit æternam, suisq; participibus dona largitus est immensa. Marcus quoque in mysterio VII. panum, quibus IV. millia hominum Iesus satiauit, mysticè VII. dona Spiritus sancti indicat, quibus Euangelicum populum Saluator quotidie reficit. O tu Euangelista Lucas, regem iustissimum victimam salubrẽ prædica, hoc fides tenet Catholica, & pontificem clarum scriptis tuis resona, qui totius mundi tollit peccata. Hic ergo cum esset manus æterna conditoris, & patri æterno cõsubstantialis, ecce in diebus Herodis regis est natus in Bethlẽ ex Maria matre infans admirabilis, ad salutẽ videlicet missus totius mundi. Nobilis ipse puer, qui & vetustus dierum per Prophetam describitur, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bozra, qui torcular Crucis solus calcauit, & licèt fuerit in Cruce suspensus, tamen astra sustentauit arbiter supernus. Crucem enim patiens ipse sanctificauit, glorificauit, & cœlesti benedictione ditauit. Igitur Matthæus qui primus in Iudæa scripsit Euangelium, humanum vultum figura denotans, significauit Christum de stirpe Dauid secundum hominem esse natum, demonstrauitque eum promissionis esse Filium, cum Abraham in capite generationis posuit, contra duritiem scilicet & obtusionem cordis infidelium, qui negant Christum ad salutem gentium esse destinatum. Nam hoc aduentus Saluatoris veracissimum est signum, quod per Patriarchas & Reges gentis Iudęę generationis ordo descendens, ad ipsum vsque peruenit Christum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium.

De Sextadecima Forma, vbi de septem donis Spiritus sancti narratur.

Te sancte Spiritus paraclete supplex deprecor, vt salubris super nos à superno solio descendas, & tibi dedices deuotam mentem vatis, cordaque benè credula ac fida facias, quia tu quoq; Spiritus es vitæ, quem se ex patre promissum Christus Dei virtus & Dei sapientia, discipulis suis mittere profitetur, donum videlicet illud, quo omnes sanctos suos ante aduentum atque post aduentum suum admirabiliter ditauit, suamq; sponsam, id est, Ecclesiam sibi in peregrinatione istius mundi desponsauit, & sanguinis sui precio comparauit. Cuicunq; ergò tu das intellectum, mysteria diuina per singula testimonię vtriusq; testamenti pleniter capit, & intimè doctus omnia sagaciter inuestigat, & veraciter pensat, qualiter te diuina sapientia Christus in orbem miserit, suæq; sponsæ arram vel pignus dederit, dum coæternus Deo Patri & Filio & consubstantialis simul, cũ eis omnium rerum artifex existis, & omnia penetras, nec est vlla creatura inuisibilis in conspectu tuo. Te quidem Esaias Propheta diuinitus inspiratus, in VII. species nominum propter diuersitatem donorum, qui vnus atq; idem es, distribuit atque Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, & Spiritum timoris Dei nuncupauit. Christus itaq; Saluator noster ac vitæ æternæ dator, factis atq; mandatis te Apostolis suis bis dare se ostendit, cum bina charitatis præcepta constituit, vt Deum ex toto corde diligamus, laudemque eius pleno affectu pronunciemus, omnemq; scientiam nostram atq; intellectum in veritate eius gratiæ deputemus, & proximos nostros tanquam nosmetipsos amemus. Nam post resurrectionem suam in suos discipulos sufflans, accipere Spiritum S. eos iussit, & item in die Pentecostes de cœlo in linguis igneis apparentem eundem Spiritum S. super eos misit, quod videlicet sancta Crux Dei in figura sua nobis demõstrat. Nam erecta eius pars diuinum, transuersa quoque fraternum commendat amorem, cuius amoris integritatem Christus nobis ostendit, ac suo exemplo nos instruxit, qui dilectam animam suam in Cruce moriens pro amicis suis posuit, & nos idem facere docuit. Hunc amorem semper laudabilis, & semper laudandus, sancte Deus Spiritus tu pône in me, & timor noxius atque carnalis affectus procul recedant, quatenus gloria sanctæ Crucis aucta ac multiplicata, mecum in vera professione & digna laude in æternum perseueret, quia tu es quidem ille, qui os implet mutum, & cœlestem facit ritè resonare cantum. XVI.

De Septimadecimæ Figuræ ratione, vbi octo beatitudines annumerantur.

O Sancta & beata, potens & venerabilis Crux Christi, laus vitæ futuræ & gloria redemptoris, tu quidem prospera functio es, & vitalis cunctis ab initio sæculis, benigna & honorabilis, quia cum Christi membra in te suspensa passione fatigabas, innumeros populos à tenebris peccatorum suorum eripueras, & cœli regnum, quod per transgressionem ablatum fuerat, misericorditer per gratiã reddebas, quoniam bonitas conditoris non passa est perire illos qui spem in illa iamdudum habuerant, sed per te remunerauit eorum bona merita, videlicet æternam eis tribuens coronam. Nam semen Euangelicæ doctrinæ, quod in discipulorum corda Saluator seminauit, secundum suũ placitum in eorum opere multiplicauit, cum in monte sedens docebat eos, & incipiens ab VIII. beatitudinibus largissima documenta protulit, nimirum per numerum figuræ sanctæ Crucis aptissimum innuens, quia sancta Crux collatrix virtutum, & initium ac perfectio est salutis nostræ, & per ipsam fit saluatio & resurrectio nostra. Sic ergo condecet, & sic ô quicunque es de iustorum numero, quãdiu hic sis, diuinam laudem cum timore & amore profer, fac opera iustitiæ, inimico tuo qui te persequitur indulge, & præsta ei refrigerium, pauperes Christi, qui nunc in præsenti sæculo lugent, & esurientes ac sitientes iustitiam, ad vitam futuram toto desiderio anhelant, benignè suscipe, XVII.

quia

quia ipsi inspiratione diuina compunguntur, ac sursum habentes cor contemplantur, quis consilio æterno regit omnia, & quis miseratione immensa indulget peccata. Hoc ego nunc latina lingua describo, hocq; opto, vt ipse refectio mentis meæ sit in præsenti, & in futuro satietas æterna. Nō enim superbus quisquam hinc iustificabitur, quod ore & habitu humilitatem ostendit, supernumq; regnatorem solo prostratus adorat, dum interna cordis eius superbè sentiunt, & opes habens eleemosynas non facit, nec per valetudinem corporis sui (cum integer viribus sit) opera facit iustitiæ: quia certum & perspicuum est, quod omnitenens conditor non solum verba, sed & facta bona & vitam honestam omni tempore quærat. Igitur quicunque æternam lucem veraciter quærit, & ad æternam beatitudinem vult peruenire, necesse est vt per octo titulos Euangelicos, in quibus species veræ beatitudinis exprimuntur, ad regnum tendat supernum: quia & in ipso numero resurrectione generali perpetrata, post peractum iudicium sancti Dei pariter cum Christo regnum intrabunt æternum. Crux quoq; Christi via est iustorum, ascensus ad cælum, rota de infimis ad superiora nos trahens, dux & ianua regni, victoria nostra. Per illam vitam possidebimus veram, & mercedem percipiemus æternam, quæ & binario quater posito, octonarium in se concludens, significat quod per duo præcepta charitatis, quæ nobis sancti 4. Euangeliorum libri cōmendant, promereri possumus gaudia sempiterna. Hoc quoq; omnipotens Dei omnipotentis Spiritus, qui nos per pacem & charitatem veram, ad regnum inuitat futurum, in septē donis gratiæ suæ ascensus in cordibus nostris posuit: vt demonstraret eo modo ritè posse quoque cœlum ascendere fideles, si eius gratiæ participes fieri non neglexerint: & quod eos expectet sursum gloria & corona sedis lucida in arce superna, quos hic irradiauit cum virtute charitas vera.

De octauadecima specie, vbi quadragenarius numerus positus est.

XVIII. EXpone modò & laudans edic ò homo toto affectu animæ, & vniuersis sensibus corporis triumphum nobilem victoris æterni, quem gloria Dominicæ Crucis vbique experit, super celsa cælorum sidera, & subtus abyssi profundissima tartara, vbi lucis æternæ permanet candor, & vbi noctis perpetuæ perdurat horror: necnon & per cuncta terrarum spacia, vbi nox diesq; suis inconfusis alternant vicibus, quousque mundi adueniat terminus. Hoc sensus animi cogitet, hoc guttur voce resonet, hoc lingua in palato concrepet, hoc manus literis scribat, hoc labia verbis exprimant, hoc ipsa figura metrico opere depictá notet: quæ licèt difficulter, tamen ordinabiliter per quadragenarium in 4. decades diuisum & exemplatum, clara sanctæ Crucis præconia promit, qui numerus plenus mysterio venerabili, & superno serenus lumine, inter cætera sacramenta significationis suæ, præsentis temporis gestat figuram: quo sancta Ecclesia sub Christo principe, contra spirituales nequitias & contra amatores mundi, scuto fidei & lorica iustitiæ, galea salutis & gladio Spiritus (hoc est, verbo Dei) fortiter & insuperabiliter præliatur, & confidens sui regis potentia, virtutisque eius conscia, omnia tela hostis antiqui frangit ac prosternit ignita. Vexillo quippe Crucis, quam in fronte signatam, ipsa victrix gloriose gestat, partis aduersæ confundit frontem, atque sæuam inimicorum subitò perturbat aciem. Ergo in sancta Cruce Saluator noster antiquum hostem vicerat, & in numero eius figuræ ritè & aptè conuenienti quadragenario videlicet, sacrum ieiunium in deserto protendebat, vt raptorem fraudulētissimum prius tentantem, per patientiam & humilitatem vinceret: ac deinde in nequitia sua persistentem ac perdurantem, ipse moriens æterna morte iustè damnaret. Sicut enim serpens ille lubricus & callidus, hominem primum per gulam, auaritiá & vanam gloriam ad facinus illexit, & ita eum morti obnoxium reddidit: sic & è contrario competentibus medicamentis, Saluator noster per abstinentiam, benignitatem atque humilitatem, humanum genus ad vitam erexit: ipsum quoque auctorem mortis, æternis cruciatibus reum, victor tartaro subiecit. Christi quoque pugna nostra victoria est, eiusque triumphus nostra salus est: qui sedet in cælorum arce, & prospicit in inferiora terræ. Cruxque eius ipsa est totius orbis honor: ipsa totum sustentat mundum, ipsaq; mihi carmine semper & amore venerabilis permaneat: Semper in ore meo laus, & exultatio in corde perpetua.

De forma nonadecima, vbi quinquagenarij numeri ratio est.

ATtendite oculis & videte mente, audite auribus & XIX.
percipite corde, ô omnes fideles, in quibus charitas Christi & amor sapientiæ feruet: quibus curæ est ad lucem æternam peruenire, & incorruptionem atque immortalitatem sine fine percipere. Laudem Crucis Christi carmine depromo. Hic summi opificis virtus ostenditur, & beati operis decor exprimitur: artisque ipsius nobilitas declaratur. Vester honor honor est non caducus, sed secundum redemptionis ordinem manet perpetuus: immortalis est vestra in cœlis palma, quia Christus ipse vobis est victoria, qui salus nostra veraciter existens, vindictam in hostem detorsit antiquum, & in Cruce degustans mortem, ipsum mortis deuicit auctorem. Huc omnes conuenite ægroti, & ægritudinis vestræ ne vos pudeat illi molestias conqueri. Verus vester medicus est iste, quem sancta Crux in patulo gestauit stipite: ipseque manibus suis expansis ad medelam vos inuitat, qui vobis sanitatem integram citius præstat. Pandite illi vulnus mentis, & in vlcere corporis virus latens nolite abscondere: poscite medelam cordis deuotione, & pulsate medicum in bonorum operum strenuitate. Ipsius ergo manus salutifera: nō in dilatione temporis nouit tardare, sed in velocitate momenti idonea est, sanitatem præstare omnibus, qui salubriter merito compuncti, & cum reuerentia ab ipso vero medico curari appetunt, cui summa est virtus ad curationem perficiendam, & sapiens consiliū ad salutem præstandam: qui de supernis & perpetuis ad infima & temporalia descendit, vt rerum naturam (quæ corrupta est) diuina dispensatione reintegraret, metusq; mortis abiret, & signa beatitudinis per charismata diuina rursum in homine demonstrarentur. Numerum ergò quinquagenarium salutarem nobis esse, sanctæ Crucis species in cornibus suis descriptum venerabiliter notat, & sacramentis cęlestibus plenum esse ritè designat. In illo enim veri iubilęi, id est, plenæ remissionis notitia datur: in illo sabbathi requies ritè celebratur. Ille legis veteris datione insignis est: & in aduentu Spiritus paracleti super Apostulos insignior, ille pacis auctorem venisse prodit, & pacis signaculum perfecta reconciliatione inter Deum & homines, per Spiritus sancti gratiam ostendit. Ipse venerabilis in specie, salubris in figura, & perfectus est in sacramentorum decore. Nam X. litera figuræ sanctæ Crucis aptissima, & denarium numerum designans per II. loca posita ad exemplar sanctæ Crucis, quinque libros legis cum 10. præceptis significat, quia quod lex vetus per figuram & vmbram quodammodo depinxit, hoc totum Christus per Crucem in nouo testamento secundum veritatem impleuit. Omnia quippe sanctæ Cruci decentissimè conueniunt, & character literæ & numerus in ea denotatus, legis mysterium & temporis sacramentum, factumq; in hoc laudabiliter perpetratum, ideoq; oportet vt omnes sanctam Crucem laudemus pariter ouantes, crucifixoq; regi incessabiliter gratias agamus, qui sanguine proprio vniuersa laxauit debita mundo.

De Vicesima Forma, vbi centenarius & vicenarius numerus inditus est.

ECce sanguinis Christi pia effusio, & vnda illa, quæ ipso XX.
dormiente in Cruce, de latere eius emanauit, mundat nos à sordibus cunctis, quia ipse redemptor morte sua, noxia cuncta à nobis tulit, cum labes peccatorum nostrorum dempsit, & chirographum quod erat nobis contrarium per passionem suam deleuit. Laudabile quippe dogma Euangelij condidit, quod peccatorum tenebras fugans omne facinus vetat, idolorumq; culturas penitus abnegat. Quod vitam docens honestam, per virtutum potentiam in prædicatoribus suis commendat, vniuersis sub cœlo nationibus. Post ascensionem quoque Saluatoris, Apostoli ab ipsa veritate instructi, prædicantes Euangelium mysteria veteris testamenti per Christum impleta & declarata esse testati sunt, & ipsum finem esse legis & Prophetarum veris

assertionibus firmauerunt. Denique CXX. numerum in ætate legislatoris & in aduentu Spiritus sancti super Apostolos insignem lauda litera, secundum significationem suam quater posita, id est, in Crucis modum nobiliter cõplet, pandens fidei sacramenta, & veræ beatitudinis demonstrans gaudia, quia sicut per IV. characteres laudæ, sancta Crux in vnum colligit CXX. vnitates, ita Spiritus sanctus adueniens in notitia omnium linguarum coadunauit CXX. credentes: vnde apertè ac manifestè datur intelligi, sanctam Crucem veram esse nostram redemptionem, & in ipsa veraciter nostram consistere vnitatem. Percepto itaque dono in loquela omnium linguarum, alacer cætus credentium, lumen sparsit vbique diuinorum testimoniorum, coruscante simul frequentia miraculorum, & rete Euangelij misit in pelagus istius mundi, vt sagena Domini retraheret homines de profunditate abyssi, & conglutinaret ad soliditatem Dominici vexilli: vtque insignia Crucis Christi omnibus pateant, quomodo dona spiritualia quibusque consignet fidelibus, & præmia quæ incarnatus Saluator illis promisit, ipsa fideliter eos percipere in cœlis faciat, quæ videlicet præmia in auctu secundum meritorum qualitatem sunt posita, & sponsor verus Christus filius vtique Dei, simul cum patre Deo & Spiritu sancto, quibusque dignis multiplicia in supernis seruat, & veraciter donat rex regum in æternum regnans, & omnia regna ditione propria gubernans, qui dederat nobis Spiritum paracletum, pignus salutis & hæreditatis nostræ, vt nos secundum voluntatem suam regens seruet, quoadusque ouantes gaudia vitæ faciat introire. Psallite vitam deuotè, benè psallite Domino Christo, gentes omnes, tribus & linguæ vniuersæ, & cognoscite verum regem vestrum, sapientiam & virtutem Dei patris, cuius potentia mors victa succubuit, & memoria mortis deleta est, omnium rerum parentem Hiesum cognoscite. Hæc laus quia ex vero & probato prolata est germine, finem & perfectionem habet æternam requiem. Iste enim naturæ nostræ inditus est ordo, vt in dicta cum reuerentia & tremore seruet, & in futuro perpetuam remunerationem expectet. Hæc quoque est gloria nostra, hęc & virtus, hæc vera stabilitas quietis summæ, istque iura religionis benè seruat, & ritè arbitrio suo vtitur, qui bona summa præ omnibus appetit, & media rationabiliter regit.

De Vicesimaprima Figura, in qua septuagenarius & binarius numerus est comprehensus.

XXI. ERgo lex Domini vera & irreprehensibilis, duorum testamentorum libris conscripta, in figuram sanctæ Crucis ponenda est, per quam & orbis terrarum ab ira debita solutus est, & vitam perpetuam portumque salutis & quietis æternæ inuenit, post naufragium videlicet illud, quod primus parens noster per præuaricationem diuini præcepti super nos induxit. Nam quia per lignum vetitum mors sæua totum genus humanum absorbuit, ac suo iure captiuauit, vt hoc à potestate eiusdem mortis eriperet, redemptori nostro placuit, lignum sanctæ Crucis in terra erigere, quatenus hoc quod per gulæ noxam hostis ille deglutiuerat, cuspide ligni vitalis perfossus, per continentiæ gratiam euomeret, meritasq; pœnas inde lueret, quod contra omne ius & omne fas, seruus nequissimus & fur dolosissimus, sibi dominatum in alieno opere vsurpauerat. Hoc & iam auctor totius creaturæ, & largitor duorum testamentorum Deus intimare volens, opus salubertimum sanctæ Crucis & per legem prædixit, & per Prophetas promisit, & per Euangelium suum se complesse fatetur, vt homines creatorem suum recognoscerent, redemptoriq; suo gratias agerent. Denique sancta atque magnifica Crux hinc se totam serena luce coruscam ostendit, seq; viam atque ducem ad perpetuam vitam nobis esse demonstrat, ideoque radijs suis micans lampas lucis æternæ, omnes gentes ac populos ad cælestia regna prouocat, ab hosteq; misericorditer erutos pronunciat, sicq; nunc in nocte istius mundi positos sua illustratione lætificat, atq; hinc ad alta cælorum benè meritos postmodum eleuat. Nec ergo verendum est, quod vlla fallacia aliquem decipiat, sed principe huius mundi foris eiecto, veraciter vera victrix regnat. Hinc quoque est quod in prædicatione potentiæ & dominationis eius, sancti prædicatores miraculis coruscant, totumque orbem sibi subijciant, redemptosq; per Christi gratiam deuotos corde, placidos motibus, mansuetos patientia, tranquillosq; conuersatione perficiant. Ecce quot linguæ sunt nationum, in septuagenario & binario numero, Crux sancta exēplata demonstrat, omnibusq; gentibus per hoc lucis portam patentē significat, hoecq; per 70. & duos discipulos Saluator ipse prædicare insserat, sanctorumq; Archangelorum consortia, post resurrectionem generalē in cælis promiserat, quod etiam ipse numerus designat. Octonarius namq; numerus & nouenarius in se multiplicati, septuagenarium & binarium creant, quorum octonarius ad resurrectionis tēpus, nouenarius verò ad nouem ordines Angelorum respectat, sicq; Catholica fides tenet, quod in fine mundi, hoc est, in octaua ætate sæculi sancti resurgentes, in societatem transeant Angelorum. Omnia namq; peccata mundi Christus in passionis suæ ardore consumpsit, quando ex parte carnis in ipsa mortem gustauit, ac per potentiam diuinitatis suæ electos suos ab inferni carcere liberauit, & sobrietatis ac fidei lumen, per Apostolos suos generi humano prædicari iussit, legem videlicet suam veterem & nouam, quam in hoc, quod sanctæ Crucis figuræ congruit, leue onus atque iugum suaue esse, & ad cœlos ducendi idoneum omnibus credentibus sibi demonstrauit.

De Vicesimasecunda Figura, in qua Monogramma depictum est.

CHristus qui est verus redemptor noster, in quo est omne desiderium nostrum, qui per gratiam suam hoc opus me facere voluit. O vtinam ipse laboris finis, ipseque mihi sit pretium carminis, cui omnia bona placent, quia ipse omnium largitor est bonorum. Hic ergo hortatur inuitans omnes ad cęlestia dona, spondetq; hęc facilè impetrare posse, si spretis cunctis cupiditatibus istius mundi, per fidem, spem & charitatē quis ea dignè quæsiuerit. Hæc quidem dona ipse in hunc mundum veniēs, & carnalem amorem gladio piæ separationis interficiens, per Euangelij sui Prædicatores seminauerat, & fructum pacatissimū in agro suo conquisiuerat. Hoc quidem semper optimus Magister docuit, vetans ne ad ima & procliuia se verterent: sed magis ad ardua se erigerent, atq; intellecto Euangelio suo inolitā iniquitatem morum deponerent, & mites ac mansueti esse discerent, quatenus in secundo suo aduentu, cum aduenerit in gloria patris sui, cum angelis suis reddere vnicuiq; secundum opera sua tales inueniat, quibus propter merita bona æterna reddat & præmia. Iste quidem numerus, quem in literis Gręcis hoc Monogramma figurat, Domini Saluatoris vtrumq; significat aduentum, hoc est, illum, quando in humo natus principem huius mundi foras eiecit, post Baptisma scilicet suum, prædicans Euangelium regni, & sanās omnem languorem & omnem infirmitatem in populo, & illum, quando idem iustus iudex homo Christus Hiesus, de solio Dei patris in iussu & voce Archangeli, & in tuba Dei descendit, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent ad gloriam, secundum pręconium sancti Euangelij & voces Prophetarum, quæ testantur sanctos Dei visuros bona Dñi in terra viuentium: quando venient & apparebunt ante faciē Dei. Qui ergo boni meriti sunt, tunc accepta talenta cum lucro reportant ad Dñm, & ab omni labe peccatorū mundati (lauerunt enim stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine agni) illum sequi promeruerunt, cantabunt Deo canticū nouum. Alleluia videlicet Angelicū carmē, die noctuq; in templo sancto eius, nec erit ibi luctus neque vllus dolor, quia prima abierunt, omniaq; facta erunt noua. Igitur necesse est vt Deum & Dominum nostrū fide plena, quę vtiq; per dilectionē operatur, placare studeamus: quatenus ipse tunc adiutor & Saluator noster fieri dignetur, quando secundū scripturas ad iudiciū venerit: ignisq; ante eū præibit, & inflammabit in circuitu inimicos eius, & venient ministri eius, & colligent de regno eius omnia scandala, & alligabunt Zizania fasciculis ad comburendum: triticū autē congregabunt in horreum Domini sui. O nimium fœlix anima, cui licet cum corpore incorruptibili intrare ianuas cæli, & mundis oculis cordis auctorem conspicere lucis! Cuius desideriū ritè tunc implebitur, quādo ex omni parte perfecta manebit, & æterno gaudio cum sanctis Spiritibus

Angeli-

Angelicis in luce perenni perfruetur: laudes Psallēdo Christo, canticum vtique nouum Domino cantando in Ecclesia sanctorum, in quo studio postea nunquam lassescere nescit, quia sic regna cæli habere perpetualiter appetit.

De Vicesimatertia Figura, in qua vicenarius & quaternarius numerus annotatus est.

XXIII. EN nobilis hic micat flos, & veri regis, hoc est, Iesu Christi nomine pictus, quē figura sanctæ Crucis cornib. suis exemplatur, læta facta Christi demōstrando. Senarius ergo numerus, quem per singula cornua, terno versu dispositū sancta Crux notat, perfectionē passionis Christi, nostræq; redēptionis designat: quia sicut in senario numero mundi creatura perfecta significatur, ita & senario numero, per Christū, qui in sexta feria crucifixus est, mūdi reparatio perfecta insinuatur. Clara nēpe dies illa fuit, qua cōditor opus suū perfecit, nec minus ista clara est, qua redēptor opus suū testāurādo sanctificauit. Tunc ergo creator creaturā suā operādo cōplenit, & nūc etiā ipsam reparādo benedictione cælesti repleuit. Deniq; ad insinuandū mysterium factū est, quòd senarius in quatuor cornibus Crucis positus, per 4. plagas mūdi tēdit, rerū perfectionē demonstrans, quia ipse numerus primus perfectus est, ipseq; diē artificialem dimidiat, & bis positus cōplet: ipse vnius mēsis est pars sexta, & totius anni sexagesima: ipse quadrantem bisextilē numerat, & cū 5. diebus superfluū coadunat: ordinat ætates mundi, & temporū cursum finiet, quādo rex regū veniet sanctis suis placido vultu peccata dimittere, & regna cœlestia tradere. Ergo bone rex Christe Hiesu, tu benè scis famulis tuis certa præmia dare, quos ex omni mundo vera fidei lux illuminās, & viuus sapiētiæ haustus irrigās, decor charitatis & iustitiæ opera ritè ornātes ad te perduxerāt. Deniq; prædictus numerus circa Crucē positus, indicat cōcursum plebiū à 4. plagis mūdi ad redemptorē suū, eius diuinitatē pro æterna salute deprecantiū, vt ipsius magnitudinē ex perfecto Euāgelij dogmate auidè discāt, & perfectā fidē perfectis operibus probēt. Omnia quidē opera Dei perfecta, perfectū insinuāt creatorē, proprioq; decore eius decorē inæstimabilē testātur. Vniuersa, quæ in cælis sunt, & quæ in terra & quæ in mari, optimū laudāt artificē: At nos homines, qui aliquātula pars creaturæ eius sumus, licèt nō condignā, tamē deuotā cātemus gloriā nomini eius, & gratias ei agamus pro redēptione nostra, quia ille qui nos fecit & multiplicauit, ipse nos proprio sanguine de inimici potestate liberauit: Sic quoq; in hoc celebri carmine eius amorē, quē in nobis ipse ostendit, prædicemus, quia hunc inæstimabili pietate operando demonstrauit, defensando insinuauit, suadēdo quoque & sibi placitum esse ostendendo nos habere præcepit.

De Vicesimaquarta Specie, vbi centenarius, quadragenarius & quaternarius numerus signatus est.

XXIV. O Plebs dilecta Deo, sanctissimus ordo virginum benedicite Dño Christo, cātantes ei canticum nouum, quod cæteris omnibus est imitabile. Psallite decus gloriæ immortalis ante sedē altithroni, & ante 4. animalia, quę diuersis vultibus formata sunt, & ante 24. seniores sedētes in 24. sedilibus. Vos estis sumpti ab hominibus, primitiæ Deo & agno, pulchræq; cohortes, sanguinis illius precio cōparatæ, in eius castris consistitis, ac dignissimas laudes triūphi nobilissimi cātatis. Vestra manus cytharis modulās, vultum Dei serenū ac placabilē terrigenis reddet, cū clamore valido atria domus Dñi replēs, tanquā vox tonitrui magni tonat in æthere, & sicut vox cōcrepat aquarū multarū in vallib⁹. In ore quoq; vestro nō est mēdacium inuentū, neq; in corde dolus, sed pia carmina aptantes, dignas laudes ante thronū Dei, die noctuq; concinitis, per indicia virginitatis atq; castitatis corporis atq; animæ, quæ in vobis rex vester super omnia diligit. Nā hāc animā vobis nullus alius dedit, quā ductor & cōditor vester, vt sine vlla reprehēsione viuētes in terris, æternā inde remunerationē postmodum accipereris in cælis. Quapropter probatissimus & perfectissimus ordo virginum, qui diuerso sexu & in dissimili ætate in mūdo cælestē conuersationē agebas, ab omni fornicationis inquinamēto alienus, & ab omni spurcitia diaboli immunis, per officiū oris, ac deuotionē cordis, gestumq; corporis placidus laudes Deo decanta. Ecce trāsitus vester ad cælū direct⁹ est, vbi merces æterna vobis parata est, vbi immaculatus virginis agnus prata depascit florida, quē & vos sequētes quocūq; ierit amœna carpitis pascua, singulas stolas cū laude castitatis in animab. vestris iā tenetis, alias iuxta finē mūdi in corporibus immortalib. accepturi, duplici honore gaudebitis. Quapropter oramus & obsecramus vos ô populi, & agmina cælestis militiæ, per nomē nobilissimum & insigne famosissimū decoris vestri, vt vbi vos iā læti cum rege vestro regnatis, ibi nobis æterna gaudia promereri certetis, quatenus agnus ille dux & gloria vestra, qui cæli dominatur in arce, concedat nobis locum ibi spaciosum & desiderabilem, vt vestrum cantum & si non cantare possimus, saltem cum iocunditate per sæcula audiamus.

De Vicesima quinta Figura, vbi Alleluia & Amen posita sunt.

O Laus pia & perpetua sanctæ Crucis, quā sanctorum cœtus in cælis frequentat, assis terrigenis, vt aliquid decēter & dignè de te proferre valeāt, & pleno ore gloriam tuā prædicare. Ego nāque, prout potui, te sancta Crux metrico ritu cecini, multū tibi desiderās in hoc satisfacere, sed tu excedēs dignitate quantitatē viriū nostrarū largitionem quoq; munerū nostrorū superasti: Nec mirū, cū etiā cœlestia simul & terrestria cuncta superas, nec satis valet vllus maiestati tuæ facere aut verba cōdigna honori tuo aptare. Quapropter tētaui ex cælestibus odis quædā verba ad laudādum te sumere, quæ etiā speciei tuæ figurę q; cōuenirent: Disposui eadem verba in pagina versuū nō cōtinuatim, sed disperse, & inserui Angelicos cātus; Amē videlicet in medio Crucis collocās, & cū Alleluia cornua illius complēs, vt sic quoq; hāc faciā effigiē cælesti carmine signarē, & mysteriū per hoc insinuarē. Nā fideles quiq; & iusti famuli Dei mūdi sceptra hinc triūphāt, & munerū illius decorē spernūt, hoc palā prædicantes, quod spe æternorū ardor fidei per os electorū resonās præmia cælestia suis cōsortibus præparet, & antiquū hostē aufuget, qui primū humano generi sæuissimā intulit mortē, & à protoplastis parētibus nostris, totā progeniē vsq; in aduentū Christi ad inferni loca detraxerat. At nos, quos desideriū æternorū ad cælos animo eleuat, præoccupemus faciē Dñi in cōfessione, & in psalmis ritè iubilātes, gratiā in cōspectu eius inuenire studeamus: taliter in laudibus ipsius exultātes, qualiter iustitiæ exposcit ordo, & sanctorum agmina in cælis perpetualiter concelebrāt. Hoc tunc ritè fiet, si implere contēderimus præcepta tonātis, & nō solū lingua, sed etiā cogitatu atq; opere laudes gratissimas dicere decertauerimus: Nā sermo fidei tantū ore prolatus, sine cōcordia mētis & operis, nō sufficit ad salutem: quia talis laudatio nō est Deo placita, quæ licèt sibi grandia promittat, parua tamē metetur: quia scriptū est, nō est pulchra laudatio in ore peccatoris. Vos igitur precor cælestes Angelorū plebes ac spiritus, animasq; iustorū, qui in conspectu gloriæ maiestatis diuinæ veraciter exultatis, vt sicut sine cessatione Alleluia & Amen perpetuū, Dño Christo in æternū cātatis, ita nostrā quoq; sortē precib⁹ adiuuare studeatis, quatenus beatitudinē verā, quā vos iā perfectè tenetis, tādē aliquādo p Christi gratiā nos accipere mereamur. XXV.

De Vicesimasexta Figura, in qua Propheticæ sententiæ denotantur.

TE igitur ô sancta Crux Christi oracula prophetarum benè honorant, facta prædicant, virtutes exaltant, quia quicquid plebs illa sacratissima, & diuino Spiritu inspirata vaticinando de Christi aduentu protulit, tuæ potentiæ gloriam in eo reuelauit: cum non ob aliud ipse Saluator in mundo apparuit, nisi vt per te saluaret genus humanum. Videamus ergò quid propheta & psalmista Dauid dixerit, si fortè signanter aliquid de te locutus sit. Ait enim: Foderūt manus meas & pedes meos, dinumerauerūt omnia ossa mea. Quid est ergo manus & pedes confodere, ossaque omnia dinumerare, nisi Christi membra in te distensa clauis configere? Itē Dauid dicit: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, Hoc vtiq; significans, quod Euangelista de Christo exposuit dicēs: Postea, inquit, sciens Hiesus, quia iā omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi aūt spongiam plenam aceto, hysopo circumponētes obtulerunt ori eius. Et alibi scriptū est: Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtū. Hinc quoq; Esaias propheta vaticinās ait: Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & reliqua. XXVI.

& reliqua. Et item ex persona Christi dicit: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Et item: Faciem meā non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Et leuabit Dominus signum in nationibus, & cōgregabit profugos Israel, & reliqua. In his ergo omnibus sententijs, & tui erectionem & passionis Christi veritatē Iudæorumq; expressit sæuitiam. Ieremias verò describit Christū quasi agnum innocentem ductum sine voce ad immolandum, lignumq; in panem eius missuros incredulos: quod significat panem vitæ in te eleuandum, inorteinq; carnis gustaturum. Ezechiel verò T. tau literā, tuā effigiem similātē, super frontes virorum gementium & dolentium esse positā asseuerat, ob liberationem cladis vastatoris. Sic tu quoque sancta Crux nō infirmitas vel ignobilitas esse sanctis prophetis ostēsa es, sed virtus firma, laus præcipua, & nauis seu portus fidelissimus in subleuando totius orbis naufragium. Nā Daniel prædixit Christum Dñm à perfidis occidēdum, & sic peccati noxā finiendā. Oseæ interfectionem mortis, saluationemq; describit populi: & Iohel obscuritatem siderum in morte Christi prænunciauit futurā. Amos festiuitates iniquorum in luctum cōuertendas, & omnia cātica eorum in plāctum. Abdias dolos Iudæorum cōtra Dominum & Ecclesiæ saluationem expressit. Ionas quoq; suo exēplo triduanā sepulturā Domini præfigurauit. Micheas Christū mōtem Domini appellās, cōuentum populorum ad ipsum prædixit. Naum vltorem esse futurum impijs, & cōsolatorē pijs, Dñm promisit. Abacuc quoq; plano sermone cornua tua, ô sancta Crux, in manib. Christi splendescere testatur: & Sophonias aduentum Dñi prænunciat futurum, & diem resurrectionis eius describit. Aggęus quippe in cōmotione cæli & terræ desideratum omnium gētium aduenisse testatur. Zacharias videt Iesum in vestibus sordidis mortalitatis nostræ, & plagas in manibus eius fixas, planctumq; multorum super eo quasi super vnigenito: Malachias quoq; licèt nouissimus in ordine duodecim prophetarum ponatur, luculenter tamen, vt cæteri, Dominatorem terræ ad templū suū venire describit, & purgare ministros suos examinatione valida, quod possint ipsi sacrificia offerre iustitiæ. Hæc cuncta salutis dona, & valida iudicia in te perpetrāda, ô sācta Crux Christi, sancti cōcorditer præcinuere prophetæ, & ad hoc te auctor omnium rerum destinauit, & omnia in te sine vlla dubitatione, quæ de eo ꝓmissa sūt, ipse perfecit.

De Vicesimaseptima Forma, in qua Apostolorum sententia collocatur.

XXVII. NOn minus tua iura, ô sancta Crux, testatur litera noui testamenti, quā scriptura legis veteris, quia dona gratiæ diuinæ quæ illa spondebat futura, hæc per incarnationē saluatoris docet esse cōpleta, indeq; maxime claret, quod Christus Iesus Dñs est legis vtriusque, quia proprio ore geminam mundo patefecerat abyssum, legem videlicet exponens, & Euangelium cōdens: sanctorumq; desideriorū voto reficiebat antiquos, & ostēsione ipsarum rerum satiabat posteros, bonus, verax, omnibus æquus. Vnde fit, quod Apostolicus cætus de tua sanctissima constructione sermonē protulit iocundissimum, factaq; tua magnifica saluberrimo ostendit relatu. Nā Petrus, qui in Apostolorum ordine primus est, fortiter de te persuasionis sumpsit exemplū, ita dicens: Christus ꝓ nobis passus est fratres, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et itē: Peccata, inquit, nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. Hinc quoque credo, quod ipse qui pro impijs & ingratis animā suam posuit, ad deuotorum atq; fideliū sibi preces aures suæ pietatis inclinet. Proinde ego miser, si honorificentia eius aliquod munusculum dignabitur artis humanæ accipere, hoc carmen ei summo nisu opto offerre, quia in eius bonitatem cōfido, quod piæ deuotionis munera ipsi nō displiceant, si perseuerauerimus in vera cōfessione nominis eius. Ast nos B. Iacobus Apostol. hinc exhortatur, exemplum patientiæ Christi nobis ostendēs: Exemplum, inquit, accipite fratres laboris & patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine Dñi Iesu Christi. Ecce beatificamus qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis, & finem Dñi vidistis. Hinc & dilectus Dñi Iohannes, ad mutuā dilectionem nos prouocat. Christum in medium proferens, vt sicut ipse pro nobis animam suā posuit, ita & nos pro fratrib. nostris animas ponamus. Iudas quoq; seruus Christi, frater autem Iacobi, sub exemplo Iesu successoris Moysi, demōstrauit Iesum Christum eduxisse nos per Crucem, de spirituali Ægypto, id est, de potestate tenebrarum, & incredulos perdidisse. Paulus ergò nō paululum, sed magnificè de te locutus est, qui auditoribus suis ait. Nō. n. iudico me inter vos aliqd scire nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Et cōtradixit sibi gloriari, nisi in Cruce Dñi nostri Iesu Christi, per quem illi mundus crucifixus sit, & ipse mundo, Christumq; affirmat propter mortem Crucis, accepisse potestatem in cælo & in terra & subtus terrā, ita vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dñs Iesus in gloria est Dei patris. Ecce, sancta Crux Christi, Apostolicus ordo quā cōcinnè antiquis prophetis tuas laudes prōfert, ita vt in nullo dissentiat, cum ea quæ ipsi præcinebant futura, isti in te completa affirment, quia tu veræ concordiæ signum cælestia simul & terrestria, vetera & noua omnia perficias.

De figura Vicesimaoctaua, vbi opifex ipse sanctam Crucem adorat.

OMnipotens maiestas, virtus excelsa, creator cælestiū & formator terrestrium, Dñs Deus Sabbaoth, qui verus cōditor & redemptor es hominū, tu laus nostra es, tu virtus & gloria cū salute vera, tu es rex regum, tu Doctor ignorātiū, rector fideliū & Magister credentiū, tu summus & princeps es pastorū, tu pius protector tuarū ouiū, tu sancte Saluator auctor es tori⁹ boni, dux bonus, via recta, lux vera & vita perpetua, merces clara, & ostiū salutis æternæ. Ex te omnis sensus, vox, verbū & virtutū omniū fructus procedit. Ad te ergò direxi sermonem in primordio huius operis, & quæcunq; in sequentibus addidi, ad tuā laudē peruenire optaui. Cor meū ad te se eleuat, mentis meæ tota intentio ad te clamat, quicquid vsquā lingua rectæ cōfessionis, seu manus bonæ operationis cū deuotione pię mentis profert, totū ad laudē tuā pertinet. Omnia namq; te glorificāt & benedicunt, quæ in imis & quæ in supernis sunt, nec nō & ego pars minima tuæ creaturæ, te Dñm verum supplex & lætus adoro, atq; Cruci tuæ submisse & humiliter salutās dico: O lignum vitale & ara salutifera, te adoro, spē vitæ æternæ deprecās, vt per te structurā sanctissimā hostia grata Deo oblatus existā. Hoc meū est desideriū, hoc validus amoris feruor, hoc tota intētio mētis & famina linguæ exorāt, hoc esuries cordis & sitis est animæ: vt per passionis tuæ gratiam me tibi oblatū famulū suscipias, tuaq; crucifixio totū quod in me tibi contrariū sit cōsumat, & carnalē æstū temperet, irā extinguat, linguā à prauo & vaniloquio cōpescat, & pietatis verba in os meū reponat: omnē perturbationē mentis pacificet, & vitā honestam deducat. Ergò quādo adueneris Dñe Iesu, iudicare viuos ac mortuos ac sæculū per ignē, & cōsumpserit flāma aduersarios tuos, oēs qui oderūt nomen tuū, in nouissima tuba & tēpestate valida, quādo secundum Euangeliū tuū apparebit signū filij hominis in cælo, & plāgent super se oēs tribus terræ, intuētes in eū in quē ꝑpugerūt: Obsecro, vt tūc à flāmis vltricibus sancta Crux me eripiat, atq; ab ira agni propriū poetā defēdat, cui canō carmē præsens, & vtinā vsq; in finē vitæ meæ placita illi & honorifica semper decantē, minimus omniū seruorū tuorū & peccator Rabanus, hymnis, laudibus, corde, ore, manu & totius gestu corporis, hoc semper memorās, quanta bonitate nos tu cōditor noster creasti, & quāta pietate redemisti, cū ab inferni carcere & gehēnæ flamma nos liberasti. Et nunc bone Saluator deprecor, vt des mihi requiē illā, quā fidelib. tuis promiseras te daturū in arce polorū: vbi verè populus tuus sabbatizat, sabbatho perēni fruens. Interim quoque, quādiu sim in hoc corpusculo, dirige me in semita recta fidei Catholicæ: sustēta firma spe, refice tua dilectione, vt ipse mihi sis refrigeriū in via, quē requiē desidero habere in patria. Sine vlla. n. diffidētia, omnia promissa tua credo esse verissima, iudicia tua pertimesco rectissima, dona tua expecto dulcissima. Præsta vt in te gaudens tecū permaneā in æterna lætitia. O Crux alma Dei, vsq; huc, quantum potui, laudē tuā cecini: sed quia triumphū perpetē expetis, quē in his mortalibus pleniter & perfectè nō inuenis, confer te ad cælestia Angelorum agmina, ibique tibi laus perpetua per cuncta sonabit sæcula.

LIBRI SECVNDI FINIS.